

IMMAN. IO. GERH. SCHELLERI


PRAECEPTA STILI BENE LATINI IN PRIMIS CICERONIANI

SEV


ELOQVENTIAE ROMANAE

QVATENVS HAEC NOSTRIS TEMPORIBVS
IN DICENDO ET SCRIBENDO
VSVRPARI POTEST

SVMMA DILIGENTIA MAXIMOQVE PERSPICVITATIS
STVDIO TRADITA ET ILLVSTRATA



PARS PRIOR



EDITIO ALTERA AVCTIOR ET EMENDATIOR

LIPSIAE
SVMTIBVS CASPARI FRITSCH
CIƆIƆCCLXXXIIII

PRAEFATIO
EDITIONIS PRIORIS

Sex fere anni ſunt, cum Fritſchius, bibliopola Lipſienſis, vir honeſtiſſimus, mihi per literas ſignificavit, quia exempla *Heineccianorum fundamentorum ſtili* paene divendita eſſent, ſuum eſſe, vel ea, novis animadverſionibus aucta, recudenda, vel potius iſti libro, qui animadverſionibus jam ſatis repletus eſſet, alium plane novum librum ſubſtituendum curare: hinc rogare, ut talis libri conſcribendi laborem ſuſciperem. Non nego, me aliquamdiu haeſitaſſe. Neque enim pauca erant, quae me ab iſto conſilio non parum alienum redderent: in his *primum*, quod de eadem materia jam ſcripſiſſem in libro vernaculo: *Anleitung die alten Schriftſteller zu erklären* etc., cui non pauca de *imitatione Ciceronis recte inſtituenda* ſubjunxeram praecepta, quae mihi tum quidem ſufficientia videbantur: et de eadem re ſaepius ſcribere taedium creare ſolet: *deinde*, quod obſervare mihi viſus eſſem, pauciſſimos hodie eſſe, qui bene latine ſcribendi cupidi eſſent vel hanc facultatem honori ſibi ducerent. Nam, licet largiar, multos hodie reperiri, qui bene latine ſcribere velint et poſſint, tamen hos multos prae iis, qui nolint et nequeant, pro paucis habendos eſſe recte putarim. Ponamus mille eſſe homines, qui bene ſcribere velint et poſſint,

nonne innumera millia eorum esse fatendum est, qui in scholis latine scribere didicerint, nec tamen bene latine scribere possint? Quod utrum ipsorum voluntate, an magistrorum culpa, an alia causa fiat, nunc non inquiremus. Hoc tamen certum est, hodie artem bene latine scribendi non magni aestimari, imo a permultis inter nugas vel saltem inter artes inutiles Alchymiaeque fere similes numerari. Non igitur profecto mirum, me ejusmodi libri conscribendi non nimis cupidum fuisse. Quis enim tam forti est animo, ut de re, de qua pauci legere velint, quam plerique contemnant et inutilem levemque esse putent, libenter scribat? Quis non contra aequum esse putat, se ad genium saeculi accommodare, et, si scribere velit, non nisi ea scribere, quae plerique libenter legant vel legere cupiant? Quia tamen cogitabam, si istum laborem detrectassem, forsan Fritschium libellum Heineccianum esse recusurum, quod tamen fieri nolebam, quoniam ex eo non justam certamque stili bene latini notionem percipi posse persuasum mihi est, ac forsan non facile quemquam eruditorum ad ejusmodi laborem, non magnam famam, laudem gloriamque, pollicentem, descensurum esse: promisi Fritschio operam meam qualemcunque, existimans eam non nimis arduam nec nimis longi temporis fore, mihique persuadens, me, qui priscos in primisque Ciceronem haud indiligenter legissem, qui in latine scribendo tam saepe alios erudiissem et ipse latine scribendi occasionem tam crebro habuissem, variasque vias ad faciliorem latinitatis stilique latini cognitionem invenisse mihi viderer, facillime libellum de latine scribendo con-

cinnaturum, praesertim cum, si quae mihi non statim in mentem venirent, ea ex illis praeceptis vernaculis libello meo *Anleitung die alten* etc. subnexis, vel ex libello Heinecciano, in primis e Gesneri in eum animadversionibus petere me posse opinarer. Hac spe, quae tamen deinde valde me fefellit, fretus promisi Fritschio, me ipsi libellum intra dimidii anni spatium missurum esse; et hic fide mea nixus titulum libelli generali illi librorum et recens editorum et proxime edendorum catalogo, qui singulis nundinis Lipsiensibus edi solet, inserendum curare non dubitavit. Opus igitur aggredi et primis velut lineis designare atque capita digerere coepi; et, cum dudum mihi persuasissem experientia diuturna edoctus, stilum bene latinum sine eloquentia, quam in *perspicuitate*, ad quam argumentorum quoque usum atque ita *soliditatem* vulgo sic dictam, *die Gründlichkeit*, refero, in *gravitate* et *suavitate dicendi* iustis causis adductus pono, esse non posse, ac neminem bene latine scribere valere, qui non bene cogitare sciat, omninoque istis tribus eloquentiae virtutibus rite instructus sit, meum esse duxi, omnem navare operam, ut, quidquid de stilo bene latino dici posset ac deberet, non ad vocabula sed ad ideas referrem atque istis tribus eloquentiae virtutibus, *perspicuitati*, *gravitati*, et *suavitati dicendi*, subjicerem. Cum vero nonnulla eorum essent, quae vel latius explicanda viderentur vel universis his tribus virtutibus communia essent, et antea, quam ipsas has eloquentiae virtutes accuratius disceres, paulo notiora esse deberent, ut periodica et numerosa verborum et enuntiationum structura, variatio verborum, copia ac brevitas dicendi etc.; ac, cum praeterea de vocabulis ip-

ſis eorumque uſu et grammatica compoſitione, quia hic a permultis peccari vulgarium libellorum grammaticorum et Lexicorum culpa ſolet, nonnulla dicenda eſſent, quo troporum quoque explicatio pertinet, ſine quorum juſta cognitione juſtus uſus vocabulorum, quibus deinde ſubtilitas enuntiationum totiusque contextus nititur *), locum non habet: ea omnia, ne confuſio oriretur, ſeparatim tractanda ac praemittenda, et Parte priore, quam propterea *praeparatoriam* inſcripſi, complectenda putavi; ubi interdum etiam vulgares res, quae tironibus nota eſſe debebant, in quibus tamen a non paucis, qui non tirones amplius vocari volunt, peccari videbam, tractare et accuratius explicare non inutile arbitratus ſum. Boni enim viri eſt, ad omnia, vel minima, deſcendere, dummodo prodeſſe poſſit. Haec omnia cum ſummatim mente concepiſſem et in charta digeſſiſſem, magna difficultas orta mihi eſt, quomodo ſingula vel accurate ac definite explicare et digerere, vel argumentis certis munire et extra omnem dubitationis aleam ponere, in primisque exemplis priſcorum idoneis et luculentis illuſtrare vel apte inter ſe conjungere poſſem. Saepe enim res in univerſum conſiderata facillima videtur, et facillime in univerſum explicari poteſt, quia hic paucis verbis, iisque ſaepe indefinitis, defungi licet: ſed in partes, imo particulas minimas, deſcripta, quae ſingulae explicari

*) Singula *vocabula* ſunt ſingulae *ideae:* ſed ſingulae *ideae* ſunt *partes enuntiationum*, ut hae ſunt partes *totius* orationis. Vitium, quod in partibus *Totius* cujusdam committitur, manifeſte ad *Totum* quoque pertinet. Hoc non conſiderant ii, qui de vocabulis, tanquam de re vili, loquuntur: non cogitant, ſe ſimul de ideis, ut de rebus contemtu dignis, loqui etc. Qui partes domus negligit, totam domum negligit.

ri debent, fit longe difficilior, quia hic ad minima descendere et ubique accurate versari cogimur. Neque enim contentus eram, quae ad stili bene latini naturam pertinerent, ea simpliciter et in universum tradere, vel indefinite de iis loqui, vel lectores ad usum dicendi priscorum rejicere, ut vulgo fieri solet; sed hujus usus dicendi fontes sedulo investigare meum esse duxi. Hos igitur fontes, quos plerumque in istis tribus eloquentiae virtutibus latere vidi, in singulas stili bene latini partes, imo, ubi fieri potuit, particulas minimas derivare, atque ita fundamenta bene latine dicendi et scribendi satis firma, immutabilia, nec a cujusque gustu deinceps pendentia jacere studui: quam rem an feliciter tentarim, prudentiorum esto judicium. Neque vero hic prodesse mihi poterat Heineccius, quippe qui fere non nisi vulgaria et generalia tractat ac plerumque indefinite loquitur; imo hujus praecepta, quia saepe vel falsa vel indefinita vel aliena sunt, saepe refutare coactus sum: neque etiam Gesneri in illum adnotationes valde prodesse mihi poterant, qui plerumque in illo refutando occupatur, et cujus animadversiones, praeclarae illae quidem, sine Heineccianis tamen praeceptis non usurpari fere possunt, quia plerumque se ad ea referunt: omninoque horum virorum ratio a mea longe abit. Nec proderant mihi satis praecepta illa mea libro vernaculo *Anleitung die alten* etc. adjuncta: quippe quae rem non nisi summatim, nec eam totam, et alio ordine, complectuntur: praesertim cum in nonnullis, v. c. *numeris oratoriis* etc., mentem meam postea paululum mutaverim. Erat quoque mihi praeterea pugnandum cum multis hodie receptis opinionibus de

bona et pulchra latinitate, de *elegantia verborum* etc. Nam et falſas opiniones noſſe eius intereſt, qui veritatem plane et perſpicue noſſe cupit. Maxima vero difficultas cernebatur in eo, quod neſciebam diuque incertus eram, qua ratione innumeras iſtas res, quas mente concepiſſem et obſervaſſem, omnium aptiſſimo et maxime perſpicuo ordine digererem. Et fateor, me interdum aliquot hebdomades conſumſiſſe in meditando tantum, quem ordinem cuique materiae, cuique capiti, ſectioni, reique tribuerem. Saepe enim eadem res ad duo, imo tria, capita, atque etiam ſectiones, pertinere atque ita triplicem locum poſtulare videbatur: hic igitur propior relatio ponderanda et remotiori praeferenda erat: nec tamen facere potui, quin interdum eidem rei duplicem locum, re ipſa et perſpicuitate aperte poſtulante, aſſignarem. Sed in totius materiae tractatione vidi atque ſenſi, quam falſum ſit, quod vulgo dicitur, facilius eſſe novum librum conſcribere, quam eum, qui ab alio ſcriptus fuerit, corrigere: ſaltem hoc non ubique et in univerſum verum eſſe patet. Nam, ſi quem librum animadverſionibus noſtris corrigimus, datur nobis a ſcriptore ipſo anſa multa dicendi, quae dicere alioqui non licuiſſet vel quae non ſponte nobis in mentem veniſſent, atque ita multa corrigendi, de quibus alibi tacere coacti eſſemus: id quod in eos quoque, qui ſcriptores priſcos cum animadverſionibus edunt, convenit. At, qui ipſe librum de aliqua re conſcribit, is omnia ex ſe ſumere omnesque iſtas dicendi anſas ſibi ipſe ſuppeditare cogitur: debet ex ſe ipſe quaerere, quid dicendum, quid omittendum, quid late explicandum etc.; ſi quidem non ex aliis exſcribere,

bere, et tralaticia repetere, ſed ut bonus vir agere cupit. Ac profecto librum Heineccianum cum multis animadverſionibus et correctionibus meis edere multo mihi facilius fuiſſet, quam novum librum concinnare. Hinc nec miratus ſum, cur philologi, qui accurate res tractare ſolent, ad talem laborem (ut et ad Lexica ſcribenda) non facile accedant: nam quam paucos libros de ſtilo habemus! (non dicam quam *bonos*, quam *accurate* ſcriptos etc.!) et cur Geſnerus, qui prae ceteris de ſtilo ſcribere praeclare poterat, maluerit librum Heineccianum ſuis animadverſionibus corrigere et augere, quam ipſe librum ejusmodi elaborare. In medio igitur labore defatigatus deſii; librum inchoatum ſepoſui: nec aegre tuliſſem, ſi quis alius interea de ſtilo bene latino praecepta edidiſſet. Veniebant ſimul mihi res duae in mentem, quae me plane absterrerent ab incepto. Primum iterum cogitabam, quam pauci eſſent, qui ſtili bene latini culturam amarent: hinc totam rem ne dignam quidem eſſe, cui tantum ſtudii laborisque impenderem. Deinde cogitabam, me forſan adeo apud multos, qui de latinitate bona ac ſtilo bene latino aliter, atque ego, ſentirent, offenſurum, ac pro iſto labore non levi hoc praemii laturum, ut multi iis, quae a me dicta eſſent, propterea, quod vel ipſorum ideis non convenirent vel ab ipſis ipſorumve amicis non dicta eſſent, invidiam facere ſtuderent. Sunt enim nonnunquam in republica literaria, qui, quod vix credas, praeſertim his temporibus, quae ſapientiae luce maxime illuſtrata dicuntur, ſibi licere putent, tecto nomine de libris, quidquid velint et quidquid ſtatim in mentem venerit, temere dicere, eos eorumque ſcriptores

acerbe vituperare, nullis, cur vituperent, adjectis caussis, atque adeo pro libidine irridere et cavillari, tanquam omnibus humanitatis officiique legibus soluti sint. Qui si qua sunt auctoritate apud imperitos, his, quidquid velint, facile persuadent: non enim omnes librum quemque possunt legere vel satis de eo judicare. Libere de eruditis loqui et judicare, si cum eo conjunctus est summus amor veritatis, est res praeclara et magni facienda; at sine veritatis amore est licentia et petulantia. Destiti ergo ab incepto istis caussis permotus: ac forsan laborem plane deposuissem, nisi Fritschius frequenter me monuisset effecissetque, ut fidei ipsi datae memor essem et famam boni viri omnibus aliis rebus anteferrem. Absolvi itaque tandem Partem priorem, in qua nihil omisi, quod ad vocabulorum usum, conjunctionem, ordinem et connexionem pertinere ullo modo videretur: illaque absoluta videbar mihi satis multa de latinitate recte cognoscenda et de bene latine scribendo dixisse; et hic opus claudere animus erat. Attamen, cum non pauca viderem restare, quae ad stilum Ciceronianum recte cognoscendum et ad bene latine scribendum necessaria essent, et quae in priori Parte tractari non potuissent, nec ex ea intelligi satis possent; cumque boni viri esse existimarem, ea, quae incepta essent, ad exitum perducere: ad alteram quoque Partem, de tribus eloquentiae virtutibus, *perspicuitate, gravitate, et suavitate dicendi* exponentem, accedendum putavi: cui subjunxi tandem, ut plane nihil praetermisisse viderer, paucula de *subsidiis* stili bene latini, de *elaborationibus* ac de tripertita illa divisione generum dicendi in *demonstrativum, deliberativum* et *judiciale*, in *tenue,*

medio-

mediocre et *ſublime*, in *Aſiaticum*, *Rhodium*, *Atticum* et *Laconicum*. Haec omnia in appendices conjeci, quia alibi vix locus commodus eſſe videbatur.

Verum haec, quae adhuc diximus, forſan non tam lectoris intererit ſcire, quam quid in hoc libro a nobis praeſtitum ſit. Sed hoc a nobis in praefatione dici non poteſt: lectio libri ipſa docebit. Omnino ſcriptor non, quid praeſtiterit, ſed, quid praeſtare ſtuduerit, enarrare poteſt: nam vel ſapientiſſimus erroribus et peccatis obnoxius eſt. Ut tamen ſummatim aliquid dicamus, *primum* ea, quae ad bene latine ſcribendum pertinent, non modo certioribus regulis, quam vulgo fieri ſolet, adſtringere ſtudui, ſed etiam multo plura hanc in rem dixi, quam vulgo ſolent dici: unde intelligitur, quam late pateat ſcientia ſtili bene latini, quam multis praeceptis contineatur, et quam non mirum ſit, eos, qui ad fundamenta ſtili Heinecciana vel ad grammaticum librum vulgarem, v. c. Langianum etc., eruditi ſint, non potuiſſe ad accuratam certamque ſtili bene latini cognitionem pervenire. In primis operam dedimus, ut totum Ciceronem imitandum exhiberemus, ac formam ſtili Ciceroniani totam proponeremus notamque redderemus ejus cupidis, nihilque, quod eo pertineret ullo modo, omiſi, habita tamen ubique noſtrorum temporum ſimul ratione: et efficere ſummopere ſtudui, ut appareret, ſtilum bene latinum in primisque Ciceronianum non in verbis, ſed in eorum ideis, harumque apta, perſpicua, gravi et ſuavi conjunctione, omninoque in iis, quae perſpicuitatem, gravitatem, et ſuavitatem dicendi adjuvarent, conſiſtere. Atque tali modo ſtilo bene latino dignitatem ſuam, dudum amiſſam, reſtituere

tuere ſtudui. Nam, quanto cum contemtu permulti de facultate bene latine ſcribendi loquantur, ſatis notum eſt: quod inde praecipue fit, quia, praeterquam quod ab illa non magna honoris et divitiarum praemia exſpectare licet, opinantur *bene latine ſcribere* nihil aliud eſſe quam *vocabula Ciceroniana e regulis vulgaribus grammaticis conjungere.* Qui ſi ſcirent, hanc facultatem nihil aliud eſſe quam eloquentiam latinis verbis expreſſam romanaque veſte indutam, haud dubie melius et modeſtius de ea ſentirent. Quis enim eloquentiam non magni aeſtimet? Et experientia docet, quicunque bene latine ſcribere potuerint, eos eloquentes fuiſſe, hancque eloquentiam ſaepe cum laude quoque lingua vernacula declaraſſe: hincque fit, ut multi, licet multos per annos latine ſcribendo operam dederint, tamen, quia non ſimul bene, diſtincte, graviter ſuaviterque cogitando operam navaverint, atque ita eloquentiam ipſam neglexerint, non bene ſcribere queant, ſed tantum in verbis haerere cogantur. Deinde etiam multa dixi, quae ad verba ipſa, eorumque uſum univerſum, recte, diligenter, cauteque inſtituendum, pertinerent, et quae nusquam, quod ſciam, tam accurate tradita reperirentur: quo pertinent v. c. dicta de *propria vocabulorum ſignificatione*, ſine cujus cognitione lingua nunquam accurate diſci poteſt, de *tropis*, de *grammatica vocabulorum compoſitione*, in primisque de *accuſativo cum infinitivo*, de *participiis*, de uſu *temporum* et *modorum* etc., de vocabulorum variatione, connexione, ordine etc.

Iam in his ſingulis explicandis ea perſpicuitate ac diligentia uſus ſum, ut, quia me ad lectores omnis generis accommodare volui, vel is, qui exigua linguae

linguae latinae ſcientia inſtructus ſit, me ubique facile ac ſtatim intelligere poſſe videatur. Quam in rem verba aptiſſima quaeque elegi ac ſaepe malui unam ideam pluribus verbis circumſcribere, quam uno vocabulo exprimere, quia hoc illam non ſatis perſpicue indicare videbatur. Abstinui, quantum potui, vocabulis, ut rarioribus, licet aureae aetati notis, v. c. *notatio* pro *etymologia* etc., ita iis maxime, quorum ſignificatio non ſatis definita videbatur, v. c. *elegantia*, *elegans*, *eleganter*, quibus tribus vocabulis ii, qui praecepta dant ſtili latini, alioqui in primis libenter uti ſolent. Imo, ſicubi ſenſi vel opinatus ſum, hanc vel illam enuntiationem, vel etiam vocabulum, quo uti interdum coactus ſum, forſan aliquid obſcuritatis aut dubitationis alicui lectorum afferre, vel alio, ac cogitavi, modo explicari poſſe, ſtatim aliquid explicationis addidi: omninoque omnia, quae non manifeſta eſſent, explicanda omnique dubitationi lectorum, quae cogitari poterat, occurrendum ſtatui. Tam enim amans ſum perſpicuitatis, ut ei omnia poſtponenda cenſeam. Nec exempla priſcorum ad illuſtranda praecepta et confirmanda deeſſe facile paſſus ſum. In quibus conquirendis quantum operae ac laboris mihi adhibendum fuerit, facile intelligent, quicunque de talibus rebus judicare valent. Nec ſatis erat loca conquiſiviſſe; debebam etiam perlegere et videre, an contextus conveniret, ac propterea ſaepe permulta antecedentia, permulta ſequentia verba, ſimul legere. Sed hujus omnis laboris nos non poenitebit, modo ne ea utilitate, quam ſpectavimus, careat.

At forſan erunt, qui querantur, nos nimis late de ſtilo bene latino expoſuiſſe, in primisque nimis multa

multa priſcorum loca ad praecepta noſtra confirmanda et illuſtranda attuliſſe, ut contra alii forſan querentur, nos nonnunquam nimis breviter locutos eſſe. Nam e ſuo quisque guſtu atque cognitione de rebus judicat. Qui bene latine ſcribendi ſatis peritus eſt, ei non vitio vertendum, ſi queratur nimis fuſe iſtam rem explicatam eſſe, ſi quidem haec praecepta ad eum erudiendum ſcripta velimus eſſe. At tali viro iſta praecepta non ſcripta ſunt: hoc enim foret *docere piſcem natare.* At is ſinat alios, qui nondum bene latine ſcribere ſciant, iſta legere et, quam poſſint, utilitatem ex iis capere. Sic et alii, qui ingenii praeclari ope adjuti e paucis verbis mentem ſcriptoris ſtatim aſſequi et intelligere valent, forſan, ſi de ſe ad alios omnes concludent, de nimia dictorum multitudine conquerentur. At et hi cogitent, non omnes homines eadem eſſe intelligentiae celeritate ac felicitate: omninoque, ſi quid ſine addita explicatione ipſi intelligant, hanc explicationem, tanquam ad ſe non pertinentem, praetermittant, cogitentque, alios forſan fore, qui ea frui cupiant, et quibus ea ſit jucunda atque utilis. Ita equidem in legendis libris omnibus agere ſoleo. In quibus ſi quid explicatum invenio, quod dudum ſatis noram, puto explicationem iſtam non mihi, ſed aliis, ſcriptam eſſe, vel, ſi quid late explicatum video, quod ſtatim e duobus verbis intelligo, hoc minime aegre fero, quia credo, hanc explicationem aliis utilem fore: ut contra ſaepe, ſi rem, quam antea plane ignorabam, late explicatam video, hanc explicationem magna cum laetitia accipio et ſcriptori gratiam habeo, cogitans ſimul, multos alios lectores forſan iſtam rem ſine iſta explicatione intellecturos

turos esse. Nam non omnium hominum est eadem cognitio, idem ingenium: atque, ut, e vetere proverbio, non omnia possumus omnes, ita non omnia omnibus scribimus. Iniquum enim putamus esse, *unum hominem*, si quid sibi haud necessarium videtur esse, statim clamare: *hoc omnino non necessarium est:* debebat dicere: *hoc mihi haud necessarium videtur esse.* Pauci sunt libri, qui certo generi lectorum destinati esse dici possint: et in talibus libris facile est se ad lectorum intelligentiam accommodare. At plerique libri variis lectoribus scribuntur: et quis hic modum ubique servare queat? Et talis est hic in primis liber. Quem si omnes vel saltem plurimi lectores omnis generis confirmabunt praecepta nimis multa vel nimis fuse explicata et illustrata continere, humanitatis erit meae credere, me peccasse, et haec peccata, si libri iterum edendi occasio detur, corrigere. Nam scriptor debet se ad lectores accommodare, non hi ad illum. At scriptor non potest se ad unum accommodare; nisi forte *hic unus* de cognitione et gustu hominum omnium vere judicare queat. Sed quis mortalium hoc de se confirmet?

Quod ad exempla e priscis addita attinet, ea propterea adjeci, quia auctoritati meae, quae in talibus rebus nulla est et nulla esse debet, credi nollem. Melius est, lectorem verba priscorum ipsa videre et cum meis comparare, atque ipsum judicare. At paucioribus exemplis defungi poteramus. Fecimus hoc etiam quam saepissime, et ubicunque licuit: imo interdum, ubi res non egebat, exemplis priscorum plane abstinuimus. Interdum vero plura afferre debuimus, ut lectores viderent, rem, de qua sermo est, valde usitatam apud priscos esse. Deinde,

de, cum non omnis contextus idem ſit, poſſit forſan aliquis lectorum, unum locum Ciceronis videns, credere, huic tantum loco, vel huic tantum contextui, nec alii quoque, iſtam rem convenire: at, ubi plura loca, eaque varii contextus, videt, judicare poteſt, in quali contextu illam rem vel illud vocabulum et quomodo adhibere poſſit. At forſan dicent alii, nos debuiſſe tantum loca citare, nec ipſa verba ponere. Recte; at non omnes lectores iſtis libris, v. c. Livio vel omnibus Ciceronis operibus, inſtructi ſunt, aut eos non ad manus habent; omninoque humanius eſſe putamus, lectorem moleſtia evolvendi libros, ubicunque fieri poteſt, liberare, quam eum, ut ubique modo hunc modo illum ſcriptorem evolvat, cogere, praeſertim cum nihil frequentius ſit, quam loca, quae tam breviter citantur, falſo citata reperiri, quod vel errore ſcriptoris, etiam accuratiſſimi, vel typothetarum vitio valde vulgare, vel etiam interdum, quia ſcriptor locum ipſe non inſpexit aliorumque auctoritati credidit, aliisve de cauſis accidere ſolet. Perſpicuitati quoque manifeſte convenientius eſt, lectorem locum, qui rei confirmandae vel illuſtrandae cauſa laudatur, videre ſtatim et legere, ut ſtatim videat, quibus verbis res nitatur. Hoc autem liquido confirmare poſſum, me, quaecunque priſcorum loca attulerim, ea non modo aliquoties ſummaque diligentia et religione inſpexiſſe ac perlegiſſe, ut adeo praeſtare audeam, nihil hic a me vitii commiſſum eſſe, ſed etiam, ubicunque fieri potuerit, illa ſummo ſtudio contraxiſſe, nec plus verborum, quam ad illuſtrandam confirmandamque rem pertineret, appoſuiſſe; niſi forte perſpicuitas, cujus in primis ratio eſt diligenter habenda,

benda, poſtulaverit, ut interdum vel praecedentia vel ſequentia verba ſimul adderentur. Et quisque prudens lector per ſe intelligat neceſſe eſt, quantum laboris et moleſtiae iſtorum tot locorum conquiſitio, quae non modo multum temporis, ſed etiam certas ejus opportunitates, ac praeterea multum meditationis poſtulat, mihi attulerit, ut profecto hinc appareat, me non illa tanto labore et cum tanto temporis impendio conquiſiturum, inſpecturum, et aliquoties perlecturum fuiſſe, niſi eorum utilitatem ac neceſſitatem perſpexiſſem. Animadverti etiam in libro iterum perlegendo, me nonnullas res aliquoties, alio tamen conſilio, atque ita alio plerumque modo, tractaſſe et illuſtraſſe: ſed non video, quomodo aliter agere potuerim; materia manifeſte ita poſtulabat, v. c. de *qui* pro *is vero*, *et is* etc. exponitur et in cap. de *connexione* et in cap. de *brevitate*: utrique capiti conveniebat etc. Et lectoribus, rem ſerio cogitantibus, non injucundum iſtud erit, quia ſic eandem rem in diverſa relatione conſpiciunt, atque vident, quomodo una res ſaepe varie proſit.

Omnino nihil omiſi, quod ad rationem ſtili bene latini accurate planeque cognoſcendam pertinere poſſet; nec quidquam facile poſui, cujus non cauſam, ſi ulla ratione inveniri poterat, adderem. Inſerui etiam nonnulla, quae, licet non directe ad artem bene latine ſcribendi pertineant, tamen ei, qui de latinitate aliisque rebus ſubtiliter judicare ſolet vel vult, non injucunda eſſe ſpero, v. c. de *mecum*, *nobiscum* etc., cur *τὸ cum* poſtponatur etc. Diſplicebunt illa non niſi ei, qui in libro tantum ea invenire cupit, quae titulus ejus indicavit. Non nego, me mihi operis tractationem tali modo, cum ſingula

accurate explicanda aliaque ad ſubtilem latinitatis cognitionem pertinentia addenda putarem, paulo difficiliorem reddidiſſe. Poteram, more aliorum, praecepta ſtili breviter et ſummatim tradere: et haec brevitas magnam interdum famam, auctoritatem, doctrinaeque opinionem affert, quia is, qui de re breviter loquitur, eam videtur conſiderare tanquam notam et manifeſtam atque adeo facillimam: cum tamen, ſi illam ſatis late diligenterque tractare debuiſſet, forſan haeſiſſet. Quis v. c. non poſſit hodie Compendium aliquod antiquitatum romanarum etc. ſcribere? at late ſingulas earum partes accurateque explicare nonne eſt majoris difficultatis? Alii etiam ſatis habent in praeceptis ſtili tradendis ad priſcorum uſum dicendi provocare eoque lectores diſcipulosque ſimpliciter ablegare: at ego hunc uſum dicendi accurate contemplatus ſum, ejusque fontes ſtudioſe indagavi diligenterque examinavi, ut adeo mea praecepta ſtili poſſint philoſophica vocari, ſi quidem ea tractatio materiae cujusque philoſophica vocanda eſt, ubi cauſas ubique ſedulo inveſtigas, et, ubi nullae reperiri poſſunt, hoc fideliter indicas. Multos etiam eſſe ſcio, qui, ut explicatione rei alicujus ſuperſedeant laboremque ſibi faciliorem reddant, lectores ad alios homines doctos ablegent, his v. c. verbis: *vid. Salmaſ. ad Solin., Burm. ad Quintil, Drak. ad Sil., Caſaub. ad Suet., Graev. ad Cic.* etc. Non nego, hoc ſpeciem doctrinae et diffuſae lectionis interdum afferre, praeſertim apud imperitos. At non ſemel vidi, apud illos doctos, ad quos lectores rejiciuntur et ablegantur, nihil explicationis reperiri: ut manifeſtum ſit, illos propterea, quia ipſi rem non intel-

intellexerint, nec tamen ſuam inſcitiam fateri voluerint, ac ſimul morem citandi inveteratum ſequi ſtuduerint, lectores ad alios doctos ablegaſſe. Non igitur hunc morem citandi ſequendum putavi, praeſertim cum ſaepiſſime lectoribus non ad manus ſint iſti libri citati. Ipſe dixi, quae noram, ac, quae ignorabam, faſſus ſum me ignorare, ut alii, quae ipſe neſcirem, ea, ſi vellent, altius indagare ſtuderent. Nam iſta ingenua profeſſione noſtrae ignorantiae plus profecto proſumus, quam ſpecie doctrinae perfectae omnibusque numeris abſolutae et extra erroris aleam poſitae prae nobis ferenda.

Forſitan et erunt, qui vitio mihi vertant (noſtra enim aetate nihil non timendum eſt), quod contra nonnulla a magnis quibusdam viris, quorum eſt magna in hoc doctrinae genere auctoritas, ut Erneſtio et Geſnero dicta dubitationes, legitimis tamen cauſis inſtructas atque munitas, proferre non dubitaverim. Hic equidem non nego, hoc a me invito factum eſſe. Tanti enim iſtos viros facio, quanti eos pauci facere poſſe videantur. At veritatem tamen, quam ubique ſecutus ſum, quae eſt regina omnis et ſcientiae et eloquentiae, et quae non ab opinionibus atque auctoritate virorum celebrium pendet, longe pluris faciendam eſſe omnium hominum auctoritate, quis non concedat? Nec mea dicta illorum virorum dignitati ſummae et dudum ſtabilitae quidquam officere poſſunt, ſed docent tantum, omnes magnos viros eſſe homines. Et quid fiet literis, ſi Lutheri, Melanchthonis, Gerhardi, Chemnitii etc., Lipſii, Caſauboni, Gronovii, Graevii, Burmanni etc. auctoritate ubique ac ſine ulla dubitatione inſiſtamus, nec ulterius pergere

 ſtudea-

ſtudeamus? Sed omnis res vertitur in eo, utrum dubitationes meae juſtis cauſis nitantur nec ne.

Si quando peccavero, quod in tanta rerum multitudine et in tam ſubtili accurataque earum explicatione facile accidere potuit, veniam a lectoribus prudentibus et humanis mihi tributum iri ſpero, praeſertim cum viam nondum tritam ingreſſus ſim, et multis ſubſidiis, v. c. libris Voſſianis omnibus, carens pleraque ingenioli mei ope diuturnaque meditatione invenire atque digerere coactus ſim, ac praeterea longe altius, quam adhuc factum, penetrare ſtuduerim, hancque in rem multa, quae vulgo omitti ſoleant, ſimul inveſtiganda, examinanda, et explicanda mihi ſumſerim. Quis in tam longa, lubrica, et minus expedita via non interdum labatur? Suave igitur mihi erit, a peritis diſcere, ubi et cur peccaverim, et quomodo melius hoc vel illud tradere debuerim. Nihil ſuavius mihi eſt quam corrigi: nam omnis correctio, a magno viro profecta, eſt via ad diſcendum, nec quisquam me cupidior diſcendi eſſe poteſt: habemus enim ad ſummam usque ſenectutem innumera, quae diſcamus. Nec is ego profecto ſum, qui vituperari nolim; modo vituperatio ſit juſta, hoc eſt, cauſis idoneis munita. Nam aliquem vituperare, cauſis nullis additis, eſt ei injuriam facere, praeſertim ſi vituperatio ab homine proficiſcitur, cujus nomen neſcias: quia ita latet, an de re ſatis judicare poſſit. Longe vero ſuavior erit mihi vituperatio, ſi, praeter additas juſtas ejus cauſas, ſimul additum quoque fuerit, quomodo melius et diſtinctius res quaeque explicari potuiſſet ac debuiſſet. Velim etiam vituperatio ſit modeſta et humanitatis plena. Modeſtum humanumque eſſe non

non repugnat τῷ vituperare; ac veritatis defenſio, quam ſolam ſpectare debet omnis vituperatio, non opus habet immodeſtia et inhumanitate. Qui de libris ita judicare ſustinent, tanquam ipſi ſint judices a rege aliquo hanc in rem conſtituti et lecti, ac cum ſcriptoribus illorum ita agunt atque loquuntur, tanquam judex, de furto vel veneficio quaeſtionem habens, cum homine nequam, vel tanquam herus cum ſervo, vel etiam tanquam inſolens ludi magiſter in cathedra ſedens cum puerulo elementa literarum recitante, eorum arrogantia et temeritas, ut plus ipſis quam ſcriptoribus nocere ſolet, ita non digna eſt, quam hi magnopere curent. Suaviſſimum igitur mihi erit, ſi intelligentibus placuerit, ea, quae in hoc libro deſiderent vel correctione digna judicent, mecum per literas communicare, cauſasque juſtas, ut mos illorum fert, annectere: tali enim modo eorum admonitiones certo acciperem, omniumque optime ex eorum judiciis utilitatem optatam capere poſſem. Et hic mos ante centum circiter annos adhuc obtinuit, ut, ſi quis eruditorum in libro aliquo aliquid deſideraret, hoc per literas auctori ſignificaret. Si quis tamen malit ſuas correctiones et admonitiones in commentariis literariis, in quibus novi libri indicantur, et, ut dicunt, recenſentur atque interdum diligenter judicantur, palam proferre, more ita ferente: non poſſum ei equidem vitio valde vertere, quod morem hodiernum, ex quo docti omnes ſuas dubitationes et vituperationes ab omnibus doctis legendas curant, quam eum, qui olim obtinuerit, ſequi praeoptet. Quia tamen non omnes iſtos commentarios legendi mihi copia eſt (ſunt enim hodie permulti), facile accidere poteſt,

 ut

ut istae correctiones et admonitiones, palam propositae, mihi ignotae maneant, et, quamquam ab aliis, non tamen a me, cujus tamen praecipue intersit eas videre, legantur, atque ita ego utilitatem ex iis percipiendam non percipiam. Non cogitant hoc semper Recensentes, qui cum scriptore aliquo ita loquuntur, tanquam is coram iis eorumve tribunali praetorio stet, decretum aliquod praetoris auditurus, vel tanquam certo sciant, eum ipsorum admonitiones lecturum esse, cum tamen saepe fiat, ut ille eas nunquam videat, ac ne audiat quidem de iis aliquid.

Neque vero fortasse non mirabuntur lectores, me ea scriptura vocabulorum latinorum, quam in cap. de orthographia defendere studui, v. c. *adfectus*, *conlatum*, *inmutabilis* etc. non ipsum esse usum. Fateor me sic scribere debuisse. At primum nimis assuetus jam eram alteri scripturae *affectus*, *collatum*, *immutabilis* etc.: et ea, quibus nimis assueti sumus, non facile dediscuntur; videbamque simul, etiamsi illam scripturam, ubicunque memor fuissem, recepissem, hanc tamen se longe saepius oblaturam et, me imprudente, immixturam fuisse: quam varietatem vitare malui. Deinde tota ista res mihi nunquam magna visa est, quia omnem pulchritudinem dicendi ac scribendi in ideis, non in externa vocabulorum forma, ponere soleo: omninoque in usurpanda nova scriptura non primus esse cupio: hinc exspectabo antea, quid alii sentiant, quam ipse ea utar: nam singularibus rebus uti nolo. Loqui tamen, quia omnino nihil praetermittendum erat, de ista re, atque ea, quae veritas mihi dictare videbatur, dicere debui.

Hic

Hic liber dicatus eſt, non tironibus, ut ſponte patet, ſed provectioribus, omnibusque iis, quibus fortuna non dedit occaſionem in adoleſcentia priſcos ipſos, maximeque Ciceronem, accurate perlegendi, eque hujus libris ſtili bene latini cognitionem juſtam hauriendi, in primis tamen magiſtris. Qui ſi in praelectionibus ſuis illo uti velint, laborem ſuum longe faciliorem fieri forſan ſentient. Qui ſi forte tamen judicent, hunc librum paulo majorem eſſe, quam ut praelectionibus ſervire commode poſſit, aliumque et eum breviorem, ſed illi tamen ſimilem, optent: forſan curabo, ut ejusmodi libellus, in quo non niſi praecepta illa ſtili bene latini, omiſſis vel explicationibus vel exemplis vel utrisque, aliquando prodeat. Facilius enim eſt praecidere, quam addere. Nunc vero non poterat iſta res breviter ſummatimque tractari, quia ſine explicationibus et exemplis non ſatis intelligi praecepta iſta potuiſſent. Vidi etiam in relegendo libro, potuiſſe in nonnullis locis ac debuiſſe plura dici: nec vero non meliora aliquot exempla, libro jam abſoluto et Lipſiam transmiſſo, in mentem veniſſe vel inter legendum, ut fit, occurriſſe confirmo.

Ceterum, ut mihi plane perſuaſum eſt, nulla alia ratione, quam ea, quae hoc libro expoſita eſt, facultatem bene latine dicendi ſcribendique recte certoque addiſci poſſe, ita vehementer laetabor, ſi conſilio, quod hic ſecutus ſum, optatus eventus reſponderit, ac ſi ego videro, in poſterum non amplius ſtilum bene latinum in verbis et phraſibus, ſed in ideis praeclaris ac praeclare connexis, omninoque in perſpicuitate, gravitate, et ſuavitate di-

cendi, hoc eſt, in eloquentia poni, ac neminem pro bene latine ſcribendi perito haberi, qui non ſimul eloquens reperiatur. Major profecto inde fluet utilitas, quam adhuc vulgo creditur. Vulgo dixerunt hucusque permulti: *quid prodeſt mihi ars bene latine ſcribendi: ego aliquando Sacerdos vel Ivreconſultas fiam vel Medicus* etc., *ubi theodiſce loquendi copia ſaepe datur, non item latine.* Sic et ſaepe parentes eandem ob cauſam filiis ſtudium ſtili bene latini disſuadent, vel iis inutile certe arbitrantur. Non male, ſi quidem res vertitur in vocabulis et phraſibus. At, ſi omnes bene latine ſcribere diſcunt, ita ut eloquentiae ubique ac praecipue ratio diligenter habeatur, neceſſario ſequitur, ut, qui bene latine ſcribere ſciat, is deinde etiam bene theodiſce, francice etc. ſcribere ac dicere poſſit. Nam eloquentia omnibus in linguis eſt eadem: veſtis ejus (h. e. verborum habitus) eſt duntaxat varia. Quare, cum is, qui ea, quam dixi, ratione bene latine ſcribere diſcit, ſimul eloquentiam manifeſte diſcat, atque ita duos parietes, ut eſt in veteri proverbio, de una fidelia dealbet h. e. et latinae linguae et eloquentiae cognitionem ſimul eademque opera ſibi comparet, nonne hanc utilitatem magnam eſſe patet? Quis enim eloquentia carere poteſt? Nemo plane. Quisque enim homo, vel agricola, perſpicue, interdum etiam graviter atque ſuaviter, loqui debet, v. c. cum filiis ſuis, v. c. in prudenter reprehendendo, adhortando etc., cum uxore, cum cognatis, cum ſuperioribus, v. c. in rogando, narrando, ſe excuſando etc. Ac profecto multae contentiones, offenſiones, accuſationes et inimicitiae vitarentur, ſi homines vulgo elo-

eloquentiores essent h. e. ubique et cum omnibus perspicue, graviter, et suaviter loqui possent. Res per se loquitur. Iam, si omnes omnino homines debent (utinam instituta omnium locorum hoc fieri patiantur!) eloquentia instructi esse, quanto magis eruditorum est, illam consequi studere? — Vale lector docte atque humane, ac me, si non indignus sum, favore tuo, tanquam suavi operae meae praemio, exhilara et recrea: saltem voluntati meae de juventute, quae in acquirenda stili latini cognitione justa multis in locis adhuc cum meo aliorumque magno justoque dolore retardari solet, bene merendi faveas velim! Hujus juventutis propius adjuvandae causa, quia philologi his raro, sed plerumque eruditis, scribere solent, cogitavi saepe *Lexicon* aliquod, in quo vocabulorum latinorum notiones accuratius et dilucidius, quam adhuc factum, explicarentur et digererentur, ac prima notio ubique, quantum quidem fieri posset, primo loco et deinceps derivatae ponerentur, et quod tamen ab juventute paupere facillime parari posset, it. *Grammaticen vernaculam*, similem illam quidem libello *Langiano*, sed accuratiorem, conscribere, itemque *epistolas Ciceronis selectiores* animadversionibus vernaculis illustratas in modum fere *Chrestomathiae Gesnerianae* edere. Sed firmiter animum inducere nondum potui, ut tales labores aggrederer. Ac profecto in principiis linguae peccari vulgo solet: quae si falso vel nimis indefinite tardeque traduntur, omnis linguae ipsius gustus perit. Quae discere homo cum gustu debet, ea et recte et mox discenda sunt. Quamdiu vero Lexica vulgaria, v. c. *Kirschi*, *Weberi* etc., in scholis regnant et signi-

ficationes vocabulorum vel falſas vel indefinitas pueris et adoleſcentibus ſuggerunt; quamdiu libellus grammaticus Langianus in ſcholis regnat et vocabulorum compoſitionem vel indefinitam vel falſam vel imperfectam diſcipulis inculcat, tamdiu nulla ſpes erit, adoleſcentes latinae linguae in univerſum latinique ſtili juſtam cognitionem eſſe conſecuturos; niſi iis magiſtri ſat multi obtingant, qui omnia vitia Lexicorum et omnia vitia libelli grammatici Langiani accurate corrigere, quae ibi indefinite dicta ſint, recte atque ordine definire, et, quae ibi deſint, ea perite ſupplere poſſint. An igitur iſtos labores aliquando ſuſcepturus ſim, nondum conſtituere et decernere equidem poſſum. Iterum vale, Lector humane, et omni felicitatis, quae in hominem cadit, genere abunde fruere. Scripſi Brigae, a. d. xv Aug. CIↃIↃCCLXXVIII

Imman. Io. Gerh. Schellerus
Rector regii Gymnaſii illuſtris.

PRAEFATIO
EDITIONIS NOVAE

Etſi tum, cum haec *Praecepta ſtili bene latini* primum edebam, eſſe opinabar, quod dubitarem, an ea multos vel lectores vel amicos eſſent inventura, tamen hanc dubitationem inanem fuiſſe vel inde patet, quod hic liber nunc iterum in lucem prodit. Iam licet gaudeam, operam meam hoc in libro adhibitam eruditis non displicuiſſe (qui ſane ſuaviſſimus laboris fructus eſt), tamen hoc ego favore me non ita auferri paſſus ſum, ut propterea mihi perſuaderem, librum ipſum omnibus numeris abſolutum eſſe. Imo eum ante, quam iterum prodiret, ſedulo perlegi, et multa paſſim correxi, multa magis definite tradidi atque etiam, ubi opus erat, addidi. Noſtra enim, ut omnium rerum, ita et linguarum cognitio in dies creſcit, modo eam creſcere velimus nec inepta ſuperbia inflati temere opinemur, ipſam ad ſummum jam faſtigium eſcendiſſe, neque ita incrementum amplius admittere: qua opinione nihil inſulſius ac pernicioſius eſſe poteſt. Imo debemus, ſi quidem cognitionem noſtram ſubtilem certamque eſſe vere cupimus, nos ubique ipſi calumniari ac ſapienter timere, ne forſan in errore aut inſcitia verſe-

mur,

mur, hinc nostram qualemcunque scientiam quam saepissime excutere, ut videamus, quid certo sciamus, quid non. Saepe enim in iis etiam peccamus, in quibus propterea, quod notissima vulgo esse arbitramur, a nobis peccari posse non credebamus. Hinc ad mortem usque, vel in notissimis rebus, discendum est, si quidem ad veritatem, sine qua omnia, quae scimus, nugae sunt, adspirare nec pro ea vanitatem erroremque amplecti volumus. Via ad veritatem se ens non modo est longa multisque cum difficultatibus conjuncta, sed tam innumerabilibus etiam deverticulis, iisque amoena specie se saepe commendantibus, circumdata, ut, qui in ea non cum maxima adsiduaque attentione ac diligentia incedat, facile aberret. Quod si multi viri, qui scribendo docendoque nominis claritatem adepti sunt, nunquam non cogitassent et diligenter secuti essent, saepe vel majores fuissent facti vel in fastigio, in quo ipsos existimatio hominum atque favor collocarat, mansissent.

Quod in praefatione prioris editionis ostenderam, me fortasse haec *Praecepta stili*, ut in praelectionibus Academiarum ac Gymnasiorum usurpari commode possent, in *Compendium* esse redacturum, ac praeterea *Lexicon latinum* et *Grammaticam latinam* editurum, his promissis, si quidem promissa nominari possunt, paulo post ita satisfeci, ut forsan plus dedisse quam dare voluisse videar. Nam 1) *Compendium horum praeceptorum*, idque passim auctius et emendatius, in lucem emisi 1780. 2) *Grammaticam*

latinam

latinam duplicem vernacula lingua edidi: a) majorem 1779, quae accuratior et auctior denuo recusa est 1781: b) minorem 1780; quae et ipsa auctior et emendatior iterum prodiit 1782. 3) *Lexicon latinum* duplex, sed cum explicationibus vernaculis, edidi: a) *minus* in modum *Cellariani libri memorialis* 1779; quod accuratius auctiusque iterum typis exscriptum est 1780: b) *majus* in modum *Kirschiani* fere *Lexici* 1783: in quo summa cum diligentia versatus sum, et non modo plures vocabulorum notiones et constructiones, quam in aliis Lexicis, etiam *Gesneri Thesauro Stephaniano*, reperiuntur, congessi, sed eas quoque longe accuratius certiusque, quam adhuc esse videram, tradere studui; cujus rei testimonio esse possunt vocabula innumerabilia, v. c. *natura*, *teneo*, *qui*, *ultro*, *usque*, *utique*, *sagum*, *misericordia*, *adficio*, *congiarium* cet. Permultis imo plerisque vocabulis, licet saepe sine ulla dubitatione (quis enim libenter dubitat?) explicentur, vernacule vertantur et in latine scribendo usurpentur, nondum certas suas notiones tributas esse certum est. Plerique eruditorum ob nimiam facilitatem aliasve ob caussas nituntur hic sola auctoritate celebrium virorum, ut *Casauboni*, *Scaligeri*, *Salmasii*, *Gronovii* cet., quasi hi viri errare non potuerint aut nihil amplius eruendum aliis reliquerint. Hi viri telam texere tantum inceperunt, sed perficiendam posteris reliquerunt. Saepe eruditi vel certant, sitne aliquis priscorum locus corruptus an salvus, vel dissentiunt in explicatione ejus.

Saepe

Saepe interpretum alius negat ſenſum ineſſe loco aptum, ubi alius contendit locum ſenſu plane carere: ſaepe alius dicit: *hic eſt ſenſus manifeſto;* ubi alius dicit: *male; imo ſenſus eſt hic* cet.; ſaepe alius dicit: *locus aperte ſic eſt legendus*, ubi alius confirmat non opus eſſe mutatione. Et omnes tamen hi interpretes locum obtinent vel obtinuerunt locum in numero philologorum non vulgarium: nam de vulgaribus interpretibus hic dicere non attinet. Hoc certamen, hic disſenſus, plerumque oritur inde, quod dubia aut ignota eſt vocabuli notio vel etiam conſtructio.

Vale, lector docte et humane, mihique, ſi dignus viſus fuero, favorem tuum conſerva. Brigae, menſe Februario 1784

Imman. Io. Gerh. Schellerus.

CON

CONSPECTVS
PARTIS PRIORIS



PROOE

PROOEMIVM

SECTIO I

An ſtilus poſſit dici pro ſcriptione vel pro genere ſcribendi.

Stilus ſ. *graphium* proprie apud Romanos erat inſtrumentum ferreum, quo ſcribebant in tabellis ceratis, quae *codicilli* et *pugillares* vocabantur, ita factum, ut inferior pars eſſet acuta, qua literas in cera formarent et quaſi effoderent, quod proprie *exarare* dicebatur, ſuperior obtuſa ac plana, qua literas perperam factas cera obducerent atque ita delerent. Utebantur hac ſcriptione tantum, quando vel ſubito vel meditandi exercendique cauſa aliquid ſcribere cuperent: in iis, quae accuratius ſcripta vellent, charta, calamo, et atramento utebantur. Patet hinc, verbum *exarare* hodie a nobis, ſi quidem a nobis, qui tabulis ceratis non amplius utamur, omnino adhuc uſurpari poteſt, non niſi de ſubita et extemporali ſcriptione dici poſſe, v. c. quando aliquid chartae committimus commentandi cauſa, *wenn wir etwas concipiren.* Male ergo agunt, qui ad viros dignitate et honore ſummo conſpicuos ita ſcribunt: *Has ad te literas exarare auſus ſum*, pro *ſcribere.* Eſt inhumane dictum, quod facile ſentitur, ſi vertitur: *Dieſen Brief habe ich an Sie ex tempore zu ſchreiben gewagt:* poſtulat enim humanitas, ut ad tales viros accuratius ſcribamus, quippe qui credunt, obſervantiam ſibi debitam tali negligentia violatam eſſe. Intelligitur hinc ſimul notus ille locus Horatii, ſuadentis, ut, ſi quid recte ſcribere cupimus, id accurate perlegamus et ſaepe corrigamus, Satir. I, 10, 72 *Saepe ſtilum vertas* etc., h. e. *ſaepe deleas, quae ſcripſeris,*

ac corrigas: nam, si quid literarum in ceratis tabellis delendum atque cera obducendum erat, stilus verti debebat. Deinde per metonymiam, quae causam pro effectu poni permittit, stilus dictus est 1) de *scriptione ipsa.* Sic Caecina in epist. ad Cic., in Epp. Cic. ad Div. VI, ep. 7 in. *cum praesertim adhuc stili poenas dem,* h. e. *puniar, poenas adhuc sufferam, quia contra Caesarem scripserim.* Sic Quintil. Instit. I, 1 *Non est aliena res — cura bene ac velociter scribendi. Nam — tardior stilus cogitationem moratur, rudis et confusus intellectu caret:* hic *tardior stilus* opponitur τῷ *velociter scribere,* estque manifeste *das langsame Schreiben,* et *rudis et confusus stilus* τῷ *bene scribere.* In primis tamen *stilus* apud Ciceronem dicitur de ea *scriptione, quae tantum exercitationis causa instituitur ac propterea crebro repetitur.* Cel. Ernesti in Clave Cic. explicat per *exercitationem scribendi ipsam:* quod etsi fere eodem redit, tamen prius paulo accuratius. Cic. Orat. I, 33 *Caput autem est — quam plurimum scribere. Stilus* (h. e. creber stili usus s. crebra scriptio) *optimus et praestantissimus dicendi effector ac magister: nam, si subitam et fortuitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit, hanc ipsam profecto assidua et diligens scriptura superabit:* ubi *assidua scriptura* idem notat, quod antea *stilus.* Sic et Orat. II, 23 *Ubertas orationis stilo depascenda est,* h. e. *saepius scribendo:* quia, quo saepius scribimus, eo viliores et vulgariores nobis multae sententiae multaeque additiones videntur, quas tiro, primum scribens, magni facit et dignas, quibus utatur, habet. Orat. III, 49 *Hanc igitur ad legem cum exercitatione tum stilo, qui et alia et hoc maxime ornat ac limat, formanda nobis oratio est:* ubi *exercitatio* ad *saepius dicendum, stilus* ad *saepius scribendum* pertinet. 2) pro *ratione* s. *genere scribendi.* Cic. Brut. 45 *Hujus orationes tantum argutiarum — tantum urbanitatis habent, ut paene Attico stilo scriptae esse videantur,* h. e. *eo genere scribendi, quo Attici utuntur,* s. *ea ratione, qua Attici scribere*

ſcribere ſolent. Nos hoc in libello *ſtilum latinum* intelligimus de *ſcriptione latina* per ſe, non, quatenus exercitationi ſervit, vel etiam de *ratione latine ſcribendi.* Utraque notio, non valde inter ſe discrepans, e praecedentibus patet.

SECT. II

Stilus latinus hodie complectitur ſ. complecti debet ſimul elocutionem.

Stilus et *elocutio* hodie apud nos, ſi conſilium effectumque utriusque ſpectas, fere eadem ſunt et tantum hactenus differunt, quod ille ad ſcribendum, v. c. librum, haec ad dicendum, v. c. orationem, pertinet, h. e. ille *ſcribendo*, haec *dicendo* hominibus (lectoribus et auditoribus) rem planam reddere, eorumque animos cum delectare tum movere, ſtudet; ut adeo, quaecunque praecepta elocutioni ſerviant, eadem ſtilo ſervire poſſint ac debeant. Apud Romanos priſcos non ita. *Elocutio* apud hos erat domina, ut ita loquar, ſtilus ejus ſervus. Colebant in primis *elocutionem*, ac magis bene dicendo, quam bene ſcribendo, v. c. libro edendo, inclareſcere ſtudebant, quia arte bene dicendi, quam reginam reipublicae romanae fere appellare poſſis, via ad ſummos honores, ſummam auctoritatem dignitatemque, muniebatur; hincque indefeſſo ſtudio in dicendo ſe exercebant, ut in ſenatu, coram judicibus, et pro concione apte graviterque dicere poſſent: quam exercitationem ne in ſenectute quidem omiſſam eſſe notum eſt: cf. Cic. ad Div. VII, 33, ubi vel Hirtium declamationibus cum aliis uſum eſſe, duce Cicerone, legimus. Stilo ſ. ſcriptione tantum ad res vulgares, v. c. epiſtolas conſcribendas etc. et in primis pro ſubſidio elocutionis, omninoque eloquentiae, uſi ſunt. Stilo ſ. ſcribendo operam dabant, eoque exercebantur, non tam, ut melius ſcribere, quam ut melius dicere poſſent. Hinc intelli-

gendi ſunt Cicero et Quintilianus, quando de ſtilo ſ. ſcribendo loquuntur, ejusque exercitationem commendant. Hanc propterea commendant, quod ita exercitatio dicendi adjuvatur: qui enim bene ac celeriter ſcribit, is quoque deinde bene ac celeriter dicit. Huc pertinent loci ſupra ad ostendendam ſtili ſignificationem allati, v. c. *ſtilus eſt optimus dicendi effector et magiſter* etc. it. Cic. ad Div. VII, ep. 25 extr. *nec transverſum unguem a ſtilo: is enim eſt dicendi opifex* etc. Neque enim credendi ſunt illi duumviri viam ad bene ſcribendum proprie monſtrare, ſeu praecepta ſtili bene latini edere, voluiſſe. Id quod facile patet illos perlegenti. Immiſcentur ibi innumera non niſi ad orationes eas pertinentia, quibus in ſenatu de republica agi, populo lex vel ſuaderi vel disſuaderi, coram judicibus vel nocens accuſari vel reus defendi ſolebat. Imo cuncta illorum praecepta eo tendunt, ut orator romanus, isque perfectus (cf. Cic. Or.), fingatur, h. e. qui triplici illo genere orationum excellat.

Noſtrae eloquentiae longe alia eſt ratio, ac fuit illius Romanorum. Noſtri oratores longe aliam perſonam gerunt, ac geſſerunt oratores romani, qui non modo reipublicae adminiſtrandae peritiſſimi, ejusque adeo duces ac principes, ſed ſimul quoque patroni cauſarum erant. Noſtri oratores, ſaltem in Germania, alios habent auditores ac romani. Hi loquebantur coram ſenatu, h. e. conſeſſu virorum reipublicae gerendae, rei militaris, legumque peritiſſimorum; dicebant coram judicibus, a quibus non erat ad alios provocatio, et qui non raro magis verborum quam rei gravitate, magis eloquentiae lenociniis et artibus, quam cauſae veritate, ad hominem vel damnandum vel abſolvendum incitari ſolebant; dicebant coram populo univerſo, eoque libero et imperante, cui placere non parum intererat oratoris, e cujus arbitrio tota res, quae vel ſuadebatur vel disſuadebatur, pendebat, et qui oratorem, ut exſibilare,

bilare, ſi ſtulte loqueretur, ita, ſi praeclare, et laudibus et vero etiam honorum amplitudine ornare poterat. Facile intelligitur, neminem in conſpectum populi dicendi cauſa prodire auſum eſſe, niſi qui maximis eloquentiae praeſidiis inſtructus eſſet: adeo timebatur iſte conſpectus. Cicero, quamquam jam praetor erat, innumeras orationes coram judiciis habuerat, ac pro magno oratore habebatur, tamen in principio Orationis Manilianae, quae prima coram populo dicebatur, confirmat, ſe ad hoc uſque tempus non auſum coram populo dicere, quia ſciret, nihil huc afferri oportere, niſi quod ſumma eloquentia perfectum elaboratumque eſſet. Quod longe ſecus eſt noſtra aetate, in primis in Germania; ubi orator neque habet, quod auditores tantopere timeat, qui modeſtiores hodie ſunt, quam ut vulgariter dicentem exſibilent, neque, quod tanta ab iis praemia exſpectet. Longe quoque alias materias priſcos oratores, quam noſtri habeant, tractandas habuiſſe ſponte patet. Tales igitur oratores, tam perfectos ac civitati liberae aptos, cum fingere voluerint Cicero et Quintilianus: facile intelligitur, quidquid hi dixerint, ad romanae reipublicae ſtatum, non ad noſtra tempora, proprie pertinere. Multa tamen inde noſtrum in uſum quodam modo transferri poſſe, negari nequit: ſicut nihil eſt, unde non aliquid diſci poſſit.

Certum eſt, Romanos magis eloquendo quam ſcribendo operam dediſſe, illoque potius quam hoc inclareſcere ſtuduiſſe; ac, ſi quando de ſcribendo ſeu de ſtilo latino loquantur Cicero et Quintilianus, eos hanc ſcriptionem conſideraſſe ut praeparationem et adjutricem elocutionis. Nos contra hodie, quibus lingua latina eſt mortua, magis latine bene ſcribere quam dicere ac ſtili latini potius quam elocutionis latinae laude inclareſcere ſtudemus. Duplici maxime conſilio ſuſcipi a nobis ſolet cura ſtili bene latini: et, ut orationem habeamus ſolennem, v. c. aditialem, in honorem ac memo-

riam magni viri etc., quae antea chartae mandari, atque, ut ſic loquar, ſtili acumen ſubire ſolet; et in primis, ut ſcribamus aliquid, quod ab aliis legi inque vulgus exire poſſit, v. c. librum, disſertationem, proluſionem, epiſtolas ad eruditos etc.; ut ſermones familiares, qui, ut ab aliis francogallice, ita ab eruditis inter ſe latine inſtituuntur et exercitatione ſtili bene latini valde adjuvantur, aliasque utilitates inde exſiſtentes taceam. Hinc videor mihi *elocutionem* proprie ita dictam, licet ad orationes proprie pertineat, tamen, quia et *ſtilo* niti illa ſolet, h. e. quia nulla oratio hodie dicitur fere, quae non antea ſcripta fuerit, et quia omnis bonus orator non modo bene dicere ſed etiam bene ſcribere debet et ſolet, propterea igitur mihi videor *elocutionem* cum *ſtilo* rite conjungere ac ſub uno *ſtili* nomine comprehendere poſſe: ita, ut *ſtilus* bene latinus ſit ratio bene latine non modo ſcribendi, verum etiam dicendi.

SECT. III

Quid ſit ratio bene latine ſcribendi ſ. ſtilus bene latinus, preſſius quaeritur.

Iam ſi inquirimus, quid ſit *ſtilus bene latinus* ſ. *ratio latine bene ſcribendi*, in ejus notione, ſubtiliter accurateque definienda, non parum difficultatis deprehenditur; hincque de ea inter eruditos non ſatis convenire mirum non eſt. Ut enim eos taceam, qui *ſtilum bene latinum* vocabulis ex aurea, quae vulgo dicitur, aetate petitis et ornata quadam, ut appellant, illorum compoſitione ſ. ſyntaxi, nulla ſententiarum, harumve veritatis et pulchritudinis, nullaque contextus ratione habita, conſtare opinantur (quae ſecta non eſt pauciſſimorum): ipſorum Philologorum bona pars, ſi ex ea, quid ſit *bene latine ſcribere*, quaeris, hac reſponſione defungi ſolet, ut dicat, hoc nihil aliud eſſe, quam eo modo ſcribere, quo priſci Latini aureae aetatis, v. c. Nepos, Livius, Cicero, Teren-

Terentius, ſcripſerint. At haec reſponſio, per ſe illa quidem vera, tamen eſt tam incerta atque indefinita, ut rem non explicare ſed explicando ludere videatur. Nam, ſi cui v. c. dicerem, *bene pingere* et *bene canere* eſſe *eo modo pingere* et *canere*, *quo boni pictores pinxiſſent, boni cantores ceciniſſent*, an ille crederet, me explicaſſe ejusque quaeſtioni ſatisfeciſſe? nonne potius, ſe a me ludibrio habitum eſſe? Pergeret enim quaerere, quinam eſſent boni pictores et boni cantores, cur ita vocarentur, quo modo quibusve ex regulis pinxiſſent ac ceciniſſent, et cur illorum imitatio pro arte bene pingendi canendique haberi deberet. Ita, qui breviter reſpondit, *bene latine ſcribere* eſſe *more priſcorum Latinorum ſcribere*, is nondum ſatis reſpondit: ſuboritur enim alia quaeſtio, quare iſta ipſa priſcorum Latinorum imitatio pro arte bene latine ſcribendi habenda ſit, et quibus rebus haec ars, haec ſcientia, proprie conſiſtat. Videamus itaque, an alia via, eaque certiore, iſtam rem expedire ac ſimul ſtilum bene latinum, qui multis hodie ſordet a contemtu, quem propterea, quod vocabulis meris conſtare vulgo creditur, praeter dignitatem patitur, vindicare queamus.

Quemadmodum hodie omnes ſcriptores vernaculi *theodiſce* quidem, at non omnes *bene theodiſce*, et omnes ſcriptores francici *francogallice* quidem, at non omnes *bene francogallice* ſcribunt, ita ſcriptores latini, qui in Italia, in Latio, Romae, in Hiſpania etc. vixerunt, etſi omnes *latine*, tamen non omnes *bene latine* ſcripſere. Qua de re nullam dubitationem inter eruditos eſſe certum eſt. Quaeramus igitur, quid ſit *bene latine ſcribere*, ut et de priſcis illis Romanis et de iis, qui recentioribus temporibus bene latine ſcripſiſſe vel adhuc ſcribere creduntur, recte judicare, atque ita, quid nobis, ſi quidem hujus artis vere cupidi ſimus, fugiendum, quid ſequendum ſit, ſcire queamus. Quaeramus vero potius ante, quid ſit *bene ſcribere:* deinde ſponte ſequetur,

quid ſit *bene latine ſcribere.* Qui enim *bene ſcribendi* peritus eſt, is poſtea *bene francogallice*, *bene latine*, *bene theodiſce* etc. ſcribere facillime poteſt, ſi quidem iſtas linguas callet: quemadmodum, qui *bene canere* ſcit, is *omnibus linguis*, ſi earum cognitione juſta inſtructus eſt, *bene canere* ſciat neceſſe eſt. Nempe ego puto, in hac formula, *bene latine ſcribere*, vocabulum *bene* non ad *τὸ latine*, quod vulgo perperam conſuetudine decepti faciunt, ſed ad *τὸ ſcribere* pertinere, ac proprie ita jungi verba debere: *bene ſcribere latine*, h. e. *bene ſcribere, idque latina lingua.* Qui vocabulum *bene* cum *τῷ latine* conjunxerunt, in hunc ſimul deinde errorem, ut fere neceſſe erat, inducti ſunt, ut crederent, *bene latine ſcribere* non niſi vocabulis eorumque compoſitione quadam contineri.

Bene ſcribere et *dicere* (nam *ſcribere* et *dicere* hic pro eadem re habeo, ut jam ſupra monui, quoniam, qui *bene dicere* poteſt, is ſcit quoque *bene ſcribere*, et contra), eſt ubique et *perſpicue*, et *ſuaviter*, et, ſi quidem opus, ſimul *graviter ſcribere* et *dicere*, uno verbo, *eloquentem eſſe.* Eloquentia enim eſt facultas de re *perſpicue*, *ſuaviter*, et *graviter*, *dicendi* (et *ſcribendi*). *Perſpicue*, ut facile intelligaris ab auditoribus et lectoribus; *ſuaviter*, ut libenter atque ita attente audiaris vel legaris; *graviter*, ut rei, quam tractas, magnitudo ſentiatur. Addunt nonnulli *copioſe:* at equidem juſtam, ut *brevitatem*, ita *copiam dicendi* potius habuerim pro ſubſidiis primariarum eloquentiae virtutum, perſpicuitatis, ſuavitatis, gravitatis. Cicero quidem Or. 21 ab eloquente poſtulat, ut *probet* (ſ. perſuadeat), ut *delectet*, ut *flectat.* At, quod ille per *probare* intelligi vult, id ego per *perſpicuitatem dicendi* intelligo, quod facile patebit; ut adeo res eodem redeat. Quemadmodum igitur nemo *bene ſcribit*, niſi eloquens, ita *bene latine ſcripſerunt* e priſcis Latinis non niſi eloquentes, ut Cicero, Caeſar, Livius, Virgilius, Ovidius etc. Hi itaque *boni*

ſcripto-

ſcriptores dicendi: nam fuerunt *eloquentes*, licet orationibus habendis non omnes operam dederint. Potuiſſe tamen Livium, Virgilium, Ovidium etc. egregias orationes ſcribere, quis in dubium vocaverit? Omnis ergo *bonus hiſtoricus* eſt eloquens, quia perſpicue, ſuaviter, graviterque narrat: Omnis *bonus poeta* eſt eloquens ob eandem perſpicuitatem, ſuavitatem, et gravitatem dicendi: ſic et omnis bonus Comicus etc. Iam, ſi omnes eloquentes Romani, h. e. qui ubique perſpicue, ſuaviter, et, ubi opus, graviter dixere et ſcripſere, ſi, inquam, hi omnes fuerunt *boni ſcriptores*, *beneque latine ſcripſerunt:* ſequitur, *primum*, hanc laudem in primis in ſcriptores aureae aetatis, quae dicitur, cadere, quia hac aetate eloquentiae ſtudium ob commoda publica regnabat; *deinde*, Ciceronem horum omnium optimum ſcriptorem fuiſſe, h. e. horum omnium *optime latine ſcripſiſſe*, quia omnium Romanorum eloquentiſſimus fuit, h. e. omnes Romanos et in dicendo et in ſcribendo perſpicuitate, ſuavitate, ac gravitate dicendi vicit.

Ergo et hodie *bene latine ſcribere* ſ. *ſtilo bene latino uti* eſt *in latine ſcribendo ita verſari, ut perſpicue, ſuaviter, graviterque ſcribas*, uno verbo, *latine eloquentem eſſe.* Et quia hoc vulgo placet (cui enim haud placet eloquentia?), propterea vocatur etiam a nonnullis *pulchre latine ſcribere:* id enim cuique pulchrum eſt, quod ei placet. Quia porro, ſi perſpicue, ſuaviter, graviterque dicere ac ſcribere cupis, non promiſcue proferendum eſt, quidquid in mentem vel buccam venit, ſed diligenter *eligenda* ſunt ea, quae iſtam perſpicuitatem, ſuavitatem, ac gravitatem omnium optime adjuvent, v. c. aptae venuſtaeque ſententiae, apta ac firma argumenta, teſtimonia, aptae ſimilitudines, apta verba, aptus et concinnus eorum ordo, apti tropi atque figurae; hinc quoque *eleganter latine dicere* ac *ſcribere* a nonnullis non male vocatur. Nam *elegantia*, h. e. der Geſchmack, cernitur in eo, ſi in dicendo ac ſcribendo inter multa, quae

 poni

poni poterant vel poni posse videbantur, optima et aptissima quaeque judicii subacti ope *eligimus*. Hinc *elegantia* *) a Cicerone tribuitur et philosophis, quia hi in rerum explicatione ac partitione verba aptissima, h. e. maxime perspicua, atque ordinem aptissimum, *eligere* ac sequi debent, et omnino omnibus scriptoribus, licet non *copiose* scribant, dummodo apte rem enarrent atque explicent. Interdum enim materia, quia est vulgaris, exilis, nota, non admittit *copiam dicendi* vel *gravitatem*, estque talis, ut eloquentissimus, si velit copiose vel graviter dicere omniaque ornamenta oratoriae artis adhibere, ridiculus et absurdus fiat. Interdum etiam brevitas perspicuitati, itemque suavitati et gravitati, melius servit, quam copia. Manifestum vero est, τὸ *pulchre* et *eleganter scribere* non ad verba per se, sed ad notiones ideasque in iis latentes, harumque aptam compagem et con-

*) *Elegantia* proprie est, quando in omnibus, quae vel agimus vel dicimus ac scribimus, optimum quodque *eligimus*, atque ita ubique aptissimum quodque agimus, dicimus, scribimus, v. c. qui domum sibi aedificat, omnesque ejus partes ita instituit, digerit et instruit, ut ipsius commoditati ac simul pulchritudini optime serviant, is, licet sumtibus, quantum fieri potest, diligenter parcat, nec magnificentiam proprie adhibeat, tamen *elegans* in aedificando dici potest. Et sic Nepos de Attico c. 13 *elegans, non magnificus: splendidus, non sumtuosus, omni diligentia munditiem non affluentem affectabat.* Neque tamen hinc sequitur, qui per majores sumtus et cum majori magnificentia domum suam aeque commodam ac pulchram sibi reddere velit, eum non *elegantem* esse. Uterque est *elegans*: ille per minores, hic per majores sumtus: ille sine magnificentia, hic cum ea. Sic, qui rem vulgarem vel talem, quae animos non commovere debet ac potest, sed tantum, vt nota fiat, memoranda est, refert, is, licet non copiose, non graviter, narret, tamen *eleganter*, h. e. apte, narrat. Hinc Caesaris Commentarii recte dicuntur *eleganter* scripti: omnia enim dixit, e quibus res suae gestae earumque ratio perspici posset. Sic et Nepos, Terentius, *elegantes* scriptores. Nec tamen hinc sequitur, qui in dicendo copia ornatuque verborum utatur, quod Cicero fecit v. c. in Maniliana etc., eum propterea non esse elegantem. Cicero fuit elegans cum splendore et copia verborum, Caesar fuit elegans sine ea.

constructionem seu contextum pertinere. Quemadmodum vero haec tria, *bene latine scribere*, *pulchre latine scribere*, *eleganter latine scribere*, plane eadem sunt, ita possit quoque forsan pro iis dici *subtiliter latine scribere*: quia *subtilitas dicendi scribendique* in eo consistit, si ita dicis ac scribis, ut nil vitii (scil. non modo contra linguam, sed etiam contra eloquentiam) committas. Iam, si quis ubique perspicue, suaviter, et, ubi simul opus, graviter scribit, hancque in rem non nisi aptis argumentis, eorumque iusta tractatione et exornatione, aptis testimoniis, similitudinibus, vocabulis, eorumque iusto ordine, aptis tropis, figuris, aptaque et brevitate et copia utitur, atque ita nihil vitii contra eloquentiam committit, nonne is *subtiliter*, h. e. recte eleganterque, scribere dicendus est? Hinc *subtilitas scriptorum* laudandi causa a Cicerone dicitur et cum *elegantia* coniungitur ad Div. IV, ep. 4 §. 2 *facile*, inquit, *cedo tuorum scriptorum subtilitati et elegantiae*. Sic Cicero Or. II, 7 *cui* (Catulo) *non solum nos latini sermonis, sed etiam Graeci ipsi solent suae linguae subtilitatem elegantiamque concedere*. Sic et *subtilis* ab eodem dicitur Q. Scaevola, magnus ut Iureconsultus ita Orator, Or. I, 39 *homo omnium et disciplina iuris civilis eruditissimus et ingenio prudentiaque acutissimus et oratione maxime limatus atque subtilis*, *atque*, *ut ego soleo dicere*, *iuris peritorum eloquentissimus*, *eloquentium iuris peritissimus* etc. it. Brut. 9 Lysias dicitur *subtilis et elegans scriptor*, *quem iam prope audeas oratorem perfectum dicere*. Quia tamen Cicero, in usu nonnullorum vocabulorum interdum forsan inconstantior vel incertior, Orat. 23 *subtilitatem orationis* de *Attico dicendi genere*, hoc est, ut ille explicat, *submisso*, *humili*, *tenui* usurpat, eique *grandiorem* et *pleniorem vocem* opponit in Brut. 84; atque ita *copiam dicendi*, in qua Cicero, nondum oblitus copiae Asiaticae, summam eloquentiam ponebat, illi *subtilitati* opponit: ego, qui mihi persuaserim, ut omnem eloquentiam, ita copiam dicendi, sed

iustam

justam aptamque, ad stilum bene latinum pertinere, nondum audeo *subtilitatem latine dicendi scribendique* cum *arte bene, pulchre, eleganter dicendi scribendique* commutare.

Iam, uti e supra dictis luculenter patet, neminem posse bene latine scribere, qui non sit orator vel eloquentia instructus, ita certum est, quotquot bene latine scribendi laude recentioribus temporibus inclaruerint, quales esse scimus Politianum, Bembum, Graevium, Gesnerum, Ernesti etc., eos omnes hanc laudem non vocabulis meris e Cicerone sumtis inque ordinem pro libidine redactis, quod imperiti credunt, sed eloquentia latine declarata sibi comparasse. Hinc etiam sequitur, qui bene latine scribendi cupidus sit, eum eloquentiae magnopere studere debere; quique alios cum vera utilitate velit docere bene latine scribere, eum illos ad eloquentiam simul ducere debere. Quae si deest, stilus quoque bene latinus deest. Sponte quoque intelligitur, *stilum bene latinum* non meris vocabulis, licet sint exquisitissima habeantque speciem suavissimam, posse consistere. Nam eloquentia non mera verba tractat, more Lexicographi aut Grammatici vulgaris. Etsi enim verbis, per quae notiones ac sententiae verae et pulchrae explicentur, opus quoque esse per se intelligitur, quia hae sine illis apparere et cognosci nequeunt: tamen verba per se et extra istarum notionum et sententiarum compagem ac contextum nil pulchritudinis, nil elegantiae, habere possunt. Lapides ipsi non sunt pulchri, at pulchritudini domus, quae inde construitur, serviunt: domus proprie tantum pulchra est. Pulchra verba, si quidem verbis pulchritudinem tribuere licet, ut equidem fere dubitaverim, nulla alia queunt esse, quam quibus pulchrae aptaeque sententiae notionesque declarantur. At istae notiones singulae sunt partes totius. Omnium partium pulchritudo nititur earum apta compage. Quae si dissolvitur, partes desinunt esse pulchrae. Ergo interrupta notionum singularum seu verborum singulorum

(nam

(nam verba et notiones ſunt eaedem res) conjunctione, disſoluto eorum ordine, omnem relationem atque ita omnem pulchritudinem, quia haec ex illa relatione pendet, perire quis non videt? Nullum profecto vocabulum per ſe et extra relationem conjunctionemque pulchrum et elegans eſt, nec aliud alio pulchrius vel elegantius dici per ſe poteſt *). Omnis pulchritudo, omnis elegantia ſingularum notionum et vocabulorum pendet a contextu; cui interdum vocabulum parvum, vulgare, ac minus ſonans, melius convenire poteſt, quam phraſis longa, vocabulum longe petitum, et ſonantius: ac tum illud eſt pulchrius et elegantius, h. e. aptius perſpicuitati, ſuavitati, ac gravitati. Nam ad has tres eloquentiae virtutes ſemper reſpicere debet et dicens et ſcribens. Errant igitur valde tirones (quamquam praeter culpam, quia ab aliis ita audivere), cum pro vocabulo quodam, quod iis contemtu dignum videtur, quia notum et vulgare eſt, licet ideam, quam exprimi volunt, egregie exprimat, aliud quaerunt, idque, ut opinantur, melius, nulla habita contextus ratione: cum tamen hoc vocabulum *melius* ſaepe ſit ſtultius contemto. Eſt vero etiam ſolis luce clarius, artem bene latine ſcribendi, cum eloquentia manifeſte contineatur, ab eaque non differat niſi nomine, non pro re vulgari et contemnenda, ſed pro praeclara et laudabili, habendam. Quis enim laudem eloquentiae non appetat? quis non amet ipſam et admiretur? quis nolit perſpicue, ſuaviter, graviterque dicere ac ſcribere? quis non alios ſaltem, ſi ipſe non poſſit, et ita dicere libenter audiat et ita ſcribentes libenter legat? Patet vero etiam ex eo, artem

*) Doleo hic, magnis viris, in his *Mosbemio* ad Folietam, *Geſnero* ad Heineccium, *Erneſtio* in Clave Cic. et Init. rhetor. accidiſſe, ut interdum ita loquerentur, quaſi credidiſſent, in ſingulis verbis nonnullis per ſe elegantiam ineſſe, dicentes, hoc vel illud verbum eſſe *elegans*, ſeu *eleganter* dictum. Forſan contextum ſimul cogitabant iſtud ſcribentes, vel more vulgari abripi ſe patiebantur. Monendi de hac re tirones erant, ne tantorum virorum auctoritate abuterentur.

artem bene latine ſcribendi pro re difficili habendam eſſe. Senſit hoc ille Taubmannus, quando in disſert. de ling. lat. p. m. 68 dixit, *facilius eſſe in triplici Facultate doctorem hodie fieri poſſe, quam orationem latinam aut Ciceronianam elaborare.* Quid enim primum, quaeſo, difficilius eſt *perſpicuitate?* qua tamen nemo carere poteſt, quocunque cum homine colloquatur; ac ne agricola quidem aut opifex, quando v. c. cum ſuis liberis colloqui, iis vel aliis aliquid narrare, quando liberos ſuos hortari, rogare, vult etc. Multi, licet per omnem vitam illi ſtuduerint, non potuerunt tamen eam prorſus conſequi. Cicero quidem, qui ei per totam vitam ſedulo dedit operam, non tamen interdum obſcuritatis cujusdam ſpeciem ac crimen effugere potuit. Quis vero neſcit, neminem poſſe de re perſpicue dicere vel ſcribere, niſi ipſam diſtincte et omnibus ex partibus cogitet, planeque intelligat, atque ita omnia argumenta, teſtimonia, ſimilia, quibus illa certiſſima et clariſſima reddi poſſit, non modo egregie ſciat, ſed etiam inde, quae quoque loco aptiſſima ſint, acute eligat, ac pro auditorum ac lectorum conditione, captu, et guſtu, ſaepe valde inter ſe diverſo, explicet, et verba aptiſſima, h. e. ea, quae iſtam perſpicuitatem omnium optime gignere poſſint, eligat, aptiſſimoque, h. e. perſpicuitati maxime ſerviente, ordine collocet? Quid deinde difficilius eſt, quam *ſuaviter* dicere ac ſcribere, h. e. ita, vt libenter cupideque audiaris ac legaris? Nonne hic opus eſt, primum noſſe, quibus rebus lector et auditor delectari ſoleat, ut earum ope et ad perſuadendum ei et ad ipſius animum commovendum uti apte ubique poſſis, in eamque rem delectum poſſe habere argumentorum, teſtimoniorum, ſimilitudinum, ut neque nimis multa, neque nimis pauca, neque nimis vulgaria et nota, neque nimis abstruſa et incognita proferantur; deinde et in illis proferendis et in verborum maxime uſu apte variare, in primisque troporum et figurarum

aptarum

aptarum suavitate, sententiarum ingenium non vulgare spirantium acumine, antithetis, itemque tum perspicuitate, qua ipsa nihil suavius est, tum declaranda modestia ac probitate auditores lectoresque allicere, cupidosque plura cognoscendi reddere? Quid denique difficilius est, quam *graviter* dicere ac scribere, h. e. ita, ut auditor et lector rem non tantum plane intelligat, sed ejus quoque magnitudinem sentiat, eaque moveatur? Hic in scribendo, quia vocis et gestuum nullus usus est, maior deprehenditur difficultas, quam in dicendo. Nititur vero ista gravitas dicendi in primis argumentorum et exemplorum justa tractatione et exornatione, ut pondus illorum appareat; deinde similitudinibus et descriptionibus rerum, hominum, in primisque permotionum animi, aptis et vividis; praeterea vi troporum, interdum audaciorum, figurarum gravitate, ac verborum apta, concinna, numerosaque structura.

Tres itaque primariae sunt virtutes, ut eloquentiae, ita stili bene latini, *perspicuitas*, *suavitas*, et *gravitas*. Cetera omnia, quae vulgo ad eloquentiam referuntur, possunt satis commode illis subjici ac pro rivis ac rivulis haberi, qui se, quasi in amnem, ita in unam harum trium virtutum exonerent, h. e. ad non nisi adjuvandas et amplificandas illas pertineant. Orator et scriptor primum id agit, ut persuadeat lectori et auditori, h. e. efficiat, ut lector et auditor rem firmiter ac sine ulla dubitatione credat proque vera habeat. Hinc debet rem ejusque veram naturam et conditionem maxime perspicuam reddere ac fere oculis legentium et audientium subjicere. Id quod in primis fit argumentorum bene inventorum recta tractatione et verborum delectu atque ordine. Debet deinde etiam saepe graviter dicere ac scribere, h. e. ita, ut auditor et lector rei magnitudinem sentiat, eaque moveatur, inflammetur etc. Debet vero etiam in primis suaviter dicere, h. e. ita, vt placeat. Nam si orator vel scriptor non placet, frustra tentat persua-

dere

dere ac movere; auditor vel lector non attendit, ac ne vult quidem audire vel legere. *Perſpicuitas* igitur reddit auditores lectoresque *certos*, *ſuavitas attentos* audiendique vel legendi *cupidos*, *gravitas* denique *commotos* et *incitatos*.

Ceterum, quemadmodum rem prius cogitamus, quam eloquimur, atque ita prius ad cogitandum, quam ad dicendum ſcribendumque, accedere debemus, ſic certum eſt et indubitatum, rem, niſi antea *bene* ac *pulchre cogitata* ſit, non *bene* ac *pulchre exprimi verbis* poſſe. Verba enim ſunt tantum echo, color ac veſtis cogitationum. Cum vero, ut Boilavius recte dixit, nihil tam pulchrum ſit, quam veritas, vel potius nihil pulchrum eſſe queat, ſi veritate careat: ſequitur, ut, qui *bene pulchreque cogitare* velit, antea *vere recteque* cogitare diſcat. At vere cogitare, h. e. rerum veras notiones tenere atque deinde apte, h. e. ita, ut ſingulae ſingulis conveniant, conjungere, eſt non niſi philoſophi, h. e. viri inveſtigandis et cognoſcendis omnium rerum cauſis, imo harum cauſarum cauſis, diu aſſueti. Hinc patet, neceſſe eſſe, is, qui *bene latine ſcribere cupiat*, praeter felix ingenii acumen (oratores enim et ſcriptores boni naſci debent ut poetae), ac praeter magnam accuratamque multarum rerum et cauſarum cognitionem, mature mentem attentione diligentiſſima, longiſſima exercitatione, ac recto Logices ſtudio ſub bono ſubtilique magiſtro acuerit et ſubegerit. Ac cum *recte cogitare*, de quo hodie in Logicis, et *recte dicere ac ſcribere*, de quo hodie in Rhetoricis traditur, tam arcte cohaereat, ut animi et corporis vinculum vix arctius eſſe poſſit: miror, noſtra aetate Rhetoricen et Dialecticen ſeu Logicen diviſas ac ſejunctas a ſe invicem eſſe, et alteram plerumque ſine altera doceri, cum tamen altera alteram adjuvare ſororio nexu debeat, et altera ſine altera mortua fere atque inutilis ſit: miror cum Quintiliano, perito huius rei arbitro, philoſophorum nonnullos arte cogitandi ita ſe jactare, ut

prae

prae ea artem dicendi ſcribendique contemnant, et pro nugis ac paene pro quisquiliis habeant (haud dubie quia eam vocabulis conſtare opinantur); nec perpendere, cogitata, licet ſubtiliſſima ſint, tamen nihil prodeſſe, nihil efficere, niſi in vulgus prodeant verbis, tanquam veſte, induta et ornata; miror vero etiam, permultos eorum, qui viam ad bene dicendum ſcribendumque ſe monſtrare aliis profiteantur, et eloquentiae ſive theodiſcae ſive latinae praecepta tradant, ſententiarum et notionum ipſarum immemores in verbis tantum eorumque pulchra, quam vocant, vel potius affectata, compoſitione ac ſtructura, commutatione, ſono etc. ſaepe haerere, nec conſiderare, cogitationum prius eſſe habendam rationem, quam verborum, quippe quae ad illas demum ſe accommodare, illas veſtire, ac bene veſtitas ornatasque in lucem et conventum hominum producere, atque ita illis hominum favorem, amorem, admirationem ac vim omnem, v. c. perſuadendi, movendi, conciliare debent. Verba ſine ulla ſententia ſunt veſtis ſine corpore. Verba exquiſita, ornata, ut loquuntur, et ſonora, ſed cogitationes ſtultas et nimis vulgares plebejasque exprimentia, ſunt inſtar veſtis pulcherrimae omnibusque ornamentis oneratae, quae corpus hominis ſtulti, vulgaris, vel ridiculi tegit.

Priſcis temporibus ſapientes ſeu philoſophi erant iidem oratores vel eloquentes: putabant tum, neminem poſſe melius de re dicere, quam qui plane eam intelligeret. Et Cicero utramque artem conjunxit, utraque ſe exercuit; atque hoc modo magnus orator factus eſt. Profitetur ipſe, philoſophiae ſe debere illam ſuae eloquentiae copiam, non magiſtris eloquentiae. Vid. v. c. Orat. 3 ſſ. Et quamquam academicam ſectam proprie intelligit, tamen non video, cur non omnis philoſophia, modo recte diſcatur, idem efficere queat. Philoſophia et eloquentia ſunt duae ſorores ſibi ſimillimae ac fere eaedem: nec male Zeno ille alteram cum altera ita

comparavit, ut diceret, *philosophiam* esse instar *manus in pugnum compressae* et *complicatae*; *eloquentiam* instar *manus explicitae* et *dilatatae*, h. e. utramque non nisi hactenus differre, ut illa brevius, haec copiosius et ornatius, eandem rem explicaret et exprimeret. Audiamus de hac re Ciceronem Orat. 32 in. ita loquentem et judicantem: *Esse igitur perfecte eloquentis puto, non eam solum facultatem habere, quae sit ejus propria, fuse lateque dicendi, sed etiam vicinam ejus atque finitimam Dialecticorum scientiam assumere. Quamquam aliud videtur oratio esse, aliud disputatio; nec idem loqui esse, quod dicere: attamen utrumque in disserendo est. Disputandi ratio et loquendi Dialecticorum sit: Oratorum autem dicendi et ornandi. Zeno quidem ille, a quo disciplina Stoicorum est, manu demonstrare solebat, quid inter has artes interesset. Nam, cum compresserat digitos, pugnumque fecerat, Dialecticam ajebat ejusmodi esse: cum autem diduxerat et manum dilataverat, palmae illius similem eloquentiam esse dicebat. Atque etiam ante hunc Aristoteles principio artis rhetoricae dicit, illam artem quasi ex altera parte respondere dialecticae; ut hoc videlicet differant inter se, quod haec ratio dicendi latior sit, illa loquendi contractior.* etc. Vere utique, praeclare ac sapienter. Hinc, *subtilitatem* et philosophis et oratoribus tribui apud Ciceronem, quis in tanta illorum similitudine miretur? Quis adeo dubitet, quin, ut oratores, ita quoque philosophi eadem de causa *elegantes* dici recte queant? Eodem pertinet quoque nobile illud Horatii dictum Art. 309.

Scribendi, recte sapere, est et principium et fons. Add. Cicero Orat. 21 *sed*, praeclare inquiens, *est eloquentiae, sicut reliquarum rerum, fundamentum sapientia*, h. e. *philosophia*, non illa quidem in compendiis vulgaribus nitens et ex his ducta, sed vera, h. e. subtilis et ampla cognitio rerum humanarum et causarum, unde illae oriuntur, itemque animorum humanorum ac simul causarum, quibus ii ducuntur: quo pertinent quoque causae cau-

sarum

ſarum tam longa ſerie ductae, quam mentis humanae vis et acies perferre poteſt. Sed jam Quintiliani tempore ſtudium philoſophiae a ſtudio eloquentiae ſejungi coeptum eſſe patet ex illius hac de re querelis in principio Inſtitutionum. Ceterum, quae hic de ſtilo bene latino ſeu arte bene latine ſcribendi ejusque fontibus et conjunctione cum eloquentia et philoſophia dixi, eo minus nova eſſe patet, quo certius mihi videtur, omnes philologos, quotquot fuerint vel adhuc ſint, de ſtilo bene latino idem ſenſiſſe ac ſentire, licet ea de re mentem ſuam non declaraverint.

Ex his vero omnibus, quae hactenus disſerui, quodam modo apparet, cur numerus eorum, qui bene latine ſcribant, hodie ſit tam exiguus, ac forſan ſuperiori ſeculo fuerit, neque vero etiam major eſſe poſſit. Accedunt vulgo ad hanc artem ſine philoſophia, atque adeo ſine eloquentia. Quod quid aliud eſt, quam volare ſine alis, curru vehi ſine equis? Volunt antea recte beneque ſcribere, quam recte beneque cogitare ſciant: volunt antea ſcribere, quam, quod ſcribant, habeant et, quid ſcribant, ſciant. Quid aliud facere poſſunt, quam ut vocabula, utcunque lecta, intellecta, collecta temere conſarcinent, ac centonem miſerabilem nusquam ſibi conſtantem exhibeant? Debebant per lectionem Ciceronis aliorumque priſcorum, qui ob artem recte pulchreque cogitandi, dicendi ac ſcribendi, in ſcholis leguntur, certe hoc conſilio, nec propter vocabula, legi debebant (ſaltem haec erat majorum ſententia, cum iſtam lectionem ſcholis mandarunt), debebant, inquam, per iſtam priſcorum, in primis Ciceronis, lectionem eloquentes ac philoſophi fieri, h. e. diſcere recte pulchreque cogitare ac ſcribere (ut virtutum exempla et praecepta inde petenda taceam): ſed fiunt per iſtam lectionem plerumque non niſi aucupes vocabulorum et venatores elegantiarum mirabilium ac fictarum, quas in vocabulis rarioribus et abſtruſis, participiorum congerie,

aliisque rebus minutis ac somniis, more plebeculae, quaerunt, et thesauris istis magis, quam avarissimus suis, se jactant. Debebant totum Ciceronem, h. e. ejus eloquentiam philosophia nixam, imitando exprimere. Sed, ut illum totum recte atque ordine imitari possent, debebant antea eum totum recte atque ordine intelligere, h. e. ita, ut in singulis versibus, singulis sententiis ac verbis, accurate et cum animi firma persuasione scirent, quid sibi illa vellent, quid Cicero iis dicere debuisset aut voluisset, cur isto nec alio modo locutus esset, cur ita loqui debuisset, cur modo latius modo brevius, cur circumscriptione, cur hac vel illa connexione vel collocatione verborum usus etc. Debebant singulas partes, etiam minutas, quibus eloquentia Tulliana constat, et quae non statim in oculos incurrunt, atque, ut ita dicam, singula ejus lineamenta accurate nosse ante, quam imitari tantum virum sustinerent. Cum imitatore Ciceronis aeque se res habet ac cum pictore. Pictor os vultumque hominis recte exprimere et ex animali exemplo veritatem in mutum simulacrum transferre cupiens debet cognitione corporis humani levi ac vulgari minime contentus esse, sed potius singulas partes, vel minimas, singula lineamenta quam accuratissime et diligentissime nosse. Accedunt aliae causae permultae et internae et externae: peccatur enim, ut aliis in rebus, ita in hac intra et extra Ilium, ut sic loquar. Pertinet huc in primis, quod vulgo contemnitur a magnis viris eruditionis laude florentibus ars illa bene latine scribendi: qui contemtus, omni fere aetate usitatus (queruntur de eo v. c. Taubmannus in diss. de lingua lat.; Gronovius in praef. ad scriptt. eccles.; Gesnerus etc.), inde forsan ortus est, quod vulgo crediderunt, *latine scribere* esse *vulgaria vocabula nosse*, et *e regulis vulgaris Grammatices componere;* atque ita, *bene latine scribere* esse nihil aliud, quam *pro vulgaribus vocabulis Ciceroniana sumere* et *haec obscuriori ratione componere.*

Hinc

Hinc ortum eſt nomen Verbaliſtarum, h. e. *Wortkraemer*, *Wortklauber*, *Sylbenſtecher*, qui ſcilicet non niſi verba tractarent et venderent, atque in iis et ſyllabis haererent. Audiunt hoc nimirum adoleſcentes: nec deinde, ut neceſſario fit, putant, in tam levi, vulgari, inani, nugatoriaque re tantopere elaborandum nervosve intendendos eſſe. Huc accedit, quod non magna praemia iis proponuntur, qui iſtam artem callent. Hinc et ejus ſtudium in diſcipulis frigeat neceſſe eſt, quos taedet pigetque in re tam parum lauta, tam parum honorifica, deſudare, et viros ipſos non mirum eſt deficere, qui illa arte rite inſtructi alios eo ducere cupiant huncque inſtituendi laborem tolerare ſustineant. Quare fiat neceſſe eſt, ut munus officiumque adoleſcentiae viam ad bene latine ſcribendum monſtrandi, quod tolli tamen nemo plane vult, iis obtingat, qui hanc artem atque ſimul ſcientiam priſcos rite et cum ſapientiae guſtu interpretandi, ex qua illa fluit, non ſatis teneant, et ad iſta tam tenuia praemia ſuum laborem operaeque utilitatem accommodent. At, ſi iſtis viris iſtius artis praeclare peritis caremus, omnes regulae ac methodi, quae traduntur, etiamſi pulcherrimae ſint, et omnia conſilia, quae dantur ad facilius et breviori tempore addiſcendam latine ſcribendi artem, fruſtra ſunt. Romae tempore Ciceronis eloquentia ſponte colebatur, quia magna inde praemia, magni honores, exſpectari poterant; et magnus ibi magnorum oratorum numerus erat, licet nulla methodus illam diſcendi praeſcripta eſſet. Nec Roma Ciceronem nec Graecia Demoſthenem tuliſſet et habuiſſet, niſi hi praemiis laudis et honoris ad iſtud ſtudium eloquentiae acerrimum invitati eſſent. Praemia ſponte incitant ſtudium et inflammant, efficiuntque magnos viros: et magni viri deinde ipſi methodos aptiſſimas viasque breviſſimas facillime inveniunt. Methodi praeſcriptae omnes cogunt quodam modo: et omne coactum reſtinguit retardatque ingenium ac ſtu-

dium in animis generosis: ut taceam, non omnes methodis ab alio praescriptis aptos esse, at aptissimos iis, quas sibi ipsi praescripserint: praesertim cum nihil facilius sit, quam in re, quam recte intelligis, tradenda methodum felicem sponte invenire; et contra nihil difficilius, quam rem, quam non satis calles, aliis recte tradere, licet optimam methodum sequaris.

SECTIO IIII

Summa hujus libelli.

Ut in toto hoc libello omnia praecepta bene latine scribendi ita instituimus, ut ubique eloquentiae, h. e. artis perspicue, suaviter, graviterque dicendi, rationem haberemus, sic illum in *duas partes* descripsimus, quarum *prior*, quasi praeparatoria, de verbis per se eorumque vera scriptura, vero usu, ordine, variatione s. commutatione, itemque de dicendi copia et brevitate exponit; *posterior* tres primarias eloquentiae virtutes ipsas, perspicuitatem, suavitatem, et gravitatem, tractat; quibus denique paucula de subsidiis, elaborationibus etc., subjecta sunt.



PARS

PARS PRIOR

EAQUE PRAEPARATORIA

DE VOCABULIS IN GENERE

QUATENUS SUNT

INSTRUMENTUM ELOQUENTIAE

DEQUE EORUM

SCRIPTURA, USU, ORDINE, VARIATIONE COPIA ET BREVITATE

CAP. I

DE ORTHOGRAPHIA, S. VERA SCRIPTURA VOCABULORUM

SECT. I

Orthographia est una.

Orthographia, h. e. *vera literas et vocabula ſcribendi ratio*, *una* ſit neceſſe eſt: quia omnis veritas eſt *ſimplex*. Non igitur Orthographia proprie poteſt eſſe varia, ac duplex, ſed ſcriptura: h. e. alii hoc alii alio modo ſcribere poſſunt vel ſolent. Perperam ergo nonnulli de vocabulo, quod dupliciter ſcribi ſolet, v. c. *cauſa* et *cauſſa*, *genitrix* et *genetrix*, *cocus* et *coquus* etc., ita loquuntur: *Utraque orthographia vera* ſ. *recta*, vel *tolerabilis* eſt? it. *quaeritur, utra orthographia rectior ſit;* tanquam orthographia ſit in univerſum *ſcriptura* ſ. *ſcribendi ratio quaelibet.* Hoc nil aliud eſt quam dice-

 re:

re: *quaeritur, utra veritas ſit verior.* Debebant dicere: *quaeritur, utra ſcriptura ſit verior* ſ. *rectior.*

SECT. II

Orthographia eſt commendanda.

Quamquam per ſe non magni refert, utrum adoleſcens hoc an alio modo ſcribat vocabula, dummodo plurium exemplum ſequatur, quia intelligentes in judicando ſtilo non ſpectant, quali quisque ſcriptura uſus ſit, ſed quam praeclare cogitaverit, quamque praeclare cogitata verborum delectu et conjunctione expreſſerit: tamen, quia omni vitio, quamvis ſit levius, vacare ſapiens cupit, et orthographiam negligens ſemper aliquid vitii committit, non inutile putamus, paucula de orthographia hic dicere, praecipue, ut adoleſcens ſponte de ea judicare diſcat, nec aliorum exemplum in illa tantum ſequi cogatur, ſed ſuum ipſius conſilium ſequi poſſit.

SECT. III

Quae ſit regula orthographiae.

Sicut omne *rectum* nititur certis regulis, ad quas illud examinari debet, v. c. *recte canere, recte ſaltare* etc. e regulis canendi, ſaltandi, judicatur: ſic, ſi de recta vocabulorum ſcriptura ſ. orthographia judicare velis, certam regulam, ad quam illa exigenda ſit, eſſe debere patet. Sed, quaenam illa ſit, non inter eruditos convenit. Aliis eſt *ſcribendi uſus priſcorum;* aliis *ſcriptura codicum, numorum, lapidum;* aliis *etymologia* cum *analogia* et *teſtimoniis priſcorum.* Quaeramus, quaenam harum ſententiarum praeferenda videatur. Quaeritur ergo

I) *primum,* an *ſcribendi uſus* ſ. *ſcriptura, quae apud priſcos obtinuit* vel *obtinuiſſe videtur* ac *creditur, pro certa regula noſtrae ſcripturae habenda ſit.* Valde fallax eſt haec regula. Nam a) primum non negandum eſt, iſtum

ſcribendi

ſcribendi vocabula uſum in plerisque vocabulis incertum eſſe, quia neque manus ipſorum veterum ſcriptorum adhuc habemus, e quibus, quomodo ſingula verba ſcripſerint, cernere liceat: nam codices ſcripti non attingunt iſta tempora; neque ipſi priſci nos de ſua ſcriptura ſatis docuerunt. —: Loquor autem hic de priſcis ipſis ſcriptoribus, ut de Caeſare, Cicerone, Livio etc., non de grammaticis, multo recentioribus, licet et hi interdum *priſci* appellentur. — b) deinde, etiamſi eorum uſum et ſcripturam ſciremus, tamen haec non poſſet eſſe regula certa, quia tam varia fuit, ut alii hanc alii illam ſcripturam amplexi ſint, prout aut pronuntiationem aut etymologiam aliamve cauſam ſequendam putarent; atque ita nos dubios reddunt, utram ſequi debeamus. Illud non modo e priſcis ipſis apparet; v. c. Quintil. docet, ſua aetate ſcripſiſſe multos *ſet*, *aput*, *Alexanter* etc.: Cicero ait, ſe propter aures aliorum, ac quia alii ita ſcribant, ſcribere *pulcher* pro *pulcer:* ſic alii *optumus*, *maxumus* etc.; alii, in his Caeſar, *optimus*, *maximus* etc.; ſic et *decimae* et *decumae;* ſic alii dativum quartae decl. *ui*, v. c. *fructui*, alii, ut idem Caeſar, *u* terminabant etc.: ſed etiam ex analogia aliarum linguarum valde probabile ac credibile eſt. Omnibus in linguis vivis varietas ſcripturae deprehenditur, quia alii pronuntiationem, alii etymologiam vel veram vel opinatam, aliamve cauſam ſequuntur. In vernacula v. c. ſunt, qui *Pabſt*, *Hertz*, *ſtarck*, *Haeuchler*, *Schmaeuchler*, *Freundin*, *dies*, *Raezel*, ſcribunt, ubi alii *Papſt*, *Herz*, *ſtark*, *Heuchler*, *Schmeichler*, *Freundinn*, *dieß*, *Raethſel* etc. malunt. Haec varietas non hodie tantum poſt inventam artem typographicam adhuc regnat, ſed ante illam multo magis regnavit. Scribebant tum plerumque, prout pronuntiabant; ac, quia pronuntiatio non eadem erat, non eodem modo ſcribebant; ac ſaepe literam ponebant, quae iis in mentem prius veniebat. Exemplum hujus rei dabo ex Chron. Luneburg., a Cel.

Eccardo inter plura ejusmodi opuscula edito. Hic inter alia innumera occurrit p. 1315 *und e marterete oc manigen guden Man, de ime nicht volgenne wolde*, h. e. e noſtra ſcriptura: *er marterte auch manchen guten Mann, der ihm nicht folgen wollte* etc.; ib. occurrit *Riddere* pro *Ritter*, *equites; Brot*, *Hant*, et pro *Magd*, i. e. *virgo*, modo *Maget* modo *Maged.* Sic *Magdeborch*, *Magdeburch*, *Maideburch* pro *Magdeburg.* Et in Cod. regio ibid. annexo pro *Erzbiſchofthum* eſt *Erzſchebysdom*, et pro *Erzbiſchof* eſt *Erthebiscoph*, *Erthzebiscoph*, *Erthenbiscopf.* Quis ex iſtis ſcripturis, ſaepe imperitiam ſapientibus, regulam recte ſcribendi extundat? Nemo hinc veram ſcripturam conjiciat, niſi etymologia vocabuli adjuvetur. Eodem modo priſcos variaſſe non mirum eſt. Alii ſcripſere *genitrix* ob etymologiam a *genitum*, alii *genetrix*, v. c. Burm. et Cel. Heyn. in Virg., quia eſt in codd.; ſic alii *labſus*, *ſcribſi*, ob etymolog.; alii *lapſus*, *ſcripſi* etc.; ſic ſcribitur *coquus* et *cocus*, *haud* et *haut*, utrumque forſan ob pronuntiationem; ſic *ſed* et *ſet* etc. Quintilianus monet a nonnullis ſcriptum eſſe.

Sed, ut univerſam veterum ſcripturam melius judicare poſſimus, deque ejus tam mira varietate eo minus mirari cogamur, opus eſt illorum pronuntiationem, ad quam illa ſe ſaepe accommodavit, noſſe. Et miror, qui de orthographia ſcripſere, eos non in primis ſedulo de pronuntiatione egiſſe. Quae licet non omnis nobis nota ſit, tamen, ut equidem ſentio, plane ignota credi non debet. Eſt mihi in animo de ea forſan aliquando libellum edere, in qua magnam partem, niſi certiſſimam, tamen veriſimillimam reddere poſſe mihi videor. Speciminis loco haec ſubjicio: Omnis pronuntiatio linguae latinae priſcis uſitata vertitur et in *pronuntiatione literarum* et in *tono* ſ. *accentu.* In utroque Romani aliter verſati ſunt, ac nos hodie verſamur in latinis vocabulis legendis et pronuntiandis: ſed eodem modo in ſuis verbis

bis egerunt, quo nos in verbis linguae vernaculae agere ſolemus; et ex hac, tanquam notiore, ad illam, ut minus notam, praeclare interdum concludi poteſt.

A) in *literis*, ac

1) primum in *conſonantibus:* hic

b et *p* ſaepe, ut in vernacula, confuſa ſunt: hinc *ſcripſi* pro *ſcribſi*, *lapſus* pro *labſus*, non miranda ſunt.

c nunquam, ut z, pronuntiatum, ſed ut *k* vel ſaltem ut g (uti noſtri fere *Gott* pronuntiant Kott); neque ergo *decimus*, *cilicium*, *carcer* pronuntiarunt *dezimus*, *zilizium*, *karzer;* ſed *dekimus*, *kilikium*, *karker.* Hoc ex multis argumentis, quae commemorare hic longum foret, v. c. ex etymologia, e vocabulis, quae graeca et theodiſca communia habet cum latina, tam veriſimile mihi fit, ut vix ea de re dubitandum videatur. Duo tantum memorabo. Quomodo *decumus* pro *decimus* dici potuiſſet, niſi lectum eſſet poſterius *dekimus?* Vernaculum *der Kerker* utrum latino *Karzer* an *Karker* melius reſpondet? ſic ex *docitum* fit *doctum*, h. e. *doktum.* Et cur in Columna Duillii, et alibi, pro g eſt *c?* v. c. *leciones* i. e. legiones; ſic *viceſimus* et *vigeſimus* a *viginti.* Forſan g et *c* eſt eadem litera: *g* recentioris formae, *c* antiquioris.

d innumeris locis, ut in vernacula, cum *t* confuſum. V. c. *Maged* et *Maget*, *Hant* pro *Hand.* Sic latini *ſed* et *ſet: haud* et *haut;* it. adeo *Alexanter:* hinc *attraho* pro *adtraho.*

f et *ph* ſaepe confuſa ſunt: loquuntur codd.

g mollius ab accuratioribus pronuntiatum eſt, atque inter *j* et *c* medium obtinuit: ſicut hodie in noſtra lingua accuratiores faciunt. Nonnulli tamen, ut apud nos, durius, h. e. ut *k*, pronuntiarunt: hinc confuſio in ſcribendo orta, ut v. c. *Cajus* ſcriberetur pro *Gaius:* — ſed *gn* non pronuntiatum eſt *ngn*, ut nos quidem agimus: *ſignum* pronuntiatum eſt *ſig'num*, non *ſingnum.* Docet hoc et derivatio: nam *ſigillum* melius a *ſig'no*, quam a *ſingno*, ut *tigillum* a *tigno*, derivatur: et noſtrum *Zeichen*, quod cum latino convenit, melius reſpondet *ſigno*, quam *ſingno* etc.

h in medio vix pronuntiatum eſt, nec pronuntiari facile ob celeritatem potuit. Sic et in noſtra, v. c. *ſehen*, *gehen*, ubi non *ſe-hen*, *ge-hen*, diviſis ſyllabis, ſed *ſeen*, *geen* dicimus. Sic *nihil*, *mihi*, enuntiarunt ubique *nil*,

mi cum circumflexo: hinc et nonnulli ita ſcripſere, uti fieri ſolet. Sed ab initio vocabuli puto enuntiatum eſſe τὸ *h*, v. c. *hara*, *hauris*, *habe*, quia alioquin cum *ara*, *auris*, *ave* commutatum foret: forſan et in Compoſitis, v. c. *adhibeo* etc.

l videtur valde molliter pronuntiatum eſſe, h. e. ita, ut vix lingua palato allideret. Quod conjicio inde, quod Itali recentiores illud ſaepe vitant, v. c. *Fiorenza*, *Piacenza* pro *Florentia*, *Placentia* etc.

m videtur in fine vocabuli ob celerem pronuntiationem vix auditum eſſe, v. c. *menſam*, *nubem*, fere ut *menſa*, *nube:* ſicut noſtri feſtinanter dicunt *in mein Nam* pro *in meinem Namen.* Hinc factum, ut poetae totam iſtam ſyllabam, ſequente vocali, omitterent ſeu eliderent.

qu (pro quo nonnullis praeplacet *q* ſine *u*) lectum videtur ut *k*, v. c. *coquus* ut *cocus*, *quum* ut *cum* (hinc inter *quum* et *cum* nil diſcriminis per ſe eſt), *aqua* ut *aca*, *neque* ut *nek* ſeu *neke;* ſed ita, ut poſterius *e* non audiretur. Hinc inter *nec* et *neque* nil diſcriminis: ſunt eadem vocabula, ut *nihil* et *nil.* Hinc, praeter alia, apparet, quomodo poſſit fieri *eculeus* ex *equus*, et quomodo Francogallorum *egal* ex *aequalis* factum ſit. In nonnullis tamen videtur τὸ *u* lectum, v. c. in *quatio*, *quis* cet. hinc *concutio*, *cujus* cet.

ſ videtur in fine verbi fuiſſe tam tenui ſono, ut vix audiretur. Hinc omittitur in verſibus Ennianis et Tetentianis: hinc facilis commutatio ejus cum *r*, v. c. *arbor arbos*, *honor honos.* *St* vero non credibile eſt enuntiatum eſſe *ſcht*, v. c. *ſchtella*, *ſchto*, pro *ſtella*, *ſto:* quod nos facimus quoque in *Schtul* pro *Stul* aliiſque vernaculis vocabulis.

t ubique, etiam ante *i* ſequente alia vocali, pronuntiatum eſt ut *t*, non ut *z*. Legerunt *artium* non *arzium*, more noſtro, ſed *ardium* vel *arthium*. Docent hoc, praeter etymologiam et derivationem, vocabula graeca et theodiſca, quae cum latinis cognatione conjuncta ſunt.

v pronuntiatum et lectum eſt ut noſtrum *w*. Ergo *vinum*, *vannus*, *vermis*, *vacillo*, legerunt *winum*, *wannus* etc., ſicut eadem vocabula in noſtra lingua leguntur *Wein*, *Wanne*, *Wurm*, *Wakele*. Hinc commutatio hujus literae cum *b* in MSS. non mira eſt, v. c. *duvius* pro *dubius*, *Baleria* pro *Valeria*.

2) in *vocalibus*. Quae quia inde pendent, prout os vel laxius vel anguſtius aperitur: facile intelligitur, quia non omnes

omnes homines os eodem modo aperiunt, non unam fuiſſe illarum enuntiationem, ſicut et eſt in noſtra lingua, ubi v. c. *Mahn* et *Mohn* dicitur etc. Hinc v. c. *a* ſaepe commutatum in *e*, *i*, v. c. *adſpergo* pro *adſpargo*; *abigo*, *concino*, pro *abago*, *concano*; *e* in *i*, v. c. *colligo* pro *collego* etc., quae omnia veniunt e celeri pronuntiatione: *u* in *o*, v. c. *navibus*, *navibos*: ſaepe tamen *u* ut *w* pronuntiatum, v. c. *duo* ut *dwo*, hinc noſtrum *zwo* etc. it. *duellum* ut *dwellum* vel *dbellum*, hinc abiecto τῷ d, *bellum* etc. Multa exempla talis et conſonantium et vocalium commutationis dedi in libello, qui inſcribitur: *Gedanken von den Eigenſchaften der deutſchen Schreibart und Empfehlung der deutſchen Sprache im Predigen, Reden und Schreiben, und beſonders der Philologie.* Unum exemplum addam: quod in vernacula lingua nunc *ohne* eſt, id olim *ane* et *ano* ſcribebatur; idemque eſt in graeca ἄνευ, in latina *ſine*, ſibilo addito, ut saepius. Hic *a*, *i*, et *o* commutantur. Per hanc occaſionem hic monuerim, αν in ἀναμάρτητος i. e. *qui non peccavit*, ἀνελεύθερος i. e. *illiberalis* aliisque talibus compoſitis eſſe illud *ane* ſ. ἄνευ, et in iis vocabulis, quae per conſonantem incipiunt, illud ν ob duram pronuntiationem omitti, v. c. ἄσοφος, ἄκακος, pro ἄνσοφος, ἄνκακος. Longe aptius hoc videtur et veriſimilius, quam vulgare illud figmentum grammaticorum, dicentium, α in ἄσοφος eſſe α privativum, ut et in ἀνελεύθερος, ac ν inſertum tantum eſſe ob euphoniam, quam dicunt. Iudicent peritiores!

3) in *diphthongis*: quarum vera pronuntiatio eſt, ſi utraque vocalis, in primis prior, auditur: id quod Romani, ſaltem accuratiores, melius, quam nos in lingua et latina et theodiſca, obſervaſſe videntur.

1) *ae* v. c. *menſae*, *Caeſar*, legerunt tribus ſyllabis ita, vt *a* in primis et *e* vix audiretur. Et quomodo, ſi priſci *Caeſar* legiſſent *Keſar* vel *Zeſar*, ut nos legimus, inde fieri potuiſſet noſtrum *Kaiſer*? Hinc commutatio *aulae* et *aulai*. Sic *aire moltati* i. e. *aere mulctati* in lapide occurrit.

2) *ei* v. c. *hei*, *ſocieis* pro *ſociis*, pronuntiata ſunt, prius duabus, poſterius quatuor, ſyllabis; omninoque ita, ut *e* audiretur. Ac majores noſtri *Rein* ſ. *Rhein* pronuntiarunt duabus ſyllabis, ſed raptim; ita tamen, ut *e* in primis audiretur: quod vel inde patet, quod Caeſar eorum victor inde fecit *Renus* ſ. *Rhenus*; quod non feciſſet ac facere potuiſſet, ſi hunc amnem *Rain*, ut nos nunc loquimur, pronuntiari audiviſſet.

3) *eu* v. c. *heus* duabus ſyllabis, raptim; ſed ita, ut *e* audiretur: eſtque illud noſtrum *he!* quod illi male reſponderet, ſi lectum eſſet *hais*, ut nunc legimus. Ergo *heus* et *meus* parum differebant pronuntiatione.

4) *oe* v. c. *Poeni* tribus ſyllabis ita, ut *o* in primis, *e* vix audiretur. Hinc patet, cur *murus* et *moerus*, *Poeni* et *Puni*, *coerator* et *curator* etc. commutari potuerint: nam *o* et *u* facile commutantur, ut vel pronuntiatio ruſticorum in lingua vernacula quotidie docet.

5) *au* pronuntiatum eſt plerumque *o*, ut apud nos v. c. *Roch* pro *Rauch: Cloſter* e *Clauſtrum;* ſic *olla* ex *aula*, *Clodius* e *Claudius*, facile fieri potuit.

B) in *tono* ſ. *accentu*. Hic moneo, Romanos *tonum* accommodaſſe ad quantitatem ſyllabarum, quam ſedulo obſervabant. Ergo

1) breves ſyllabas, quas hodie in Proſodia demum diſcimus, omnes Romani, in communi etiam vita, breviter ſ. raptim pronuntiabant (corripiebant), h. e. ita, ut vix audirentur: id quod etiam apud nos, ut in omnibus vivis linguis, ſic in noſtra fieri ſolet; v. c. *Geduld* pronuntiamus *G'duld* una fere ſyllaba, *Kinder Kind'r* etc. Sic Romani *menſa* (nominat.), *ſervus*, *ſerve* etc. ita pronuntiarunt, ut poſterior litera vix audiretur: et *homini* ita, ut duae priores ſyllabae vix, ſed ultima valde audiretur. Et haec ipſa cauſa eſt a) *apocopes*, v. c. *dice*, *duce*, ſonabant ut *dic'*, *duc'*, hinc ita ſcribebant: ſic noſtri *ſag* pro *ſage*. Omnis iſta omiſſio proficiſcitur a celeri pronuntiatione: b) *contractionis*, v. c. *mi*, *nil*, pro *mihi*, *nihil*, ut noſtri *Magd* pro *Maged*, *ſehn* pro *ſehen* etc., quae contractio deinde, ob celeritatem pronuntiationis, alias denique ſyllabas omiſit, v. c. *amaſſe* pro *amaviſſe* etc.: c) *commutationis*, v. c. *decimus*, *decumus*, pronuntiabant quaſi *dek'mus*, ut audientes non poſſent diſcernere, utrum *dekimus* an *dekumus* pronuntiaretur: ſic *navibus*, *genitrix*, ſonuerunt ut *nav'bus*, *gen'trix*, vel *navebus*, *genetrix*. Hinc ita quoque ſcripſere nonnulli, pronuntiationem, tanquam unam ſcribendi regulam, ſequentes. Hinc *navebus* in Columna Duill., *genetrix* in Codd. Virgilii; hinc a Burmanno et ill. Heynio ſervatum. Sic et in noſtra, v. c. ex *Oberſter*, quia ſonuit *Obr'ſter* atque etiamnum ita vulgo pronuntiatur, factum eſt *Obriſter* etc.

2) longae ſyllabae producebantur (wurden verlängert), h. e. longiori temporis ſpatio pronuntiabantur: quod fiebat

bat ita, ut vocalis dupliciter pronuntiaretur, v. c. *pono* ut *poono*, *menſa* (ablat.) ut *menſaa*: ac deinde ita quoque ſcriptum videtur, donec brevitatis cauſa apicem, h. e. forſan lineolam transverſam adhiberent, quae indicaret, alteram vocalem deeſſe, v. c. *pōno*, *menſā* etc.; ſicut noſtri *deñ* pro *denn* ſcribere interdum ſolent. Haec hactenus. Plura de pronuntiatione priſcorum dixi *in der ausführlichen latein. Sprachlehre* P. I. c. I. add. libellus iam laudatus *Gedanken von den Eigenſchaften* etc.

Ceterum ex his apparet, quam varia ſcriptura apud priſcos, atque adeo doctos (quos conſuetudini ſaepe ſervire notum eſt, et exemplo Ciceronis patet, qui *pulcher* ob conſuetudinem aliorum pro *pulcer* ſcribebat), obtinuerit, cum a pronuntiatione, ipſa tam varia, pependerit, nec ante artem typographicam inventam, quae libros ſat multos pro exiguo pretio manibus innumeris et doctorum et indoctorum, divitum et pauperum, ſolet tradere, aliter fieri potuerit. Quis vero hanc variam incertamque ſcripturam pro certa ſcribendi regula habeat? Quaeritur igitur

II) deinde, an ſcriptura *codicum*, *numorum*, et *lapidum* pro certa regula haberi poſſit. Non magnopere. Nam 1) variat et ipſa: ut adeo ſemper incerti ſimus: at regula debet eſſe certa. Quis deinde 2) librariis hoc tribuat, ut nobis in vera vocabulorum ſcriptura magiſtri et auctores eſſe poſſint, cum plerumque indoctiſſimi fuerint, eodemque modo, quo priſci, magis ſuis auribus, h. e. pronuntiationi aliorum, quam veritati obtemperarint, ac ſaepe verba, quae ſcriberent, ne intellexerint quidem. Id quod ex innumeris locis patet, ac vel inde, quod in ſcriptt. rei ruſt. *Magiſter Varro* et *Magiſter Cato* ſcripſere pro *M. Varro*, *M. Cato*; it. in Nep. reperitur apud eos *ledebat*, *mallebat*, *dementia*, *pharo*, *Biſantium*, it. *Bacantium*, *Achademiam*, *inſulatae*, *cognata* etc. pro *laedebat*, *malebat*, *clementia*, *ſparo*, *Byzantium*, *Cadmeam*, *inſulae*, *cogitata*. Neque igitur a librariis, neque ab inſcriptionibus, quarum auctores ple-

plerumque non doctiores erant (occurrit in iis v. c. *adque*, *quodannis*, *aput*, *apſens*, *optinebit*, *ſet* etc. pro *atque*, *quotannis*, *apud*, *abſens*, *obtinebit*, *ſed*), neque etiam a numis, qui non ſemper a Criticis linguaeque peritis ſignati ſunt, certam ſcripturae legem arceſſere licet.

III) Nec *Grammaticorum antiquorum* auctoritas ſufficere poteſt. Repererant jam ſcripturam e pronuntiatione ortam ac conſuetudine ſtabilitam: huic aſſueti regulas deinde excogitarunt, quae iſtam ſcripturam tuerentur: quemadmodum hodierni Grammatici vernaculi uſum dicendi ſcribendique receptum, tanquam regulam, defendere gaudent. Pauci fuere, qui certiores regulas inveſtigarent. Hinc factum eſt, ut ſibi ſaepe repugnarent. Quid ſolatii hinc certi exſpectandum?

IIII) *Etymologia* eſt haud dubie certior regula, quae, diu oppreſſa varioque contemtu affecta, mereatur emergere caputque tollere. Dolendum quidem eſt, eam non in omnibus vocabulis notam nobis eſſe. At ſumamus certe, quantum licet. Subjiciam aliquot vocabula, quorum recta ſcriptura, licet non ſemper uſu eruditorum adjuvetur, per etymologiae legem firmatur:

Adfero, adtuli, adlatum, adſiduus etc. rectius quam *affero, attuli, allatum, aſſiduus:* ſic *adcipio, adgredior* etc.; ſicque in omnibus vocabulis per *ad* incipientibus: nam, cur litera *d* in ſequentem ob pronuntiationem mutetur, nulla apta cauſa eſt; et nos, etiamſi certo ſciremus, priſcos ita ſcripſiſſe, *affero, attuli* etc. (quod tamen nondum certum eſt), tamen eorum auctoritatem non ſequi debebamus ob perſpicuitatem. Facilius tiro in *adfero, adtuli, adlatum* etc. compoſitionem agnoſcit quam in *affero, attuli, allatum.* Nec in vernacula lingua quisquam talem commutationem in ſcribendo perfert. Vid. infra *in primis.* Putant nonnulli quidem, *affero, attuli, accipio, aggredior* per *euphoniam* dictum. Quid eſt euphonia? nonne a conſuetudine pendet? Ac profecto omne, quod rectum eſt, bene ſonat.

Adoleſcens rectius quam *aduleſcens:* eſt enim ab *ad* et *oleſco*; ad verbum *ein Aufſchößling.* Lapides et librarii, qui dederunt

derunt nobis *adulescens*, manifeste errarunt, nec digni erant, quorum aliqua ratio haberetur. Quis muliercularum omnium somnia et vitia scribendi colligere cupiat?

Ancora, non *anchora:* est enim graecum vocabulum, ubi non est *h*; omninoque τῷ *h* abstinendum, ubi non e graeco transferri debet. Videndum igitur, an Cicero recte egerit, qui *pulcher* pro *pulcer* scribendum putarit. Hinc *sepulcrum*, *simulacrum*, *torus*, *Tuscia* et similia sine *h*. Ergo graece intelligere debet, qui de vera scriptura vocabulorum latinorum judicare vult. Sic *carus*, non *charus*, nisi quis a χαίρω vel χάρις ducere velit.

Arctus, *a*, *um*, rectius quam *artus:* est enim contractum pro *arcitus* ab *arceo*, quod forsan notavit olim *includo*, *contraho*, quod e *coerceo* videtur elucere; et *includendo* solent homines bestiaeque *prohiberi*, ne damnum inferant aliis. Cellarius in Orthogr. ait: ut e *farctus* fit *fartus*, ita ex *arctus artus*. At quis nos jussit *fartus* dicere, nec potius *farctus?*

Asporto: pro eo haud dubie *absporto* rectius est: nam *as* non est *ab*; sed usus dicendi manebit forsan tyrannus.

Assimilare rectius est quam *assimulare*, quia est a *similis:* sic *simulare*, *dissimulare*, rectius scriberentur *similare*, *dissimilare:* proprie enim *simulare* est, *similem reddere*, et *dissimulare*, *dissimilem reddere.* At quis usum loquendi inveteratum impugnare vel tollere audeat?

Audacia manifeste rectum, quia est ab *audacis*: falsum est aeque manifeste *audatia.*

Balineum haud dubie rectius quam *balneum:* nam omnis contractio est recentior; at usus dicendi vix mutari poterit.

Benevolus, *benevole*, rectum, quia a *bene* et *volo;* ut a *bene facere* fit *beneficium*, ita a *bene velle benevolus.* *Benivolus* per celerem pronuntiationem sensim invectum est, antequam Romani Critici fierent; et *e* sede fixa ejici se non passum est. Sic *malevolus*, *malevole.*

Ceteri rectum, non *caeteri:* est enim e graeco ἕτεροι. Sed *h* saepe abit in *c* et contra, v. c. *Cornu Horn*, *Cervus Hirsch* etc. Non opus est καὶ addere, idque ne convenit quidem.

Conligo, *conlega*, *conmeo* etc. rectius proprie quam *colligo*, *collega*, *commeo;* licet Heineccius hoc damnet et Gesnerus ad eum I, 1. 3. 1 p. 18 sciolis tribuat. Est enim a *con:* quod cur mutamus? vid. infra *in primis.* Debere etiam proprie esse *conlego*, per se patet.

Deliciae, non *delitiae*, quod vel e *delicatus* patet: est enim a verbo antiquo *delicio.*

Emtus, non *emptus*: eſt enim ab *emo*: literam inſerere non debemus contra etymologiam.

Exſpectare rectius quam *expectare*: eſt enim a *ſpecio*. Et ſic Quintilianus quoque judicavit: ſic *exſtare* rectius quam *extare*, *exſequi* rectius quam *exequi*; hinc *exſequiae* ſcribi debet, non *exequiae*, *exſtruo*, non *extruo*, et ſic in aliis.

Genitrix rectius quam *genetrix*, quia eſt a *genitum*. Pronuntiatio cita et feſtinans effecit *gen'trix*, ut *i* non audiretur; unde nonnulli *e* inſeruerunt, incerti, utrum *i* an *e* inſerendum eſſet.

Idcirco haud dubie rectius quam *iccirco*, quia eſt ex *id* et *circa*.

Idemtidem rectius quam *identidem*: eſt enim ex *idem*.

Inclytus rectius quam *inclitus*, quia eſt a *κλύω*, *κλυτός*. Tolerandum videtur *inclutus*, ut *Sulla* et *Sylla*: quia forſan Romani *u* ut *y*, vel ut Francogallorum *u*, interdum legerunt. Sed ut ex *inclytus* factum videtur *inclutus*, ita deinde per celerem pronuntiationem ex *inclutus* videntur feciſſe *inclitus*; ut *decimus decumus*, *optimus optumus*, *maximus maxumus*. Cf. noſtrum *Knie*, reſpondens latino *genu* et graeco *γόνυ*.

In dies rectius quam *indies*: ſunt enim duo vocabula, quorum alterum alterum regit: ut *in diem*, ſic *in dies*. Eodem modo *in poſterum*, ſcil. *tempus*, rectius quam *inpoſterum*, ſic et *in primis*, non *inprimis*, ſic *cum primum* etc.

In non debet in compoſitione mutari: rectius ergo *inlino*, *inluſtris*, *inmitis* etc., quam *illino*, *illuſtris*, *immitis*. Non debet litera praepoſitionis ultima ob ſic dictam vel potius fictam euphoniam mutari: omne rectum bene ſonat, nec contra. Sic et noſtri *n* in *Anfang*, *anmuthig*, *anlachen*, *einladen*, *Iungfer*, *unmäſſig* etc. non mutant in ſequentem vel aliam, licet nonnulla horum verborum per *m* pronuntientur vulgo, v. c. *Amfang*, *ammuthig*, *Iumfer*, *ummäſſig*. Et cum *infinitum*, *infinitivus* etc. vulgo ſcribatur, quod tamen quoque a multis *imfinitum imfinitivus* pronuntiatur, neque hic *n* in *m*, ob euphoniam, mutemus, cur non quoque in illis? Geſnerum, virum acutiſſimum, hic diſſentire ad Heinecc. I, 1. 3. 1 valde doleo. Sed multo minus *imprimis*, *impoſterum* ſcribendum eſſe pro *inprimis*, *inpoſterum*, vel potius *in primis*, *in poſterum* (diviſis verbis), per ſe patet, quia ſunt aperte duo verba ſeparata.

Labſus rectum, non *lapſus*: eſt enim a *labor*: ſic *ſcribſi*, non *ſcripſi*. Qui poſteriori modo ſcripſere, eos et pronuntiatio decepit et ſimul forſan conſuetudo graecae linguae, ubi *ψ* pro *βσ* vulgo ſcribi ſolet.

Lapi-

Lapicidina rectum, non *lapidicina:* est enim a *lapis* et *caedo.*

Monimentum rectius quam *monumentum:* est enim a *monitum.* τὸ *u* venit e celeri pronuntiatione *mon'mentum*, *doc'mentum* etc. Hinc fecere nonnulli *monumentum* et *documentum.* Sic *decimus decumus*, *optimus optumus* etc.

Museum, non *musaeum:* est enim e graeco μȣσεῖον. Sic in similibus verbis, v. c. *gynaeceum* etc.

Numus, non *nummus*, e gr. νόμισμα.

Opsonium, non *obsonium:* est enim e graeco. Qui sic scripsere, praeter pronuntiationem, cogitarunt forsan praepositionem latinam *ob.*

Poena, non *paena:* est enim e ποινή.

Pomoerium, non *pomerium*, licet ita in codd. et inscriptionibus: est enim a *moerus* i. e. *murus.* Prisci enim *moerus* et *murus*, *coerator* et *curator*, *Poeni* et *Puni* dixere. Est dictum, quia est *post muros*, cf. Liv. I, 44.

Ptolemaeus, non *Ptolomaeus*, quia est e graeco πόλεμος s. πτόλεμος *bellum*, notatque *bellicosum.*

Quidquid rectum est, non *quicquid:* est enim duplex *quid*, ut *quisquis.* Sic *quamquam* rectum, non *quanquam:* est enim duplicatio τȣ̃ *quam.* Euphonia est spectrum, quod in phantasia, non in re, cernitur.

Raetia, *Renus*, rectius quam *Rhaetia*, *Rhenus:* sunt enim vocabula vernacula, non graeca. Quod Graecis *h* addere placuit, hoc nihil ad nos.

Scena rectum, non *scaena:* est e graeco σκηνή.

Strategema rectum, non *stratagema:* est enim graecum ipsum ςρατήγημα.

Suboles rectum, non *soboles:* est enim a *sub* et *oleo*, *olesco*, i. e. *cresco.*

Sumsi, *sumtum*, rectum sine *p.* Quis hanc literam sine necessitate addat!

Taeda rectum, non *teda:* est enim gr. δαΐς in accus. δᾷδα. At hinc per *d* scribendum foret, *daeda?* Recte. At sic nos *Bischof* scribimus, ex *Episcopus* factum, pro *Pischof*, quod rectius foret. Ac forsan illud vocabulum citius Romam perlatum est, quam Romani Graecorum linguam accurate didicissent: ac deinde ista scribendi ratio, usu stabilita ac familiaris, permansit. Inveterata enim mutare difficile est.

Tiro rectum, non *tyro:* non enim est graecum.

Torus rectius quam *thorus:* non enim est graecum.

Tropaeum rectum, non *trophaeum:* est enim gr. τρόπαιον. At *triumphus*, gr. θρίαμβος, rectius sine *h* scriberetur, et tempore

Ciceronis ita ſcriptum eſt, ipſeque Cicero ita ſcripſit ſine adſpiratione, vid. Cic. Orat. 48.

Valitudo rectius quam *valetudo:* eſt enim a *valitum.* Et ſic *pulchritudo*, *magnitudo*, *altitudo* etc.

Verſus, non *vorſus:* eſt enim a *verto*, et hinc noſtrum *ein Vers.* *Vorſus* factum per celerem pronuntiationem; qua ſaepe *e* ante *r* in noſtra quoque lingua ab infantibus, propter difficultatem pronuntiandi, in *o* mutatur.

Sequentia, niſi aperta veritate h. e. certa etymologia, tamen magna veri ſimilitudine ſe commendant:

Aegaeum mare, non *Aegeum:* eſt e Graeco, et terminatio eſt graeca. Propiorem etymologiam neſcimus.

Auctor, *auctoritas* rectius quam *autor*, *author* cet. Eſt enim, vel videtur certe eſſe, ab *auctum;* licet ſignificatio non magnopere conveniat. Accedit auctoritas Dionis Caſſii, qui ſcripſit *αὐκτώριτας.*

Coelo, *are*, rectius quam *caelo*, quia videtur e graeco *κοῖλον* eſſe, eique reſpondere noſtrum *hol*, *aushölen* etc. Neque ergo moveor auctoritate magni Perizonii ad Sanct. IV, 16 n. 16 defendentis per *ae* ſcribendum et a *cavo* derivantis. Hinc et *coelum* (der *Himmel*) rectius videtur, quam *caelum.*

Coena rectius quam *caena*, quia communis erat et domeſticis et amicis, e graeco *κοινή.* Romani non alio tempore fere utebantur amicis, quam *in coena:* nec ſine convivis fere eſſe ſolebant.

Contio in antiquis monimentis eſt; et tamen Critici malunt *concio*, quia prius derivare non audent, atque ita ipſi declarant, quantum debeatur etymologiae; poſterius a *concire* eſſe dicunt. At *concio* ſubſtant. a verbo *concire*, eſt contra omnem analogiam. Puto rectius eſſe *contio*, contractum e *conitio* ſ. *comitio.* Addicit analogia, ut *conditio*, ita *conitio* ſ. *comitio*, a *coire*, *conire*, *comire* i. e. *convenire:* ut adeo *comitio* et *comitia* ſint ejusdem ſignificationis. Sed per celerem pronuntiationem facile potuit abjecto *i* fieri *comtio* vel *contio*, ut *lectio* pro *legitio.*

Convicium rectius quam *convitium.* Videtur a *vox* deſcendere: ut proprie ſit *convocium* h. e. clamor multorum ſimul vocem intendentium; et ſic eſt ap. Phaedr. I, 1 de ranis: *Clamorem ranae ſuſtulere ad ſidera. Convicio permotus Iupiter* etc., ac deinde *omnis vehemens clamor* in primis eorum, qui alicui iraſcuntur ſeque ulciſci verbis ſaltem cupiunt.

Haud

Haud et *haut* e gr. οὐδὲ vel οὔτε, ut utrumque defendi poſſit.

Heres rectius videtur quam *haeres*, quia is ita fit *herus*, germ. *der Herr*.

Hyems rectius quam *hiems*, a gr. ὕω *pluo*. Hyemes Romanorum fuiſſe pluviae maxime expoſitas facile intelligitur. Deinde hyems non tantum eſt certa illa pars anni, ſed omnino *tempeſtas triſtis* ac *pluvia:* quae ſignificatio, ut ſaepe occurrit, ita prima et propria videtur eſſe ac deinde ad illam anni partem translata.

Imo rectius videtur quam *immo*. Videtur eſſe ab *imus* ſ. *infimus*, ut *certo*, *tuto*, a *certus*, *tutus*, *primo* a *primus* etc. Proprie itaque eſt ablat. Neutr. et poſitum eſt a) pro *in imo*, i. e. *im Grunde*, hinc venit notio adſeverandi *Ia*; b) pro *ex imo* ſ. *ex ima parte*, i. e. *ſi ex imo* ſ. *ima parte rem conſideras*, wenn mans von unten angreift ſ. *umkehrt*, *umgekehrt betrachtet:* uno verbo *umgekehrt*, *au contraire*.

Increbreſco rectius quam *increbeſco*, a *creber:* eſt proprie contractum pro *increbereſco*. Sic ab *aeger aegreſco*, a *niger nigreſco*, a *pulcher pulchreſco*. Excipiunt nonnulli *rubeſco* a *ruber*, *maceſco* a *macer:* at, ut taceam nullam regulam ſine exceptione eſſe, *rubeſco* potius a *rubeo*, *maceſco* a *maceo*, deſcendere videtur.

Infitiari rectius quam *inficiari:* videtur enim a *fateri* ortum eſſe: eſt enim proprie *non fateri*.

Lacrymae rectius quam *lacrimae*, ob gr. δάκρυον: mutatione non magna. *Lacruma* tolerari poteſt, ut *Sulla Sylla*, et ſupra *inclytus inclutus*. Videtur *y* fuiſſe noſtrum *ü*, v. c. in *Dünkel*, *günſtig*, et *u* ap. Romanos pronuntiatum eſſe, ſaltem ſaepiſſime, ut noſtrum *ü* ſ. Graecorum υ. Hinc mutatio τοῦ *y* in *u* non mira foret, per celerem vero pronuntiationem *lacr'mae* ac deinde *lacrimae* factum eſſe non mirum eſt. At per *ch* ſcribere plane falſum, quia non eſt in graeco. Mutatio τοῦ *d* in *l* non mira. Sic ex Ὀδυσσεύς factum eſt *Ulyſſes*.

Litera rectius quam *littera*, quia videtur eſſe a *lino*, ut *litura*.

Mulcta rectius quam *multa:* eſt enim, ut puto, a *mulgeo*. Priſci plebejo ſermone (qui primus fuit in omnibus linguis ac plerumque deinde ad totum populum tranſiit) videntur dixiſſe *mulgere aliquem* ſc. pecunia, ut *emungere:* hinc venit ſignificatio *privandi* ſ. *damnum inferendi*. Mulcta itaque proprie *damnum* ſcil. pecuniae: vel videtur eſſe participium, et dictum pro *mulcta pecunia*.

Praeſtringere, v. c. *aciem mentis*, rectius quam *praeſtinguere:* melius enim a *ſtringo*, i. e. *ſtreifen*, ducitur quam a *ſtinguere*.

Prelum, quia a *premo* forſan eſt, rectius ſcribi videtur quam *praelum*.

Reciperare rectius quam *recuperare*, a *recipio*: *i* deinde in *u* mutatum, ut in *decimus decumus* etc., ac caſu poſterius ſervatum eſt ita, ut vix ſede ſua plane tolli poſſit, licet nonnulli id facere jam conati ſint.

Stylus rectius videtur quam *ſtilus* (noſtrum forſan *Stiel*), quia in graeco eſt στύλος: quod etſi *columnam* ſignificat, non *graphium*, tamen aliqua ſimilitudo intercedit: qua interdum uſus loquendi, non ſemper criticus, ſolet eſſe contentus.

Sylva rectius quam *ſilva*, e gr. ὕλη: quae etymologia non rejicienda, cum ſignificatio non repugnet. Quod *ſ* praefixum eſt, id et in aliis vocabulis iisque permultis deprehenditur, v. c. ἅλς *ſal*, ὗς *ſus*, ἕρπω *ſerpo* etc.

Thus rectius videtur quam *tus*, a gr. θύω. Nam primis temporibus ſacrificabant *thure*: quod negari nequit. Qui *tus* a *tundendo* cum Chariſio repetunt, digni ſunt, qui tundantur. Melius eſt tacere, quam tale quid proferre.

In nonnullis incertum plane eſt, quomodo ſcribendum ſit, quia originem vocabuli neſcimus plane. Iam uti etymologia certa regula manet, ita, ſi plane latet atque nos deficit, ſequamur auctoritatem inſcriptionum, codicum bonorum, in primis numorum, vel etiam magnorum philologorum: nam, ſi e fontibus bibere non licet, e rivulis bibendum eſt: et ſingularem ſcripturam ſequi, h. e. eam, qua nemo alius utitur, nunquam in laude ponitur. Incerta igitur ſunt ſequentia:

Allucinari, ***hallucinari***, vel ***alucinari***, ***halucinari***. Etymologia, quam afferunt, mirabilis eſt.

Annulus, ***anulus***. Origo ignota. Et, quia priſci ſolebant literas non geminare, hinc major difficultas. Plerique tamen hodie ſcribunt *annulus*.

Arceſſo, ***accerſo***. Poſterius commendat ſe per *ac* i. e. *ad*: ſed quid eſt *cerſo*? Prius derivant ex *arcio* i. e. *adcio*, quia *ar* interdum pro *ad* ponitur, v. c. *arvehere*, *arfuiſſe*: ut *meridies* pro *medidies*: duriusculum eſt *ceſſo* ex *cio*: quid ſi ex *accedere*? ut *acceſſo* ſ. *arceſſo* ſit proprie *facere ut aliquis accedat*. Poteſt tamen, ſi *laceſſo* ex *lacio* ſit, *ceſſo* quoque e *cio* fieri. Quidquid eſt, doctiores hodie praeferunt *arceſſo*.

Bacca

Bacca et *baca* eodem pertinet: it. *bellua* et *belua*. vid. Annulus.
Caerimonia, *Caeremonia*, *Ceremonia*. Origo vocis non certa est. Si a *Caere*, Etruriae oppido, quo, urbe a Gallis capta, sacra Romanorum translata erant, nomen venit, ac si, ut Valerius Max. I, 1 narrat, *inde institutum est*, *sacra caerimonias vocari*, rectius per *ae* scribitur non modo, sed et propter analogiam *i* in medio servandum et *caerimonia* scribendum.
Camoena et *Camena*. Origo dubia, licet nonnulli, in his Servius, a *canendo* derivent. At, quia origo incerta est, nescio, cur per *oe* scribamus.
Caussa et *causa*. Origo incerta. Forsan a *caveo*, ut *cautor*, ita *causa*. At, cur litera geminetur, cum non audiatur nec enuntiari possit, nullam justam video causam. Sic et *Paullus*, *Paullum*.
Coecus et *caecus*: *coelebs* et *caelebs*. Origo latet.
Coenum et *caenum*. Origo dubia: ducunt aliqui a κοινὸν h. e. *immundum*: non male; at haec notio est ex hebraica consuetudine.
Comissari et *comessari*. Ducunt a κῶμος: non male. At hinc non sequitur, scribendum esse *comissari*: quaestio enim est de terminatione *essari* an *issari*. Utrumque pronuntiatum videtur a celeriter loquentibus.
Cunctari et *contari*: illud a *cuncta videndo*, vel a *conjungi*, quasi *conjunctari*, h. e. *cupere cum aliis conjungi ac propterea illos exspectare*, arcessunt; hoc a *conto*, quo nautae aquae altitudinem pertentent. Doctiores video *cunctari* hodie scribere. Sic *Percunctari*, *percontari*: posterius a *conto* duci possit et priori praeferendum videatur.
Dumtaxat, *duntaxat*, hujus mirabilis vocabuli origo forsan in perpetuum latebit. Videtur e pluribus vocabulis compositum esse: an e *dum taces*, *at?* vel *tunc taces? at*. (hoc *at* foret i. q. *saltem*, *certe*.) Si e *dum* compositum est, *m* mutari haud debet.
Faex et *fex*. Origo latet. Hinc eruditi utroque utuntur.
Fecundus, *Femina*, *fetus*, *fenus*, et *foecundus*, *Foemina*, *foetus*, *foenus*. Si *feo* h. e. *procreo fero* apud priscos usitatum fuit, rectius est *e* quam *oe*. Respondet Graecorum φύω et priscorum Germanorum *foden* i. e. parĕre, unde forsan *oe* defendi possit.
Fetialis et *fecialis*. Etymologia ignota. Quia tamen graeci scriptores per *t* scripsere, propterea eorum, tanquam doctorum hominum, auctoritatem nonnulli sequendam putant.

Glaeba et ***gleba.*** Origo latet. An noſtrum ***bekleiben*** inde deſcendat, et, an inde pro *e* aliquid concludi poſſit, non disceptabo.

Indutiae, ***induciae.*** Origo incerta. Gellius, Manutius, et Voſſius ſtant pro *t.* Manutius dicit, eſſe pro ***inductae:*** Voſſius derivat ab ***indu*** ſ. ***endo***, h. e. ***in***, et ***otium.*** Poſterius non male. Verum, quid ſi a ***duco*** derivetur, atque ita per *c* ſcribamus? ***ducere bellum*** eſt ***longius reddere. Induciae*** ergo ſunt, quando ***bellum*** non *longius redditur*, ſed ***in brevius*** quaſi ***contrahitur***, h. e. ***ei finis imponitur. Induciae*** vero priſcis erant fere idem, quod nobis pax eſſe ſolet. Ceſſabat ſcilicet bellum ad certos et multos ſaepe annos.

Letum et ***lethum.*** Origo incerta. Prius videtur poſſe a ***letum***, ſupino verbi *leo*, unde *deleo* (noſtrum forſan ***tilge, vertilge***) factum eſt, derivari. Poſterius a λήθη i. e. ***oblivio***, per euphemiſmum non contemnendum. At quis aliquid certi ſtatuat? Doctiores hodie, quia τὸ *h* fugiunt, quantum poſſunt, ***letum*** praeferre video.

Litus et *littus.* Etymologia latet plane. Quis enim a *litando* cum Lipſio repetere audeat?

Mille et ***mile.*** Origo ignota. Si tamen hinc ***miles*** deſcendit, poſſit ***mile*** praeferri, praeſertim cum noſtrum *Meile* conveniat melius cum ***miliari*** quam ***milliari***, quod vocabulum inde derivatur.

Moereo et ***maereo***, atque ita ***moeſtus*** et ***maeſtus.*** Origo plane incognita.

Nuntius et ***nuncius.*** Etymologia latet.

Obſcoenus et ***obſcenus.*** Etymologia aeque ignota: quia tamen inquirere cupiunt, alii a *ſcena* ducunt, atque ita ***obſcenum*** ſcribunt, quaſi ſit id, ***quod ſcenae non conveniat:*** valde coacte. Alii a gr. κοινὸν i. e. ***immundum***, de quo ſupra vid. in ***coenum:*** At unde tum τὸ *ſ* venit? Nihil certi definietur. Si e vernaculo ducere liceat, poſſimus e noſtro ***ſchön pulcher*** derivare, ut ***obſcoenus*** ſit ***non pulcher.***

Oppidum et ***opidum.*** Origo incerta: poſterius ab ***ope*** vel ***opibus*** derivant. Nimis docta conjectura. Tum alterutrum ***p*** inutile foret. Poſſis ſimplicius ducere a noſtro ***Hof, Gehöfde***, ut proprie ***omnem habitationem*** illis priſcis iisque pauperibus temporibus indicaverit. Per ***oppida*** initio nil niſi ***habitationes*** cogitarunt.

Paene et *pene* i. e. ***fere, propemodum.*** Etymologia ignota. At illud ad evitandam dilogiam obſcoenam praetulerim.

Paulum et ***paullum.*** Videtur contractum ex ***pauculum:*** ut vix

duplici

duplici *l* opus ſit. Et quis utrumque poſt diphthongum pronuntiare queat? Cf. ſupra *cauſa.*

Poſtumus et *poſthumus* i. e. *poſt patris mortem natus.* Plerique defendunt prius, quia, qui poſt patris mortem natus eſt, recte *poſtumus* ſ. *poſtremus* dici poteſt. Recte. At non omnis, qui poſtremus filiorum eſt, poſt patris mortem natus eſt. Hinc timeo, ne perſpicuitas laedatur.

Saeculum et *ſeculum.* Origo ignota. Quia tamen lapides, in primisque numi, *ſaeculum* habent, hoc praeferendum ducunt nonnulli.

Satira, *ſatyra.* Notum eſt, Caſaubonum ostendiſſe, *ſatiram* Romanorum venire a *lance ſatura*, atque ita per *i* ſcribendam eſſe. Recte, ac propterea ſequuntur eum omnes. At, ut conceſſerim iſtam explicationem et derivationem cadere in romanam ſatiram, quaeritur, an quoque in noſtram hodiernam?

Sollemnis et *ſolennis.* Etymologia incerta. Illud Feſtus a *ſollo* i. e. *toto* ducit, vocabulo Oſco: ut ſit id, *quod omnibus annis* fieri debeat. Tunc vero *ſollennis* ſcribendum foret. *Solennis* a *ſoleo*, *ſolitum:* ut ſit id, *quod per annum fieri ſoleat:* non male, ac forſan ſimplicius priori. Hinc *ſolennes annui ludi* dicuntur ap. Livium. Quomodo *ſolennis* et *annuus* jungi poſſet, niſi Livius putaſſet, *ſolennis* eſſe i. q. *ſolitus?*

Sollers, *ſolers.* Origo dubia. Qui per duplex *l* ſcribi volunt, dicunt eſſe a *ſollo* i. e. *toto*, ut ſit is *ſollers, qui in omni re prudens eſt.* Sic Feſtus.

Sollicitus et *ſolicitus.* Illud etiam a *ſollus* i. e. *totus* deducit Sanctius Minerv. IV, 17: hoc a *ſolum* i. e. *locus* arceſſit Feſtus et *cieo* i. e. *moveo*, ut ſit proprie *de loco ſ. de ſententia motus.*

Taeter et *teter.* Origo latet.

Tingo et *tinguo.* Illud eſt, ut *lingo*, *pingo* etc.; hoc codd. nititur.

Ungo et *unguo.* Qui poſterius volunt, confirmant hoc per *unguentum.* Nam unde *u*, niſi jam in verbo ipſo fuerit? Incertum. Plerique tamen ſcribunt hodie *ungo* et *tingo.*

Unquam, *umquam.* Utrumque reperitur. Origo incerta. Videtur tamen in hoc vocabulo latere *unus*, ut adeo *unquam* rectius forſan videatur. Sic *nunquam* et *numquam.*

In nonnullis plane nihil refert, utram ſcripturam ſequare, v. c. *cotidie* et *quotidie*, *cocus* et *coquus;* plerique

que tamen ſcribunt per *qu*: ſic *locutus* et *loquutus;* illud plerisque placet: ſic *cum* et *quum* ſunt plane eadem vocabula, quia *qu* ut *c* pronuntiabatur. Quintilianus narrat, ſuo tempore nonnullos malle *cum* ſcribere, ſi praepoſitio ſit, et *quum*, ſi temporis notionem habeat. Sic *triceſimus* et *trigeſimus*, *viceſimus* et *vigeſimus:* nam *g* et *c* olim erant eaedem literae; *c* antiquioris, *g* junioris, formae: accuratiores tamen video hodie ſcribere per *c:* ſic *Cajus* et *Gajus* etc. Sic *delectus* et *dilectus* (die Werbung) utrumque recte: illud a *deligo*, hoc a *diligo* i. e. *e pluribus lego.* Oudendorp. in Caeſare ubique *dilectus.*

Haec de etymologia, cui in orthographia definienda me principatum tribuere vix erit, qui miretur. Huic etymologiae, quia non ubique expedita eſt, vicariam quodam modo operam praeſtant *analogia*, *auctoritas graecorum*, et *prosodia.*

1) *analogia:* v. c. ut *conditio*, *rectio*, ſcribitur, ita *auditio*, non *audicio*, *inſtitutio*, et forſan ſic *contio* pro *coitio* ſ. *comitio* etc. ſcribi debet. Ut *decumus* et *decimus*, ita *optumus* et *optimus:* ut a *divitis* fit *divitiae*, non *diviciae*, ita a *ſapientis*, *prudentis* fit *ſapientia*, *prudentia:* ut ab *audacis audacia*, ita a *ferocis ferocia* etc.

2) *auctoritas graecorum ſcriptorum:* v. c. quia apud Dionem ſcriptum legitur αὐκτώριτας, ſequitur, hunc credidiſſe Romanos accurate loquentes ita locutos, non *autor.* vel *authoritas.* Sic *Maecenas*, *Mauricius*, *Magnentius* etc., quia Graeci ſcribunt Μαικήνας, Μαυρίκιος, Μαγνέντιος etc. Sic Graeci in Romanorum nominibus, ubi hi ſolent litera *V* uti, adhibent ου; unde colligimus, ſaepe Latinis *u* et *v* idem fuiſſe, ſiquidem Graecorum ου recte per *u* exprimimus. Sed eſt hac in re quoque magna cautio: v. c. *Britanni* vocantur graecis ſcriptoribus Βρεττανοί.

3) *prosodia:* v. c. *preces*, *ſedeo* etc. nemo per *ae* ſcribet, quia brevis eſt prior ſyllaba: ſic *ſupellex*, non *ſuppellex*, quia prior ſyllaba corripitur. At et hic magna cautio, quia interdum quantitas mutata eſt, v. c. *pejero* a *juro*, *perſona* forſan a *perſonare*, *voco* a *voce.*

Hactenus

Hactenus de etymologia, ut regula orthographiae. Ne quid tamen hic desiderari possit, *duo* adhuc ad orthographiam pertinentia, licet sint minuta, monebimus:

1) de *commutatione* literarum *u* et *v* nonnullis familiari. Nam sunt, qui ita scribant, prout pronuntient, v. c. *uva*, *vultus*, *violavimus*, non *vua*, non *uua* etc.; atque ita *u* et *v* inter se distinguant ac pro diversis literis habeant. Solent alii *v* ubique ab initio et *u* in medio ubique ponere, sive sit consonans seu vocalis: v. c. *vua*, *vultus*, *violauimus*, sic *vnus* pro *unus* etc. Sunt vero adhuc alii, qui ubique *u* promiscue usurpent, v. c. *uua*, *uultus*, *uiolauimus*. Iam quaeritur (si tanti est quaerere), quid horum rectius sit.

Proprie sine ulla dubitatione naturae, atque simul perspicuitati, uni omnium maximae legi eloquentiae, consentaneum est scribere literas, prout eas pronuntias: nisi gravissima causa sit, quae aliud tibi consilium injiciat. Iam, si certum indubitatumque esset, priscos scripsisse *vua*, *violauimus*, vel *uua*, *uiolauimus*, non valde in tam exigua re repugnarem: quamquam dubitarem, an imitatio linguae peregrinae ad levissima quaeque extendi deberet, v. c. ut in recte exprimenda Francogallica tremulam illam pronuntiationem per *nasum* (quod forsan magis est vitium gentis vel potius consuetudinis, quam virtus sermonis) vel literam hebr. *Chet* gutturis conformatione asperiori exprimeremus: sic enim linguam Hotentotticam, si quis discere vellet, gallopavorum more eloqui hic deberet. At, quia ostendi non certo potest, Romanos isto modo scripsisse, certumque simul est, ipsos hac in re quoque variasse, nec auctoritas lapidum, numorum, codicum, illam sententiam sustentat: suaserim tironibus, ut potissimum pronuntiationem sequentes scribant *uva*, *violavimus* etc.; praesertim cum res sit admodum tenuis, in qua non multum laudis versetur. In rebus minutis laudem quaerere, est laude carere.

rere. Accedit, quod ſcriptura pronuntiationem, quam proxime poteſt, ſequens puerorum captui accommodatior eſt, quibus lectionem vocabulorum latinorum tali modo faciliorem reddimus. Quod ut faciamus, exigere humanitatem quis non videt? — Nonnulli conſonantem *i* et vocalem *i* diſtinguunt, ſcribuntque v. c. *conjicio;* alii pro eadem habent, ſcribuntque *coniicio.* Poſterior ſecta credit, ſe antiquitatem rectius ſequi. Non magni per ſe refert, utram ſectam amplectare. Videtur tamen mihi, ut, quid ſentiam, libere dicam, *i* non conſonans eſſe, ſed ubique vocalis. Priſci τὸ *i* ubique ut vocalem pronuntiarunt, etiam ſequente alia vocali. At haec pronuntiatio, quia celeriter fiebat, ſonuit fere ut *g* vel *j*. Sic et nos v. c. *indies*, *meridies*, pronuntiamus celeriter ut *indjes*, *meridjes*, ſ. *indges*, *meridges*. Sic noſtri dicunt *Schleſjen*, *Schleſgen*, pro *Schleſien;* *Armenjen*, *Armengen*, pro *Armenien*. Illud *Iot* igitur nihil aliud eſt, quam *i* celeriter pronuntiatum. Hoc vel patet ex *aio*, *ais*, *ait:* Si legis *aio*, tribus quidem ſyllabis, ſed celeriter, patet, cur *ais*, *ait*, et deinde *aiunt*, dici poſſit, ſcilicet aeque ac *cupio*, *cupis*, *cupit*, *cupiunt*; *audio*, *audis*, *audit*, *audiunt*. At, ſi legis *ajo* ſ. *ago*, unde tum *ais*, *ait?* ſic *iacio* proprie eſt quadriſyllabum, at propter celerem pronuntiationem ſonat ut triſyllabum: ut nobis *meridies* fit triſyllabum, et *Schleſien* disſyllabum. Quod ſi cogitas, disſenſio multorum de hac re eſt ridicula. Idem, ſi res ferret, poſſem de *u* dicere: quod ob celerem pronuntiationem ſequente vocali ſaepe ſonuit ut *w*, v. c. *Vidua* ut *Vidwa;* ſic *duo* ut *dwo*, *lingua* ut *lingwa*, *diſtinguo* ut *diſtingwo*, priſcis ſonuit: unde noſtrum *zwo*: hinc *Duellum* ut *dwellum;* quis inde non faciat *bellum?* ſic *Eduardus* eſt *Edwardus*. Quis itaque dubitet *u* in *diſtinguo*, *lingua* etc., pro vocali *u* habere? Fruſtra disputant, annon pro conſonante *v* habendum ſit propter pronuntiationem.

2) de

2) de *divisione syllabarum* duo verba dicam. Alii sequuntur derivationem, quae tamen saepe incerta est, scribentes v. c. *prod-eo*, *ab-igo*, *ad-eo*, *os-tendo*, *dis-curro*, *sus-cipio*, *sus-tineo*, *paen-insula* vel *pen-insula*, *et-iam*, *neg-otium*, *pros-odia*, *pot-est*, *prod-est*, *Alex-ander* etc.: huc pertinent *a-ctus*, *ca-ptus*, *o-mnis*, *pro-pter*, *schi-sma*, *magi-ster*, quia verba reperiuntur per *ct*, *pt*, *mn*, *sm*, *st*, incipientia: ut *Ctesias*, *Ptolemaeus*, *ptisana* etc. Alii, in primis Batavi, hanc legem sibi imponi nolunt, sed scribunt prout pronuntiant, v. c. *a-bigo*, *po-test*, *eti-am* vel *e-tiam*, *pae-ninsula* vel *pe-ninsula*, *ne-gotium*, *ac-tus*, *cap-tus*, *magis-ter* etc. Scribat quisque, uti volet, modo causis justis ducatur, ut scripturam, quam semel amplexus est, conservare queat. Priorem tamen dividendi rationem plerique hodie sequuntur.

CAP. II

De recto vocabulorum usu.

SECT. I

Vocabula debent esse bona.

Omne *vocabulum* per se *bonum* est, h. e. usurpari potest, si quidem certum est, usurpatum esse a bonis scriptoribus. *Bonitas* ergo *vocabulorum*, per se considerata, consuetudine bonorum scriptorum latinorum nititur. At

1) videndum est, an certo occurrant apud eos. Hinc utendum est illorum editionibus recte diligenterque impressis, ne vitium typographicum pro manu Ciceronis, Caesaris etc., habeas, ac Criticorum opera sedulo castigatis, ne vocabulum pro bono priscisque usitato habeas, quod a Criticis diu ejectum est, v. c. *distringere gladium*

gladium pro *destringere*, *vendico* pro *vindico* etc. Interdum etiam legitur in optimis priscorum editionibus vocabulum aliquod, de quo rite emendando nondum inter Criticos convenit, et quod hi pro spurio vel corrupto habent, sed ob Codicum defectum ejicere vel mutare non ausi sunt. V. c. ap. Nepotem *inpraesentiarum*, phrasis *ad scenam ire* etc. Ab ejusmodi vocabulis et phrasibus abstinere tutius est.

2) *boni scriptores* sunt ii, qui linguae usum accurate tenuerunt, ejus divitias, virtutes ornatumque, studiose et cum gustu in libris suis adhibuerunt; et, ut bene scribere possent, bene dicendo mature diuque se assuefecerunt; uno verbo, *oratores* vel, quod fere idem est, *eloquentes* fuerunt, v. c. *Cicero*, *Caesar* etc. Inter oratores vel eloquentes referendi sunt boni historici, boni poetae, boni comici, v. c. Caesar, Livius, Nepos, Terentius, Virgilius, Horatius, Ovidius et alii. Nam hos omnes, si voluissent coram populo dicere, hoc egregie facere potuisse, nemo negaverit. Ergo omnis bona latinitas e lectione priscorum, non e Lexico, haurienda. Sed in illis legendis videndum, e cujus persona quaeque dicantur: v. c. in Ciceronis libris interdum alii inducuntur loquentes, v. c. poeta, comicus; ne verba istorum pro Ciceronianis habeamus. In Comoediis videndum, quis loquatur, utrum herus, filius familias bene educatus, matrona nobilis et prudens, aliusve homo sapiens ac liberalis, an servus nequam, meretrix, obstetrix. Priorum verba semper pro bonis h. e. usitatis apud liberales ac bene dicentes homines haberi possunt; posteriorum non semper. Causa est in promtu. Videndum quoque, utrum serio an per jocum dicatur: v. c. *homo trium literarum* i. e. *fur* jocandi causa ap. Plautum dicitur. Nullum igitur vocabulum debemus ponere, nisi quod ipsi in priscis legimus. Haec certe est via tutissima: nisi forte necessitas a nobis interdum postulet, ut alia vocabula usurpemus, quam quae prisci habeant,

habeant, quia notiones recentiores non ſemper vocabulis priſcis apte perſpicueque exprimi poſſunt, v. c. *Landgravius* etc.

SECT. II

Haec bona vocabula debent eſſe etiam apta.

Cum vocabula ſint ſigna cogitationum, earumque quaſi ſpeculum, patet, ea non ſolum *bona*, h. e. uſitata, ſed etiam *apta* eſſe debere, h. e. cogitationes ſingulas plane exprimere, ac ſibi invicem quoque recte reſpondere. Iam cum omnis eloquentia, atque ita omnis ſtilus bene latinus, *perſpicuitate*, *ſuavitate*, et *gravitate dicendi ſcribendique* cernatur: ſequitur, totum vocabulorum uſum his tribus virtutibus dicendi ac ſcribendi accommodari h. e. inſervire debere. Quare, etſi omnis vocabulorum tractatio ad illas tres virtutes proprie referenda ac cum iis conjungenda videatur: tamen, ob copiam rerum in uſu vocabulorum per ſe et ante, quam ad ipſam eloquentiam accedamus, obſervandarum et, ut animus tironis ſenſim praeparetur, non alienum viſum eſt, hic quaedam praemittere, ac praecipua locis dictis reſervare.

SECT. III

Vocabula per ſe non ſunt pulchra.

In vocabulis per ſe et extra contextum nulla poteſt eſſe *pulchritudo.* Omnis vocabulorum pulchritudo, ſi quidem vocabulis ipſis pulchritudinem tribuere licet, oritur e duabus rebus, arcto vinculo connexis: a) ab idearum pulchritudine in vocabulis latente, b) ab earum apta dignaque conjunctione. Pulchritudo idearum (ergo et vocabulorum) eſt ſemper relativa, h. e. nulla idea ſ. notio per ſe pulchra eſt, ſed, quatenus congruit ceterarum idearum contextui, hujusque *pulchritudinem,*

tudinem, h. e. *perspicuitatem*, *suavitatem*, *gravitatemque dicendi* et *scribendi* pro virili parte, ut sic loquar, adjuvat. Neque igitur vocabulum, licet pulcherrimam ideam continere videatur, per se et extra contextum potest esse pulchrum, nec aliud alio pulchrius et elegantius, ut interdum in Lexicis et Indicibus priscorum per philologos factis perperam dici solet: quia singulae ideae h. e. singula vocabula sunt disjecta membra corporis h. e. contextus. E vocabulis apte conjunctis oritur demum pulchritudo f. elegantia, venustas, orationis et stili. Proprie igitur totus contextus, v. c. orationis, libri, itemque capitis, dici *pulcher* tantum potest; v. c. oratio Ciceronis pro Milone est pulchra, Livii libri sunt pulchri etc.: quemadmodum tota hominis imago in tabula picta tantum pulchra dici potest. Partes imaginis singulae proprie non possunt dici pulchrae, nisi forte vel omne id, quod ad pulchritudinem totius rei aliquid confert, pulchrum vocare libeat; usu dicendi fere duro: vel partem aliquam, tanquam totum aliquod, atque ita per se ac sine connexione aliarum partium consideres, ut v. c. *pes pulcher*, *brachium pulchrum* dicitur, si quidem partes pedis et brachii sunt in tam apta relatione seu connexione, ut pes, brachium, per se placere debeat. Sed quamvis ita de majoribus partibus, licet non accurate, dici posse concesserim, quia usus loquendi jam invaluit: tamen minutis particulis, quales sunt vocabula seu ideae singulae, nulla per se pulchritudo tribui potest; nisi velis eo progredi, ut propterea, quod ad pulchritudinem totius aliquid conferunt, pulchra vocari posse dicas: quasi id ipsum semper pulchrum sit, quod pulchritudinem totius alicujus rei adjuvat. E lateribus *pulchra* domus aedificari potest: at lateres ipsi propterea non sunt pulchri. Ceterum, quia *pulchritudinem* non modo toti apte conjuncto, sed etiam ejus partibus, ac deinde aliis quoque rebus innumeris ac variis usus loquendi, a plebe, non a philosophis, originem trahens,

trahens, temere tribuit, hinc necessario factum est, ut definitio pulchri difficilior et incertior redderetur. Quis enim tot et tam varias res sub uno genere facile comprehendat, nisi velit usum loquendi inveteratum lege dictatoria coercere? Quod de pulchritudine orationis dictum est, id quoque valet de venustate et ornatu. Nullum vocabulum per se venustum vel ornatum dici potest. Venustas et ornatus ad universum pertinet contextum. Recte igitur *venuste ornateque dicere ac scribere* potest dici. Et sic Cicero.

SECT. IIII

Cavendae sunt fictae quaedam elegantiae.

Quam in rem ante omnia fugiamus fictas vel non satis definitas *pulchritudines*, quae sub nomine fallaci, ambiguo et obscuro, *elegantiarum, verborum pulchrorum* et, ut loquuntur, *ornatorum* vel *syntaxeos ornatae* vulgo circumferuntur, ac fere in verbis et quodam horum ordine et conjunctione, sine respectu idearum, ponuntur. Sunt duplicis plerumque generis: aliae plane nullae sunt, aliae quadam ratione, non simpliciter ac per se, pulchritudini orationis serviunt. En indicem talium elegantiarum!

1) Dicunt, in vocabulis *aureae aetatis* magnam *elegantiam ponendam* esse. — Male. Vocabula per se nec pulchra sunt, nec aliquid pulchritudinis elegantiaeque efficere queunt, ut sect. praeced. monuimus. Et interdum vocabula recentiora sunt aptiora, v. c. Landgravius, Archi-Mareschallus etc.

2) Dicunt, *elegantius* esse phrasin pro verbo simplici ponere: v. c. *amore teneri* pro *amare*: *in amplexum alicujus ruere* pro *amplecti*: *ira inflammatum esse* pro *irasci*. — Male: nec ubique phrasis orationi pulchritudinem conciliat. Nam a) simplex saepe verbum, modo recte exprimat ideam, quam exprimi volumus, aeque aptum est: b) imo simplex vocabulum saepe aptius est, quam phrasis, si ideam simpliciter ac sine idea secundaria exprimere cupis. Ac cum vel nulla

vel ſaltem pauciſſima ſint ſynonyma, quae prorſus inter ſe commutari queant, ſaepe in periculo ſumus, ne phraſi quadam plus dicamus, quam dicere cupiamus: v. c. *amore teneri* eſt plus quam *amare:* includit enim ſimul *firmitatem* quandam; *ruere in amplexum alicujus* longe plus eſt quam *amplecti:* quod facile ſentitur, ſi ad verbum vertitur *in jemandes Arme* oder *Umarmung ſich ſtürzen*, *rennen*, quod ardentem cupiditatem indicat; *inflammatum eſſe ira*, *von Zorn entbrannt ſeyn*, aperte plus dicit quam *iraſci.* Iam, ſi elegantia cernitur in apte dicendo i. e. tantum, quantum debebat dici: apparet, ejusmodi phraſes valde inelegantes ſaepe eſſe. Quis v. c. dixerit: *matres ſaepe ſolent in amplexum infantium ſuorum ruere* pro *amplecti:* vel *ſcripſit ei pater paulum ira inflammatus* pro *paulo iratior?*

3) *Rarius vocabulum*, *rariorem phraſin*, male pro *elegantia* habent, v. c. *duntaxat* pro *tantummodo*, *ſaltem*: *colophonem addere* pro *finem imponere*, *finire*, *perficere: infitias ire* pro *negare: inpraeſentiarum*, pro *nunc* cet. Venit hic guſtus, haec rariorum vocabulorum cupiditas, ex eo, quod adoleſcentes ipſi non vocabula hauriunt e priſcis, iisque bene intellectis, ſed e Lexicis ſuis vulgaribus. — Male. Imo, quo crebrius vocabulum occurrit apud priſcos, eo certius eſt, hoc iis pulchrius ſ. aptius alio viſum eſſe; et quo rarius eſt, eo magis credibile eſt, hoc iis excidiſſe; ut taceam, vocabulis ſaepius occurrentibus magis nos perſpicuitati conſulere, quam raris: illa enim omnes intelligunt, haec pauci. Pertinet huc quodam modo formula *ut quisque* cum ſuperlativo, ſeq. *ita*, pro *quo quis* etc. v. c. *ut quisque eſt doctiſſimus*, *ita ſolet eſſe modeſtiſſimus:* hoc permulti putant *pulchrius* (ſic explico illorum *elegantius*) dici, quam *quo quis eſt doctior*, *eo ſolet eſſe modeſtior:* v. c. *Heineccius* Fundam. ſtili cult. I, 1. 22. *** 2 p. 78 ita ait: *quo*, *eo*, vel *quanto*, ſi occurrunt, *eleganter* mutari poterunt ita, ut in priore commate *ut quisque*, in poſteriore *ita*, ponatur. — Male. Quomodo elegantia hic eſſe major poſſit? nam ſive dicas *quo quis* etc. ſeu *ut quisque* etc. nonne easdem plane ideas cum vocabulis conjungis? nonne eundem plane ſenſum? Iam, quae formula non pulchriorem ſenſum fundit quam alia, non hac poteſt eſſe pulchrior. Haud dubie Heineccio et aliis propter duas cauſas illa forma dicendi viſa eſt pulchrior et elegantior, tum, quia a vernaculae linguae ratione magis recedit, quam altera, tum, quia non tam frequenter in priſcis legitur, quam altera *quo quis* etc., quamquam et illa non nimis raro ibi occurrit. Multis, quod valde exquiſitum longeque petitum

eſt,

eſt, nec ſtatim intelligitur, id *elegans* videtur. Miror autem, Geſnerum, virum pulchritudinis verae peritiſſimum, in notis ad libellum Heineccianum nil contra ibi monuiſſe. Miror, Erneſtium, virum ſummum, quem equidem certo ſcio omnem pulchritudinem ponere in ideis ac notionibus, non in verbis, tamen de eadem illa formula vocabulo vulgari et indefinito *eleganter* uſum eſſe. Neque enim eam tantum in *Initiis rhetor.* §. 305 ad *elegantiam* refert, ſed in *Clave Cic.* voc. *ut* ait: *eleganter dicitur etiam cum ſuperlativo, ſequente ita*, Cic. Offic. I, 5 *ut quisque maxime perſpicit — ita ſapientiſſimus haberi ſolet.* Dicere debebat *recte, ſine vitio.* At aeque recte dicitur *quo quis* etc.

4) Nec rarior vocabuli ſignificatio ullam pulchritudinem et elegantiam per ſe afferre poteſt: quia vocabulum, non quatenus difficilior eſt eius notio (imo hoc eſt contra perſpicuitatem et ſuavitatem), ſed quoad pulchram ſuavemque ideam continet, orationem ornat. Dicunt v. c. *gaudere* eleganter dici pro *habere*, ut *homo gaudet mente* pro *habet mentem* ſ. *mente praeditus eſt.* — Male. Imo timendum eſt, ne lector, niſi contextus aperte doceat cogatque aliter judicare, τὸ *gaudere* per *laetari* interdum explicet. Sic *uti* elegantius dici putant pro *habere*, quia haec vis non tam vulgaris. V. c. Rollinus *in der Anweiſung, die freyen Künſte* etc. p. 538. — Male. *Utor* tum non elegantius eſt, quam *habeo, eſt mihi* etc. tum non ſimpliciter eſt *habeo*, ſed includit ſimul *uſum rei* proprie: v. c. non dixerim de coeco erudito: *utitur quidem multis libris, ſed legere eos non poteſt;* nec de avaro: *utitur magnis theſauris* pro *habet.* Quis enim me intelligat? At *uti magiſtro, uti parentibus bonis* etc., recte dicere poſſis: hos enim non tantum *habeo*, ſed etiam iis *utor* h. e. *utilitatem inde percipio.* Hinc apparet, quanti interſit primam vocabulorum vim noſſe, quae vulgo, tanquam res nugatoria, negligitur, et ſine qua tamen omnis cognitio vocabulorum et omnis eorum uſus incertus ac plerumque falſus eſt. Huc pertinet *ita*, h. e. *hac conditione, propterea*, quo in uſu elegantiam ineſſe dicit Erneſti Init. rhet. §. 306; it. *ipſe* pro *ſponte*, ut nos dicimus *er wird ſchon ſelbſt wieder kommen*, i. e. *von freyen Stücken*, in quo nemo noſtrum aliquid elegantiae ſentit; it. *ipſe* pro *totus*, v. c. *tres ipſos dies ibi fui*, h. e. *tres totos dies*, *gerade drey Tage.* Non ineſt hoc uſu elegantia et pulchritudo, quia pulchritudo idearum non illo adjuvatur vel augetur. Unum exemplum addam adhuc, quod doceat, rariorem ſignificationem verbi a nonnullis pro elegantia haberi. *Heineccius* Fundam.

 ſtili

stili I, 1. 16. 8 *) p. 52 ait: *Aliquando* versari *idem est ac* circumagi, agi. *Et haec est elegans locutio.* — Mire. Imo est propria significatio a *verto*, rarius quidem occurrens, at propterea nil elegantiae continens. Sic Horat. 1 Sat. 5, 72 active dixit *versare turdos*, scil. assandos, ad ignem.

5) Nec ordo verborum pro libidine trajectus, vel potius distractus et discerptus, pulchritudinem efficere potest: ut nonnulli videntur credere, v. c. *Heineccius* ibid. §. XIX, 1 ff. p. 58 ff. ait a) *vocativum non ab initio statim, sed plerumque* (quando vero?) *post aliquot verba, poni solere.* — Male et valde indefinite. Nam saepissime vocativus quoque ab initio reperitur in multis locis Ciceronianis. Interdum enim nil refert, utrum ab initio an post aliquot verba ponas, ut in nostra lingua: interdum vero gravitas orationis h. e. affectus postulat, ut modo vocativum praeponas, v. c. apud Terent. Andr. I, 5, 47 *O Mysis, Mysis, etiam nunc mihi* etc.; modo aliis vocabulis gravioribus ac propterea praeponendis postponas. b) deinde ait n. II, *casus obliquos, si id sensus orationis ferat* (quid hoc sibi vult?) eleganter *nominativo praemitti.* — Male et obscure. Debebat dicere, casus obliquos, ut omnes, si gravitas rei in istis casibus latens ita ferat, ceteris vocabulis praeponi debere. Et hoc valet de omnibus ejusmodi regulis Heineccii, v. c. n. VII de *participio a verbo substantivo sejungendo:* ubi ait, *pereleganter* hoc fieri, et laudat Cic. ad Q. Fr. I, 1 *Non dubitabam, quin hanc epistolam multi nuntii famaque denique ipsa esset sua celeritate superatura.* Addit: *rescribe* superatura esset, *et multum peribit elegantiae.* — Miror, Heineccium tam certo confirmare velle. Ego, cui omnis elegantia in ideis est, in alia omnia eo: ac, si quam hujus sejunctionis caussam dare licet, in *perspicuitate* quaero, quae sejunctione ista adjuvatur. Nam, si Cicero dixisset: — *famaque ipsa sua celeritate superatura esset*, lector non satis attentus poterat forsan τὸ *sua* referre ad *fama* vel τὸ *ipsa* ad *sua celeritate.* Quantopere vero Cicero in eo laboraverit, ut nil poneret, quod vel speciem ambiguitatis minimae habere posset, quamque studiose perspicuitati, primariae utique virtuti eloquentiae, consuluerit, infra innumeris exemplis docebitur. c) porro n. VIII est ei haec sejunctio elegans ap. Cic. Fin. II, 16 *Quae est ista laus, quae possit e macello peti?* pro *peti possit:* et haec in Off. II, 20 *sed cum in beneficiis collocandis aut mores spectari aut fortuna soleat* pro *spectari soleat.* — Ego nil elegantiae video: ac centies, imo millies, ista sejunctio non reperietur. d) deinde n. VIIII ait, *comparativos et superlativos elegan-*

elegantissime periodum claudere. — At hoc non fit semper; ac, si causam afferre licet, est forsan numerosior clausula, quia longioribus vocabulis constant comparativi et superlativi, praesertim in casibus obliquis: de qua re infra dicetur. e) quod praeterea n. X dicit, casus obliquos vocabuli *nemo* eleganter locum postremum occupare, hoc non ubique verum est. Interdum praeponitur, interdum postponitur: hinc sequitur, liberum hoc olim fuisse, nec alterutrum pro certa regula habendum. Quod denique f) n. XIII ait: *Inter adjectivum et substantivum aliquid interponere solere Latinos, jam pueris notum est.* — Recte: *pueris* scilicet *male institutis* et verborum pro libidine trajectioni et discerptioni assuetis. Quam mire, ne dicam pueriliter, loquitur Heineccius: *Latinos aliquid interponere solere!* Quid enim est illud *aliquid?* An omne, quod vis? Sic videtur. Male. Dicere debebat, *aliquid, quod arcte cohaereat cum his duobus nominibus*; qua re perspicuitas adjuvetur: v. c. *meus in te animus* etc.: hic quisque sentit, *in te* ad *meus animus*, nec ad aliud verbum, referri debere. Exemplum e Nepot. Alc. 9 *Quem quidem adeo sua cepit humanitate*, non huc pertinet: nam aeque bene Nepos dixisset *sua humanitate cepit*, et centies hic ordo alibi occurret. Quod autem Heineccius addit: *At si dixeris:* adeo sua quidem quem humanitate cepit: *nulla amplius erit orationis venustas*; recte quidem ait: at quis tiro tam petulanter discerpet ordinem? quis τὸ *quem* ita rejiciet, eique τὸ *quidem* praeponet? Hoc est ludere. Omnis ordo verborum, si quid pulchritudinis afferre vult, debet orationem pulchriorem reddere, h. e. vel magis perspicuam vel suaviorem vel graviorem. Sed hoc omne pendet a contextu et a re. Idem ordo verborum alibi pulcher, alibi stultus et affectatus, esse potest. Dicetur infra de hoc ordine. Heineccium vero non satis ordinis verborum naturam intellexisse, patet e regula ipsius hac, n. XI proposita: *Adjectiva substantivis sive praeponas sive postponas, perinde est. Pronomina tamen possessiva* meus, tuus, suus, noster, vester *substantivis suis* saepissime *postponuntur.* Quod Ernesti, vir summus, in Init. rhet. §. 301 ait: *In adjectivis elegans est, cum a substantivis divelluntur,* v. c. hoc est ad fructum uberrimum *pro* hic est fructus uberrimus etc., equidem non satis intelligo. Aeque elegans certe est: *hoc efficit fructum uberrimum:* id enim significat proprie ista formula, non, *hic est fructus uberrimus;* est enim proprie dictum pro *hoc est uberrimum, quod ad fructum attinet.* At, cum Cicero ita loqui mallet, cogebatur

uberrimum τοῖς *ad fructum* postponere. Nam *fructus* s. *fruges* prius cogitantur, quam *ubertas*, et haec demum ex illis apparet. Qua de re infra suo loco.

6) Nec *commutatio partium orationis*, si fit temere et sine respectu idearum, aliquid pulchritudinis afferre potest. V. c.

a) *eleganter mutari adjectivum in substantivum et hoc in illud*, dicit Heinecc. §. XXII ** 3 p. 74, sed non addit quando vel ubi haec commutatio locum habeat. Neque enim ubique fieri licet; sed tantum, si adjectivi in primis ratio habetur, h. e. si causa vel simile quid in eo latet: v. c. *Nemo Herculis fortitudini resistere potuit* pro *Herculi forti:* hic enim τὸ *resistere* magis ad fortitudinem quam ad Herculem ipsum pertinet; estque haec forma dicendi perspicuitati valde utilis. At non dicere possum v. c. *coximus bonitatem panis*, *emi ferrum clavorum*, *locutus sum heri cum doctrina et fortitudine viri* etc. pro *bonum panem, ferreos clavos, cum docto et forti viro.*

b) dicunt, *eleganter substantivum in participium mutari.* Sic etiam Ernesti Init. rhet. §. 306, qui v. c. ait *re diligentius consideranda* elegantius dici quam *rei diligentiori consideratione;* sic *patre mortuo audiebamus* pro *post patris mortem*; *iter faciens per Europam venit* etc. pro *in itinere suo per Europam* etc. — Recte haec dicuntur, at non *elegantius* h. e. *pulchrius*, quia ideae non pulchriores redduntur ista forma. Recte vero agere mihi videor, quando τὸ *eleganter* de vocabulis et omnino de latinitate vulgo usurpatum per *pulchre* explico: nam vix aliud quid cogitant in eo. Nam, si per *eleganter* intelligerent *recte*, *sine vitio*, longe alias formulas dicendi easque faciliores afferrent. Sed cur certas tantum eligunt, quas eleganter vel elegantius dici putant? Cur has paucas tantum cognomine elegantiae dignas judicant? nonne videntur hoc nomine plus quam *rectum* intelligere?

c) dicunt, *eleganter* mutari *verbum* in *participium:* omninoque participiorum usum pro magna *elegantia* haberi a multis video; v. c. Heinecc. ibid. n. 6 (1) p. 75, ubi nil Gesnerus monet. — At, nulla re nisi brevitate participia se commendare, infra dicetur.

d) dicunt, *eleganter gerundium* in *participium* mutari. Sic Heineccius ibid. n. 7 p. 77, v. c. *cupidus sum virtutis amandae* pro *virtutem amandi.* — At prius tantum longe frequentius occurrit apud veteres quam posterius: nec priori

priori tamen pulchriores ideae continentur quam posteriori. Ergo non *elegantius*, sed tantum *usitatius*, vocari illud debebat. Miror, Gesnerum nil ibi monere atque adeo ipsum hoc addere: *Quod de gerundiis hic monetur, valet etiam de supino priori, v. c.* venit salutatum amicos *aut* salutandi amicos gratia *elegantius ita extuleris:* venit salutaturus amicos; salutandorum amicorum causa; ad salutandos amicos. Dicere debebat *usitatius*. Occurrit enim ista dicendi ratio frequentius apud priscos: at propterea non pulchrior est.

e) dicunt, *eleganter* mutari *futurum infinitivi* in *fore, ut.* Sic loquitur Heineccius §. XX n. 6 p. 68; v. c. *Spero fore, ut is in gratiam tecum redeat*, pro *eum in gratiam tecum rediturum*; *spero fore, ut pater veniat* pro *patrem esse venturum.* — Male. Altera dictio non est pulchrior altera, quia ideae non pulchriores redduntur. Ista forma *fore ut* videtur inventa in verbis carentibus supino atque ita futuro infinitivi, v. c. *spero fore, ut multa discam* etc.; deinde in aliis quoque, quae futurum infinitivi haberent, adhibita, vel ad injucundam repetitionem literae *u* evitandam, v. c. in *constituturum* etc., vel propter variationem, semper suavem, v. c. modo *spero patrem venturum*, modo *fore ut pater veniat*, vel ad periodos felicius struendas remque gravem paulo copiosius exprimendam.

f) *nomen eleganter* Heineccius ait §. XXII ** 4 p. 74 mutari in *verbum*, v. c. pro: *Omnibus par et plerisque melior* putat Nepotem elegantius dicere: *Antefertur huic nemo, pauci pares putantur.* — At 1) sententia non ita fit pulchrior, nisi oppositio (*nemo* et *pauci*) aliquid pulchritudinis afferat: 2) sententia adeo mutatur ipsa: neque enim eadem sunt: *Est omnibus par et plerisque melior* et *Antefertur huic nemo, pauci pares putantur.* Aliud est *parem esse*, aliud *parem putari.* Saepe aliquis potest *esse multis par et plerisque melior*, nec tamen propterea semper ei contingit, ut omnibus anteferatur, et ut nemo ei par putetur. Cogitemus magnos illos viros antiquis temporibus: an his semper justus honor est habitus? Cavendum est, ne, dum verba tantum mutari volumus, ipsam sententiam mutemus et inferiorem reddamus vel corrumpamus; id quod plerumque fit a vulgaribus *elegantiae* aucupibus.

g) sic dicunt, *dico* sequente *non* eleganter in *nego* mutari, v. c. *negavi, me esse facturum* pro *dixi, me non facturum*

 esse

esse (Heinecc. ibid. *** 4 p. 79). — At idea non sit ita pulchrior, sed tantum brevitati consulitur, atque propterea ille usus commendandus est. Quod enim fieri potest per pauca, non debet fieri per plura.

h) *eleganter* mutari ait Heinecc. ibid. n. 6 p. 79 *quidam* in *nescio quis*. — Nil pulchritudinis inesse video: quia eandem notionem continet utrumque. Per utrumque *homo ignobilis* s. *obscurus*, quem nominare non possumus vel nolumus, indicatur. Ergo dicere debebat, istam permutationem variationis causa fieri posse. — At ne potest quidem ubique *quidam* in *nescio quis* mutari: nam *quidam* non semper de homine vel re *ignobili* dicitur, v. c. Cic. Rosc. Am. 23 in. *Non ita multis ante annis ajunt, T. Cloelium quendam, Tarracinensem, hominem non obscurum, — inventum esse mane jugulatum*: *quidam* exprimit nostrum *ein gewisser*.

7) *Elegantiam* ajunt adjuvari *adjectione alius vocabuli.* — Recte, si idearum pulchritudo, h. e. perspicuitas, suavitas, vel gravitas adjuvatur: minime vero *adjectione* universa, qualem vulgares magistri et libri crepant, summatim breviterque praecipientes: *eleganter hoc vel illud vocabulum adjicitur.* Nihil adjici debet, quod non ornet orationem, h. e. vel magis perspicuam vel suaviorem vel graviorem reddat. Vocabula sunt ideae: quas quis temere ubique addat? Exempla subjiciemus:

a) *eleganter* addi dicit Heinecc. §. XX n. 3 p. 67 superlativis *quam*, *longe*, *multo*, v. c. *quam doctissimus*, *longe optimus* etc. — Quis adolescens inde haud credat, hanc adjectionem ubique locum habere debere? quis enim non ubique *eleganter* scribere cupit? Non enim definitur, quando vel ubi? Nec Gesnerus quidquam contra monet. — At non *eleganter* illa vocabula adduntur, sed augendi causa, et ad rem magis tollendam. Nam *quam doctissimus*, *longe optimus*, plus valent quam simplex *doctissimus et optimus*. *Quam doctissimus* est *recht sehr gelehrt*, *longe* s. *quam optimus recht sehr gut*; — at *doctissimus sehr gelehrt*, *optimus sehr gut*. Vulgaris discendi ratio *der gelehrteste*, *der beste*, forsan hunc et sequentem errorem peperit. Nam, si quis est der gelehrteste, ejus doctrina non patitur incrementum.

b) ibid. n. 4 ait, *eleganter* superlativis addi *quisque*. — Pessime: nec Gesnerus quidquam refutandi causa addit.

Quis-

Quisque non additur *eleganter* h. e. *temere* (nam sic fere explicandum est), sed *necessario.* Haec adjectio efficit demum enuntiationem universalem, quae antea non erat vel esse non videbatur; v. c. *optimus laudis studio ducitur* est proprie *homo valde bonus laudis* etc., hic de *uno homine* sermo est vel esse videtur: — at *optimus quisque laudis studio ducitur* est *omnes valde boni ducuntur* etc., hic aperte de *omnibus valde bonis* sermo est. Sic *laudat optima* et *laudat optima quaeque* valde diversa sunt: illud est *laudat res valde bonas*, *sehr gute Sachen*, non tamen omnes: — at *laudat optima quaeque* est *laudat omnia*, *quae sunt optima* s. *non nisi optima*, s. *omnes res valde bonas.*

c) Heineccius ibid. n. 5 ait, comparativis quoque *non sine elegantia* addi ablativos *justo*, *solito*, *dicto*, *spe*, *opinione*, v. c. *justo attentior*, *solito tristior*, *dicto citius*, *spe celerius* etc. — At *eleganter?* quid hoc est? Imo adduntur isti ablativi, ubi sensus requirit: non enim frustra, h. e. ad pompam inanem (hoc forsan est multis *τὸ eleganter*), adsunt. Longe aliud est *attentior* quam *justo attentior*, *tristior* quam *solito tristior*, *citius* quam *dicto citius*. Nempe *justo attentior* est *attentior quam justum est; solito tristior* est *tristior quam solebat* s. *antea*, *trauriger als sonst*; *dicto citius* est *citius quam dictum erat; spe* vel *opinione celerius* est *celerius quam nos sperabamus*, *opinabamur.* Augent itaque hae adjectiones, ut necesse est.

d) Heineccius n. 7 p. 68 ait: *elegantiam eandem* (scil. quam *fore ut* pro infin. fut.) *prae se ferunt formulae* accidit, fit, factum est, futurum est, *quae verbis additae eventum vel consequentiam indicant.* --- Recte: elegans hoc est et ad perspicuitatem pertinet, at non ubique, sed ubi contextus ac sententia postulat, v. c. *accidit*, *ut rex moreretur*, non est simpliciter *rex mortuus est*, sed indicat simul, mortem ejus neminem opinatum esse, et eam praeter opinionem et cum tristitia civium accidisse. Non itaque *accidit* (it. *contingit*) nisi de rebus *fortuitis*, *incertis*, *inopinatis* dici debet: non de rebus physicis et manifeste certis, v. c. Quis dicat: *Pater mortuus est: hinc accidet, ut sepeliatur* pro *hinc sepelietur?* vel *accidit, fit, ut deus sit justus, ut virtus sit praeclara?* Quod dicere stultum foret.

e) Heinecc. n. 8 p. 69 ait, *quid* et *cur* eleganter augeri (vel potius mutari) formula veteribus frequentissima, e. c. *quid est*, *quod*, v. c. *quid est*, *quod delectare nos*

possit? pro *quid delectare nos possit?* sic *quid est*, *quod hoc rejicias?* pro *cur hoc rejicias?* --- Est *elegantia*, at tum tantum, ubi ob affectum interrogatio vehementior ac fortior reddi debet, vel ob rei gravitatem. Non igitur ubique usurpari potest *quid est quod* pro *quid* vel *cur*. V. c. quando simpliciter ac leni animo ab aliquo quaero, *cur pater non venerit*, vel *quid pater agat:* dixerim *cur pater non venit? quid agit?* Sic *quid agis?* nam, *quid est*, *quod agas?* foret: *was ist denn das*, *was du machst?* et *quid est*, *quod* (seu *cur*) *pater non venerit?* est proprie *was ist denn die Ursache*, *weswegen der Vater nicht gekommen ist?* Nonne hoc est gravius dictum? *quod* in posteriori est *propter quod*. Ac vel hinc patet, hominem commotum copiose loqui, at, qui de re levi ac tralaticia loquatur, eum breviter loqui. Hoc natura rei postulat.

f) *quodsi* pro *si* eleganter poni putant; v. c. *quodsi ea*, *quae dixisti*, *vera sunt* etc. --- At non ubique, ut ex Heineccii his brevibus verbis: *Conjunctionibus* si *et* nisi *saepe praemittitur* quod, colligere possis, n. 10; sed si praecedat aliquid, quo τὸ *quod* referatur. Nam 1) *quodsi* tantum ab initio periodi ponitur, sed ita, ut 2) alia periodus jam praecesserit: debet enim illud *quod* respicere praecedentia. *Quod* enim hic forsan est i. q. *quod attinet ad hoc*, *quoad hoc*, *qua in re* etc. Eodem vero modo *quod nisi*, et interdum etiam *quod utinam*, *quod ubi*, apud priscos reperitur, v. c. Quod nisi *hanc rem adhuc satis intelligimus* etc.

g) sic Heinecc. ibid. n. 11 ait, *id quod* pro *quod*, et *ut ne* pro *ne*, eleganter dici. --- At 1) τὸ *id* forsan magis negligenter quam eleganter a priscis adjectum est, videturque particula sermonis plebeji esse: nisi forte dicamus, eam perspicuitati servire quodam modo posse, quia arctius cum praecedente enuntiatione cohaereat: *quod* enim et *id quod*, quae alibi quoque permutantur, hactenus differre proprie videntur, ut simplex *quod* possit et ad unum vocabulum praecedens generis neutrius referri et ad omnia praecedentia: *id quod* tantum ad *praecedentia omnia simul* s. *ad totam praecedentem enuntiationem*: *hactenus*, i. e. *propter perspicuitatem*, possit elegantiae servire: 2) *ut ne* saepissime occurrit pro *ut non*, vid. exempla infra, P. I c. 9 Sect. IV n. 9, quibus add. Cic. Fin. II, 8: Q. Frat. III, 2 extr.; ut omnino *ne* saepissime pro *non* usurpatur, vid. Lexicon majus a me nuper editum. Cur vero *ut ne* elegantius sit quam *ut non*, scire velim.

Neque

Neque enim quisquam adhuc caussam attulit. Imo utrumque aeque bonum est.

h) Heinecc. ibid. n. 12 *isque* (*et is*, *idemque*) *eleganter* dicit *redundare emphaseos* causa. — Quid aliud est repugnantia loqui? Nam si *emphaseos causa*, quomodo *redundat?* ac si *redundat*, nulla inest *emphasis*. Sed sic loquuntur, qui rem non intelligunt ac tamen de ea loqui cupiunt. At non redundat, sed explicat rem propius ac definit certius: est enim *appositio*, ut in grammaticis dici solet, cum quadam gravitate: nec ponitur fere, nisi ubi vernacule dicimus *und zwar*, *und noch dazu*, v. c. *habeo multos libros eosque pulchros*: nam in primis inter duo adjectiva s. praedicata interseritur ita, ut gravius sit posterius: sic *Pansa*, *isque Consul*, *non erubuit declamare*, rectum est, si ita vertis: *Pansa hat sich sogar als Consul nicht der Redübung geschämt*, s. *Pansa*, *der doch Consul war*, *hat sich nicht geschämt.* Hic *isque* rectum est, quia Consul consideratur ut persona major, quam quae declamando adhuc vacare debeat. Male vero dicas: *Pansa*, *isque Consul*, *exercitui praefuit* pro *Pansa consul* etc. Ergo non ubique istud *isque* allinere licet. V. c. Quis pro: *habeo tres filios*, dicat *habeo filios*, *eosque tres?* At si quis v. c. dubitet, an filios omnino habeam, ei possim dicere: *Erras*; habeo *utique filios*, *eosque tres* i. e. *und zwar drey*.

i) Heineccius n. 14 p. 70 dicit, *interrogationibus eleganter* addi *quaeso*, *obsecro*, *amabo*, aut, si ex ira procedant, *malum*. — Recte, si sensus fert. V. c. *Num*, *quaeso*, *credibile est* etc.? *Quid*, *quaeso*, *pulchrius* etc.? *Quid*, *malum*, *me sequere? Quid*, *obsecro*, *agis?* Per se patet, ista non nisi ex affectu, atque ita graviter, dici: v. c. *Quid*, *quaeso*, *pulchrius* etc. est graviter dictum. Deinde *quaeso*, *obsecro*, *amabo* sunt proprie verba, non particulae; hinc, quando iis uti conveniat, sponte intelligetur. *Quaeso* et *obsecro* est i. q. *rogo;* et *amabo* it. *amabo te*, nam *te* interdum additur, est proprie *ich will dich auch dafür lieb haben*, *sey also so gütig:* deinde omnino est i. q. *rogo*, hinc *ut* post *amabo te* quoque ponitur, vid. Lexicon nostrum majus nuper editum. Istae igitur tres formulae, *quaeso*, *obsecro*, *amabo* vel *amabo te* proprie notant *rogo;* deinde sunt formulae familiares pro *audi*, *audisne?* ut nostri: *höre*, *gib mir einmal das Buch:* vel *gib mir einmal das Buch*, *hörst du?* vel *höre*, *sey so gut* etc., quae verti possunt, *da*, *quaeso*, *librum*; *da*, *obsecro*, *librum; amabo*

bo (te) *des mihi librum.* Apponam locum Cic. ad Div. XV, 17 extr. *et amabo te, cum dabis posthac aliquid domum literarum, mei memineris* h. e. *ich bitte dich, denk ja an mich, wenn du nach Hause schreibest,* vel: *und denk ja an mich, wenn du nach Hause schreibest, ich will dich auch recht lieb haben.* Qui haec verba volunt esse interjectiones inanes et tantum, more pedisequarum, ad pompam verborum solennius celebrandam adesse, ii nullius linguae genium callent. In nulla enim lingua vocabula otiosa sunt: exprimunt enim ideas: quas quis otiose ponat?

k) *eleganter* addi dicunt verbum verbo, v. c. *rana rupto jacuit corpore* pro *rana rupta est: telo percussus cecidit* pro *percussus est.* — Recte haec dicuntur, at nec ubique nec per se, sed quando gravitas rei postulat, ut res sensibus exponatur, ac simul exitus sensim indicetur. Per se vero patet, duo verba idem notantia jungi non posse; quando igitur Caes. B. Civ. I, 65 ait: *Quos ubi Afranius procul visos conspexit* etc. non *visos conspexit* pro simplici *vidit* accipiendum, multo minus cum Heineccio, venditore elegantiarum monstroso, pro elegantia habendum, sed vel *procul visos* explicandum *ab aliis visos*, vel, quia hoc tamen coactum est, resque ipsa abesse poterat, potius dicendum est, vitiose illud dictum ac forsan vitium in *visos* latere; ac profecto, si *visos* abesset, oratio facilior et planior foret. Longe aliter se habet cum Nep. praef. *cum relatum legerint: referre* est historici, *legere* lectoris. Ergo positum est pro *cum apud historicos legerint.* Hic nil vitii, nil otiosum, est. Potest et *relatum* explicari per *relationem, narrationem.* Res eodem redit.

l) *substantivum dicunt substantivo eleganter addi.* — Recte, modo hoc substantivum ne frustra addatur, sed notionem secundariam, h. e. qua substantivum primarium accuratius definiatur, contineat: v. c. *offendere animum patris* pro *offendere patrem: vulnerare corpus hostis* pro *hostem.* At non ubique addere quidlibet licet, v. c. *inveni pennae longitudinem* i. e. *pennam*, quod stultum foret. Ergo judicio opus est. De hac re infra accuratius dicetur.

8) Omissione quoque elegantiam dicunt adjuvari. V. c.

a) *ut* omittitur saepe post *velim, rogo,* v. c. *rogo venias, velim facias, fac venias* etc. — At 1) saepe etiam *ut* post

volo,

volo, *rogo*, reperitur. Ergo prisci non magnam pulchritudinem inesse ista omissione crediderint necesse est, quia alioquin ubique omisissent: 2) omissio talis particulae nil pulchritudinis habere potest: neque enim sententiam reddit pulchriorem, h. e. dilucidiorem, suaviorem, graviorem. Usus loquendi ita ferebat. Debebant potius in universum sic dicere: *Prisci interdum τὸ* ut *omittunt*; nec statim addere: *eleganter*. Nam per hoc vocabulum intelligit tiro aliquid praecipui ac pulchri. Ceterum ista forma est similis nostrae: *Ich bitte dich*, *komm doch*, *ich wöllte du machtest*, *mach und komm*. Quis hic de elegantia somniat? sed, quod in una lingua elegans est, id in altera aeque elegans credi debet. Sic et *cave scribas* pro *cave ne scribas*.

b) *si quis*, *si cujus*, *si cui*, *si quando*, *sicubi* eleganter dici putant pro *si aliquis*, *alicujus*, *aliquando*, *alicubi*. — Non *elegantius*, sed *usitatius*: ac sic loqui debent, qui de tali re loquuntur. Nam saepe quoque *si aliquis*, *si aliquando* etc. occurrit apud priscos, sed longe saepius *si quis*, *si quando*; ac propterea hoc praeferendum, quia videtur priscis visum esse usitatius quam illud. Proprie *si quis*, *si quid*, etc. falsum est: nam simile foret nostro *wenn was geschehen ist*, *wenn ich was hören sollte*, *ich habe was* pro *etwas*; quis *was* pro majori elegantia habeat quam *etwas?* nam et nos omittere solemus per negligentiam: nisi usus dicendi, tyrannus ille ferreus, peccata etiam inter virtutes numerare gauderet. Sic nonnulli *non modo*, *sed ne-quidem*, quod proprie falsum, sed ob usum priscorum crebriorem tolerandum est, *eleganter* dici arbitrantur.

c) *elegantius* dicunt *aliquis*, *aliquid*, *aliqui* ante *relativum pronomen* omitti: v. c. *Est, qui dicat*, int. *aliquis*, vel *homo*; *sunt*, qui *dicant*, int. *aliqui*, vel *homines*; *est*, *quod tibi dicam*, int. *aliquid*: *non est*, *quod fleas*, *gaudeas* pro *non est aliquid*, *propter quod fleas* etc.: sic prisci semper fere pro *non habes causam flendi*, *gaudendi* etc. — Non *elegantius* quidem dictum, quia idearum pulchritudo, h. e. perspicuitas, suavitas, et gravitas, non crescit: sed tantum *brevius*, ac propterea commendandum. Nam quod paucis effici potest, salva quidem sententia, id non pluribus fieri debet. Eodem modo omittitur *locus*, *tempus* interdum, vel omitti videtur: v. c. *habes*, *ubi ostendas tuam eruditionem*: *est*, *ubi libere loqui liceat*: *erat aliquando*, *cum mihi dicebat* etc.

9) Per-

9) Perperam etiam nonnulli id *elegans* esse dicunt, quod non nisi rectum est, vel interdum non aliter e linguae usu dici potest. V. c.

a) *semet ipse interfecit* pro *semet ipsum:* hoc prisci non dixerunt, nec dicere potuerunt; quia accurate loqui, h. e. veritatem sequi, voluerunt. Nam homo proprie *ipse interficit se*, *ipse est interfector sui:* quid opus fuisset ad *semet* addere adhuc *ipsum*, quod jam satis in *semet* latet. Sic rectius *sibimet* s. *sibi ipse repugnat*, quam *ipsi.* Hinc recte Cicero ad Div. I, ep. 1 in. *ceteris satisfacio omnibus*, *mihi ipse nunquam satisfacio*, ubi propter oppositionem volunt legere *ipsi.* At oppositio jam est in *ceteris omnibus* et *mihi.* Lingua vernacula nos, licet attentos, tamen interdum decipit, postponens τὸ *selbst*, et dicens, *ich selbst*, *mir selbst*, *mich selbst*, *sich selbst* etc. Librarii interdum quoque confundunt ista etc.

b) *accusativus cum infinitivo* post verba *sentiendi*, *intelligendi*, *judicandi*, *dicendi*, *significandi*, pro *quod* nonnullis videtur elegantius dictum. — Male. Prisci enim non fere aliter locuti sunt, v. c. *audio*, *fratrem venturum*; *scio*, *hoc certum esse* etc. Nec tamen pulchritudo idearum hac re adjuvatur. Est tantum *usitatum*, ergo *solum rectum*: sic dici debet.

c) *non modo*, *sed ne-quidem* pro *non modo non*, *sed* etc. *eleganter* dici dicunt. — Male. Prisci quidem non raro illud *non* posterius, per negligentiam haud dubie, omiserunt, licet proprie ponere debuerint: vid. cap. 10 de Brevit. Hinc nos, ad eorum exemplum, qualecunque est, nos accommodantes, itidem dicimus vel dicere possumus v. c. *Hic homo non modo scribere, sed ne legere quidem didicit. hat nicht nur nicht schreiben* etc. omisso altero *non.* Vides, lector, proprie *vitium* esse, quia profecto una negatio, eaque ad sensum necessaria, perit atque ita sententiam mancam proprie reddit: at usus loquendi etiam vitia saepe tolerat: an vero etiam vitia inter virtutes referre possit ac debeat, viderint ii, qui in imitando non coeci sunt. Et prisci ipsi interdum *non modo non*, *sed ne quidem* dixere, v. c. *Liv.* IIII, 35 med. it. *Cic.* Orat. 2 in. ubi Ernesti posterius *non* tolli cupit. Male. Ergo utrumque recte dicitur.

d) *creare consulem*, *praetorem*, *cooptare pontificem*, *legere senatorem*, *dicere dictatorem*, *capere Vestalem* etc. eleganter dici putant. — Aeque eleganter ac: *panem edere*, *vinum bibere* etc. *Creare* nihil aliud est quam *facere*, quod

pro

pro *eligere* saepe dicitur: *cooptare* est *legere, eligere*: *capere* est *sumere*, hinc *eligere*. Recte ergo *creare consules, praetores, cooptare pontificem* etc. At haec verba non tam proprie usurpantur, ut non alia aeque usurpentur: v. c. *consules dicere* (i. e. *ernennen*), *Liv.* XXIIII, 9 in. XXVII, 6 in. *facere consulem*, *Cic.* Agr. II, 1: *dictatorem creare* (pro quo alibi *dicere*), est sexies *Liv.* II, 18, VI, 6: *facere*, *Liv.* II, 21: *Cooptare tribunos* est ter *Liv.* III, 64: *senatorem*, *Cic.* Verr. II, 49: Dictator dicitur *cooptare magistrum equitum*, *Liv.* VI, 38: *Vestalem legere*, *Liv.* I, 3: *Cic.* Legg. II, 8 e Legg. XII Tab.: *Ovid.* Fast. II, 383: *arbitrum capere* i. e. *legere*, *Terent.* Heavt. III, 1, 94; sic *judicem*, *Plaut.* Most. III, 1, 20 et 21 it. 30, 31; sic *dicere tribunos militum*, *Liv.* V, 13.

e) *utrum* vel *ne* enclit. sequente *an*, (potest etiam *utrum* vel *ne* omitti) pro *an* seq. *an* vel *aut* putant nonnulli eleganter dici. — Non aliter fere prisci aureae aetatis dixere, v. c. *Nescio, utrum scribam an legam; nescio, scribamne an legam; nescio, scribam an legam.* His tribus tantum modis utuntur prisci. Male diceretur: *Nescio, utrum scribam aut* etc., vel *nescio an scribam an* etc., vel *nescio, an scribam aut* etc.; sic prisci non loquuntur. *Illud* non debemus vocare *elegans*, ne tirones *hoc* saltem *tolerari* posse putent.

f) *contra* s. *e contrario*, ut fere Nepos, *nusquam*, *commendare* pro *econtra, nullibi, recommendare* eleganter dici nonnulli putant. — At vix aliter prisci.

g) *tantum abest, ut*, sequ. *ut* eleganter dici volunt pro *loco ejus, quod* etc. s. *pro eo quod* etc. v. c. *Statt ihm zu helfen, stand er vielmehr seinen Feinden bey* vertendum: *tantum aberat, ut illi opem ferret, ut ejus hostes potius adjuvaret.* Perperam hic diceretur: *pro eo quod* vel *loco ejus quod* etc. vel *pro eo adjuvando* etc.

h) *isque, et is, idemque*, de quo supra, it. *idque* eleganter dici putant pro *et quidem*, v. c. *Cum multis, iisque sapientibus, viris de ista re collocutus sum:* — recte, non *cum multis, et quidem sapientibus*, etc. *Operam dat literis, idque Lipsiae:* — recte, non *et quidem Lipsiae*, cf. Cic. Off. I, 1 in. *Emit multos libros, idque parvo:* — recte, non *et quidem parvo.* Prisci tamen quoque *et quidem* sic usurpant, v. c. Cic. Div. II, 44. Ergo illud potius usitatius nominemus.

i) *sine ulla dubitatione* pro *sine omni dubitatione* elegantius dici opinantur. — Prius utique accuratius; hinc saepius ita prisci: et accuratius etiam in nostra lingua foret *ohne einigen Zweifel*, quam *ohne allen* etc. Qui attendit, sentiet,

sentiet, illud majorem certitudinem ac persuasionem animi indicare: *sine ulla dubitatione* declarat, ne minimam quidem dubitationem restare amplius. Nec tamen credendum est, priscos nunquam dixisse *sine omni:* imo ita dixere, v. c. *sine omni periculo, Terent.* And. II, 3, 17: *sine omni malitia,* Plaut. Bacch. V, 2, 13: *sine omni sapientia,* Cic. Or. II, 1 extr.: *omni sine labe,* Ovid. Trist. IIII, 8, 33.

k) *dignus* seq. *pronomine relativo elegantius* dici putant nonnulli, quam seq. *ut,* v. c. *dignus, qui ameris, ametur* etc.; *quem ames; cui des* etc. pro *ut ameris, ametur; ut eum ames, ut ei des.* — At semper post *dignus,* si *verbum* ponendum est, sequi debet *qui,* nunquam *ut:* nisi jam *qui* praecessit, ad hujus repetitionem vitandam: v. c. virtus, *quae, ut ametur, digna est* etc. dici solet pro *quae, quae ametur,* vel *quae digna est, quae ametur.* Injucunda foret talis repetitio, atque ita contra suavitatem, tertiam eloquentiae virtutem.

l) *ne* et *quidem* eleganter a se sejungi nonnulli ajunt. — At prisci semper fere sejungunt. Causam infra investigabimus. Conjuncta tamen haec duo verba reperiuntur Cic. Att. II, 16 extr. Hactenus de *ficta elegantia.*

SECT. V

Si vis eleganter scribere, debes vocabulorum habere delectum.

Sed, cum tota *ars bene latine scribendi* s. *stilus bene latinus* in eo cernatur, ut pulchre eleganterque cogitata aeque pulchre eleganterque, uno verbo apte, exprimas, h. e. ita, ut lector et auditor, penes quem omne judicium est, quoque sentiat, te pulchre cogitasse: apparet, duo, ut omnis eloquentiae, ita stili bene latini, studioso observanda esse. *Primum* debet *pulchre cogitare,* quae est res primaria, h. e. ex omnibus sententiis, argumentis, argumentationibus, exemplis, similibus etc. ea deligere, quae perspicuitatem ac simul suavitatem et gravitatem omnium optime et facillime adjuvent; ac simul, quod per se clarum est, spectare ut haec pulchre cogitata inter se ubique arctissime cohaereant. *Deinde* debet id summo studio agere, ut ista pulchre cogitata

ta pulchra aptaque veste induat; hinc rem quamque aptissimis verbis, aptissimaque eorum compositione ac structura, exprimat, atque ita efficiat, ut lectores et auditores istam cogitatorum pulchritudinem facile ac vere sentiant et fere oculis cernant: posterius hoc officium non minus difficile quam prius esse intelligens et expertus facile videt. Nam non per se necesse est, pulchre cogitata ubique pulchra appareant: nec cuique contingit statim, ut, quia pulchre cogitaverit, propterea hoc pulchre eloqui et exprimere possit. Nam in verbis male lectis vel male conjunctis saepe peccari potest, ac saepe fit, ut pulchre cogitata ab auditore et lectore non intelligantur, nedum sentiantur. Cum itaque profecto non parvi referat, quibus et qualibus verbis ad istam cogitatorum pulchritudinem feliciter exponendam et declarandam utaris, quia alia aliis aptiora esse per se intelligitur: videndum ante omnia est, ut scias *verborum delectum habere.* De hoc nunc dicemus: de conjunctione illorum et structura deinceps exponetur.

SECT. VI

Si vis delectum vocabulorum habere, debes magna illorum copia instructus esse.

Sed, ut delectus iste verborum haberi apte eleganterque possit, magna vocabulorum et phrasium copia, in primis ejusdem vel saltem cognatae similisque significationis (*synonyma* haec quoque a nonnullis appellantur), instructus esse debes, ut ex iis pro ratione contextus aptissima quaeque eligas, ac *modo* vocabula, quae aliquam ideam notionemque *simpliciter*, h. e. sine admistione notionis secundariae, indicent, v. c. *mori, mors, vitam cum morte commutare, vita, vivere, esse, irasci, amare, dicere* etc., *modo*, ubi opus est ob majorem vel suavitatem vel gravitatem, ea vocabula usurpes, quae praeter istam unam ideam simul notionem aliquam se-

cundariam contineant, v. c. *mortem oppetere* et *cadere*, in quibus inest simul idea *violentiae*, pro *mori*; *vitam trahere*, in quo est saepe notio simul *miseriae* cujusdam, pro *vivere; vita frui*, in quo est notio simul *suavitatis*, pro *vivere; succensere*, in quo est significatio *irae latentis*, pro *irasci; ira incensum* s. *inflammatum esse*, in quo est notio *vehementiae*, pro *irasci*; *amore teneri*, *duci*, ubi est notio quaedam *vehementiae* vel *firmitatis*, pro *amare*. Huc pertinent *stare*, *sedere*, *haerere* etc., quae indicant quandam *firmitatem*, v. c. *stat mihi sententia* non est simpliciter pro *est mihi sententia*, sed *est mihi sententia firma*; sic et *sedet sententia* etc.; sic *haerere in malis* plus est quam *esse in malis; versari* non est simpliciter *esse*, sed *aliquamdiu*, ac saepe *per longum temporis spatium*, *alicubi esse*. Hinc *versari in literis* notum est i. e. *occupari literis:* hinc *versari in urbe* non dici de eo potest, qui *per eam celeriter proficiscitur*, nec in illa *moratur:* hic tantum *fuit* in illa urbe, non ibi *versatus est*. Sed de omnibus nil certi definiri hic potest sine contextu. Interdum enim verbum simplex est rectius, quam longa phrasis: et verum utique est, nullum vocabulum tam bonum esse, quod non in contextu quodam sit ineptum; et nullum vocabulum tam vulgare esse, quod non in contextu quodam sit aptum. Omnia igitur a contextu pendent.

SECT. VII

In primis debes vocabula antea recte intelligere, quam eorum delectum apte habere recteque ipsis uti cupias.

Verum opus praesertim est vocabula recte intelligere h. e. scire, quae notiones iis vere a priscis subjectae fuerint. Nam, sine ista cognitione, quomodo delectum habere possis? Non tam magna hic difficultas est in vocabulis unius significationis, v. c. *pirum*, *cerasum* etc., etsi et hic interdum peccatur, quam in homonymis,

nymis, v. c. *consuetudo*, *auctoritas*, *copia*, *consilium*, *judicium* etc. Subjiciemus nonnulla vocabula, quae male vel non satis recte interdum intelliguntur et usurpantur.

Aetas est idem quod *anni vitae*, v. c. *homo id aetatis* i. e. *ein Mensch von den Iahren*; hinc aetas *puerilis*, *senilis* etc.

Ambitio non est *superbia*, qua captus homo alios prae se contemnit, sed studium *honoris*, omninoque *studium aliis quocunque modo placendi*: respondet nostro *Eitelkeit*, *Ehrliebe*, *Ehrgeiz*, *Ambition*.

Anima est quidem interdum *die Seele*, *animus*, sed longe crebrius *spiritus Athem*, et hinc *vita*; hinc *anima ei foetet*; et *animam ducere*, i. e. *spirare*.

Apparere non est *videri scheinen*, sed *cerni*, *in aprico esse*, *manifestum esse*. Male ergo dicitur *malum apparens*, *ein Scheinübel*, pro *malo opinato*, *quod tantum videtur malum esse*, *nec vere est*.

Arma sunt proprie quibus corpus tegebant prisci adversus hostium *tela*: v. c. *galea*, *lorica*, in primis *clypeus*: at *tela*, quibus aliquem caedimus vel petimus: v. c. *bombardae nostrae*, *gladius*, *saxa*, et alia, quibus aliis nocere possumus. *Telis*, non *armis*, petimus, occidimus alios.

Avarus non est, *qui pecuniae nimis parcit*, *geizig*; hic *tenax* dicitur: sed *pecuniae consequendae nimis cupidus*; est nostrum *habsüchtig*. Est quasi *avidus aeris* s. *auri*. Saepe is, qui maxime pecuniam profundit, *est avarissimus* h. e. non *sehr geizig*, sed *sehr habsüchtig*.

Auctoritas dicitur de multis *rebus*, multum *valentibus*, v. c. de *consilio*, *imperio*, *solatio*, *hortatione*, *exemplo*, *approbatione* viri magni et prudentis, cui parere decet: saepius est nostrum *Vorstellung*.

Calamitas non est simpliciter omne *malum* s. *fortuna adversa*, *das Unglück*; sed *cum damno gravi conjuncta*; ac saepe *ipsum damnum* s. *jactura rei gravior*.

Calumnia non est, *quando in conventibus hominum aliquis alterius dignitatem minuere studet*, *Verläumdung*; sed *falsa accusatio ap. judices*: hoc patet ex Cic. Rosc. Am. 20: deinde *omnis interpretatio eorum*, quae alter agit, *prava*: quae etiam tacite fieri potest; neque igitur convenit plane vernaculo *Verläumdung*, sed omnium optime francogallico *Chicane*.

Clemens non est, *qui aliis beneficia tribuit* s. *liberalis*, sed *qui peccatis aliorum veniam dat*, *facile se placari sinit*, *non statim punit*, *non statim irascitur*, *sanftmüthig*, *gelinde*, *sanft*, *glimpflich*.

Conari eſt fere *velle, tentare*, interdum etiam *audere* i. e. *wagen, unternehmen, ſich unterſtehen.*

Conſilium non tantum eſt, *quod aliis ſuadetur, der Rath*, ſed etiam *decretum, Entſchlieſſung*, interdum etiam *factum*, it. *prudentia* quaedam in eo conſiſtens, ſi quis facile vel alii vel ſibi ipſe ſcit conſilium dare, h. e. ſcit, quid ſibi in re difficili agendum ſit.

Convincere, *überzeugen, überführen*, tantum de *peccantibus* et *peccatis* dicitur: *peccantes* et *peccata convincuntur.* Ergo tantum malo ſenſu adhibetur. *Convincere* eſt aperte demonſtrare, rem aliter ſe habere, quam aliquis dixerit, atque ita aliquem aliquid dixiſſe vel commiſiſſe, quod ille antea negaſſet etc. At *überzeugen* i. e. facere, ut aliquis aliquid credat, verti latine debet *perſuadere*, v. c. *Ich bin von der Gerechtigkeit Gottes überzeugt* eſt *perſuaſum eſt mihi de juſtitia divina;* male hic diceretur *convictus ſum:* ſic priſci ſemper.

Crimen non eſt *das Laſter, Verbrechen*, per ſe, ſed quatenus alicui objicitur, omninoque *quidquid alicui objicis, Vorwurf.* Hinc *crimina diluere, die Vorwürfe widerlegen.* Raro ſignificat *peccatum, delictum*, ſimpliciter, h. e. ſine idea objectionis, et non niſi ap. poetas, utpote paulo audaciores in uſu vocabulorum.

Deſtituere eſt *deſerere aliquem*, v. c. *qui noſtram opem exſpectabat*, quia v. c. promiſeramus, nos ipſum adjuturos. Ergo *deſtitui* non ſimpliciter *carere*, v. c. *deſtitui libris*, ſed eſt *deſeri.*

Dignitas eſt *exiſtimatio, die Ehre, Reputation, Anſehn bey der Welt:* quae e meritis, doctrina, virtutibus oritur.

Diligens non eſt *fleiſsig*, i. e. qui multa agit, ſed qui *accurate, prudenter, ac ſuo quaeque ordine tractat, ad ſingula attendit* vel *minima*, ſi quid proſint v. c. ad ſuam vel aliorum felicitatem adjuvandam: *genau, vorſichtig, ordentlich, ſorgfältig. Diligentia* igitur eſt *mentis: Induſtria, Fleiſs*, eſt magis *corporis*, et cernitur in agendo. Poteſt aliquis *induſtriam* adhibere, nec tamen *diligentiam* ſimul, h. e. poteſt aliquis multa agere, ſed nullo ordine obſervato. Eſt ergo *diligentia Genauigkeit, Pünktlichkeit, Behutſamkeit, Sorgfalt*, non *Fleiſs*, ut vulgo explicant. Ab *induſtria* et *diligentia* differunt quodam modo *ſtudium, labor, aſſiduitas, opera. Studium* eſt *impetus animi, cupiditas, der innerliche Trieb:* ſed omne ſtudium inutile eſt, niſi et manum rei admoves, h. e. induſtriam adhibes. Interdum tamen *ſtudium* pro *induſtria* per metonymiam poni poteſt, contextu ferente, h. e. ſi tale ſtudium intelligitur, quod per induſtriam ſe exſerit. *Aſſiduitas* eſt *diuturna induſtria: Labor* eſt *induſtria magna, moleſta* et *talis, ut ſentias: Opera* eſt *induſtria, non animi, ſed corporis, viribus utens*, v. c.

Opera

Opera cernitur in *scribendo, eundo, loquendo* etc., quia in his rebus corpore opus est. Brevius ita tiro rem tenebit: *studio* agere cupimus, nec dum agimus; *industria* vere agimus; *diligentia* rem accurate et ordine agimus; *assiduitate* rem diu persequimur; *opera* corporis viribus utimur; *labore* corporis vires ita intendimus, ut defatigemur.

Divertere non est *einkehren*, sed *in diversas partes* s. *regiones ire, aus einander gehen*; dicitur ergo de pluribus, qui in eodem loco erant, ac deinde alius huc alius illuc se confert: est enim compositum ex *vertere* int. *se*, et praeposit. *di*, i. e. *in diversas partes*. At *devertere* est *einkehren*: proprie enim est *devertere de via*, *vom Wege abgehen*, scil. ut possis in locum ire, ubi quiescas. Ergo *deversorium* est *locus hospitii*, non *diversorium*.

Exsistere non est *esse*, sed *fieri, oriri, initium sumere*. Male itaque loquuntur dicentes: *quaeritur*, *an deus exsistat* pro *sit*. Vix erit, ubi *exsistere* per *esse* explicare cogare. In omnibus locis, in quibus *exsistere* videtur pro *esse* positum, rectius per *apparere*, *se ostendere*, explicatur.

Fas est, quod *legibus divinis sive scriptis sive innatis consentaneum est*. *Ius*, quod *humanis*. V. c. hominem occidere est contra *jus* et *fas*, h. e. contra leges humanas et divinas. Hinc intell. *nefas*, i. e. *Sünde*.

Fides non tantum est *Treue*, sed et *Ehrlichkeit*. Omnino cernitur in eo, si quis ita agit, ut acturum esse eum confidebamus, vel quia juravit, vel quia pollicitus est, vel quia per se h. e. ob solam humanitatem rem, quam exspectamus, efficiet. V. c. si quis pollicitus est, vel juravit, se aliquid facturum esse, nec tamen facit, is *contra fidem egit*: it. qui amicum in sua domo occidit, is contra *fidem* egit, quia amicus tale quid ab eo non exspectabat. Saepissime verti potest *das Zutrauen*, *Credit*, it. *Versprechen*.

Flagitium non est omne *peccatum Sünde*, pro quo nonnulli dicunt *Laster*, sed turpe *facinus*, v. c. adulterium etc. Proprie *flagitium* est vernaculum *Schande*.

Forte est semper i. q. *casu*, *von ohngefähr*: v. c. *forte veniebat*, i. e. *es traf sich, daß er kam*; *von ohngefähr kam er*: neque igitur ubique exprimit nostrum *vielleicht*.

Gloria non est ubique nostrum *Ruhm*: nam hoc vernaculum vocabulum hodie de parvis rebus dicitur, ubi *laudis* vocabulum usurpari debet, vel *famae*: nos v. c. dicimus *ein rühmlicher Fleiß*, *er hat seinem Amte mit Ruhm vorgestanden* i. e. *cum laude*. Romanis *gloria* est *fama multas terras pervagata*

 et

et illustris, nec fere nisi de *magnis ducibus belli* aut *consulibus* aliisve magnis viris usurpatur.

Hactenus raro est *ad hoc usque tempus*, *bis hierher*: saltem in aureae aetatis scriptoribus vix ita occurrit; sed intell. *parte*, estque 1) i. q. *eatenus*, *in so fern, mit der Einschränkung;* hinc 2) in scribendo utimur, si rem copiose nolumus persequi, atque dicere de ea desinimus; v. c. *Haec hactenus*, i. e. *so viel hiervon, so weit.*

Honoratus non est nostrum *geehrt* in titulis, i. e. *qui honore dignus est*; sed est *is, qui honore, quacunque re is cernitur, fruitur*, atque ita etiam *qui munere aliquo honorifico et amplo functus est:* sic *honoratissima familia* ap. Ciceronem dicitur *ea, in qua multi* v. c. *consulatum, praeturam* etc., *gesserunt.*

Hostis non est is, *qui nos odit;* — hic dicendus est *inimicus: hostis* est *inimicus gravis, qui bellum inferre conatur*, vel *qui nos gravi odio persequitur, aut nos, ubicunque potest, laedere studet* etc.

Imo adfirmat quidem respondetque vernaculo *ja:* at saepius tamen non directe adfirmat, saepe corrigit ante dicta, et exprimit nostrum *Nein sondern*, vel *umgekehrt, vielmehr*, Francogall. *au contraire:* v. c. *Tu putas, Cajum pauperem esse? Imo nemo est eo ditior.*

Ineptus non ubique exprimit nostrum *ungeschickt;* est potius is, *qui aliquid loco et tempore alieno agit*, v. c. ridet, ubi flendi, flet, ubi tempus ridendi est; explicat, ubi nulla explicatione opus; jocatur, ubi serio loqui debebat. Respondet nostro *ungereimt, unschicklich, abgeschmackt, läppisch*: ita *res inepta* est *non conveniens rei, loco*, i. e. *unschicklich, nicht passend, ungereimt* etc.

Infans est, ut etymologia docet, *qui nondum fari potest:* neque ergo de omni puerulo vel puella dici debet: neque enim vernaculo *Kind* plane respondet. Recte itaque usurpatur de parvulis, qui fari non possunt; it. de iis, qui adhuc sunt in utero.

Integrum est *omne id, quod in pristino statu mansit;* v. c. *quod nondum inceptum, laesum, est*, v. c. *causa integra est, in qua nihil dum factum, quae nondum initium in foro cepit; milites integri* sunt vel *non vulnerati* vel *non defatigati*, prout vel *vulneratis* vel *fessis* opponuntur. Homo *integer*, qui nondum vitiis, libidine etc., corruptus ac laesus est, *ein rechtschaffener, ehrlicher, Mann.*

Invidia non solum *der Neid*, sed etiam *der Haß, Blame.*

Laqueus non est omnis *funis* simpliciter, sed quatenus nodus in

oo

eo est, v. c. ad capiendum, suffocandum. Est ergo nostrum *Fallstrick, Schlinge.*

Levis non est i. q. *facilis.* Male ergo dicatur: *Nepos est levis; Ciceronis libri sunt leviores quam Horatii* pro *faciliores. Facile* dicitur, *quidquid sine magno labore fieri potest. Levis* est *pondere carens*, hinc *non magnam molestiam vel laborem adferens*, saepe etiam per contemtum dicitur, estque i. q. *nullius pretii*, *vanus*, *vulgaris*: v. c. *res levis* est *res vulgaris* et *nullius pretii*; *homo levis* est *vanus*, *inconstans*, *leichtsinnig.*

Liberi Kinder non simpliciter, sed cum relatione ad certos parentes, dicendi sunt. V. c. recte dico: *liberi mei hic sunt; laudant liberos Caji.* At non dici potest v. c. *Hic sunt liberi, Hier sind Kinder*; ac perperam dixeris v. c. *Non decet, adolescentes ludere instar liberorum*, imo *puerorum.*

Libertus et *libertinus* idem notant: *libertus* dicitur *in relatione ad patronum suum; libertinus* in *relatione ad ordinem suum*, h. e. quatenus non est servus: seu, ut Valla Eleg. IIII, 1 recte loquitur, *libertinus* est relativum *ingenui*: *libertus* est relativum *patroni*, v. c. recte loquor: *hic homo est libertinus.* At non interrogare debeo: *cujusnam est libertinus?* sed *cujusnam libertus est?* Sic Tiro erat et *libertinus* per se et *libertus Ciceronis*, patroni sui. Sic et *liberta, libertina.*

Magistratus, quo vocabulo hodie *collegium senatus civitatum* vulgo appellant, non ita apud priscos usurpabatur, sed de *uno munere reip.* vel etiam interdum de uno homine illud gerente. V. c. *Consulatus* erat *magistratus*, *praetura* erat *magistratus.* Hinc dicitur *magistratum gerere*, *esse in magistratu aliquo.* Obiter hic tirones monendi sunt, *esse in senatu* non pertinet inter magistratus, s. senatores per se non dicuntur apud priscos gerere magistratum vel honores, ut apud nos dici hodie solet.

Magnus, si de homine dicitur, non indicat ejus *staturam*, ut nos dicimus *ein großer Mensch*, i. e. *homo longus*, sed de *animo* ac *virtutibus.* Pompejus et Caesar *magni homines* s. *viri* fuerunt, quia magnas res gessere.

Momentum non est *pretium*, *gravitas Wichtigkeit*, simpliciter ac sine respectu rei, ubi *Wichtigkeit* est i. q. *Größe*, v. c. *das ist eben keine Sache von Wichtigkeit* i. e. *ist nicht groß*, ubi non dici debet *res magni momenti*, sed *res magna*, *res magni pretii.* At, ubi de re sermo est, quae prodest alii rei valetque ad rem efficiendam etc., tum *momentum* recte usurpatur. *Momentum*, proprie *in lance pondus additum*, *quod efficit*, *ut ista lanx descendat*, est *omne id, quod valet ad rem efficiendam*,

dam, quod in re dubia facit, ut decernamus, v. c. in duobus candidatis, magna dignitate praeditis, est interdum hoc, quod jam alter munus aliquod administravit, magni momenti, h. e. efficit, ut hic munus, quod ambo petierant, consequatur. Sic in pugna ventus adversus interdum affert momentum, interdum terror aliquis panicus est res magni momenti, h. e. *gibt endlich dem Treffen oder dem Siege den Ausschlag.*

Necesse est, *quidquid aliter esse non potest et mutari nequit*: v. c. *necesse est, moriamur, edamus, dormiamus* etc. At *oportet* s. *opus est* dicitur de eo, quod per se quidem aliter esse poterat, sed ob conditionem, ob commodum aliquod, fieri debet; v. c. *Oportet discamus*, scil. *ut docti fiamus: hominem oportet nosse alios homines. Debeo* de *officio;* v. c. *Liberi debent colere parentes* i. e. *liberorum est* etc.

Omnino non est particula affirmantis *allerdings*, neque igitur in responsionibus usurpatur, v. c. quaerenti: *an legisti Livium?* non respondere debes: *Omnino*, sed *legi*. *Omnino* significat 1) *prorsus*, v. c. *de hac re omnino nihil audivi, Hiervon hab ich ganz und gar nichts gehört:* 2) *summatim*, s. *si in universum rem consideres, überhaupt*, v. c. *de hac re omnino melius est tacere:* 3) interdum videtur esse i. q. *quidem*, sequente *sed* vel etiam sine hac particula (ubi verti etiam potest *allerdings*, si τὸ *allerdings* est i. q. *zwar*, vel convenit cum τῷ *gänzlich* aut *überhaupt*); vel *ut vere loquar*, v. c. Cic. ad Div. V, ep. 6 *Omnino semissibus magna est copia*, h. e. *Nun ist zwar für sechs Prócent viel Geld zu haben*, s. *In Wahrheit zu sagen, wenn ich die Wahrheit sagen soll, so ist für sechs Procent viel Geld zu haben.* Forsan tamen et hic potest explicari *überhaupt.*

Opes non tantum sunt *divitiae*, sed *omnia, quae hominem reddere potentem queunt:* v. c. magni amici etc. Videtur esse synonymum *potentiae.*

Opinio est *sententia incerta nullisque argumentis nixa, die Vermuthung; opinari vermuthen.* At *sententia* est *certior, nititurque caussis.*

Oratio non tantum est *oratoris de suggestu dicentis*, sed omnino significat *verba*, quae quis dicit aut scribit. Potest ergo saepe verti *das Reden, die Worte;* v. c. *ex oratione fratris cognovi, aus dem Reden, aus den Worten, des Bruders habe ich ersehen.*

Parum non usurpatur, ut nostrum *ein wenig*, quod apud nos de mediocritate, qua contenti esse interdum solemus, dici solet: v. c. *Dieses hat mir zwar nicht völlig, doch aber ein wenig, geholfen* non verti debet: *Hoc, etsi me non prorsus,*

tamen

tamen parum adjuvit. Nam *parum* fere idem eſt, quod *nihil*; imo cum *nihil* commutatur, v. c. *parum prodeſt*, *nützt wenig oder nichts:* verti poteſt *wenig*, *nicht ſonderlich*, *nicht viel*, *nicht ſehr* etc.

Petulantia non eſt tantum *laſcivia puerorum*, qua per luſum et jocum aliquid agunt, quod ſenibus vel ſeveris hominibus displicet, nec tamen cuiquam damnum inferunt, *der Muthwillen;* ſed saepiſſime longe plus indicat: cerniturque in eo; *ſi quis aliis de induſtria damnum inferre gaudet*, v. c. domum diripere, homines verberare innocentes, iisque alio modo inſultare. Quae eſt ſumma improbitas; et *petulans* eſt fere noſtrum *ein Schadenfroh.*

Pietas non eſt per ſe aut ubique *die Gottesfurcht*, niſi vel hoc contextus docet vel *erga deum* additur. Eſt enim quoque *amor erga parentes*, *liberos*, omninoque *omnes*, quibuscum vel *naturae* vel *beneficiorum* vinculo conjuncti ſumus. Saepius exprimit noſtrum *Zärtlichkeit*, *zärtliche Liebe.* At debet adjici *erga parentes*, *liberos* etc., niſi contextus jam docet.

Poteſtas ſaepe quidem convenit cum *potentia:* interdum tamen differt. *Poteſtas* eſt *regum* et *magiſtratuum omnium*, qua poſſunt nocentes punire cet. *Potentia* ii tantum inſtructi ſunt, qui multum ope divitiarum, adfinitatum, amicorum, militum cet. efficere poſſunt, v. c. reges, qui magnos exercitus, claſſes etc., habent. Sic et *potens.*

Probabilis non modo eſt *veriſimilis*, ſed etiam *is*, *qui probatur* h. e. *placet.* *Orator probabilis* igitur eſt in laude.

Publicus non eſt *manifeſtus öffentlich*, *offenbar*, ſed *ad rempublicam totam* vel *urbem totam* cet. *pertinens.* *Sumtus publicus* eſt, quem ſuppeditat tota civitas, vel, hujus nomine, ſenatus. *Literae publicae* i. e. *epiſtola ad ſenatum* vel *a ſenatu miſſa:* quia ſenatus nomine reipublicae ſcribit et epiſtolas accipit. *Aedificia publica* ſunt *toti civitati communia.* Sic *publice* i. e. *nomine* vel *ſumtu reipublicae* ſ. *ſenatus.*

Quidem non tantum eſt *zwar*, pro quo tamen longe ſaepius *etſi*, *quamquam*, uſurpatur, ſed omnino eſt particula *reſtringentis;* ac ſaepe exprimit noſtrum *wenigſtens;* ſaepe vernacule verti nequit.

Remedium eſt tantum *id*, *quo utimur ad malum quoddam avertendum*, *ein Mittel wider etwas*, v. c. *remedium morbi.* Nunquam vero ſignificat *rem* (*ein Mittel*) *ad aliquid conſequendum* pertinentem. Perperam v. c. diceretur: *induſtria eſt certum remedium doctrinae* pro *certa via ad doctrinam.*

Salus non tantum est *sanitas*, sed etiam *incolumitas*, *felicitas*, *vita*, vel potius *securitas vitae* s. hominis conditio, qua non habet, quod de vita sua timeat. Romani usurpant quoque de *vita civili*, h. e. de *jure civitatis*, *honoribus*, *aliisque commodis*, quibus cives romani fruebantur: quae quia is, qui in exsilium abit, amittit, hinc saepe *exsul* dicitur *salutem amisisse*, ac, si in patriam revocatur, *salutem recuperare*. Saepe verti potest *Heil*, *Rettung*, *Sicherheit* etc.

Scilicet, contr. ex *scire licet*, non dicitur apud priscos, ut apud nos *nämlich*, in *explicanda re difficiliori*: ac melius respondet nostro *freylich*, *allerdings*, quam τῷ *nämlich*.

Seducere non fere est *inducere*, *decipere*, sed *seorsum ducere* h. e. *in locum secretum*.

Si proprie de *conditione* debet usurpari, omninoque si τὸ *wenn* commutari potest cum τῷ *wofern*; v. c. *veniam ad te*, *si tibi placuerit*: *mitte mihi istum librum*, *si me amas*. At de tempore rectius *cum*, *quando*: v. c. *gaudeo*, *quando* (*cum*) *video*, *homines virtuti operam dare*, non *si*. Nec tamen negandum, priscos etiam τὸ *si* de tempore usurpare, v. c. *Cic.* Tusc. III, 22 in. et saepius.

Stultus non est ubique nostrum *Narr*, sed significat etiam *omnem*, *qui nimis festinanter et citra praemeditationem agit*. Hoc interdum vel sapienti accidere potest. Ergo *sapiens interdum est stultus*, h. e. *non omnibus horis satis sapit*. Saepe itaque verti potest *einfältig*, *unbesonnen*, *Thor* etc.

Suffragari non est tantum *suffragium ferre*, sed etiam *favore suo aliquem adjuvare* vel *commendare*.

Tunica est vestis interior, nobis *die Weste*. *Toga* est vestis superior.

Verba facere est quidem *reden*, sed non simpliciter ponitur pro *loqui*, saltem non potest de paucis verbis dici. Perperam dixeris: *Messapus*, *de quo Virgilius verba facit*; vel: *Pater tuus proficiscens verba fecit*, *se mox reversurum*, pro *dixit*. Usurpatur non nisi de pluribus verbis; v. c. de sermone familiari ap. *Plaut.* Rud. IV, 3, 62, in primis: 1) de *oratione solenni*; 2) de *relatione consulis ad senatum*; 3) de *formula dedicationis recitanda*. In his tribus rebus opus est multis verbis. Triplex hic usus reperitur apud Ciceronem.

Versari non est *esse* simpliciter, sed *aliquamdiu saltem in loco morari*; docet hoc praeter usum loquendi propria significatio, de qua mox.

Vulgus,

Vulgus, quod videtur esse nostrum *Volk*, non est solum *plebs*, sed etiam *homines in universum*, h. e. si de hominibus ita loquimur, ut non certum eorum genus respiciamus; respondetque nostro vocabulo *das Publicum*: hinc *vulgo insgemein*, *durchgehends*, i. e. *a vulgo*: v. c. *vulgo dicitur*, *man spricht durchgehends*, i. e. *a vulgo dicitur*: hinc *vulgare rem* est *rem communicare cum vulgo*, h. e. *omnibus hominibus*, *quicunque sunt*, *notam reddere*: et *res vulgaris* est *omnibus nota* vel *communis*.

Haec hactenus. Plura qui volet, adeat, si lubet, Lexicon meum 1783 editum.

SECT. VIII

Unde discenda est vera vocabulorum notio?

Sed quaeritur, unde hae verae vocabulorum notiones hauriendae sint. — Hoc omnium optime fit *e contextus cognitione*, atque ita *frequenti* et *accurata ipsorum priscorum lectione*: hic est fons certissimus ac limpidissimus. Contextus est praeclarus magister tam ad recte discendas quam ad recte imitandas pulchritudines omnes in priscis nitentes. Docet enim non modo, quid significet vocabulum quodque, sed etiam, cui contextui hoc conveniat; de qua re et quomodo usurpare liceat. Hoc e Lexicis, Indicibus etc., nunquam tam liquido tam certo disci potest. Recte igitur frequens priscorum lectio commendanda est cuique, qui veras vocabulorum notiones cognoscere cupit. At, cum haec res sit et paulo difficilior et multorum annorum, utile est, praeter magistri fidelis praecepta, libros quosdam consulere, in quibus istae notiones a viris peritis explicatae sunt. Huc pertinent

a) *Lexica bona.* Ac profecto haec primarium tironis adjumentum esse debebant: at rara sunt; quia raro aliquis peritus ad talem librum conscribendum descendere propter difficultatem laboremque cupit. Lexica, quae bona censentur, sunt hodie Lexicon Fabri a Gesnero locupletatum, Thesaurus Stephanianus ab eodem Gesnero auctus, et in primis Lexicon Forcellini: sed et haec Lexica,

Lexica, maxime duo priora, laborant mendis. Ego ipse elaboravi hocque anno edidi Lexicon octonis, in quo vocabulorum notiones et constructiones summa diligentia notare ac superiores Lexicographos, quantum per brevitatem licuit, vincere studui.

b) *Indices* priscorum a philologis editi, v. c. *Bosianus* Nepotis, *Freinshemianus* Flori, in primis *Ernestianus* Ciceronis.

c) *Notae* in scriptores priscos a philologis scriptae, v. c. a *Gronoviis*, *Graevio*, *Burmanno*, *Dukero*, *Drakenborchio*, *Ruhnkenio*, *Oudendorpio*, *Ernestio*, *Heynio* etc.; quo pertinent quoque *Chrestomathiae Gesneri* et *Ciceroniana* et *Pliniana*.

Istiusmodi igitur libri saepe consulendi sunt: quamquam et hic cautio adhibenda; quia Philologi interdum significationem vocabuli aliquam tradiderunt, quae illi forsan non tuto tribui potest. V. c. *atque* pro *statim*, licet Gronovius ad Livium XXVI, 39 Ernesti in Clave, aliique hanc vim tradant, tamen non usurpaverim; nec *aliquanto* pro *longe*, licet Ernesti in Clave Cic. sic explicet. Imo persuasum mihi est, *aliquanto* esse medium inter *paulo* et *longe*: et *aliquanto doctiorem* a *paulo doctiore* et a *longe doctiore* differre. Locus Ciceronis (Verr. I, 54 cf. ad Div. VIIII, 26 extr.), in quo Ernesti *aliquanto* putat esse i. q. *longe*, haud dubie per figuram, quae *litotes* vocatur, explicandus est; sicut nos de homine magnis divitiis instructo et Cajum pauperem longe iis superante per eandem figuram dicimus: *er hat etwas mehr Reichthum* s. *er hat um ein ziemliches mehr Reichthum als Cajus.* Hinc vero non sequitur, τὸ *etwas*, *um ein ziemliches*, esse i. q. *multo*, *longe*. Conferatur ipse locus: et apparebit, recte verti posse *um ein ziemliches*. Non debemus significationes vocabulorum augere sine necessitate. — Sic in eadem Clave *aetas* explicatur per *adolescentiam*: rectius *anni*, ut semper: haec significatio quoque convenit locis memoratis optime. Tiro posset credere, jure dici posse: *aetas est suavior senectute.* Male. Nam de

de omnibus annis *aetas* dicitur, etiam de annis ſenis: at propterea *aetas* ipſa non eſt *ſenectus*. — Ibid. explicat Erneſti *humare* per *cremare* ap. Cic. de leg. II, 22, et addit, ſe mirari, quod interpretes Nepotis in Eumen. iſtum locum non viderint. Quidni viderint? At *humare* non eſt, nec eſſe poteſt, i. q. *cremare*, ſed ſemper eſt *humo tegere*. At, qui cremantur, deinde quoque *ex parte* humantur, quia eorum oſſa humo teguntur. Hinc recte quidem per metonym. (conſeq. pro anteced.) vel etiam ſynecdochen *omnis ſepultus* (ut Cicero illo loco loquitur) i. e. *crematus* dici quoque *quodam modo* poteſt *humatus*, ſcil. *quod ad oſſa* reliqua attinet: at propterea *humare* non ſimpliciter eſt i. q. *cremare*. Nec hoc dixit Cicero, ut locus ex eo allatus docet. In Nepote vero, ut obiter moneam, haud dubie cum Lambino, vero latinitatis judice, pro *humarunt* legendum eſt *cremarunt*. Nec τὸ *denique* ubique uſurpaverim pro *ut paucis dicam*, licet Graevius ad Ciceronem et Erneſti in Clave ita explicent. — Nam quis ſanus dicat v. c. *Multa de hac re dici poſſent: ſed denique haec duo tantum monebo* i. e. *ut paucis dicam*, *me expediam*. Quis allocutionem ſuam ad aliquem brevitatis ſtudio ita incipiat: *Denique tibi dicam*, *me* etc. i. e. *ut paucis me expediam*, *dicam tibi tantum* etc.? Dici autem ita poſſe, ſi *denique* ſit per ſe i. q. *ut paucis dicam*, quis non videt? *Denique* in locis quibusdam, v. c. *Cic.* Verr. II, 23: II, 51: Piſ. 20: *Nep.* Reg. 2: *Flor.* I, 16 explicari poſſe *ut paucis dicam*, non negaverim, ſed in iisdem locis aeque bene, de mea ſententia, explicari poteſt *adeo*, *atque adeo*; ut *Cic.* Quint. 16. Inſpiciantur ipſi loci. Nec tamen invideo ei, qui, novitate rerum captus, Graevianam notionem arripit et uſurpare gaudet. Forſan alio tempore de notionibus vocabulorum ſine ulla neceſſitate per nonnullos philologos auctis et multiplicatis dicam: ut taceam, eorum explicationes ſaepe eſſe valde indefinitas et paulo obſcuriores. Hinc optimum omnium eſt, adoleſcen-

tem

tem ipsum legere et judicare: in primisque primam vocabulorum vim et propriam investigare.

SECT. VIIII

In primis discenda est prima et propria vocabulorum notio.

Sed, cum maxima difficultas cernatur in vocabulis homonymis, quorum notiones saepe tam multae, ut edisci vix possint, v. c. *respublica*, *auctoritas* etc., et tam variae sunt, praesertim studio quorundam philologorum, receptis notionibus praeter rem non contentorum, ut illarum connexionem adolescens perspicere non satis possit, egregium adjumentum praestat investigatio sollers *primae notionis*. Quam ubi tenes, ceterae facilius, tanquam rivi e fonte, derivantur, ac melius certiusque discuntur: nam, quod accurate perspicimus, id felicius discimus memoriaque tenemus. Sed *prima notio* vocabuli, quam et propriam vocant, non hic nobis subtiliter sumitur pro ea, quae ab origine linguae certo prima fuit: nam hanc in plerisque forsan vocabulis periisse vel obsolevisse credibile est ei, qui novit, quantas mutationes omnes linguae, quoad vivae sunt, praesertim si librorum multitudine et auctoritate, ut nunc artis typographicae beneficio facilius fieri potest, vocabulorum primam formam et notionem non conservant, subire cogantur: id quod ex nostra lingua patet, ubi vocabula sunt nunc honestae, olim inhonestae, notionis, et contra: v. c. *schlecht* hodie per contemtum dicitur, v. c. *ein schlechter Mensch*, *schlecht Latein;* olim honeste dicebatur de omni *plano*, *aequo*. Sic *Schalk* hodie est vocabulum convicii, olim erat *servus* etc. Ita etiam *Scherge* olim honeste dicebatur, v. c. in libris sacris, *er wird in Ehren sitzen wie ein Scherge.* Per *primam* igitur vocabuli notionem intelligimus eam tantum, quae inter notiones hodie notas prima est, vel saltem esse videtur,

h. e.

h. e. quae talis eſt, ut ceterae iſtius vocabuli ſignificationes inde facilius derivari poſſint, et ipſa propterea harum omnium mater dici queat. Apparet hinc, τὸ *prima* intelligi relative; deinde notionem vocabulorum, quam *primam propriamque* appellamus, non ubique tam *certo primam* eſſe, quam vulgo interdum dicatur, ac poſſe interdum aliam notionem reperiri, quae meliori jure *mater* f. *prima* notio appellari mereatur: id quod etiam ſaepe factum eſt, et adhuc fieri ſolet. Ceterum in his tenebris vel veriſimilitudine contenti eſſe debemus. Iam, ſi iſta prima vocabulorum notio, quoad ſcilicet ea nobis innotuit verique ſimilis eſt, mature innoteſceret pueris, facilius et celerius diſcerent linguam latinam, quam hodie fit, ubi pueri plerumque prius notiones derivatas diſcunt, quam *primam;* imo hanc vel nunquam audiunt vel diſcunt ſero tanquam *notionem ſeparatam, ſingularem*, atque adeo e guſtu magiſtri *elegantem*. Non male. Nam, quo ſerius aliquid diſcitur, eo venuſtius eſſe debet, praeſertim ſi rarum eſt; quia optima ac pulcherrima quaeque ſero proponuntur; v. c. *vina optima in convivio extremo.* Sic judicant tirones illi miſeri: quis miretur? Egregie igitur faciunt, qui primam ſingulorum vocabulorum notionem ante omnia declarare ac vulgare ſtudent: quia ſine his latinitas ipſa fundamento caret et incerta eſt. Qua in re, uti aliorum philologorum, ita in primis *Schefferi* (ad Phaedr.), *Geſneri Erneſtiique* opera laudanda eſt.

Non alienum erit nonnullorum vocabulorum primam notionem, quae quidem nota eſt nobis, hic ſubjicere: ut tirones diſcant, quanti referat, et in aliis vocabulis eodem modo verſentur.

Affligo, ex *ad* et *fligo* i. e. *percutio*, eſt proprie *percutere rem ad aliquid*, v. c. ad *terram:* hinc *infelicem reddere*, *evertere, deprimere:* v. c. *afflictus animus* eſt *tam terrefactus*, *timefactus, ut colligi recrearive vix poſſit:* ſic noſtris eſt *niederſchlagen, niedergeſchlagen; opes afflictae* i. e. *valde depreſſae*, *imminutae,*

minutae, et ita debilitatae, ut vix sperari possit, eas iterum erectum vel restitutum iri.

Ambitio proprie 1) est *circuitio* in universum, deinde in primis *circuitio* illa Romanorum ad petendos honores. Est ex *amb*, *ἀμφί*, i. e. *circa*. Omnis, qui honores cupiebat, *praesens* petere, in eamque rem circum eos, qui suffragia laturi erant, ire, eosque prensaré cogebatur. Hinc per metonym. conseq. pro antec. est 2) *petitio honorum* ipsa. Tum 3) *studium honoris universum atque etiam placendi re quaque* hominibus: nam Candidati illi valde, interdum nimiopere, studebant placere hominibus, eorumque gratiam captabant: hinc vertitur *Ehrliebe*, *Ehrgeiz*, *Eitelkeit*.

Ango (gr. ἄγχω, theod. *enge*, hinc *Angst*) est proprie *constringere*, *angustum reddere;* in primis *constringere fauces* ad suffocandum.

Anima est proprie i. q. *spiritus*, *der Athem;* hinc per metonym. *vita*.

Bonus a) proprie est is, qui talis est, qualis esse debet, v. c. *bona forma; bonus homo* i. e. *ehrlich*, *tauglich*, *vir bonus* in republica i. e. *Patriot*. Potest etiam b) proprie esse *dives:* unde *bona* pro *facultatibus*, *divitiis:* hinc duplicem vim habet: 1) *privatim*, notat *hominem fide praeditum in homines*, *promissis stantem*, *ehrlich*, *redlich:* quia, qui in bonis est, facilius potest creditoribus satisfacere, quam pauper, omninoque non tam facile ad fraudem inclinat: 2) *publice*, notat hominem, qui *reipublicae constanter favet*, *ejusque praesentem statum defensum cupit:* hoc quoque sequitur e propria vi: nam divites, quia habent, quod amittere possint, bellum reique publicae mutationem omnem timent et aversantur. Sed forsan proprietas notionis a divitiis sumta non opus est.

Calamitas, a *calamo*, *der Halm*, proprie est *eversio frugum grandinis* et *tempestatis injuria*, *Wetterschaden am Getreide*. Quae quia rusticis magnum damnum infert, hinc 2) *omnis gravis jactura* v. c. *parentum*, *rei familiaris*, *dignitatis*, *honorum:* atque ita *malum paulo gravius*. De *fortuna adversa* in universum non posse dici, per se patet.

Callidus, a *callo*, proprie est *cujus manus callum duxere* s. diutina rei tractatione *durae factae sunt*. Hinc 1) *homo multa expertus* s. *magnae experientiae*, quia, qui diu rem tractavit, experientia non carere potest. Sic *callidus imperator* est *imperator magnae experientiae*. 2) *astutus*, *prudens*: experientia enim efficit astutiam et prudentiam (Vorsicht).

Cogo, e *co* et *ago*, proprie est *congrego*: hoc fit vel vi vel sine vi: hinc est *vi impellere*, *zwingen*, et *exigere pecuniam*, *Geld*

ein-

einnehmen, *eintreiben*. Omnes tres significationes sunt valde usitatae.

Crudus, a *cruore*, est proprie *cruoris adhuc plenus*, *nondum coctus*: v. c. *caro cruda*: hinc *vegetus*; v. c. *cruda senectus* ap. poetas: it. nondum maturus.

Debilis, proprie a *de* et *habilis*, est *mancus*, *cui pars sui necessaria deest*; v. c. *navis debilis* ap. Virgil.; hinc *infirmus*, *nervis carens*, *imbecillis*.

Dignitas, a *dignus*, proprie est id, *quod nos reddit dignos* v. c. honoribus, *die Würdigkeit*: hinc dicitur de *meritis*; et per metonym. de *bona opinione aliorum de nobis*.

Diluo, a *di* et *lavare*, proprie est, *liquorem affusa aqua reddere tenuiorem*, v. c. *diluere vinum*, *atramentum*, *dünner machen*, *wässern*: hinc *infirmiorem reddere*, *debilitare*, v. c. *molestias diluere* i. e. *minuere*, *iis vim adimere*; *crimina diluere* i. e. *refutare*.

Egregius, a *grege*, est proprie *e grege separatus*, vel *segregari dignus*, v. c. *hostia egregia*, in qua, ad sacrificium electa, nil vitii inesse debebat: hinc 2) est *excellens*, *praestans*. Sic et *eximius*, ab *ex* et *emo*, quod videtur esse nostrum *nehme*, *n* adjecto: ut *eximo* sit *capere* s. *eligere e pluribus*.

Frigere proprie *frigus physicum pati*: hinc per metonym. *parum* vel *nihil agere*, *otiosum esse*; quia frigus impedit laborem, vel otium efficit, ut frigus magis sentiamus: ut contra *calere*, *fervere* de labore. Est vero etiam *frigide* i. e. *sine attentione* vel *plausu audiri*. In Clave Cic. explicatur etiam per *non placere*, *contemni*. At non opus: quamquam certum est, artifices quosdam, quia non placeant et contemnantur, cogi esse otiosos: nemo enim iis vult uti, nemo audire etc. At propterea non opus est significationes augere: nec *contemni*, *non placere*, e notione frigoris duci potest.

Gratia proprie *Annehmlichkeit*; ac sic saepius: hinc *der Dank*; quia *habere gratiam*, *agere gratias*, indicat, rem, pro qua gratias agimus, nobis fuisse gratam.

Humanitas proprie est *Menschlichkeit*, *menschliche Beschaffenheit*, hinc 1) *Menschlichkeit* i. e. *humanus sensus* s. sensus cuique homini *innatus*, *menschliche Empfindung*, v. c. ad se defendendum, se in morbo curandum, alios adjuvandos, iis ignoscendum, placendum etc. Hinc 2) *amor erga omnes homines omnibus communis*, et studium nobis innatum aliis operam navandi, facile ignoscendi aliis, non statim irascendi, omnisque ratio elegans hominum in vita communi etc., *Menschenliebe*, *menschliche Gesinnung*, *Leutseligkeit*, *Höflichkeit*,

Gefälligkeit, *Artigkeit*, *Manierlichkeit;* ad quam elegantem rationem Cicero refert doctrinam vel cognitiones quasdam artium optimarum, sine quibus homo, praesertim loco illustri, vix personam hominis (saltem elegantis) sustinere potest: Hanc doctrinam vocat *humanitatem* Orat. I, 9, et 16. Plures significationes vix illud vocabulum habet: ac forsan inde omnes loci Ciceroniani explicari possint: v. c. *studia humanitatis* sunt *ea studia*, *quae humanitatem die menschliche Empfindung adjuvant*, et haec sunt *poesis*, in primisque *philosophia;* hae duae res emolliunt mores *nec sinunt esse feros* s. *inhumanos.* Loca Ciceronis Orat. I, 12, ubi orator dicitur debere *omnem vim humanitatis tenere*, et Rosc. Am. 22 *Magna enim est vis humanitatis: multum valet communio sanguinis: reclamitat istiusmodi suspicionibus ipsa natura*, aperte docent 1) in priori *vim humanitatis* esse *die Wirkung*, *die Kraft der menschlichen Empfindung*: hanc enim debet nosse orator, ut animos incitet et reflectat. Debet scire, cur et quando homines hac vel illa re moveantur, cur hoc vel illud magis *sentiant* quam aliud, ut orationem suam ad hos sensus accommodare queat. Gesnerus explicat *Kräfte*, *Neigungen*, *Wirkungen der menschlichen Natur.* Ergo *humanitas* ei est *humana natura:* quid haec ad oratorem? et quae est illius vis? sic et Ernesti in Clave. Male uterque. 2) in posteriori loco aperte *humanitas* est *die menschliche Empfindung* h. e. *is sensus, quo ducti quemque,* sive sit gentilis sive christianus, propterea, quia *est homo*, et nos sumus *homines*, adjuvare, neque eum occidere solemus. Gesnerus et Ernesti iterum, *humana natura:* quid est *vis naturae humanae*; si vertas: *die Kraft der menschlichen Natur ist groß?* nonne *der menschlichen Empfindung?* Totus locus docet non esse *naturam:* nam haec statim sequitur: *reclamitat ipsa natura:* Ergo haec ab *humanitate* differre debet. Ceterum ex his dictis facilius intelligi poterunt notiones illae, quae in Clave Cic. illi vocabulo tribuuntur.

Infans proprie *qui fari nescit;* hinc *indisertus omnis* h. e. qui non bene dicere potest.

Levis proprie *pondere carens* v. c. *pluma*: hinc *inconstans*, *vanus*, *nullius pretii*; sic *levitas* proprie *defectus ponderis*, et, quia levia facillime a loco suo moventur: hinc 2) *inconstantia*, *temeritas* i. e. *Unbesonnenheit*, *Leichtsinn.*

Locuples pr. *dives agris:* hinc *fide dignus:* nam divitibus fides habenda est, si spondent pro aliquo etc.: hinc *testis locuples* i. e. *fide dignus.*

Micare

Micare proprie *celeriter se movere*, v. c. *micare digitis*: hinc de *luce celeriter se movente* s. *trepidante* dictum: hinc *emicare*, v. c. e navi, est *herausspringen*.

Momentum proprie est *id*, *quod facit*, *ut lanx descendat*: hinc *omne*, *quod vel efficit ut res fiat vel in dubia re est causa*, *cur illa decernatur*, *fiat*, *bene vel male eveniat*.

Morosus vel a *more* vel a *mora* duci potest: si a) a *more* i. e. *Eigensinn*, *morosus* est *eigensinnig*, *mürrisch*: si b) a *mora*, est proprie, *qui valde et diu moratur in re*, v. c. ad eam accuratius inspiciendam: hinc qui rem accuratissime et interdum, e nostra opinione, nimis accurate examinat; quales homines vulgo paucis probantur: hinc nostrum *mürrisch* factum est, quod vitium declarat. Prior etymologia videtur esse verior: cf. Lexicon nostrum majus.

Nobilis, e *nosco*, proprie est *notus*: hinc is, *cujus pater vel majores gessere summos honores in republica*. Talium enim nomina solent esse notiora ubique, quam nomina plebejorum: quod e nostra consuetudine patet, qua nomina regum et principum magis solemus discere, quam plebejorum; et de iis crebrius loquimur, quam de his.

Offendere proprie est *allidere* per imprudentiam, v. c. noctu, ad lapidem, ad hominem: hinc est 1) *peccare imprudentem*: sed quia, qui ad aliquid vel aliquem offendit, ei accidit, ut aliquid vel aliquem reperiat: hinc 2) *reperire*, *finden*, *antreffen*, sed *casu*. Quia vero, qui ad aliquid offendit, v. c. ad saxum, incommodum interdum patitur: hinc 3) *rem infeliciter gerere*, *infelicem esse*. Quia tandem *allidendo* ad hominem hujus iram in nos excitare possumus, hinc 4) est *animum alicujus iratum reddere*, *beleidigen*.

Persona proprie *facies histrionis ficta*, quae ipsius os tegebat, et varia erat, prout histrio senem, adolescentem, herum, servum etc. agebat: hinc 2) de *hominibus* dicitur, *quatenus eorum honores*, *vitae genus*, *animi rationem*, *virtutes et vitia spectamus*, uno nomine *der Character*.

Probus propr. qui talis est, qualis esse dicitur vel debet, *gut*, *echt*, *wirklich*: v. c. aurum, amicus etc.: hinc *bonus virtute*, i. e. *rechtschaffen*, *ehrlich*. Possit etiam (sed forsan non opus) sic dici: *probum* propr. de metallis est *verum* s. tale, quale esse dicitur, v. c. *aurum probum*, *echt Gold*. Hinc de hominibus, quando vere tales sunt, quales se dicunt, v. c. *amicus probus*: it. *probi homines*, *rechtschaffene Leute*.

Rationem habere rei proprie est *computare*, *in computando non praeterire*: quod quia rei curam indicat, hinc in universum

non praetermittere, *non negligere*, *curare*, *consulere rei* vel *homini*, *Rücksicht haben*, *Rücksicht nehmen.*

Scrupulus, a *scrupo*, est *lapillus acutus*: qui, quia, si in calceum se insinuavit, pedem premit et angit, hinc a pede ad animum translatus est 2) i. e. *dubitatio*, *haesitatio*, s. *res*, *quae animum angit.*

Spectare, frequentat. a *specio* i. e. *video*, est proprie *intueri*: hinc *intueri examinandi causa*: hinc *explorare*, *examinare*. Potest et sic dici (quod forsan non opus), 1) propr. *rem crebro atque ita diligenter intueri*: quod quia facimus in re examinanda, hinc 2) *examinare*, *explorare.*

Sublevare proprie *erigere aliquem humi jacentem*: hinc 2) *opem ferre alicui misero*, qui se ipse juvare non potest, s. qui nostra ope indiget.

Subsidia, a *subsideo*, proprie sunt *triarii*, h. e. ea pars peditum Romanorum, quae, dum priores pugnabant, ab horum tergo subsidebat (ne conspiceretur ab hoste) ac cedentibus illis opem ferebat in aciem procedens. Hinc 2) dicitur hoc vocabulum, etiam in singulari, de omni *ope*, *quam alicui ferimus*, *quia ea indigebat.*

Tollo proprie 1) *e terra sursum moveo*, *ich hebe auf*, *in die Höhe*; 2) hinc *removere*: removenda enim tolluntur antea e terra vel e loco suo per metonym., et hinc tandem 3) *occidere*: quia occisi sublati sunt e conspectu hominum. *Tollere laudibus* pertinet ad vim propriam: quia, si quis valde laudatur, sermones hominum ejus laudem celebrantes in auras surgunt.

Tueri proprie est *adspicere*, *inspicere rem*: hinc *intueri*, *contueri*, *obtutus*. At rem adspicimus, inspicimus, ut videamus, quid ei desit, quo adjuvare et curare illam queamus: hinc 2) *curam rei gerere*; sic et nostri: *er sieht gar nicht nach seinen Kindern*, i. e. *non curat liberos suos*: hinc tandem 3) *defendere*, quae est vel species vel effectus curae.

Versare, frequentat. a *vertere*, est *saepe vertere*, *oft herum drehen*, v. c. carnem assandam; sic Horat.: hinc *se versare* de homine ap. Cic. Verr. I, 51 *Venit ipse in aedem Castoris: considerat templum: videt undique tectum pulcherrime laqueatum: praeterea cetera nova atque integra: versat se: quaerit*, *quid agat* etc. Sermo est de Verre omnium, quae pulchra essent, cupidissimo, nec tamen aperte vim facere conante: quid est *versat se?* — Ernesti in Clave Cic. ait: *versare se est hominis anxie*, *quid agat*, *quaerentis.* — Recte. Quid igitur est *versare se?* num *anxie quaerere*, *quid agat?* Hoc Cicero separatim addit. Cur non proprie: *er drehte*

sich

sich bald da bald dort hin. Hoc facere solent et cupidi rei videndae et ii, qui artificium meditantur, quo voluntati suae satisfiat. Sic *versari* eodem sensu ap. Cic. Verr. II, 76 de eodem Verre, impedito aeque magna difficultate, et inde se artificio quodam extricare conante: *Haerere homo, versari, rubere*, i. e. *Er stockte, drehte sich s. machte allerhand Wendungen, ward roth.* Nam cur non proprie explicemus, ubi liceat? — Ernesti in Clave Cic. ait: *versari de eo, qui nescit, quid agat.* — Recte: at non satis definite. 2) *versari*, quia proprie est *sich herum drehen,* quae actio aliquid temporis postulat, non simpliciter pro *esse* dici potest, ut vulgo putant. Imo plus significat; estque *per aliquod tempus in loco morari, sich wo aufhalten, sich befinden.* V. c. si quis domum meam venisset, sed statim, quia me credidisset absentem, inde egressus esset, et ego sensissem, aliquem januam meam pulsasse, vellemque quaerere, quis in domo fuisset: an possem ita quaerere: *Quis domi meae versatus est?* Minime: sed *quis domi meae fuit?* Nihil apertius esse potest. Hinc intelligitur, cur *versari in re*, v. c. *in literarum studiis*, possit dici pro *occupari:* nam *occupari* manifeste *moram* indicat. Hinc intell. *versari cum aliquo* esse *morari cum aliquo, sich bey einem aufhalten.*

SECT. X

De fontibus primae s. propriae notionis.

Sed, quam praeclarum est, scire propriam vocabulorum significationem, quia ita simul totam familiam significationum, ut ita loquar, facilius cognoscimus, tam laudabile est studium illius ubique investigandae. Neque enim incredibile est, multas adhuc inveniri posse. Quaeritur vero, quonam modo prima notio investiganda? quinam sint ejus fontes? — Praecipui sunt hi duo: 1) *Comparatio omnium unius vocabuli notionum inter se*, ut, quae mater, quae filia sit, perspicias. E quacunque ceterae facilius fluunt, ea est mater, ea meretur nomine primae propriaeque significationis insigniri. V. c. varias verbi *offendo* notiones contemplans et inter se conferens, video a notione *allidendi* ceteras sponte sequi: qui *allidit*, is *reperit*, et *iram alicujus movet*, et

 infe-

infeliciter rem gerit, et vero etiam *peccat*: hinc *allidere* eſt prima notio. Si ex una harum notionum derivatarum ceterae melius deduci poſſent, haec tunc foret prima. At neque ex *reperire* ſequitur *peccare*, neque ex *peccare* ſequitur *reperire*, *iratum reddere* etc. Sic *tollo* proprie notat *ſurſum moveo aliquid*, quia hinc *removere*, et hinc *occidere* fluit etc. Deinde veriſimillimum eſt; homines priſcos primum de rebus corporeis quam de iis, quae mente intelliguntur, cogitaſſe. Iam video, *perſonam* notare et noſtrum *Maske* et noſtrum *Character:* ac, quia hoc ex illo ſequi cerno, illud pro prima notione habeo. Sic *ſcrupulus* eſt et *lapillus acutus* et *dubitatio angens*. Hinc colligo, illam notionem eſſe primam, ex eaque poſteriorem ſequi. In primis 2) *etymologia* pro *fonte primae notionis habenda* eſt. Etymologia ostendit vocabulorum originem: quam ſi accurate novi, facilius mihi de ejus conditione ad conditionem vocabuli inde ducti concludere licet. Sed origo vocabulorum eſt multiplex; nihil igitur difficilius etymologia: poteſt enim vocabulum ductum eſſe e graeca, e latina, aliave lingua: hinc multas linguas norit is neceſſe eſt, qui veſtigiis etymologiae feliciter inſiſtere cupit: poteſt vocabulum quoque ex hiſtoria, ex antiquo ritu, e mythologia in uſum vulgarem, ut ſaepe fit, receptum eſſe. Hos fontes conſulere debet etymologiae ſ. originationi, quam Cicero *notationem*, vocabulo miro et valde obſcuro, appellat, operam daturus et originem vocabulorum, ad veſtigia primae notionis invenienda, inveſtigaturus. Specimen ſingulorum exhibebimus.

1) Multa vocabula latina e lingua latina duci poſſunt (quamquam forſan prima origo in alia lingua latere poteſt). V. c.

Acclivis, a *clivo*, eſt ergo i. q. *ad clivum verſus*, *nach dem Berge zu*, i. e. *bergan*. *Sic declivis* eſt *de clivo*: ergo *bergunter*.

Ambitio

Ambitio ex *ambeo*, et hoc ex *amb*, quod cum gr. *ἀμφι* convenit, et *eo*. Ergo est *circumeo*.

Armenta videtur, nam certum non est, esse contractum pro *aramenta*, ab *arare*, quia proprie intelliguntur boves, quibus prisci arare solebant. Hinc *optat ephippia bos piger, optat arare caballus* de iis, qui id cupiunt, quod ipsis non convenit.

Avarus, ex *aveo*, *avidus*, et *aes*, quasi *avidus aeris* vel, ut alii, *auri*.

Calamitas a *frugum calamo*, qui est noster *Halm*, qui frangitur grandine.

Callidus a *callo*, h. e. duriori cute per diuturnum laborem ita facta.

Caveo videtur venire a *cavus*, ut sit proprie *occulto me*. In specubus solebant se condere priscis temporibus.

Cogo ex *co*, i. e. *simul*, et *ago*, *ich treibe*. Ergo significatio *congregandi* necessaria est.

Crudus a *cruore* videtur descendere, ut *crudus* pro *cruidus* sit *plenus cruoris*: terminatio *idus* notat copiam, v. c. *herbidus*.

Damnare a *damno*, i. e. *jactura*, est proprie *damno afficere*, (cf. *mulcta*) sic *Plaut.* Trin. IIII, 1, 10 *damnare divites*: et *poenae* primis temporibus nil aliud erant, quam damna quaedam, v. c. pecoris etc., quae inferebant judices nocenti, ac deinde *damnum capitis* cet. *Damnum* forsan est a *dare*. Certe, qui pecuniae summam *dare* cogitur, is *damnum* patitur.

Debilis videtur esse ex *habilis*, pro *dehabilis*, i. e. *non habilis*: hinc *nervis carens*, *mancus*, *parte sui carens*: talis enim est aperte *non habilis*.

Dignitas a *dignus*. Ergo est *die Würdigkeit*. Cf. supra p. 81.

Diligens a *di* et *lego*, i. e. proprie *e variis rebus eligo id, quod maxime convenit rei*; hoc est signum hominis accurati: hinc diligens *accuratus*, *attentus ad singula* etc.; sed et hinc patet, cur *diligere* quoque sit *magni aestimare*. Nam, qui e multis hominibus aliquem eligit, quo utatur, is hac re indicat, se illum prae ceteris magni facere.

Diluo e *di* et *lavo*, quasi *zerwaschen*, proprie liquorem reddere tenuiorem per aquam affusam. Cf. supra p. 81.

Egregius ab *e* et *grex*: ergo *e grege lectus* vel *legendus* proprie.

Examen ab *exactum*, supino verbi *exigo*. Sed *exigere* duo notat 1) i. q. *abigere*: hinc *examen* est *abactio fetus*, de apibus, *ein Bienenschwarm*; 2) i. q. *accurate considerare*, *perpendere*, *explorare*: hinc *examen* est *spectatio*, *diligens exploratio*.

Exemplum videtur esse ab *exemtum*, supino verbi *eximo*, pro *exemtulum* s. *exemptulum* per contractionem: scripsere enim et *emptus* et *emtus*. Ergo proprie est *quidquid e pluribus rebus eximitur*, (*was heraus genommen wird*,) ut proponatur aliis vel ad imitandum vel ad fugiendum: v. c. res aliquá gesta, fabula etc.

Eximius ab *ex* et *emo*, i. e. *heraus nehmen*, *e pluribus sumo*, *eligo*. Nam *emo* et nostrum *nehmen* sibi respondent; alterum ex altero factum videtur: τῷ *n* vel adjecto vel abjecto, prout derivare placet: hinc est *ich kaufe;* sic est nobis τὸ *nehmen* pro *kaufen*, v. c. *Wo nehmen Sie Ihre Waaren? Ich nehme alles bey dem* etc. Ergo *emo* proprie *sumo*, *capio*, *aliquid* in universum, deinde *sumere pro certo pretio*, i. e. *kaufen*. Ex hac *sumendi* notione est *adimo*, forsan etiam *demo* pro *deemo* s. *deimo*, et *eximo:* posterius est *e pluribus legere*. Ergo *eximius* est *e pluribus lectus* vel *legi dignus*, ac synonymum fere τῷ *egregius*.

Fabula a *fari*. Ergo est *quidquid homines dicunt*, *narrant*, sive falsum sive verum. Hinc *narratio:* et hinc *tragoedia* vel *comoedia*.

Faustus forsan a *fautum*, supino verbi *faveo*, ut proprie sit is, cui favent vel homines vel dii, vel utrique, vel etiam venti etc.

Gens est contractum pro *genus*, a *geno* s. *gigno*. Ergo proprie *gens*, *ut genus*, notat *eos*, *qui ex eodem homine geniti sunt*, uno nomine *familiam*. Ex hac *familia* latius *dispersa* factus est deinde *populus:* hinc pro *populo* dicitur. Aeque se videtur res habere cum vocabulo *nationis* (a *nasci*).

Imo, v. supra c. 1.

Infans ab *in* et *fari*. Ergo *fari nescius*.

Ingenium a *geno* s. *gigno*. Est ergo *quidquid ingenitum* s. *innatum* est: ergo *natura hominis*, *loci*, *montis*, h. e. *ratio ei ingenita*.

Intra pro *intera*, contracte, intell. *parte;* ab antiquo adjectivo *interus*, unde *interior:* sic *extra* pro *extera*, intell. *parte;* simile est *dextera* et *dextra:* sic *intera* et *intra* per celerem pronuntiationem.

Lautus a *lautum*. Ergo proprie *gewaschen*, hinc *rein*, *reinlich*, *prächtig*, *galant*.

Locuples forsan a *loco* et *pleo*, i. e. *impleo*. Ergo proprie *qui locum aliquem* vel loca *implet*, i. e. *qui agrum*, agros, *possidet*.

Lomentum a *lotum* ducit Gronovius in Observatt. vel contract. pro *lavimentum*.

Morosus

Morosus vel a *more* (*Eigensinn*) vel a *mora* vel *morando*. Ergo vel qui nimis *morem* suum sequitur, i. e. *eigensinnig*, vel *qui diu in re moratur*. Nam *osus* copiam, interdum nimiam, declarat, v. c. *ebriosus*, *vinosus*. Haec terminatio est graeca όεις, contracte, idem notans. Prior derivatio praeplacet: cf. paulo ante sect. 9 v. *Morosus*.

Mulcta forsan a *mulgeo*, plebejo sermone, ut *emungo*, i. e. *privo*: ut proprie sit *damnum*: et omnis *mulcta* est *damnum*. Cf. supra c. 1 *de orthogr.* v. *Mulcta* et *Damnare* hac sect.

Nobilis quasi *noscibilis*, a *nosco*, cujus supinum olim fuisse videtur *noscitum*: unde per celerem pronuntiationem factum est *notum*.

Paulus, a, um, (est enim Adj.) est e *pauculus* contractum.

Petulans a *peto*, i. e. *aggredior*: hinc *qui alios aggreditur*. Forsan est participium verbi obsoleti cujusdam *petulo*, frequentativi a *peto*, ut sit *qui saepe ac libenter homines aggreditur*, *vexat*.

Praetor est contract. pro *praeitor* a *praeire*. Hinc *dux belli*, quia hic in praelio praeire et ducere milites debet. Sic et *praeesse* proprie est *primum esse* vel *ante esse*, v. c. in re magna et periculosa. Nam *prae* proprie est *ante*, v. c. praeire; ap. Terent. est *i prae*; sic *praecedere* i. e. *ire ante*: sic *praesidere* est *sedere ante alios* i. e. *primo loco*: *praestare* i. e. *stare ante alios*.

Publicus est a *populo*, contractum ex *populicus*: *b* et *p* facile pronuntiatione commutantur; cf. supra c. 1 sect. 3 p. 27 *scripsi* et *scribsi*. Hinc *Publicola* pro *Populicola*. Ergo *publicae res* sunt *res populi totius*, i. e. *incolarum urbis*, qui saepe dicuntur ap. Livium *populus*.

Semis est contractum ex *semias*, i. e. *dimidius as*: et *as* proprie videtur significasse *unum*: quod vel sonus indicat. Nisi forsan est e gr. ἥμισυ ortum.

Sinister est forsan a *sinu togae*, qui fiebat in parte laeva s. sinistra. Futilis est Servii, ut plerumque Grammaticorum, opinio a *sino* deducentis.

Stultus est contractum ex *stolidus*.

Superstitiosus a *superstes*, et terminatio *osus* indicat *copiam rei*, eamque fere *nimiam*. Ergo *superstitiosus* est, qui nimis cupit vitam longam et aliis hominibus superstes esse. Nimis vitae cupidi omnia timent, somnia, omina etc.; hinc *abergläubig*. Ciceroni *Nat. D.* II, 28 est is, qui totos dies deos precatur et immolat, ut sibi sui liberi sint *superstites*. Male. Sed Ciceronis auctoritas in etymologia non magna est: sic idem Or. 47 ait *ignotus*, *ignavus*, *ignarus* esse pro *innotus*,

innavus, *innarus*, ob euphoniam. Male: cur non vero etiam *ignumerus?* illud *g* non est per mutationem e *n* factum, sed *gnotus*, *gnavus*, *gnarus* propria sunt vocabula: nam *gnotus* et *gnarus* sunt e graeco γινώσκω et γνωρίζω, et *gnavus* forsan respondet Theodisco *genau*. Ergo potius *ignotus* est pro *ingnotus* etc.

Uncia est contract. ex *unicia*, sc. pars. *Unicius*, *a*, *um*, fuit adject. ab *unicus* (nostris *einig*, *einzig*). Ergo *uncia* proprie est *unica pars assis:* atque ita pars duodecima. Sufficiant haec: in quibus, quia Vossii Etymologico *) careo, saepe conjectura sola niti coactus sum. Addam etiam conjecturam de origine vocabulorum *lex* et *religio*. *Lex* proprie videtur esse *via*, ex Hebr. *halach*, *lech*: hinc *actio* ut *via* apud Hebraeos, et tandem *actio praescripta*, i. e. *praeceptum*, *das Gesetz*. *Lego* proprie notasse videtur *eo:* hinc *legare* s. *mittere*, i. e. *facere*, *ut eas:* hinc *legio* i. e. milites, qui eunt pugnandi causa: hinc *intelligo* i. e. *eo* ac *penetro* in sensum verborum: hinc *legere aliquem pugno* ap. Plautum i. e. *invadere*, et *legere oculis* Virgil. Aen. VI, 34: hinc *negligo* i. e. *ne ire quidem cupio ad rem*, ut nos *ich stehe deswegen nicht auf* i. e. *contemno*, *non curo:* hinc legere *lesen*, perlegere *durchlesen*, ut nos *ein Buch durchgehen*, *durchlaufen*. Ergo *relegere* est *retro ire:* quod quia saepe fit, in primis a militibus, ob *metum*, hinc 2) *metuere*. Ergo *religio* 1) *reditus* 2) *timor:* et hic est initium omnium caerimoniarum et religionis apud gentiles. Timebant *Iovem*, *Rubigum* adeo etc.; hinc pro *omni dubitatione* dicitur: et tandem 3) *cultus dei*. Hinc intelligis versum illum, qui alioqui non explicandus est, apud Gellium IIII, 9 *Religentem esse oportet*, *religiosum nefas:* *religens* est, *qui deos timet:* *religiosus*, *qui nimis timet:* hoc terminatio *osus* indicat. Sensus est, *hominem debere deos quidem timere*, *at non nimis trepide et in omnibus rebus*, *etiam bonis*. Iudicent peritiores!

Not. Ad propriam vim verbi investigandam multum valet nosse vim terminationis verborum: v. c. a) *osus*, *a*, *um*, indicat multitudinem, v. c. *numosus*, *herbosus*, *portentosus*, *ulcerosus* cet. Eandem vim habet terminatio *idus*, v. c. *herbidus*, *floridus* cet. b) *arius*, *a*, *um*, est proprie *versans in re*, *tractans rem*, v. c. *argentarius*, i. e. versans in argento, tractans argentum *sich damit abgebend* etc.: hinc *argentaria* scil. ars vel res: *argentarius* scil. negotiator: sic *aviarius*, *boarius*

*) Hoc postea consulere licuit, sed parum inde utilitatis capere potui.

boarius cet. c) *men* vel *mentum* est *id, quod efficit rem, valet ad rem, Mittel zu etwas*, v. c. *tegmen, tegmentum, Bedeckungsmittel, solamen Trostmittel* cet.

2) Multa vocabula latina originem trahunt e graeca, hebraica aliave lingua, vel ex communi illa prisca, e qua graeca, hebraica, et ceterae natae sunt. Cum Graeca conveniunt v. c.

Ango ἄγχω; *autem* αὖτε; *aestus* ab αἴθω *uro*; *basium* videtur esse a βάζω *loquor*, ut sit proprie *os, osculum*; *crumena* videtur esse γρυμαία, quod *perae* genus esse traditur in Lexicis; *donum* a δᾶνος vel a δόω; *eo ich gehe* ἔω, unde εἶμι; *extrico* a *tricis*, et hae sunt τρίχες, quibus impediunt se aves, ut expl. Baxter. ad Horat. serm. I, 3, 88 si etymologia certa; *furfures* videntur esse βόρβορος i. e. *coenum; gaudeo* γηθέω; *garrio* γαρύω; *madeo* μαδάω; *mors* est μόρος contr. i. e. *fatum; num* videtur esse μῶν eadem significatione per metathesin; *nae* ναί; *navis* ναῦς; *novus* νέος; *nervus* νεῦρον; *neo* νέω; *nuo* νεύω; *nebula* νεφέλη; *nox* νύξ; *nunc* νῦν; *ovis* ὄϊς; *scruta* γρύτη; *taeda* δαὶς a δαίω *incendo; vado* est βάδω i. e. *eo; vita* est βίοτος. Et sic innumerabilia. — Cum theodisca innumerabilia conveniunt, v. c. *abscheiden abscedo; anzeigen indicare; bitte peto; es beliebt libet; berauben privare; Bilz* (non *Pilz*) *boletus; doppelt duplex; Esel asellus; Eimer amphora; Eber aper; einig unicus; eins unus*, εἷς, ἑνὸς, *as; falsch falsus; Faß vas; Fackel facula*, a *fax; Flegel flagellum; Flocke floccus; Füllen pullus; gelb gilvus; Garten hortus; gestern hesternus; Grube scrobs*, addito *s* ut saepe; *heute hodie; Haut cutis; Haber avena; Hanf cannabis; Herr herus; Horn cornu; Hirsch cervus; jagen agere; immer semper*, addito *s; Kerze cereus; Kalk calx; Katze Catus; kalt Kälte gelidus; legen locare; läppisch* forsan *lepidus* per abusum; *lauter* i. e. *rein* a *lautum, lautus; Mark* i. e. *Gränze margo; ich mische misceo* μίσγω; *ich nähe neo; nüchtern* forsan a *nocturnus* vel νυκτερινός; *nützlich utilis, n* adjecto; *oder aut; Ort*, i. e. extremitas, *ora; Pacht pactum; Pfund pondo; Pfeiler pila;* sic *Pfoste, Fisch, Filz, Pforte* etc. est *postis, piscis, pileus, porta* etc.; *putzen putare*, i. e. mundum reddere, et inutilia demere, de arboribus; *Parchen* (circa hortum) *paries* quasi *parjes; rauh raucus* et *ravus; Rahm* (lactis) *cremor* addito *c; roh rudis; Ruthe* forsan *rudis; rotten, ausrotten*, a *radix; schökern* (non *schaekern*) *jocari; Schrein*, i. e. Schrank, *scrinium; schreibe scribo;*

scribo; Stiefeln tibialia, et innumerabilia in *s; tilgen deleo; Tisch discus*, ob formam; *Vieh pecus*, mutatione facili; *Vogel* a *volare, volucer* etc. Haec hactenus.

E quibus patet, quam similes sibi sint linguae, et quantopere commendanda sit comparatio omnium linguarum, quarumcunque cognitionem consequi possumus, in primis in iis rebus, quae omnibus gentibus prisca aetate communes erant, et quae non ad certam sectam philosophiae vel religionis omninoque doctrinam pertinent. *Etymologia*, atque ita primarum notionum origo, egregie per illam adjuvatur.

3) Multa vocabula ex historia et priscis ritibus in linguam ipsam et in communis vitae usum venerunt. Quod si itaque historiae priscae et antiquorum rituum cognitione cares, in illorum prima notione eruenda frustra desudabis; neque vero etiam ipsa vocabula deinde recte et apte usurpare poteris. V. c. *Croesi divitiae* non de *quovis divite* hodie dici possunt; quia non intelliguntur *divitiae magnae* per se, sed *divitiae potentis regis*. Ergo tantum de *magnis opibus regis cujusdam* dicendum, non de *opibus privati*. *Cineres* et *urna* de mortuis hodie non bene dicuntur, quia nostri mortui non comburuntur, nec cineres urna conduntur, ut ap. Romanos et alios priscos: qui itaque *ad urnam usque, ad cineres usque*, alicui deditum vel amicum se esse scribit, ridiculus est h. e. mentitur. Sic nec *Colophonem addere* hodie dici potest pro *perficere*. Usurpemus tantum ea vocabula, quae ad nostram aetatem accommodari possunt. Valde igitur dubitandum est, an *legio, cohors, manipuli, laurea* de *victoria, triumphus, fasces* de *imperio, tribunus plebis, sestertius, denarius, toga* de *pace, sagum* de *bello*, *arma* de *bello* etc. hodie satis apte et perspicue de nostris rebus dicantur. Huc pertinent in primis haec, quae hodie usurpari nonnunquam video:

Discedere

Discedere in alicujus sententiam pro *assentiri;* apud Romanos *proprie* discedebant senatores, quod hodie non fit. Sic *pedibus ire in alicujus sententiam*, quod eodem pertinet.

Puncta omnium ferre i. e. *plausum*. Nam, ubi est nobis *rogator ille*, qui ad ponticulum stans suffragia colligit et puncto notat? Romani ita loqui poterant, et sic Horatius. Sed tamen raro ita loquebantur, quia punctorum usus jam obsoleverat.

Pro rostris dicere pro *e suggestu ad populum*. Ubi sunt apud nos *rostra?* Ridicule *pro rostris sacris dicere* nonnulli dicunt. Tales nugas proferunt, qui latinitatem non ex etymologia primaque origine indagarunt. Volunt *docte* loqui, h. e. ita, ut sermo eorum antiquitatem sapiat: quasi non possimus sine illis vocabulis antiquitatis romanae *docte* loqui.

Patres conscripti pro *senatu* non dixerim: praesertim cum ne satis quidem intelligamus, cur *conscripti* apud Romanos nominati fuerint.

Censor vitio vel *sine suffragio populi creatus; fasces submittere; scriptores proletarii* vel *capite censi*, vix dicere ausim, quia nostris temporibus non conveniunt, licet Heineccius I, 2. 33 ** p. 163 dicat, ea esse *elegantissima*. Per *jocum* quidem istis formulis uti liceat.

In arenam descendere cum aliquo pro *disputare cum aliquo* vix sine inhumanitatis specie dici potest. *In arenam* descendebant *gladiatores:* quales homines? sortis infimae: et pugnabant ad mortem usque, nec, ad veritatem defendendam, sed ad populi oculos delectandos. Quis hodie hanc formulam de nostris philosophis usurpare audeat?

Quod ad *deos* attinet, quaeritur, an dicere possimus *vario Marte pugnare* pro *fortuna belli; invita Minerva* de iis, qui non sapienter beneque scribunt ac dicunt; *Vulcanus* de *igne* etc., quia isti *dii* sunt *Nonentia:* forsan tamen usus inveteratus ista permittit interdum; praesertim cum perspicuitati non officiant. Neque vero per *Iovem, Herculem*, aliosque deos jurare nobis licet; non decet dicere, *mecastor, mehercule, hercle, pol, edepol* etc. Nec *Minervam* ut *deam sapientiae* usurpem. Quaeritur, an *Musas*, cum eorum praeside *Apolline, Gratias* s. *Charites*, *Heliconem*, *Parnasum* nostris carminibus intexere debeamus. — Si per *jocum* fit, nihil est, quod contra dicamus: sin *serio*, quaeritur, quid v. c. per

Musas, quid per *Helicona* intelligamus. Priscis Musae erant deae: nam amentes fuissent, si eas invocare coepissent, nec tamen vere putassent deas esse: et *Helicon* erat iis locus a Musis habitatus. Nos, sicut et multi e priscis, hodie per *Musas* intelligimus literas, in primis poesin conjunctam cum Musice. Olim enim poetae simul erant Musici, v. c. Orpheus, Linus etc. — Satius est, nos ista omnia relinquere poetis, qui talibus figmentis carmina ornare gaudent. Intelligentes et vere docti, h. e. qui vere eloquentiam didicerunt, atque ita sine admistione deorum et dearum aliisque figmentis, quae nostrae religioni et nostris temporibus tantopere illustratis vix amplius conveniunt, aliquid pulchri ac venusti proferre valent, per se omnibus istis figmentis, praesertim nimis jam usurpatis et fere obsoletis, abstinebunt. Qui vero nil ex suo ingenio proferre, nil sponte cogitare, possunt, eos utique necesse est, si quidem scribere cupiunt, ad priscos confugere, eorumque, licet non pulchras verasque, sententias, quibus illi repleti sunt, sed religionem, deos etc., h. e. *verba* sine *sententia* et *jocos*, diripere inque sua carmina infercire. Ac profecto nonnulli ne canere quidem saepe possent, nisi de Cupidine, Venere, Baccho, Helicone, Pindo, Parnaso, Phoebo, Musis, Charitibus etc. canerent, atque ita ea, quae inde ab Anacreontis aetate jam cani coepta et millies jam repetita sunt, repetere liceret. Ignoscendum ergo iis est, modo ne vocent hoc *imitari priscos.* An imitatio vel simulatio religionis gentilis est tota priscorum imitatio? An hi nil praeterea habent, quod ab ipsis hauriri possit? In priscis, cum oratoribus tum poetis, tot sunt venustates, modo eas norimus, ut prae his, quidquid de Baccho, Cupidine etc., ibi dicta sint, id contemtu dignum censendum videatur. Atque ipsi prisci, v. c. Virgilius, Homerus, si nostra aetate viverent et Christianorum sacris uterentur, haud dubie *Bacchi*, *Veneris*, *Cupidinis*, *Musarum*, *Heliconis* etc. nominibus, et-

iamsi

iamſi iis nota e priſcorum lectione fuiſſent, tamen abſtinuiſſent: quia ad ſua ſacra ſe et ſua carmina accommodaturi fuiſſent. Omnis imitatio debet *ideis* cerni, non *verbis*, et valde vituperandi ſunt docti, qui, ſi quis non niſi verba apud Ciceronem aliosque priſcos aureae aetatis occurrentia adhibet, licet *mens* Ciceronis ibi non appareat nec ejus eloquentia, ſtatim dicunt, eum Ciceronem *feliciſſime* imitari, ſ. eſſe Ciceronianum. Haec de origine vocabulorum, quatenus primae eorum notioni inveſtigandae ſervit. — Tria adhuc ſubſidia etymologiae addam: cognitionem pronuntiationis priſcae, librorum de etymologia ſcriptorum, et *troporum*, ut vulgo adhuc appellantur.

1) *Cognitio pronuntiationis priſcae*, quae, niſi ubique certiſſima, tamen ſaepe veriſimillima eſt (de ea ſupra p. 27 dixi), valde prodeſt ad originem vocabuli ac deinde primam notionem reperiendam, v. c. a) quia *ci* pronuntiatum eſt *ki*, hinc video, *doctum* e *docitum* fieri potuiſſe, quod e *dozitum* non fieri potuiſſet: b) ob celerem pronuntiationem vocalis, in primis brevis, interdum et longa, atque adeo tota ſyllaba, omiſſa eſt; v. c. *doctum* pro *docitum*; *lectum* pro *legitum*; *amaſti* pro *amaviſti*. Hinc video, *praetor* e *praeitor* recte poſſe duci, atque ita proprie eſſe eum, qui aliis praeeat et ipſos ducat in praelium. Hinc video, *uncia* pro *unicia* ex *unicus* fieri potuiſſe; nempe ex *unicus* formatum eſt novum adjectivum *unicius:* deinde τὸ *i* omiſſum eſt, ut in *doctum*, atque ita factum *uncius;* ergo *uncia pars* eſt *pars unica totius*. Quia ſcio, per eandem celerem pronuntiationem *cis*, *gis*, mutatum eſſe in *x:* hinc video, *quincunx*, *ſeptunx*, ex *quinque*, *ſeptem*, et *uncia* compoſitum eſſe, et *ſeptuncem* proprie eſſe ſeptem partes unicas ſ. *uncias*, *ſieben einzelne Theile des ganzen*, τὸ *c* in *quincunx* pro *qu*, nam debebat eſſe *quinquunx*, me non movet, quia *q* vel *qu* lectum eſt ut *k*, qua de re ſupra p. 28. c) ſaepe etiam ob vitioſam pronuntiationem una litera temere in fronte adjecta vel omiſſa eſt, v. c. *ſal* eſt gr. ἅλς; *ſorbeo* eſt gr. ῥοφέω; *ſeries* eſt gr. ὅρχος; *ſulcus* eſt αὖλαξ; *ſegnis* ὄκνος; *ſcrobs Grube* etc., ubi *ſ* praefixum eſt: Contra in noſtra additur, ubi in alia deeſt, v. c. *ich ſalbe* eſt gr. ἀλείφω; *Schlüſſel* eſt κλεὶς; *ich ſorge* eſt ὠρέω; *ich ſpare parco* etc.

etc. d) interdum transpositae sunt literae, v. c. τέρην, tener; *Arzt* ἰατρός. Haec et alia, de quibus supra p. 29 paucis, et in libello vernaculo: *Gedanken von den Eigenschaften der deutschen Schreibart* etc. pluribus, exposui, qui observat, facilius sibi viam ad etymologiam aperiet et muniet.

2) Cognitio librorum de etymologia scriptorum. Hic Vossius in Etymologico dicitur princeps esse: sed dubito, an vere ita appelletur. Egregia habet hanc in rem Perizonius in notis ad Sanctii Minervam passim; qui accuratius hac in re cogitat, quam Varro, Cicero, aliique prisci, item Festus aliique Grammatici. Hi enim ludunt saepe magis quam explicant.

3) *Cognitio troporum*, h. e. translationum vocabuli e propria sede atque ita notione in aliam sedem atque notionem, in primis tenenda est. Nam, sicut tropus me a propria vocabuli vi ad translatam ducit, sic idem me retro fert a translata notione ad propriam (ob conjunctionem et comparationem supra dictam), atque ita pedetentim a propria vi ad originem vocabuli. Ut enim a causa ad effectum, ita quoque contra ab effectu ad causam concludi potest. Dolendum est, in multis scholis tropos tantum edisci, tanquam res sit memoriae, neque tanquam fontem pulchritudinis et elegantiae manifestari: nil magis acuit mentem, quam troporum justa explicatio, e qua discitur, quomodo idea alia ex alia nascatur s. nasci videatur (*ideam* et *vocabulum* hic pro una re habeo), et quomodo a filiis h. e. derivatis notionibus ad *matrem* h. e. primam notionem recurrere, hancque de illarum vera indole atque etiam usu consulere debeamus. De his igitur tropis separatim nunc agetur, praesertim cum iis magna pars elegantiae, h. e. magna suavitas et gravitas dicendi, contineatur.

SECT. XI

De tropis universis.

Cum permulta, imo pleraque, vocabula sint tropica, h. e. ab aliis rebus, quas proprie insignire debebant, ad alias certis de causis translata; cum inde pleraeque variationes vocabulorum, ad suavitatem gravitatemque dicendi et scribendi saepenumero pertinentes, oriantur: de tropis quaedam hic sunt dicenda, praesertim cum sine

iis

iis vel potius eorum recta explicatione neque prima vocabulorum notio neque conjunctio, inter hanc et inde derivatas intercedens, perſpici judicarique poſſit.

Tropus eſt appellatio valde indefinita, ut pleraque technica vocabula e peregrinis linguis arceſſita, niſi *definitione* ſ. *explicatione* adjuventur; ad verbum ſignificat *converſionem* ſ. *mutationem:* et hic intell. *vocabulorum*, vel potius *notionum* in iis incluſarum. Eſt igitur *tropus*, ſi definire placet, *translatio vocabuli* ſ. *notionis a priſtina propriaque ſede in alienam recte inſtituta.* *Recte* i. e. e regulis certis et immutabilibus, e quibus ſolis illa translatio fieri debet. Nam non pro libidine transferri licet, v. c. pro *lupus vorat oves* non dici poteſt *ovis vorat lupos.* Quaenam ſunt regulae iſtae? *Hae* ſunt *perſpicuitas*, *ſuavitas*, et *gravitas.* Ad has reſpici debet in omni translatione, niſi *ovem* pro *lupo* et *lupum* pro *ove* dicere velimus. Non ſatis eſt, vocabula permutare velle, aliudque alii ſubſtituere: debet etiam id, quod ſubſtituitur, manifeſte tale eſſe, ut intelligamus ſtatim, *ſubſtitutum* id *vere eſſe* illi, atque illius munus ſustinere poſſe. Hoc poſtulat perſpicuitas, prima virtus eloquentiae. Iam, quia prudentes obſervarunt, iſtam translationem, ſi perſpicuitati nil obeſſe vellet, quatuor modis tantum fieri poſſe, hinc *quatuor genera* translationum ejusmodi ſ. permutationum iſtarum fecere. Videbant nempe pro idea, quae loco alius hic poneretur, non poſſe nobis illam ideam, cui haec ſubſtituta eſſet, in mentem facile venire (ut tamen e lege perſpicuitatis fieri debet), niſi inter utramque ideam aliqua ſimilitudo aliaque conjunctio, ſaltem externa, intercederet, quia e lege phantaſiae nobis, quandam rem cogitantibus, ea ſimul tantum in mentem venit, quae cum illa aliquid commune vel conjunctum habet. Ad hanc igitur ſimilitudinem vel conjunctionem, licet ſubinde remotam, reſpexere, et, cum tantum *tres* poſſent jure pleno translationis *modos* ponere, quia non niſi tres juſtae eorum

causae erant, *similitudo*, *conjunctio externa*, et *conjunctio interna*, tamen, cum *ironiam* nulli alii aptiori generi subjicere posse viderent (quia tamen ea est quoque quaedam *translatio vocabuli*), hinc *quatuor* translationis *genera* fecere. Nempe 1) vocabula, quorum notiones aliquid *similitudinis* inter se habent, v. c. quod ad formam, effectum attinet etc., inter se, si contextus ita fert, permutari possunt. V. c. *sol recreat terram omnem: rex* etiam *recreat terram* suam: inter utrumque subjectum intercedit similitudo, quod uterque *terram recreat:* hinc pro *rege* potest *sol* poni; saltem in vernacula lingua hoc fit interdum, sed addito, ob perspicuitatem, vocabulo *terrae: die Landessonne:* sic pro *causa* ponitur *fons;* quia, ut ex hoc *aqua*, ita ex illa *effectus quidam* fluit. Haec translatio, pulcherrima illa quidem, si apta, vocatur vulgo *metaphora*, satis indefinite. 2) Vocabula nonnulla, quorum notiones non quidem physica conjunctione, sed cogitatione tantum, cohaerent s. cogitantur tantum cohaerere, ut causa et effectus, antecedens et consequens, possunt, ubi perspicuitas contextus id patitur, inter se quoque commutari. Quae commutatio s. translatio aeque indefinito vocabulo *metonymiae* vulgo appellatur. V. c. Romani dicebant *Bacchum bibere*, *Cerere vesci* i. e. *vinum*, *frugibus* vel *pane* etc., quia Bacchum et Cererem pro causa vini et frugum habuere: et *bibere*, *vesci*, indicat, *vinum* et *fruges* vel *panem* intelligi debere. 3) Vocabula nonnulla (nam non in omnibus hoc licet), quorum notiones, i. e. res illis insignitae, vere et physice inter se cohaerent, tanquam *totum* et ejus *partes* vel essentiales vel integrales, possunt *interdum*, h. e. si perspicuitas contextus concedit, inter se commutari, v. c. *pater sepultus est* i. e. *corpus patris*. Hoc genus translationis vocatur *synecdoche*. 4) Vocabula denique, quae specie externa quidem differunt, quia plerumque per jocum dicta sunt, at tandem eandem ideam notionemque continent, interdum, i. e. si

perspi-

perspicuitas concedit ac suavitas vel gravitas ita crescit, commutari possunt. V. c. *indoctus homo* per jocum interdum ponitur pro *docto* et contra: ergo, si quem notum hominem, qui indoctus est, voco doctum, quisque videt, me tamen intelligere indoctum: hic commutantur tantum vocabula, non ideae. Vocatur haec commutatio *ironia*.

In omnibus his tropis recte usurpandis haec in universum sunt tenenda:

1) *Vocabulum* (i. e. *notio*), quod alii substituitur, debet tam notum esse, quam id, cui substituitur. Alioquin enim perspicuitas offenditur. Omnis dicens et scribens vult placere, persuadere, et movere: quod quomodo potest, nisi intelligitur?

2) Vocabulum, quod substituitur, debet esse eo, cui substituitur, venustius, vel certe pro ratione materiae aeque venustum. Nam, cur commutamus vocabulum cum vocabulo, nisi venustatem hac commutatione crescere velimus, vel si invenustius substituamus?

3) Causa, cur vocabulum vocabulo substitutum sit, facile e contextu debet intelligi, scilicet utrum factum sit tantum variationis causa, an ob majorem suavitatem gravitatemve. Ergo similitudo conjunctioque illa idealis et essentialis statim animadvertenda est.

4) Non in omnibus tropis *ornatus* quidam orationis semper est. Omnis hic *ornatus* efficitur demum, si inter plura synonymica vocabula id eligimus, quod ad suavitatem et gravitatem aptissimum est. Ergo, si ad ideam quandam exprimendam vocabulo tropico uti cogimur, quia proprio vocabulo caremus, v. c. *refutare widerlegen*, vel, si idea nova, quam tropus infert, non suavitatem gravitatemve adjuvat et auget, nullus ornatus illi vocabulo tribui potest. Errant tirones, qui omnia tropica vocabula putant *ornatum* orationi conciliare.

5) Tropica vocabula non ubique temere usurpanda sunt; sed tantum, ubi contextus ratio postulat. In ideis igitur simplicibus, v. c. *mori*, *esse* etc., simpliciter enuntiandis, v. c. in narratione, frustra de ornatu per tropicum quaerendo cogitas, nisi affectatum genus scribendi appetis.

6) Tropica vocabula, quae propter venustiorem notionem, quam continent, orationi suavitatem conciliant, non nimis debent cumulari, ne taedium lectori et auditori creent.

7) Tropica vocabula, quae orationi gravitatem conciliare debent, non usurpanda sunt, nisi contextus est talis, ut animus lectoris vel auditoris sit movendus, h. e. nisi res ipsa gravis est.

8) Quia omnes hae permutationes vocabulorum aliquid obscuritatis per se continent, nisi contextus ratio talis est, ut facile, quid proprie intelligendum sit, videas, propterea, quotiescunque vocabulo tropico utimur, adesse simul debet vocabulum aliquod, sive sit praedicatum sive subjectum, quod doceat, utrum tropicum illud proprie an tropice positum sit, v. c. *comedere Cererem*, *bibere Bacchum* etc.: hic *τὰ comedere* et *bibere* docent, *Cererem* et *Bacchum* non proprie poni, sed aliquid intelligi, quod comedi et bibi possit. Interdum totus contextus id docere debet, v. c. *Ucalegon ardet:* hic *τὸ ardet* non sufficit ita, ut intelligas, *Ucalegontem* esse *domum Ucalegontis*, quia et *homo ardet* v. c. cupiditate discendi etc. At totus Virgilii contextus docet, *Ucalegontis domum arsisse.*

9) Nisi vocabulorum, quae tropice vis usurpare, notionem primam recte intelligis, non recte illa tropice adhibere potes. Hinc patet, quam necessaria sit iis, qui troporum ornamenta affectant, primae vocabulorum notionis cognitio. Quemadmodum igitur troporum cognitio docet, quomodo primam notionem vocabulorum ex notionibus inde derivatis investigare et reperire debeamus, ita docet quoque, quomodo his derivatis recte utendum sit. Sic manus manum lavat.

10) In omni usu troporum valde tamen quoque regnat usus dicendi, saepe regulas migrans: hic igitur simul tenendus, nec solis troporum regulis nitendum. Neque ergo ea, quae in una lingua tropice recte h. e. usitate dicuntur, in omnibus aliis linguis propterea dicenda sunt: neque igitur omnia, quae in vernacula recte tropice dicuntur, in latinam aliamve statim transferenda sunt, nisi multorum scriptorum auctoritas accedat.

En brevem *historiam* troporum, ut melius de iis judices! *Commutatio ista vocabulorum*, quam hodie docto illo quidem, sed obscuriori, vocabulo *troporum* appellamus, et, quae in omnibus linguis reperitur, primum *casu* vel per *negligentiam* ac *commoditatem* orta est. Primis enim temporibus singulas res propriis nominibus, h. e. quae non aliis rebus communia essent, exprimebant, ita, ut, quot res, totidem vocabula reperirentur.

tur. Et, cum res corporeae, sensibusque expositae, v. c. *oculus, pes, dolor corporis, cibus, somnus, ignis* etc., haud dubie primae essent, quarum nomina cum aliis communicare vellent homines, sive latine siue theodisce etc., has primas esse vocabulis expressas certum est. Postea vero quam, uti fieri solet, corporeae et res et actiones multiplicabantur, et homines videbant quandam cognationem, i. e. similitudinem vel conjunctionem, inter rem priscam et inter rem novam intercedere: factum est, ut, quia ob commoditatem animum ad novum nomen vocabulumque inveniendum intendere nolebant, nomen, rei priscae proprium, etiam rei novae tribuerent. Videntes, se ab iis, quibuscum loquerentur, tamen intelligi, pergebant et ipsi et ipsorum filii, nepotesque, et alii istas duas res uno communi illo nomine ac vocabulo insignire, v. c. *caput hominis* et *caput montis* ac *fluvii*, *oculus hominis* et *oculus mundi* i. e. *sol*, *dens hominis* et *dens ancorae*, *pes hominis* et *pes montis*. Cum deinde etiam *res incorporeas* v. c. *actiones mentis animique* verbis exprimendas viderent: sumserunt brevitatis et commoditatis studio, quia novum vocabulum proprium excogitare nollent, vocabula illa, quibus jam corporeae nominabantur, quia inter utrasque similitudinem aliquam notabilem intercedere animadverterent, v. c. *aeger* de *corpore* et de *animo*: sic *spiritus* de substantia illa incorporea, *video* de *mente* etc. Haec quidem est origo *metaphorae*. Homines, cernentes, ope istorum vocabulorum, licet alienorum, tamen rem, quam exprimere vellent, ab aliis intelligi, pergere sic non dubitarunt: imo in aliis quoque rebus, quae jam sua nomina haberent, horum loco interdum peregrina, similitudinis eorum tamen habita ratione, posuerunt, idque cum temere, h. e. quia proprium nomen non statim iis in mentem veniebat, tum vero etiam duntaxat variandi causa, ad taedium vitandum. Videntes porro, se sic intelligi, atque adeo placere, ita perrexerunt: do-

nec tandem *eruditi* h. e. poetae et oratores, uno nomine *philoſophi* (olim enim philoſophi erant iidem oratores ac poetae), qui ad uſum dicendi ſemper ſolent attenti eſſe, cum animadvertiſſent, *peregrina* ſ. translata vocabula propter novitatem ac ſenſum interiorem magis delectare, quam *propria* h. e. vulgaria, illa *augere*, diligentius *colere*, totamque rem, ut fit, *praeceptis includere* inque *artis* formam redigere ſtuderent. — Aeque ſimplex origo et eadem ratio eſt ceterorum troporum. Cum homines proprie dicere deberent v. c. *patris corpus eſt ſepultum*, *carmina Homeri hic ſunt*, *legi Ciceronis libros*, *civitas Carthaginienſium bellum parat*, *aurea vaſa tua non curo* etc.: pro iis breviter ac negligenter dicebant interdum: *pater jam ſepultus eſt*, *Homerus hic eſt*, *legi Ciceronem*, *Carthago bellum parat*, *aurum tuum non curo* etc. Ab aliis ſic ſe intelligi videntes perrexere, donec tandem eruditi, haec obſervantes, iſtam dicendi rationem melius expolirent. Haec eſt origo *metonymiae* et *ſynecdoches*.— Sic et *ironia* caſu per jocum hominis ingenioſi vel neceſſario inventa. Cogebantur interdum homines alicui aſſentiri, ac vel aliquid laudabant vel vituperabant, ubi contrarium ſentiebant. Cum appareret, mentem tamen vere ab aliis intelligi, iſtam rationem ſaepius, licet per jocum maxime, adhibuerunt. Ex his paucis apertum eſt, 1) tropos *caſu* ac per negligentiam et commoditatem inventos vel ortos, ac deinde ſtudio eruditorum in primis cultos et amplificatos; 2) omnem tropum *proprie* ſubtilitati, diligentiae, et veritati repugnare, h. e. tropico vocabulo notionem ideamque veram, quam exprimere volo, non vere accurateque exprimi, ſed *aliam*, (licet *conjunctam*): ac propterea omnem tropum per ſe, ac, ſi rem ſubtiliter examinas, falſum et vitioſum eſſe, quia perſpicuitati quodam modo officit, niſi et conſuetudo dicendi et contextus veram rationem iſtius novae et ſubſtitutae notionis aperte oſtenderet ac veram rei notionem, cui illa

tropica

tropica ſubſtituta eſt, nobis in mentem ſimul redire cogeret. V. c. *homo flagrat amore* proprie non vere dictum eſt: *homo* enim non *flagrat* proprie; at ex addito *amore* colligo, per id verbum *flagrandi* intelligi, *amorem hominis* eſſe *inſtar ignis*, ſ. eſſe tantum, ut non modo per totum ejus corpus ſerpat, ſed etiam per externam hominis ſpeciem, v. c. rubore vultus, ſe declaret. Sic *amor* non vere eſt *ignis*, nec vere pro *igni* ponitur; at, quando de Didone, quam poeta dixerat incredibili amore Aeneae teneri et flagrare, lego: *coeco carpitur igni:* ſtatim haec notio *ignis* mihi in memoriam revocat notionem *amoris illius*, efficitque, ut hunc tanquam ardentem et corpora conſumentem ignem conſiderem. 3) inde patet, non omne tropicum vocabulum per ſe *ornare* ſtilum, ſed id tantum, quod notionem et rem pulchriorem, ſuaviorem, fortiorem quam proprium, ſed ſimul contextui ubique convenientem, contineat, v. c. *ver aetatis* ſuavius eſt quam *adoleſcentia;* ergo pulchrius per ſe, quia *veris* ſuavitas nota eſt. Errant tirones in legendis vocabulis, ſemper tropica propriis praeferentes, quaſi ſemper ac per ſe ſint pulchriora. 4) vocabula, quae ſibi ſubſtituuntur, aeque nota eſſe debent iis, coram quibus dicis et quibus ſcribis, v. c. *ver* omnibus hominibus notum; at non *Charybdis* etc. Peccant hic ſaepe recentiores, qui, ſi quid novi in noviſſimis itinerum narrationibus et alibi reperiunt, id, tanquam omnibus notum ſit, ſtatim adhibent, ac ſaepe ne explicatione quidem adjecta: cupiunt forſan aliquam majorem doctrinam peritiamque ostentare. Iam ſtrictius de ſingulis tropis ſ. translationis modis agemus.

SECT. XII

De Metaphora ſ. *translatione ob idearum ſimilitudinem.*

Metaphora eſt *translatio notionum ob notabilem et notam ſimilitudinem;* ſeu, ſi clarius explicare velis, eſt

genus quoddam breviloquentiae, quo pro vocabulo, quod notionem ideamque rei exprimere debebat, vocabulum, ideam similis rei continens, apte h. e. salva perspicuitate *ponimus*; vel sic: *est genus breviloquentiae, quo pro idea ipsa similitudinem ejus uno vocabulo inclusam ponimus, ita tamen, ut idea illa omissa simul ipsa ex contextu intelligatur. Vocabulum* itaque *metaphoricum* est id *vocabulum, quod loco ideae, quae proprie declarari debebat, ejus tantum similitudinem exprimit, salva tamen perspicuitate*, h. e. ut tamen, quae idea proprie poni debuerit, manifeste simul intelligamus. Possit *metaphora* etiam breviter ita definiri: Est *omissio particulae comparativae, tanquam, velut, quasi:* nam metaphoram non esse tam commutationem veram vocabulorum aut idearum, quam omissionem istarum particularum comparativarum, et omnino esse tantum *breviloquentiam quandam*, exemplis docebimus: v. c.

Intemperantia est mater mortis pro *causa mortis* dictum est pro: *intemperantia mortem parit, ut mater infantem;* seu: *intemperantia* est *quasi mater mortis.* Sic *sapientia* est *fons bene dicendi* dictum pro *sapientia* est *quasi fons* etc.; s. *ut e fonte aqua manat, ita e sapientia τὸ bene dicere.*

Amore flagrare dictum est proprie *quasi flagrare amore*, h. e. *eo amore teneri, qui ad ignis vehementiam prope accedat.*

Ad fontem murmurantem dormire pro *dormire ad fontem, qui eundem fere sonum edit, quem edere solent homines murmurantes;* seu brevius pro: *dormire ad fontem, murmurantem quasi.*

Sanguis Abelis clamavit ad Deum pro *sanguis Abelis Deo tam celeriter innotuit*, vel *Deus ita celeriter norat, quasi sanguis clamasset:* brevius *Sanguis Abelis clamavit quasi ad Deum.*

Flos juventutis periit i. e. *optimi fortissimique juvenum perierunt*, s. *pars maxime vegeta juvenum periit*, dictum est pro: *ea pars juvenum periit, quae tam vegeta est, ut florem eorum appellare queas;* seu brevius: *Pars ea juvenum, quae quasi flos eorum fuit, periit.*

Ver aetatis i. e. *adolescentia* dictum est pro: *pars aetatis ea, quae tam laeta est quam ver esse solet*, seu brevius: *Aetatis pars ea, quae quasi ver ejus est.* Ergo *in vere aetatis periit* est pro *quasi*

quasi in vere aetatis etc. s. *in ea parte aetatis, quae est instar veris.*

Coeco carpitur igne Virg. Aen. IIII, 2, i. e. coeco magnoque *amore*, dictum est pro: *carpitur tali vi coeci amoris, qualis in igne esse solet*; seu brevius: *caeco carpitur tanquam igne.* Non igitur, si subtiliter loqui vis, *ignis* pro *amore* dictus est: nam ut *amor* non est *ignis*, sic et *ignis* non est *amor*: at *amor potest igni similis esse*; sic *flamma* de *amore* Ovid. Metam. VII, 77: sermo est de Medea, quae, licet amorem Iasonis animo pellere studeret, tamen eo iterum viso denuo flagrabat amore. Verba sunt: *Cum videt Aesoniden; exstinctaque flamma revixit: Erubuere genae, totoque recanduit ore* etc.: in verbis duobus *flamma revixit* est duplex similitudo, ergo duplex metaphora: a) *flamma* pro: *vehemens amor, qui est instar flammae*, quae corpora incendit, cutem rubram reddit etc.: sic amor vehemens totum corpus pererrat, ut flamma, et se externa specie, v. c. in cute, ostendit: hinc addit poeta: *eruburere genae, totoque recanduit ore;* seu brevius: *flamma* est pro *quasi flamma*: b) *revixit* est pro *tanquam, quasi revixit, quasi vitam recepit*, h. e. *flamma ita se ostendit, ut vires suas mortuas recepisse videretur.* At quam breviter: *flamma revixit!* Et quisque intelligit, ad amorem respici. Quis tolerare potuisset, si Ovidius scripsisset: *et quasi flamma quasi revixit*, s. *et amor vim suam ita instauravit, ut flamma, diu oppressa, vires suas denuo ostenderet?* Sola igitur brevitas metaphoram commendat: brevitas enim animum fortius ferit etc. Brevitas haec cernitur in eo, quod praeter notionem rei, quae proprie nominari debet, simul notio rei illi similis additur: non enim est vera mutatio idearum vel vocabulorum, ut vulgo traditur, sed complexio duarum notionum in uno vocabulo: in metaphora enim semper duae notiones simul intelligi debent. Quod si id, quod diximus, observamus, scil. in metaphora esse non nisi brevitatem, et non nisi particulam similitudinis *quasi* etc. omissam esse: facile intelligitur, cur rhetores praecipiant, interdum, scil. in duriori metaphora, emolliendi causa adjici debere *velut, quasi, tanquam, ut ita dicam* etc. Dicere sic poterant: Quemadmodum in omnibus metaphoricis vocabulis particula comparativa *velut, quasi* etc., omitti potest ac debet, si similitudo jam nota h. e. usitata est, nosque ita eam jam percipimus, sic, ubi ea non usitata ac nota est, adjiciendum est *signum aliquod similitudinis* v. c. *velut, quasi* etc.

Paucae adhuc de metaphorarum usu regulae notandae sunt, quae e praecedd. sponte fluunt.

Prima est: *Similitudo* illa rei, quae substituitur, statim debet animadverti, exigente hoc perspicuitate. Animadvertitur vero ea facillime,

1) *Si res ipsa substituenda nota satis est.* Non igitur res ignotas, et quarum ratio visque non satis manifesta est, adhibere debemus, v. c. pro *rubedine genarum* potest dici *rosae genarum:* non vero *Alkermes*, vel flos Americanus paucis notus. Eloquentia non tam docta quam perspicua vult esse.

2) *Si similitudo apta et perpetua inter utramque rem intercedit:* v. c. *rosa* de *genis: ver* de *adolescentia: stipes, vervex*, de *stupido homine: volare* de *celerrime euntibus: natare* de *iis*, *quae se celerrime movent in liquore:* ut *pisces* in aqua natant, ita et *oculi natantes* dicuntur de mortuis. Non *apta* similitudo intercedit inter duas res, si hae ipsae magnitudine vel aliis virtutibus nimis differunt. V. c. Non omnia *acuta* inter se comparari possunt, non omnia *alta* et *magna:* v. c. *gladius* non cum *acu*, nec *acus* cum *gladio:* quis sine risu dicere possit: *vibravit longam acum*, licet addat perspicuitatis causa, *e vagina ductam?* Sic *mons* non bene *verruca terrae*, nec *verruca mons manus*, dicatur. Quaeritur itaque, an *nix capitis* dici possit, cum similitudo tantum colore, eoque non satis congruo, contineatur. Sed usus loquendi omnia emollit, v. c. apud nos *ein Bißchen Wasser, ein Bißchen Verstand* etc., ubi forsan pauci ita loquentes cogitant, vocabulum *ein Bißchen* esse deminutivum vocabuli *ein Biß, morsus:* vel *Bissen*, *bolus.* Sed haud dubie primis temporibus non nisi de rebus, in quibus morsu opus est, h. e. de siccis corporeisque, dictum est: deinde abusus, ut fit, secutus est. Sic in Lusatia audivi dicere *ein Stäubchen Wasser, Butter, Verstand* etc. Hinc quaeritur, an *gramineae hastae* ap. Cic. Verr. IIII, 56 de *culmis graminis inusitatae magnitudinis* et *altitudinis* dici possint, nisi forte dicas, a plebe Siciliae, quae in eligendis rerum nominibus non nimis accurata esse solet, istud cognomen *hastae* venisse: et Ciceronem hoc nomen semel vulgo receptum retinere voluisse, ob perspicuitatem. Cicero quidem non videtur inventor istius appellationis esse: neque per jocum ita locutus esse videtur. Nam per jocum multa dicere licet, quae serio dici non possunt. Sic *caput montis*, *pes montis*,

non

non ſatis accurate dicuntur, quia nulla alia ſimilitudo cogitatur, quam haec: *caput* eſt *ſumma*, *pes infima*, *pars*, ut hominis, ita montis. At ſumma pars hominis a ſumma parte montis valde differt ſpecie: et infimae partis montis longe alia ratio et figura eſt, quam hominis. Uſus tamen loquendi omnia reddit tolerabilia.

Altera regula: Iſta ſimilitudo, loco propriae notionis illata, debet eſſe honeſta: neque ita vocabulum, quod vocabulo ſubſtituimus, obſcoenam, nimis plebejam, omninoque injucundam notionem continere debet. Sic peccauit, qui dixit, *rempublicam Africani morte caſtratam eſſe.* Peccavit contra humanitatem et ſuavitatem. Cavenda quoque ſunt omnia vocabula, quae, licet per ſe videantur honeſta, tamen in mente lectoris et auditoris ideas injucundas v. c. foetoris etc. excitare poſſint. Nam commutamus vocabula, non ut turpius, ſed ut venuſtius, eligamus, nec ut venuſtiori notioni turpiorem et injucundiorem, ſed ut injucundiori jucundiorem, ſubſtituamus. Add. ſuaviſſimam eſſe metaphoram, quae rebus inanimatis vitam tribuit, v. c. *herba ſurgit*, *ſitit*, *moritur* etc.

Tertia regula: In commutanda re cum re videndum eſt, ut *ſimilitudine* ejus rei, quam ſubſtituimus, univerſa contenti ſimus, nec eam ad ſingulas partes extendamus, niſi derideri velimus. V. c. dicimus quidem *caput montis*, at propterea non *naſum*, *capillos montis* etc.; dicimus *pedem montis*, at non propterea *digitos*, *ungues montis* etc. *Navis volat* recte dicitur: ſic et *homo advolat:* hic ſimilitudo avium univerſa manet: at, ſi adderem quoque *alas* etc., ridiculus fierem, h. e. mentirer nimis aperte, quia, ut in monte naſus, digiti pedis, ſic in homine et nave alae, non reperiuntur. Lector et auditor, qui ſimilitudinem univerſam tolerabat, nunc ſentit, ſibi de induſtria illudi, et vel iraſcitur vel ridet. Peccavit hic Lohenſteinius, qui dixit: *er hat dem Glücke auf beyden Achſeln geſeſſen*, et *Gracianus: die Hautboiſten der Au-*

rora

rora singen an Salve zu geben, als die Sonne zum Vorschein kam, und den Zapfenstreich der Sterne zu schlagen, pro: *die Vögel singen an zu singen, als die Sonne zum Vorschein kam, und die Sterne wichen:* Ridicule. Cur? quia in metaphorae usu ultra fines similitudinis universae progressus est.

Quarta regula: In similitudine semel recepta pergere decet, nec ab alia ad aliam statim transgredi licet in eodem contextu. Ergo, unde v. c. subjectum sumtum est, inde quoque praedicata sumenda sunt. Pertinet hoc utique ad perspicuitatem ac simul ad suavitatem: injucundum enim foret, si subjectum v. c. e militia ductum esset, praedicata ab aqua, a piscibus, ducere: nonne auditorum exspectatio ita falleretur? Quare, si v. c. pro *amore* sumis *ignem*, non potes v. c. dicere *ignis trahit*, *suspendit* etc., at *ignis ardet*, *penetrat*, *consumit*, *angit*, *perdit*, *incendit*, it. poetice *est medullas;* et huc pertinet *serpit*: quia hoc non ad proprium quoddam subjectum pertinet, sed omnibus rebus, celeriter ac sensim se huc et illuc moventibus, convenit. Sic, si pro *consilio* velim *finem* usurpare, debent addi praedicata, propriae *finis* notioni (i. e. *Ende*, *Gränze*) convenientia: ergo dici potest *finis certus*, at non *pulcher* etc. Sic *vestigia* pro *signis*, *indiciis*, non possunt dici *magna*, *egregia*, *pulchra*, sed *expressa* h. e. *perspicua*, quia in *vestigiis* proprie sumtis (*Fußstapfen*) non quaeritur, an sint *magna*, *pulchra*, sed an *expressa*, ut, qui ea legere velit, iis insistere possit. Sic *vestigia* non *imitamur*, sed *legimus*, *sequimur*, *vestigiis insistimus*. Sic *gradus*, proprie *Stufe*, *Staffel*, si cum *honoris* conjungitur, semper ea praedicata habere debet, quae *gradibus scalae* proprie congruunt: nec igitur dici debet *gradus honoris magnus*, *pulcher*, sed *altus*, *summus:* quia in *gradibus* scalae proprie sumtis non cogitatur eorum *magnitudo*, *pulchritudo*, sed *altitudo:* nec possum dicere *summum honoris gradum accipere*, *impetrare*, sed *adscendere*, et *pervenire ad summum gradum*

dum etc.: quia *gradum* (*Stufe*) nemo *accipere* poteſt, quia tum non amplius foret *gradus*, ſed lignum vel ſaxum etc. — Quaeritur ergo, an *vultures poſſint ſepulcra viva avium* dici. — Minime: quia τὸ *vivum* non *ſepulcro* proprie dicto convenit. Si tamen uſus dicendi, qui non a philoſophis ſed a plebe originem ducit, illud invexiſſet, tolerandum foret. Uſus enim multa emollit, v. c. *ein Bißchen Waſſer, ein Bißchen Verſtand, ein Stäubchen Waſſer, Butter*; de quibus ſupra: cf. infra *eine Stelle anführen, in dubium vocare* etc., quae proprie dura ſunt, at diuturni uſus loquendi beneficio duritiem amiſerunt. — Sed, quod dixi, ſubjecto metaphorice ſumto addi debere praedicata ei proprie convenientia, hoc non ita debet intelligi, tanquam cetera omnia excluſa ſint. Minime. Imo ea tantum ſunt excluſa, quae ad certa ſubjecta proprie pertinent, cetera omnia ſubjecto metaphorice poſſunt tribui, dummodo ſimilitudo et perſpicuitas ſervetur: v. c. *ignis*, metaphorice ſumtus pro *amore*, eſt *magnus, acer, validus, exiguus, languidus, vincit, ſuperat, tenet, capit, habitat, ſe inſinuat, fluit, pertentat animum, meat, pererrat, labitur, ſerpit, deſcendit, oritur, exſtinguitur, vivit, furit, deſinit, incipit, evaneſcit, carpit, eſt medullas* etc., ut jam ſupra monui: nam haec praedicata non tam ſerviunt uni ſubjecto, velut hero ſuo, ut non et aliis ſubjectis, ſi apte fieri poſſit, ſuam praeſtent operam.

Ceterum haec omnia ut primarum notionum accurata ſcientia, qua ſaepe caremus, ita in primis uſu loquendi nituntur. Nihil enim eſt tam durum, quod ille non molliat, nihil tam abſonum, quod ille non interdum adeo ſuave et honeſtum reddat. Id quod in omnibus linguis obſervare licet; v. c. in noſtra dicimus *eine Stelle aus einem Buche anführen* i. e. ad verba: *locum adducere*; it. *Gründe anführen* i. e. ad verbum: *fundamenta adducere*. Quid abſurdius? quomodo *locum*, qui fixus eſt proprie, quomodo *fundamenta* proprie ſumta *adducere*

cere

cere possis? Et tamen nos ita loquimur: Latini non item; qui dicunt *locum laudare*, *memorare*; *argumenta* (*Gründe*) s. *caussas afferre*, *commemorare.* At iidem Latini dixerunt tamen *adducere in sermonem*, *invidiam*, *vituperationem* ap. Cic. Verr. III, 61 in. Sic *vocare in dubium*, *vocare aliquem in crimen*, *in suspicionem*, apud Ciceronem; it. Cic. Orat. II, 9 in. dixit: *Eadem facultate* scil. dicendi *et fraus* (i. e. *scelus*) *hominum ad perniciem et integritas ad salutem vocatur: vocari ad perniciem* est *ins Verderben gestürzt* et *ad salutem vocari errettet werden.* Sed quomodo possum *aliquid in dubium* proprie *vocare?* Quomodo *scelus ad perniciem vocari* et *integritas ad salutem vocari potest?* Nonne *τὸ vocare* aeque hic durum est, atque illud nostrum *eine Stelle anführen*, *Gründe anführen?* Usus dicendi est tyrannus, cui parendum est, et cui omnes adeo regulae parere coguntur. Cf. quod supra dixi de nostro *ein Bißchen* (*parvus bolus*) *Wasser*, *Verstand.* Usus loquendi venit a plebe; et, quamquam eruditi h. e. Philologi eum corrigere conantur, tamen omnia corrigere non possunt, quia a) Critici s. Philologi sero oriuntur, postquam lingua ipsa diu jam in usu fuit; b) Critici minimam partem populi constituunt; sed usus loquendi a pluribus, non a paucioribus, pendet. Hinc explicari potest, quod Philologi interdum de duritie dictionis et tropi cujusdam queruntur. Accedit, quod saepe ne scimus quidem, quid proprie, quid tropice, sit dictum, et a qua re vocabulum hoc vel illud translatum, ac, licet de propria ac prima notione vocabulorum et translatione eorum hinc atque illinc facta dicamus, tamen saepe nobis fatendum est, nos id non certo scire, sed tantummodo e contextu quodam aut e comparatione plurium notionum conjicere, vel Grammatici cujusdam auctoritate inductos id credere, v. c. *minae*, cum de *muris* dicitur, dicunt tropice dictum: quia putant, propriam et primam notionem esse *comminationem*, *die Drohung*; at verisimilius est, *minas* proprie esse

esse *pinnas muri eminentes:* hinc *eminere, imminere*, facile inde derivatur; et hinc *minae* pro *comminatione:* quia, qui superior est aliis, qui eminet, is aliis minatur. Hinc multa forsan, quae nobis *dura* videntur, priscis *plana* fuerint. Nolimus itaque priscos nimiopere vituperare. Sic reprehendunt nonnulli Horatium, quod in Epist. I, 1, 39 dixit:

Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit, Si modo culturae patientem commodet aurem. — *Buchn.* de *Commutat. dicendi* p. 49 hic putat peccatum esse, quia *ferus* translatum sit a *brutis*, (ab *animalibus* male ait *Heinecc.* I, 2, 30 *** p. 152 memorans Buchneri hanc animadversionem) *mitescere* a *fructibus* (a *frugibus* male Heinecc.), *cultura* ab *agris*. — At quis primum certo scit, *ferus* proprie de *brutis* dici, et Horatium similitudinem horum in hoc vocabulo cogitasse? Forsan Horatius nil aliud cogitavit, quam *hominem expertem disciplinae, culturae*, ut nos dicimus *ein wilder Knabe, wilder Mensch*, ubi non statim *bruta* cogitamus. Deinde nec certo scimus, an *mitis, mitescere*, proprie de *fructibus*, h. e. *pomis*, et *colere* de *agris* et *hortis* dicatur. Sed, etiam si hoc certum sit, *mitescere* saltem et *cultura* egregie sibi congruunt: nam *mitia* i. e. *matura*, et *immitia* i. e. *acerba, non matura, poma* dicuntur: et *colere* de *hortis*, ut de multis aliis rebus usurpatur, quae diligenter curantur.

SECT. XIII

De Metonymia s. translatione vocabulorum ob conjunctionem rerum externam.

Metonymia est *commutatio rei cum re ob conjunctionem externam;* seu magis perspicue: est *genus translationis, qua res cum re*, seu *nomen rei potius cum nomine alius rei*, interdum *commutatur, quia inter utramque est quaedam conjunctio*, non quidem illa integralis et essentialis (ut in synecdoche), sed tantum *idealis et relativa quaedam*, h. e. quia alteram sine altera non cogitare possumus, atque ita facile res ea, quae pro altera ponitur, hujus simul notionem nobis in mentem revocat. Hinc

Hinc intelligitur 1) hanc commutationem interdum tantum, nec in omnibus rebus, inter quas ejusmodi conjunctio intercedit, locum habere; sed in iis fere, quarum commutatio usu loquendi jam stabilita est: 2) contextum semper talem esse debere, ut commutationem facile agnoscas, h. e. vocabulum aliquod adesse oportere, quod doceat statim alterum metonymice explicandum esse. Iam consideremus istas res inter se commutandas, in eoque sequemur ordinem consuetum:

I) Inter *causam efficientem* rei, v. c. *auctorem*, *inventorem*, et *rem ipsam* ab illa *effectam* est *conjunctio externa* s. *relatio quaedam*, h. e. neque hanc sine illa, neque illam sine hac, cogitare possum. Hinc *interdum* (sic in hoc tropo ubique loquendum, quia non ubique licet) illa pro hac et haec pro illa usurpatur: h. e. nonnulla vocabula causam efficientem notantia pro vocabulis effectam rem indicantibus Romani posuere et contra: quos, quatenus nos hodie decet, imitari licet. V. c.

a) *Causa efficiens* pro *re effecta;* v. c. *Homerus* est auctor *Iliados* et *Odysseae* etc. Quae carmina qui vidit, legit, potest dicere *vidi Homerum* i. e. *carmina Homeri.* Sic *Virgilius* est *legendus* pro *Virgilii carmina* legenda sunt. Sic *Faber* pro *Lexico Fabri.* — At non dicere possum: *Drakenborchius* pro *notis ejus in Livium*: nisi sermo ante fuerit de Livio: nec dicere licet ubique *Melanchthonem* pro *locis ejus theologicis.* Ergo tantum licet ponere *auctorem* libri pro *libro*, si uterque valde notus est; si ille nihil aliud praeterea scripsit; si liber est memorabilis et usu tritus, vel si saltem contextus docet, per scriptorem intelligi debere librum ejus, v. c. *In legendo Livio tibi commendaverim Drakenborchium et Dukerum:* ubi aperte intelliguntur *eorum notae.* Sic *lingua* est effectrix *sermonis:* hinc *lingua latina* pro *sermone latino.* Sic prisci posuere *Cererem* pro *frugibus* et *pane*, *Bacchum* pro *vino*, quia auctores harum rerum putabantur; *Vulcanum* pro *igne*, *Musas* pro *literis*, *Venerem* et *Cupidinem* pro *amore* etc. — At praedicata addita hoc debent declarare, v. c. *edere Cererem*, *Ceres aqua marina corrupta*,

corrupta, *bibere Bacchum*, *animos recreat Bacchus*, *Vulcanus evertit tecta*, *incendit* etc. Quaeritur hic, an nos hos deos eodem modo hodie usurpare debeamus. Quaeritur etiam, annon pari jure *Schwarzius*, inventor pulveris illius pyrii, pro hoc poni possit.

b) *Res effecta* pro *causa efficiente* ponitur interdum, vel potius poni videtur; v. c. *Umbra* dicunt poni pro *arbore* scil. *densa*, frondibusque densis ornata: quia alioqui non possit umbram efficere. — At semper tamen *umbra* proprie intelligenda, non *arbor*: et quid nos cogit, v. c. *in umbra jacere*, *umbra recreare membra*, semper explicare: *sub arbore jacere* etc.? *Arbor* per se cogitatur. Non autem hic *umbram* pro *arbore* poni vel inde patet, quod dicitur *in umbra jacere:* an possimus dicere: *in arbore jacere?* quod dicendum foret, si *umbra* plane commutaretur cum *arbore*. — Sic *pallor* pro *timore* dicitur poni, quia est hujus effectus. — At 1) tum non de omni timore dicendum foret, sed de *gravi* tantum, vel potius de *angore animi repentino*, vel *terrore:* hic enim *pallidum os* reddit. 2) semper tamen *pallor* ipse proprie intelligitur: cur itaque non proprie intelligimus *pallorem*, quotiescunque occurrit? Cur tantopere gaudemus vocabula commutare sine necessitate? Pertinent huc *adjectiva* nonnulla, v. c. *tristis hiems*, *tristis senectus*, *pallida mors* pro *tristes*, *severos*, *pallidos homines reddens*. Possit et *tristis hiems*, *tristis senectus*, per prosopopoeiam explicari, ut nostri dicunt: *ein strenger*, *trauriger Winter*, *das finstere*, *ernsthafte Alter*.

Huc pertinet in primis commutatio *antecedentis* et *consequentis*, quia *antecedens* simile est quodam modo *causae*, et *consequens effectui*. Scilicet quidquid rem aliquam ita *antecedit*, ut haec vel necessario vel fere semper fieri soleat, quodam modo *causa* dici meretur, quemadmodum *res* ita inde *consequens* nomen *effectus* non male gerere potest. Hinc, si alterum *ob usum dicendi* ponitur pro altero, hoc statim intelligitur; hincque commutationi utriusque, licet per se contra subtilitatem et veritatem, atque hactenus vitiosa, sit, tamen, quia perspicuitas non offenditur, ignosci potest. Hujus commutationis, quae in omnibus linguis longe frequentissima est, exempla pauca afferamus:

a) *Antecedentis* pro *consequente*: v. c. *vale dicere* pro *abire*, vel *abire velle:* quia, qui *abit*, antea solet *vale dicere*. Sic et nostri: *ich werde mich empfehlen* pro *fortgehen:*

hen: it. *Abschied nehmen* pro *eodem*. Sic *memorem esse* pro *gratum esse*, *gratias agere*, *gratiam habere*; quia, qui vere *memor* est beneficii, is *gratiam habet*: it. *oblivisci beneficia*, i. e. *immemorem esse*; sic nostri: *Vergiß die Wohlthaten nicht*, *ich werde diese Gefälligkeit nie vergessen*, i. e. *semper ero gratus*. Potest tamen hic etiam dici *signatum* poni pro *signo*: quia *gratus animus* est signum *memoris*: et *ingratus* signum *oblivionis*.

b) *Consequentis* pro *antecedente*: v. c. *cadere* in praelio pro *caedi*, *interfici*: quia caesi humi cadunt. Sic nostri *fallen*, it. *bleiben* pro *getödtet werden im Treffen*; quia, qui interficitur in praelio, is ibi *manet*, nec revertitur inde. Sic *sepultus* pro *mortuo* dicitur; idque interdum gravius: quia, qui moritur, etiam apud nos sepelitur. Et quia apud priscos Romanos corpora mortuorum quidem cremabantur, at ossa eorum et cineres deinde humabantur: hinc videntur interdum Romani *humatum esse* pro *crematum esse* posuisse, quia illud post hoc *semper* fiebat: hinc Cicero in loco de Legg. II, 22 supra memorato dicere poterat, omnes *sepultos* i. e. *crematos* suo tempore dici *humatos*. At hinc non sequitur, *humari* esse i. q. *cremari*, quemadmodum *cadere* non plane est idem, quod *interfici* etc. Per negligentiam dicendi tantum ita locuti sunt. Sic *erubescere* pro *pudere*; v. c. *erubuit* i. e. *pudet illum*; quia *rubor vultus* sequitur plerumque *pudorem*. At non propterea *erubuit* et *pudet illum* plane synonyma sunt: nec illud nisi de *magno pudore*, vel *pudore* hominis ingenui, qui ruboris istius capax adhuc est, dici potest. Neque tamen video, cur *erubescere* non de *rubore* proprie intelligamus: nam ad hunc proprie respicere omnes ita loquentes, nec ad pudorem simpliciter, manifestum est.

Ceterum haec commutatio et antecedentis cum consequente et consequentis cum antecedente valde commendanda est: nam

a) posterior commutatio, scil. antec. cum conseq., ad gravitatem orationis valde prodest: quia ideam antecedentem silens et statim consequentem memorans, atque ita rem celerius tradens, animos auditorum repente occupat magisque movet. Quid quaeso gravius est: *caeditur vir fortiter pugnans?* an *cadit, vir fortiter pugnans?* In hoc plus sentio, quam in illo. In *cadit* cogito τὸ *caedi* sponte, non in hoc *illud*. Sic quid gravius est: *Reversus statim domum amici intro: hic obstupesco audiens,*

eum

eum diu sepultum esse: an — *eum diu mortuum esse?* Nonne hoc in illo per se intelligitur?

b) Utraque commutatio et antecedentis cum consequente et hujus cum illo *suavitatem* dicendi dupliciter adjuvat: 1) *variatione:* quae per se suavis est: v. c. quando modo dicitur: *mortuus est*, *vivis ereptus est*, *vita excessit* etc., modo *nobiscum non amplius est*, *nos reliquit* etc.: haec duo posteriora sunt consequentia τȣ̃ *mortuum esse*, et *vita excessisse*. Sic *librum scribere* vel *conficere* et *librum edere* possunt commutari, quia, qui librum *scribit*, eum plerumque *edit*, vel qui librum *edit*, eum plerumque *scripsit*. 2) *euphemismo* s. humanitatis significatione, quae per illam commutationem consequentis et antecedentis valde adjuvatur: nam ita ideae injucundiores cum jucundioribus, saltem cum minus tristibus, commutari possunt; v. c. *beatus pater* pro *mortuo; abire in sedem beatorum: ponere id, quod mortale erat* pro *mori:* ubi consequens pro antecedente positum est. Sic *Venus* et *amor* pro *coitu* honeste dicitur; ubi est antecedens pro consequente.

II) Inter *rem* e quadam *materia factam* et inter hanc *materiam* semper est eiusmodi conjunctio idealis s. *relatio*, ut illa sine hac non possit cogitari: hinc interdum materia pro illa ponitur. V. c. *aurei numi*, *vasa aurea*, *argentea*, *stannea* non sine idea *auri*, *argenti*, *stanni* cogitari queunt: hinc factum est, ut *aurum*, *argentum* etc. pro illis usurparetur, v. c. *convivium splendet argento*, i. e. *vasis argenteis* etc.; sic apud nos: *sie haben schönes Silber*, *Zinn*, i. e. *multa vasa argentea et stannea; einen in Golde bezahlen*, *in Silber*, i. e. *numis aureis*, *argenteis*; *sich in Seide tragen*, *in lauter Seide gehen*, i. e. *in seidenen Kleidern*.

Hic not. 1) qui rem diligentius considerat, facile videbit, istum loquendi modum, v. c. *aurum* pro *aureis vasis*, *numis* etc., esse valde indefinitum, ac per se valde obscurum, nisi contextus ope veram notionem colligere liceret; atque ita magis *negligentiae* quam *elegantiae* signum esse. Hinc plane vitiosus foret, nisi usus loquendi, tyrannus ille, vitia subinde excusari, atque adeo interdum

terdum pro virtutibus haberi, juberet. 2) non ubique convenit *materiam* ponere pro *rebus* inde *confectis*; sed tantum in nonnullis usu receptis: ut *aurum* pro *numis*, *vasis aureis* etc. Non igitur dicere licet *atramentum* pro *literis*; non *chartam* pro *libris*, nisi forsan per contemtum aut jocum; non *lignum* s. *materia* pro *domo*; non *vitrum* pro *fenestra*; non *aurum* pro *annulo aureo*. Cur? quia perspicuitas prohibet: ac profecto, licet *aurum*, *argentum* etc. pro *numis*, *vasis* etc. ponatur, tamen hic non tam *numorum*, *vasorum*, quam potius *auri* et *argenti*, ratio habetur: nec hic respicitur ad *rotundam* figuram numorum, ad *imaginem* etc., sed tantum ad *materiam*. Ergo commutatio vocabulorum et idearum magis esse videtur, quam vere est.

III) Inter *locum* et *ea*, *quae in illo loco semper reperiuntur*, saltem ibi perpetuo esse cogitantur, est quaedam relatio s. conjunctio idealis, quia non locum sine illis, nec illa sine isto loco, cogitamus. Hinc iste *locus* interdum, i. e. ob negligentiam et celeritatem dicendi, pro *illis* ipsis ponitur,

V. c. *orbis terrarum laetatur*, nos: *alle Welt freuet sich*, i. e. *homines*; sic et Francogalli *tout le monde*. Sic *coelum nosse* i. e. *stellas*; it. *den Himmel anrufen*, *der Himmel wird sorgen*, ut nonnulli non satis reverenter loquuntur, pro *Gott anrufen*, *Gott wird sorgen*, quia *coelum* pro domicilio dei habetur. Sic *Roma* pro *Romanis*, *Gallia* pro *Gallis* etc. — Not. Hujusmodi formulae ortae sunt ab negligentia, nec, nisi usus jam recepit, illas usurpare debemus: repugnant enim perspicuitati h. e. elegantiae.

Huic similis est permutatio *domini* s. *possessoris domus* ac *rei familiaris* pro *hac domo* ac *re ipsa* et contra, propter eandem relationem s. conjunctionem idealem. At 1) praedicata et alia verba addita debent hoc declarare 2) usus loquendi debet consentire 3) raro ita, nec fere nisi a poetis, vel per jocum, vel etiam in sermone vulgari ita dicitur. V. c. *Claudius pependit venalis* ap. Suet. i. e. *domus* vel *praedium ejus*: *Ucalegon ardet* i. e. *domus Ucalegontis*, ap. Virgil.: it. *hospes ardet* i. e. *domus hospitis*, ap. Horat., ut nostri *abbrennen* de homine quoque *er ist abgebrannt*; ubi τὸ *pendere venalem* et τὸ *ardere* cum contextu

textu docent, non de *hominibus* ipsis accipiendum esse τὸ *Claudius* et τὸ *Ucalegon.* Sic et nostri alicui, quem domi non invenerant, interdum dicunt: *ich bin bey dir gewesen*, h. e. *in deinem Hause.* Ita et Latini, v. c. Terentius. Huc referri potest *debitorem disscari debere*, i. e. *ejus bona*; sic *comedere aliquem*, i. e. *alicujus rem familiarem:* est hyperbolica et jocosa locutio, ut nostri: *einen bald auffressen;* cui quodam modo similis est: *cantherium comedere* ap. Cic. ad Div. VIIII, 18 i. e. *pecuniam* pro eo *acceptam*, et *bona comedere* Horat. I epist. 15, 40. Nec nostri aliter, in primis plebeji.

IIII) Inter eum, qui exercitui vel terrae praeest et inter hunc exercitum terramve relatio quaedam s. conjunctio idealis est: hinc interdum, h. e. in certis formulis dicendi, ille pro exercitu vel terra ponitur, et contra: v. c.

a) *Dux militum* pro *militibus*, si de re sermo est utrisque communi, v. c. *Scipio fugavit Hannibalem; Scipio evertit Numantiam; Marius multa millia hostium cepit:* hic tribus imperatoribus tribuitur aliquid, quod militibus non minus tribuendum est. At factum hoc tamen est Imperatoris consilio et jussu; ex regula illa: *Quod quis per alium facit, id ipse fecisse putatur ac putandus est:* quemadmodum, qui domum sibi aedificandam curat, *aedificare* dicitur, nostris *er baut*, licet per alios aedificet vel aedificari curet; sic *dux belli*, licet per milites hostes fuget, tamen eos ipse potest dici fugasse, quia sine ejus jussu et cura id fieri non potuisset. Sic *dux fugatus est*, nostri: *ist geschlagen worden*, tanquam solus dux fugatus sit. — At in omnibus istis formulis dicendi, in quibus dux militum aliquid solus fecisse vel passus esse dicitur, quod toti exercitui commune est, et quod milites simul fecerunt vel passi sunt, debent praedicata talia esse, ut appareat, de exercitu toto, nec de solo duce, sermonem esse, v. c. *pugnare*, *fugare*, *fugere*, etc. sunt attributa militum aeque ac ducis: deinde res ipsa docet, ducem solum non pugnare, non solum hostes fugare posse etc.

b) *Terra tota* pro *rege*, *principe*, qui ei praeest, interdum, h. e. si praedicata apta sunt, dici potest. V. c. *Gallia bellum gerit*, *instruit exercitus*, *classes*, *bellum indixit*, *pacem fecit* etc. pro *Rex Galliae bellum gerit*, *instruit exercitus*, *classes*, etc. Docent hoc praedicata *bellum*

gerit, *instruit exercitus*, *classes*, *bellum indixit*, *pacem fecit*: nam haec non nisi de regibus ac summam potestatem habentibus dici possunt. Sed quaeritur, quae sit causa, cur *Gallia* dicatur *bellum gerere*, *instruere exercitus*, *bellum indicere* etc. pro *rex Galliae bellum gerit* etc.? Fateor, non accuratam istam rationem dicendi esse, et vere subtilitati h. e. veritati repugnare proprie. At, quia rex tanquam *caput regni* omnia *publica*, nam in iis tantum ista commutatio locum habet, nomine regni agit, ac rex Galliae non nisi nomine totius Galliae *bellum gerit*, *indicit*, *pacem fecit* etc.; ac quia simul omnes cives Galliae participes hujus vel belli vel pacis fiunt: hinc toti regno quodam modo tribui id potest, quod rex solus egit. — Sed istam commutationem, qua regni nomen pro regis nomine ponitur, non ubique locum habere, sed tantum in publicis rebus, modo monuimus: hinc in privatis rebus non licet, v. c. pro *Rex Galliae pedum dolore laborat*, *aegrotat*, *mortuus est*, non dici potest: *Gallia pedum dolore laborat*, *Gallia aegrotat*, *Gallia mortua est*. Hae enim sunt res, quae nomine totius regni non fiunt: hinc perspicuitas postulat, ita non dici. Hoc accuratius explicandum putavi, quia nuspiam accurate explicatum videram. Sic nec *rex* pro *regno* dici potest: at pro *exercitu*, licet eum ipse non ducat, v. c. *rex Galliae* dici potest *fugasse hostes*, *urbes expugnasse*, *fugatus esse* etc., licet per totum bellum ne interfuerit quidem exercitui. Dici ita saltem permittit usus loquendi, quia rex, licet non exercitum ipse ducat, tamen ejus summus dux est: et hic valet regula superior: *quod quis per alios agit, id ipse egisse putatur et dicitur*.

V) Inter *signum rei notabile* et *rem* ipsam isto signo notatam est relatio s. conjunctio idealis: hinc, si *signum* istud *certum*, *notum*, et *perpetuum* est, potest hoc pro re, eo signata, interdum, h. e. ubi usus fert, usurpari.

V. c. prisci dixere *lauream* pro *victoria*, *fasces* pro *imperio* et *magistratu summo*, *togam* de *pace*, *sagum* de *bello*, *apicem* de *sacerdotio*, it. *arma* de *bello*, quia prisci non nisi *belli* tempore *arma* sumebant. An haec omnia nostra aetate usurpari possint, dubito, cum *laurea*, *fascibus*, *toga*, *sagis*, *apice* non amplius utamur, et *arma* hodie pacis tempore quoque sumantur et gerantur. Ergo *inter arma silent leges* melius convenit dicere priscis quam nostris tem-

temporibus. Sic Gallis *le Cordon bleu* de *ordine quodam equestri*: sic *pallor* pro *terrore repentino* et *angore animi*, quia signum ejus est: sic *erubescere* pro *pudere* interdum poni potest, quia *rubor oris* est signum *pudoris*: sic pro *ver est* dici possit *violae florent*; cf. Hor. I od. 4, ubi plura signa veris. Sic *luna lucet* dici possit pro *nox est*; cf. plura apud poetas, v. c. Ovid. Met. VII, 187 — *nullo cum murmure sepes, Immotaeque silent frondes, silet humidus aër, Sidera sola micant*, h. e. *media nox erat*: eleganter!

VI) Quia inter *tempus*, quo *res aliqua agitur*, et *rem illam ipsam* aliqua relatio ac conjunctio est: hinc etiam *tempus* istud pro *re* ista dici posse vulgo dicunt. — At ego semper puto *tempus ipsum* proprie intelligi debere (poetas hic non curo); v. c. *diem* dicunt saepe pro *re*, quae ista die fit, poni. Videamus exempla.

Homo, qui certo die ad supplicium ducetur, *horret istum diem*, i. e. *supplicium*, ut ajunt. — Recte: horret supplicium; at nonne ei ipse dies propterea horribilis quoque est? Sic *diem* pro *judicio* dici putant, v. c. *instat dies*, i. e. *judicium*. — At tamen semper *dies* proprie intelligitur, quod apparet e praedicatis, quae huic vocabulo adduntur. Phaedr. I, 16 extr. ovis ait lupo et cervo: *ubi vos requiram, cum dies advenerit*, h. e. *dies solutionis*. Ernesti in Clave Cic. in hoc Ciceronis loco ad Div. I ep. 2 §. 7: *is dies honestissimus nobis fuerat in senatu*, τὸ *dies* dicit poni pro *eo, quod in die fit*; explicatque: *quae eo die in senatu acta sunt, nobis honestissima fuere*. — Recte: at quid opus est metonymia? idem sensus, et forsan paulo pulchrior, efficitur, si ad verba vertas: *dieser Tag hat mir im Senat große Ehre gemacht*. Sic nos quotidie fere loquimur, et quisque intelligit. Cur igitur mutemus? Non debemus numerum significationum verbi sine necessitate augere: quo major eorum fit numerus, eo plus perdit *elegantia*: haec eligit aptissima quaeque verba; quae si pro libidine cum aliis commutamus, ubi illa tamen praeclaram sententiam continent, nonne ita elegantia tandem pereat necesse est? Et prisci saepe coguntur hodie aliquid dicere ac cogitare, quod forsan non dixerunt nec cogitarunt.

SECT. XIIII

De Synecdoche s. translatione notionum ob arctiorem conjunctionem.

Synecdoche est *id genus translationis, quo duae notiones* s. *res consuetudine vulgari inter se interdum permutantur ob conjunctionem earum intimam et essentialem* h. e. *talem, ut altera sine altera esse nequeat, et, una pereunte vel deficiente, altera quoque vel pereat vel imperfecta saltem sit.* Talis conjunctio est inter *totum* et *ejus partes*: atque quodam modo ob similitudinem aliquam inter *genus*, *ejus species* et *individua.* Ponitur igitur interdum, h. e. si usus loquendi et perspicuitas admittit, *totum* pro *parte*, *pars* pro *toto*, *genus* pro *specie*, *species* pro *genere* et *individuo*, et *individuum* pro *specie.* Dixi *interdum*: nam *interdum* tantum vel raro haec commutantur, et plerumque tantum commutari videntur iis, qui non satis attendunt. Nam plerumque *pars*, quae pro *toto* dicitur poni, de *parte* proprie explicari potest sine ullo adjumento synecdoches. At interdum eruditi nolunt priscos ad verba explicare: hinc ad novas significationes inveniendas et cumulandas ad tropos confugere coguntur, cum cogitare deberent, priscos in deligendis vocabulis ita diligentes fuisse, ut ea cum aliis temere commutare et confundere nefas esse videatur. Magna cautione in hoc tropo opus est.

I) *totum* ponitur pro *parte;*

V. c. *homo* pro *corpore* vel *animo hominis*, per usum loquendi: ut *heri pater meus sepultus est*, i. e. *patris corpus*: nam animus, altera pars patris, non simul sepultus est. Sic *pater meus nunc fruitur communione angelorum*, i. e. *patris animus.* Sic *mater mea lactatur*, i. e. *animus matris*: *offendere aliquem*, i. e. *alicujus animum*, ut et prisci rectius dicunt. *Milites multi vulnerati sunt*, i. e. *militum corpora*; sic *elephantus* pro *ebore*, *fons* et *mare* pro *aqua fontana, marina*, v. c. *bibere fontem*, *fluvium*, i. e. *particulam fontis*, *fluvii*, s. *aquam fontis*, *fluvii.* — Quis non videt, istas

istas formas omnes esse filias negligentiae et breviloquentiae, at propter usum loquendi a plebe invectum, necdum purgatum et politum, excusandas et tolerandas, quia perspicuitas non valde laeditur: intelligimus enim eos, qui breviter et indefinite sic loquuntur: *pater est sepultus*; *mater fruitur comm. angel.* Debebant dicere *pater, qua corpus, est sepultus*: *mater, qua animum, fruitur* cet. — Sed hinc etiam videmus, quam imperite agant ii, qui in tropis omnibus ornatum et elegantiam, nescio quam, ponunt, et, quidquid tropicum est, id pulcherrimum aliisque vocabulis longe praeferendum esse opinantur.

II) *Pars rei* pro *tota re* interdum ponitur vel poni videtur, v. c. *limen* et *tectum* pro *domo*; *mucro* pro *gladio*; *puppis*, *prora*, *carina* pro *nave*; *caput* pro *homine*. — At ista commutatio vel in nonnullis formulis dicendi vel tantum hactenus valet, quatenus pars illa contextui optime convenit et ad eam magis, quam ad totam rem, respicitur, ut adeo, si recte judices, *pars* non tam pro *tota re* poni, quam proprie dici, videatur. Exempla hoc docebunt.

a) *Caput* pro *homine* dici dicunt. Recte. Saepe *caput* pro *homine* dicitur; at vel in nonnullis tantum formulis dicendi, v. c. *exactio capitum* Cic. ad Div. III, 8: cf. Liv. II, 33 extr.; vel cum nonnullis adjectivis, v. c. *caput liberum* i. e. *liber homo*, Cic. Verr. II, 32: *ridiculum caput*, Terent. And. II, 2, 34: *festivum*, Terent. Ad. II, 3, 8: *noxium*, Liv. X, 40: *carum*, Virg. Aen. IIII, 354; vel in numerando, ac partiendo, ut nostri *ein Corps von* 1000 *Köpfen* cet. v. c. *capitum Helvetiorum millia* 263, Caes. B. G. I, 29; sic *in Capita descripsisse* Cic. Verr. III, 92. Sed hae omnes videntur proverbiales locutiones: nec hinc sequitur, in universum *caput* pro *homine* dici posse: v. c. non dixerim *aegrotum caput* pro *aegroto homine* cet. In nonnullis videtur proprie ratio *capitis* esse habita, v. c. *caput festivum*: nam *festivitas* est proprie in *mente*, et mens in capite habitare putatur. Sic nos: *er ist ein guter Kopf*, *er ist ein eigensinniger*, *wunderlicher*, *veränderlicher*, *närrischer Kopf* etc.: ubi itidem ad *animum mentemque*, in *capite*, e vulgari opinione, habitantem, respicitur.

b) *Limen* pro *domo tota* poni putatur. — Si rhetores dicerent: *limen domus transire*, *tectum subire*, dici posse pro *domum intrare*, recte dicerent: quia, qui *limen transiit* vel *tectum domus subiit*, is domum quoque intravit. At propterea *tectum* et *limen* non ponuntur pro ipsa *domo*, ita, ut pro hujus synonymis habere possint. Hoc si esset, dicere possemus: *limen aedificare* i. e. *domum;* vel *habitare in limine amplo*, *pulchro*, pro *habitare in ampla*, *pulchra domo.* At nemo ita loqui potest. Sic nec dicitur fere *tectum intrare*, *tectum emere*, pro *domum.* Imo *proprie* ubique, praeterquam apud poetas interdum, *limen* et *tectum* ponitur: idque declarant praedicata *tecto* et *limini* addita, quae *tecto* et *limini*, non *domo toti*, proprie conveniunt, v. c. *subire*, i. e. *unter etwas gehen*, de *tecto: transire* de *limine:* nam *tectum subimus* et *limen transimus* intrantes domum: at *domum* non *subimus*, non *transimus*, quando intramus. Ac ne intrat quidem domum, qui ejus limen transit, sed tantum incipit intrare. Non igitur *limen* et *tectum* cum *domo* vere commutantur, v. c. si cui dico: *ne accedas ad limen*, hoc non plane idem est quod *ne intres domum meam*, sed illud multo gravius est, indicatque, me jubere eum ne domus quidem primam partem attingere. Quod ad *tecta* attinet, ea 1) hominibus versus urbem aliquam proficiscentibus prius apparent, quam ceterae domus partes: hinc proficiscentes dicere possunt: *tecta jam conspicere licet:* et, quia haec cum domibus ipsis conjuncta sunt, propterea hae simul per se intelliguntur: 2) ubi domus incenduntur, in earum *tectis* prius vulgo quam in ceteris earum partibus incendium apparet: hinc locutiones veniunt: *tecta apparent*, *tecta incendere.* Quia tandem, qui domum meam intrare vult, ejus limen transeat necesse est: hinc, per metonymiam antec. pro consequente, interdum *limen transire* dici potest pro *intrare domum.* Et quia, qui *domum intrat*, simul *tectum* ejus *subit:* hinc *subire tectum* pro *intrare domum* interdum dicere licet. At semper cogitare debent tirones, propterea has locutiones pro iisdem plane habendas non esse. Ne quid tamen dissimulem, *tectum* interdum pro *domo* ipsa poni, v. c. *in vestra tecta discedite* Cic. Catil. III, 12 extr. i. e. *in vestras domos.* Quod durum est: nisi dicas *tectum*, si pro *domo* ponatur, non ubique a *tecto domus* (*Dach*) sumi debere, sed etiam per se interdum notare *domum;* et proprie esse *ein bedeckter Ort*, unde notio *domus* fluat.

c) *Muro*

c) *Mucro* dicitur poni pro *gladio toto.* — Perperam et indefinite. Quis enim dicat v. c. *mucronem mihi emi?* Semper, ubi *mucro* pro *gladio* poni videtur, *mucronis* proprie ratio habetur et proprie *mucro* intelligitur, v. c. *mucrone aliquem ferire, vulnerare.* An hoc ſemper toto gladio fit? nonne *mucro* proprie accipi poteſt ac debet? Verum quidem eſt, *mucronem* eſſe partem gladii, ac propterea ſimul gladium intelligi: ac vulgo etiam apud nos dici: *er hat ihn mit dem Degen geſtochen* pro *mit der Spitze des Degens.* At hoc eſt negligenter dictum. Quis hanc loquendi conſuetudinem curat? Hic enim de *ſubtilitate* explicationis ſermo eſt. Sic *intentare alicui mucronem* eſt *tentare aliquem mucrone ferire.* Ego in priſcis interpretandis nondum coactus ſum *mucronem* de *gladio ipſo*, nulla mucronis habita ratione, explicare.

d) *Prora*, *puppis*, et *carina* vulgo dicunt apud priſcos dici pro *tota nave.* — Non ſatis definite: addere ſaltem debebant, ſemper iſtarum partium proprie ab iis habitam, atque ita apud nos quoque habendam, eſſe rationem. Quis v. c. dicat: *aedificare* vel *emere puppim*, *emere proram*, *emere carinam* pro *aedificare* vel *emere navem?* Imo nunquam *prora*, *puppis*, *carina* ponitur et ponenda eſt, niſi harum partium navis proprie habetur ratio. Sic omnes ſcriptores et proſaici et vero etiam poetae. Exempla dabimus. V. c. 1) Quando *gubernator navis* in puppi ſedere dicitur, vel Cicero propter ſimilitudinem ait, ſe in *puppi* ſediſſe, tanquam gubernatorem, i. e. ſe rexiſſe rempublicam: male nonnulli dicunt, *puppim* dictam eſſe pro ipſa *nave.* Gubernator enim ſemper ſedet in *puppi* ad clavum gubernaculi, non in tota nave: hinc accuratius longe eſt et elegantius dicere, gubernatorem in puppi ſedere, quam in nave. Verum quidem eſt, qui ſedeat in puppi, eum in nave quoque eſſe: at, qui in nave eſt, non ſemper eſt in puppi. Nec igitur commutare ſine ulla neceſſitate licet. Sic verum quidem eſt, eum, qui *manum pedemve* meum tangat, tangere corpus meum: at propterea *manus* et *pes* non pro *corpore meo* ponitur: h. e. *manus*, *pes*, et *corpus* non ſunt ſynonyma. Sic *dominus navis* ſemper eſt in *puppi:* hinc apud Virgilium Aeneas ſemper in *puppi* verſatur. Nunquam neque *dominus navis* neque *gubernator* dicitur ſedere *in prora*, *in carina:* cur ita non loquuntur priſci, ſi *prora* et *carina* pro *nave* ſimpliciter poni, omninoque *pars* cum *toto* commutari, poteſt? 2) Quando navigantes a priſcis dicuntur *appellere naves*, ſemper dicun-

dicuntur *puppes stare in litore, obverti litóri*, nunquam *prorae* vel *carinae*. Cur? quia appulsuri navem circumagebant et puppim ad litus vertebant. Ergo *puppis* proprie ibi ponitur. Hinc *proram advertere terrae* Virgil. Aen. VII, 35 non est *appellere*, *landen*, nondum enim appellebant, sed *navigare versus terram*, ut deinde appellere possent. Verba poetae sunt:

Flectere iter sociis, terraeque advertere proras,
Imperat, et laetus fluvio succedit opaco.

Consideretur in primis sequens locus Virg. Aen. VI, 3, ubi narratur, quomodo Aeneas ad Cumas classem suam appulerit:

Obvertunt pelago proras (non *litori*): *tum dente tenaci*
Ancora fundabat naves, et litora curvae
Praetexunt puppes. Iuvenum manus emicat ardens
Litus in Hesperium. —

Hic *obvertunt pelago proras* est i. q. *proras vertunt* in circumagenda nave *versus pelagum*, atque ita *puppes*, ut statim sequitur, *versus litus*. 3) *Carina* semper est *infima* navis *pars*, s. *trabs illa*, *cui superstructa* est navis, *der Kiel*: hincque praedicata illi attributa quadrant, v. c. *natat uncta carina*. Haec enim pars navis proprie *undis innatat*: et *uncta* erat. — Profecto pauciora vocabula tropica haberemus, si vellemus loca priscorum saepius *proprie* intelligere et ad verba, quantum licet, h. e. subtiliter et accurate, explicare.

e) Alia praetereo, v. c. *latus* vel *pectus* perfodere: ubi non debemus cogitare, de *toto corpore* sermonem esse: et *latus*, *pectus*, pro *corpore* positum esse. Qui *jugulum*, *latus*, *pectus* transfodit, transfigit etc., an is *totum corpus* transfigit? — Si ita interpretari placet, nunquam priscos recte intelligere, nec unquam eorum cogitata imitando recte exprimere, possimus. Fateor, in priscis scriptoribus me *fere semper*, h. e. quantum perspicuitas patitur, singula verba proprie explicare solere, necdum me hujus consuetudinis poenitere. Priscorum verbis alia ubique substituere, atque ita illorum notiones cum aliis commutare, est illorum elegantiam evertere.

Pertinet

Pertinet huc quoque commutatio generis, speciei, et individuorum, ob similitudinem; quia species et individua sunt partes generis quaedam.

I) *Genus* interdum ponitur pro *specie*, h. e. *nomen generis* tribuitur speciei: quia, quidquid convenit *generi*, id convenit etiam speciebus et individuis, v. c. *mortales* pro *hominibus*: cum tamen et bestiae sint mortales. — Hinc quisque videt, 1) per se hoc dictum esse ambigue et obscure, nisi usus loquendi excusaret et cum contextu doceret, de *hominibus* tantum sermonem esse; 2) usum loquendi sequendum esse: a quo pendet omnis perspicuitas. Huc pertinet, quando Cicero *rempublicam*; h. e. rem pertinentem ad totum populum, pro *bello*, *provincia*, *aerario* etc. usurpat. Parum quidem diligenter: ac, nisi contextus explicaret, saepe non intelligeremus. — Nec tamen inde sequitur, *bellum*, *provinciam*, et *aerarium* esse plane synonyma *reipublicae*, h. e. *rempublicam* ubique pro *bello*, *provincia*, *aerario* poni posse. Imo *respublica* semper tenet notionem *rei ad populum pertinentis*, *ei utilis*, *ejusve nomine agendae*: et non nisi tum *respublica* v. c. de bello dici potest, cum bellum est *res publica*, h. e. nomine populi s. totius reipublicae et propter ejus commodum ac dignitatem geritur. Hinc recte dico: *Pompejus rempublicam bene administravit*: at non dicere possum: *Sulla*, *Caesar*, *Iugurtha* etc. *multas respublicas gessere* pro *bella*. Hinc patet, *rempublicam* non proprie posse commutari cum *bello*. — Huc accedit, quod vocabulo *reipublicae*, si pro *bello* ponitur h. e. si belli notionem simul sustinet, semper a priscis ea praedicata adduntur, quae *reipublicae* proprie conveniant, non quae *bello* proprie. — Contextus tandem is esse debet, ut intelligamus, notionem *belli* in illa simul latere, h. e. in notione *reipublicae* simul ad notionem belli respici. Debet ergo vel antea de bello illo dictum vel bellum hoc satis notum esse, ut statim ejus notio per notionem reipublicae in mentem

tem revocetur. Sic et *peccare* pro *scortari*, *ebrium esse*, interdum, h. e. si perspicuitas addicit, per *euphemismum* dici potest, v. c. pro *scortari*, Horat. Serm. I, 2, 63 — *Quid interest in matrona, ancilla, peccesve togata?* — Sed per se patet, *peccare* non plane esse i. q. *scortari*, quia non dici potest *scortari in aliqua.* Sic per eundem euphemismum *amare* dicitur pro *scortari:* et *amor* hodie saepe notionem *amoris illiciti* et *stupri* continet.

II) *Species* pro *genere* vix poni potest, ob perspicuitatis legem, quia non, quidquid speciei convenit, idem generi toti convenit; nec haec commutatio fieri potest, nisi in proverbialibus locutionibus, ubi *species* est tam nota facta per usum loquendi, ut et in universum intelligatur. Et hoc puto non nisi in vocabulis, gentis cujusdam naturam, virtutes, ac vitia indicantibus, a priscis et hodie a nobis fieri solere. V. c. *punica fides* i. e. *fallax:* sic *graeca fides* i. e. *levis:* quia *Poeni* putabantur fallaces et fraudulenti et *Graeci* leves nimis esse. Sic *romano more loqui* ap. Cic. ad Div. VII, ep. 5 et 16 est *aperte, vere, proprie loqui*, s. ita *loqui, ut verba propria notione sumas;* ut nostri: *etwas deutsch heraus sagen*, i. e. *diserte*, *libere*, *aperte loqui.* Ac sic plura ejusmodi nomina certae genti propria in universum usurpantur, v. c. *spanische Schritte*, *französischer Witz*, *türkisch mit jemand verfahren* etc. Quae omnia vim proverbii quandam tenent. — An vero et alibi *species* pro *genere* per se poni possit, valde dubito. — Dicunt quidem vulgo, *abietem*, *pinum*, *quercum* etc., poni pro *arbore* vel *ligno quocunque.* — Male et valde indefinite. Quis v. c. dicat: *hiemis tempore abiete opus est* pro *ligno* in universum? Quis *arbores* e sylva, in qua non nisi pinus nascuntur, advecturus dicat: *Ego ex ista sylva aliquot abietes* vel *quercus advehendas curabo?* Quis hoc intelligat? Nonne hinc patet, non de omni *arbore* vel *ligno* promiscue ista nomina usurpari posse, sed semper

pinus,

pinus, *abietes*, vel *quercus* intelligi debere, quoties hae nominentur: v. c. cum poeta dicit: *uncta natat pinus*, intelligenda est proprie *pinus*, seu *navis e pinu* facta: sic *abies* semper de *abiete* proprie. At vero, quemadmodum nulla *species arboris* pro *arboribus universis* dici potest, ita poetis aliisve similibus scriptoribus, si de sylva in universum, atque ita non de certa ac nota sylva, vel etiam de *ficta* quadam sylva loquuntur, liberum utique est, arbores, quaecunque in sylvis esse solent, et quascunque putant suo consilio et contextui optime respondere, eas nominare; v. c. *quercus*, *alnos*, *pinus* vel *abietes*. V. c. quando comparant aliquid cum torrente arbores prosternente, vel narrant, torrentem sylvam aliquam fictam nobisque ignotam vastasse arboresque multas prostravisse, vel de fulmine loquuntur arborem aliquam tangente: hic parum differt, utrum pinum, an alnum, abietem, quercum nominent; modo contextus sibi constet. *Quercum* tamen in primis, si de fulmine sermo est, vel si magnam torrentis vim exponere vel magnum virum, v. c. Aeneam malis non cedentem, cum arbore valida et tempestatis minas vimque contemnente comparare volunt, a poetis ob altitudinem et robur praeferri notissimum est. Sed vel hoc docet, quam diligenter in usu *arborum*, licet in rebus fictis, versari soleant poetae, ceteroquin usum dicendi interdum non accurate observantes. — Quod hic de *arboribus* dixi, valet et de *floribus*. Non quaevis species *florum* pro quovis flore usurpari potest; v. c. *lilium*, *rosa*, non simpliciter pro *flore* dicitur, sed proprie *lilium*, *rosa*, intelligitur ubique. Sic semper prisci. Ac stultum foret de horto *floribus* plane carente dicere: *noster hortus caret rosis* vel *caret liliis*. Nonne auditor quisque intellecturus esset per ista verba, *in isto horto non nisi rosas* vel *non nisi lilia deesse*, sed alios tamen flores ibi esse, v. c. *violas*, *narcissos* etc.? At aliter se res habet, ubi sermo est de hortis fictis et Arcadicis: hic florum species fingi ac lilia, rosas, narcissos

narcissos etc. pro libidine poni posse per se patet: modo contextus sibi constet et anni tempus permittat. Stultum enim foret ac ridiculum, in hortis, licet fictis, flores vernos tempore autumni et flores autumnales tempore veris ponere. Hinc multa alia explicari possunt, quae tanquam species pro generibus suis poni a vulgaribus et inelegantibus interpretibus dicuntur: v. c. *mare Myrtoum*, *mediterraneum*, *fretum Siculum* et *Gaditanum*, non pro *mari* simpliciter ponitur, sed ubi contextus et itineris ratio flagitat; v. c. is, qui *e Gallia versus Sardiniam* vectus est, non dicitur *mare Myrtoum* ingressus esse etc. Sic *arcus Cydonius* non tribuitur Britannis, Germanis, Helvetiis etc., sed iis, qui ob propinquitatem domicilii sui *arcu Cydonio* potiri potuerunt. — Haec copiosius explicanda putavi, quia multos non satis istas commutationes explicare vidi.

III) *Species* pro *individuo* interdum ponitur, quia, quod speciei convenit, id convenit quoque individuo. Quia vero haec commutatio est contra subtilitatem, atque ita contra perspicuitatem et elegantiam, hinc interdum vel potius raro occurrit, v. c. *urbs* pro *Roma* interdum a Romanis dicitur, sed non nisi tum, cum de nulla alia urbe intelligi possit; v. c. quando quis Romam ad amicum scribit: *scire velim, quid in urbe agatur:* vel quando Romae vel prope Romam vivens dicit: *in urbe omnia sunt salva* etc. At nemo v. c. in Asia, in Aegypto, vivens dicere potuisset: *omnes hae urbes sunt contemnendae pro urbe* i. e. *Roma:* quis hoc intellexisset? quia et alia oppida nomen *urbium* gessere. Sic et rustici prope urbem aliquam celebriorem habitantes dicunt: *ich gehe nach der Stadt*: et omnino omnes rustici ex urbe aliqua, v. c. *Berolino*, *Lipsia*, *Briga*, egressi, quando interrogantur, unde veniant, respondent: *ich komme aus der Stadt;* opponuntque *urbem* vicis suis. Non igitur simpliciter *urbs* pro *Roma* dicitur, quamquam prae ceteris minoribus urbibus hoc nomine insigniebatur, tanquam

quam earum princeps et caput. Huc pertinet quoque *homo* pro *certo individuo*, v. c. *Petro*, *Marco* etc., per usum loquendi non accuratum, attamen semel receptum. V. c. quaerenti, an Petrum viderimus, respondemus: *non vidi eum*, vel *non vidi hominem*, pro *Petrum*: *ich habe den Menschen nicht gesehen*.

Referunt huc vulgo etiam, *poetam* dici pro *Homero* vel *Virgilio* ob excellentiam; quemadmodum *oratorem* pro *Demosthene*, *philosophum* pro *Aristotele*, dici putant. — Male: hoc enim vetat perspicuitas. Quis enim eum, qui dicere vellet *Homerum suavius canere Hesiodo*, intelligeret dicentem: *poeta suavius canit Hesiodo?* Quis, quaeso, hominem intelligeret, qui diceret, *se omnes poetas praeter poetam legisse*, vel *omnes oratores praeter oratorem*, vel *omnes philosophos praeter philosophum?* Quis sentiret, dictum esse pro: *praeter Homerum* vel *Virgilium*, *praeter Demosthenem* vel *Ciceronem*, *praeter Aristotelem*! Acute satis, vel forsan nimis acute! Neque unquam veteres perspicuitatis longe studiosissimi ita locuti mihi videntur esse: sed allatis aliquot versibus ex Homero, cujus carmina olim tam nota usuque trita erant, quam hodie vix Gellerti Fabulae esse possunt, addere breviter solebant: *ut poeta ait*, ut monerent lectores Homerum intelligendum esse: hinc vero nondum sequitur, eos Homerum κατ' ἐξοχὴν ita simpliciter appellare voluisse. Nam solebant etiam aliorum poetarum versus eodem modo in libris suis afferre, v. c. Xenophon, in Memor. Socr. versus quosdam Hesiodi afferens, itidem addit: *ut poeta ait.* Quis hic *Homerum* intelligat? At intelligendus foret, si certum esset, eum simpliciter vocatum esse poetam. Ergo teneamus, *poetam* non simpliciter Homerum aut Virgilium notare, sed tantum, si ejus versus memorantur, atque ita quemque poetam, si celeber est, posse, omisso ejus nomine proprio, post recitatos ejus versus, si quidem notissimi sunt, *poetae* nomine insigniri. Sic v. c. possum de quodam magno, sed infelici, viro dicere: *magnis tamen excidit ausis, ut poeta ait* (scil. Ovid. Metam. de Phaethonte).

IIII) *Individuum* pro *specie* vel *genere* interdum occurrit: si quidem aliquis homo propter quoddam vitae genus, propter singulares virtutes, propter doctri-

nam eximiam etc. tam memorabilis tum suo tempore tum apud posteros factus est, ut ejus nomen, per proverbium quasi, in universum omnibus hominibus, illius vel similibus vel ad illius similitudinem prope accedentibus, tribueretur. V. c. *Varro* pro *viro magnae* et *latae doctrinae;* quia M. *Varro* talis fuit: sic *Cato* pro *homine severo* et *vitae sanctae*: sic *Maecenas* pro *patrono eruditorum magno:* sic *Hector*, *Achilles*, pro *viro fortissimo* (at idea *regis* non omittenda: *Achilles* enim simul rex erat): *Nestor* pro *sapiente rege et simul sene:* non pro *unoquoque sene:* sic *Augustus* pro *bene imperante:* sic *Scipio*, *Hannibal*, *Caesar* etc., pro *magno duce belli; Cicero*, *Demosthenes*, pro *magno oratore; Virgilius*, *Homerus* pro *magno poeta epico; Aristoteles* pro *magno philosopho* etc. Et sic plures e recentioribus fingi possunt, v. c. *Eugenius*, *Melanchthon* etc. Dicere ergo licet: hic homo est *Cato, Cicero, Varro* nostrae aetatis etc.

Ad hunc tropum referuntur adhuc sequentia:

a) *numerus incertus* s. *indefinitus* ponitur interdum pro *numero certo* s. *definito.* — At hoc valet tantum de formis dicendi nonnullis per vulgarem dicendi consuetudinem receptis ac proverbii vicem sustinentibus, v. c. nos dicimus *tausend, hundert*, pro *valde multis: hundertmal, tausendmal*, pro *saepissime:* sic et Latini dicunt *centum, mille*, it. *sexcenta*, pro *valde multis: centies*, *millies*, it. *sexcenties*, pro *valde saepe.* V. c. *Cicero ita sexcenties loquitur* etc. — At not. 1) propria vis numeri indefiniti tamen quodam modo observari debet, v. c. homo *viginti* annorum, qui inde a duodecimo aetatis anno Lipsiam cum patre singulis nundinis profectus est, non dicere potest: *centies*, *sexcenties*, *millies Lipsiae fui*, pro *saepissime.* Nam discrimen inter 20 et 100, 600, 1000 annos intercedens nimis magnum est: at, qui octogies v. c. ibi fere fuit, ei magis liceat centies dicere, at nondum *sexcenties*, *millies.* De iis rebus, quae tam multae sunt, ut numerari non possint, recte dicas *sexcenta*, *mille*, *sexcenties*, *millies.* — Hoc monendum erat, ne tirones temere ubique *sexcenta*, *sexcenties*, *mille*, *millies* pro *multis*, *saepissime*, uterentur. 2) formulis receptis contenti esse debemus; v. c. non *quadragies* dicere pro *saepissime*,

nec

nec *quadraginta*, *septuaginta* etc. pro *multis*; nam, si ita diceremus, auditores forsan crederent, numerum hunc proprie intelligendum.

b) numerus *rotundus* pro numero vel paulo majore vel paulo minore interdum ponitur. V. c. *mille homines* pro *paulo pluribus* vel *paucioribus*: *Centumviri* ap. Romanos dicebantur quidam *judices*, cum essent proprie *centum* et *quinque*; et 72 interpretes illi librorum sacrorum vocantur vulgo 70. — Quisque videt, hunc dicendi modum esse cum praecedente, si recte judicas, eundem, et utrumque non satis accuratum, atque ortum per negligentiam et studium breviloquentiae: neque ita pro *elegantia* habendum; attamen ei, ob usum dicendi, *ignosci* debere.

c) *numerus singularis poni dicitur pro plurali*. — Satis indefinite: nam 1) si per numerum singularem intelligis *unam rem* vel *personam*, apud poetas quidem ista commutatio interdum occurrit, v. c. ap. Virgilium de equo Trojano: *uterumque armato milite complent* i. e. *militibus*; at apud prosaicos vix occurrere potest. Foret enim contra perspicuitatem et durum. Et stultum foret v. c. dicere: *manus*, *pes*, *oculus*, *mihi dolet*, pro *manus mihi dolent*; *pedes*, *oculi mihi dolent*; vel *Ciceronis orationem legi* dicere pro *Ciceronis orationes legi*. Quis intelligeret, me in usu singularis tamen plures res cogitare? Per se patet, hanc rationem dicendi non posse esse commendandam, ac non nisi poetis interdum concedendam. 2) longe alia res est, quando numerus singularis nomen *collectivum*, h. e. *genus* vel *totum* aliquod, indicat, v. c. *Romanus est fortis*: *Poenus est fallax*: *pauper ubique jacet*: *der Deutsche ist ehrlich*, *der Engländer nachdenkend*, *der Arme ist verachtet*. Hic enim non potest dici singularis pro plurali poni; sed est jam pluralis, h. e. jam indicat plures. Videtur tantum singularis esse, seu: est specie singularis, re pluralis.

d) *numerus pluralis* interdum pro *singulari* poni dicitur. — At 1) raro hoc convenit, ac non nisi in iis vocabulis, quae singulari carent, et tamen unam rem indicare videntur: v. c. *nuptiae*, *fortunae* pro *felicitate* quadam, *Kalendae*, *excubiae*, *exsequiae*, *induciae*, *exuviae*, *literae* i. e. *epistola*, *tenebrae* etc. Quamquam hic quaeritur, annon Latini in his pluralitatem quandam cogitaverint: *literae* quidem, etsi sunt *epistola*, tamen proprie indicant *multitudinem literarum* i. e. *elementorum*: *nuptiae* forsan includunt notionem *sponsi* et *sponsae* vel simile quid. Sic *aedes* pro *domo* videntur proprie esse *plura aedificia juncta*, e *quibus*

domus constet. Sic *fortunae* proprie sunt *bona.* Deinde poetas omnino excipio in usu loquendi interdum audaciores, nec satis accuratos, qui v. c. de uno homine dicunt *animos* pro *animo* etc. At 2) in aliis vocabulis pluralibus, quae vel singularem habent vel notionem pluralitatis indicant, semper puto habendam esse numeri pluralis rationem proprie. Errant igitur, si qui dicunt, *Cicerones*, *Hortensios*, *pulmones*, *Gallias* dici pro *Cicerone*, *Hortensio*, *pulmone*, *Gallia.* Nemo priscorum *Cicerones, Hortensios*, ita dixit, ut *solum Ciceronem*, *solum Hortensium,* intelligeret. Ineptum hoc foret. Quis enim v. c. dicat: *Filia Ciceronum mortua est* i. e. Tullia? quis dicat: *oratio Ciceronum pro Milone?* vel *pro Milonibus?* vel *eloquentia Hortensiorum pugnabat cum eloquentia Ciceronum?* Nemo ita loquitur. At sic tantum loquimur: *Roma habuit suos Cicerones*, *Hortensios*, h. e. *Ciceronem*, *Hortensium*, *eorumque similes viros*, seu: *Roma habuit viros tales*, *quales Cicero et Hortensius erant.* — Apparet hinc: 1) non hic pluralem pro singulari positum esse, sed vere pluralem intelligi, scil. *Cicerones* i. e. *Cicero cum sui similibus*, *Hortensii* i. e. *Hortensius cum sui similibus:* 2) esse meram breviloquentiam, quando *Cicerones* pro *Cicerone* suique similibus ponatur. — Sic de *pulmonibus*, *Galliis*, item *Poloniis* judicandum, non scilicet hic pluralem pro singulari poni, sed vere pluralem esse: sunt enim *duo pulmones* h. e. *duo pulmonis lobi:* erant priscis temporibus *duae Galliae*, cisalpina et transalpina: sunt *duae Poloniae*, major et minor: ergo pluralis non frustra ponitur. At nusquam *nasos* hominis, *Corsicas*, *Sardinias*, legimus. Eodem modo *liberos* non temere, nisi in permotione animi, matre hyperboles, et rem singularem reddente generalem, seu de una re saepe tanquam de pluribus loquente, de *uno filio* vel de *una filia* dici puto. Nam nullus historicus, sine animi permotione loquens, vel alius scriptor in narrando unquam de *uno certo filio*, vel de *una filia*, vel nata vel mortua, dixit: *nati sunt regi liberi*, *mortui sunt liberi.* Quis dicat, Ciceronem magnopere luxisse *mortem liberorum suorum* h. e. *filiae?* Quis *Scipionem Africanum minorem* vocet *liberos* Aemilii Pauli h. e. *filium?* Imo *liberi* semper pluralitatem indicant. Docui hoc pluribus in libello: *Gedanken von den Eigenschaften der deutschen Schreibart* etc. p. 101: quae summatim hic repetere non alienum erit. Scilicet objici possint aliquot loci, ubi dicunt aperte *liberos* dici de *uno:* 1) locus ex epist. Sulpic. ad Ciceron. notissima, inter Cic. Epp. ad Div. IIII, ep. 5,

ep. 5, qua Sulpicius Ciceronem morte filiae suae nimiopere dolentem consolari studet, §. 5: *Quid autem fuit, quod illam* (filiam) *hoc tempore ad vivendum magnopere invitare posset? quae res? quae spes? quod animi solatium? ut cum aliquo adolescente primario conjuncta aetatem gereret? licitum est tibi, credo, pro tua dignitate in hac juventute generum deligere, cujus fidei* liberos tuos *te tuto committere putares. An, ut ea liberos ex sese pareret* etc.? Notanda sunt verba: *generum, cujus fidei liberos tuos te tuto committere putares.* Fateor, hic *liberos* de *filia sola* posse intelligi, si quidem *liberi* de *uno homine* dici possint. At, cum hoc non fieri possit, non video, cur per *liberos* non Ciceronis *filia* et *filius* simul intelligi queat: qui utique, ut fidei alicujus viri prudentis et curae committeretur, dignus erat, si quidem pater ejus, tum jam senex, mox moriturus esset. Et ubi filius melius se post patris mortem habuisset, quam in domo sororis suae? Ac Sulpicium per *liberos* intellexisse *utrumque,* et *filiam* et *filium,* colligo quoque inde, quod non ita pergit: *an ii liberos ex sese parerent?* sed pro eo dicit: *an ut ea pareret?* Cur haec mutatio? quia videbat, *τὸ parere* non de *liberis* h. e. de *utroque* dici posse, sed tantum alterutri h. e. *filiae* soli convenire; hinc subjicit: *ut ea* etc. 2) Alter locus est Terent. Andr. V, 3, 20. Hic Simo filio, qui dixerat *mi pater*, iratus respondet: *quid, mi pater,* (*was willst du mit dem: mein Vater*) *quasi tu hujus indigeas patris. Domus, uxor, liberi inventi* (i. e. acquisiti sunt a te) *sine patre.* Hic est: *liberi inventi sunt* et tamen sermo est de *uno infante.* Et tamen, qui rem diligenter inspicit, videbit, Simonem non *hunc infantem* proprie vocare *liberos*, sed de tota hac re, scil. quod infantem accepit, loquitur *in genere.* Solent enim homines commoti, ad iram suam et indignitatem indicandam, de *una re* ita loqui, tanquam plures sint. V. c. si quis ob unum librum amissum tristis est, ei dicunt interdum: *Quis ob libros tristis sit! Wer wird sich denn wegen Bücher so betrüben!* At propterea *libri* non plane indicant *unum librum.* Sic saepe de parentibus pauperibus, infantem unum habentibus, nonnullos malevolos, mirantes, quod jam infantem haberent, dicere audivi: *Und sie haben schon Kinder?* An propterea *Kinder* i. q. *ein Kind?* Sic saepe audivi parentes parentibus unum puerulum tantum habentibus dicere: *Scis, quantum laboris liberorum educatio habeat, Sie wissen, wie sauer es einem wird, Kinder zu erziehen; was Kinder einem für Mühe machen,* cum ta-

men hi, quibus ista dicunt, non *liberos*, sed non nisi unum filium, haberent. Duo praeterea sunt loci, in quibus Antonii filius vocatur *liberi*, Cic. Phil. I, 1: Vellej. II, 58. Sed Cicero loquitur ut orator, atque in genere ut supra Simo ap. Terent. *Vellejus* Ciceronis auctoritatem secutus videtur, nisi itidem *in genere* dixisse censendus est. Alia res foret, si quis locus ita legeretur: *Tullia, filia Ciceronis*, *Scipio*, *liberi Pauli* etc. Certum quidem esse puto, pluralem non simpliciter pro singulari poni posse nec a priscis, praeter poetas interdum, positum esse. Unum tamen *nos* excipiendum videtur, quod pro *ego* saepissime in Ciceronis orationibus, epistolis etc., occurrit, v. c. *nobiscum*, i. e. *mecum: venit ad nos*, i. e. *ad me:* ac saepe *ostendemus*, *diximus* etc., dicit de *se* solo loquens. Videntur forsan oratores initio ita ob modestiam dixisse, ut auditores orationis suae participes quodam modo reddere viderentur, atque ita eorum favorem attentionemque magis sibi pararent: v. c. *videamus*, *consideremus*, h. e. *ego et vos simul* s. *ego vobiscum.* At consuetudo, quae v. c. numerum quoque oratorium in epistolas Ciceronis intulit, deinde fecit, ut oratores et scriptores, de se in orationibus in plurali loqui assueti, de se etiam alibi in plurali loquerentur, licet auditores et lectores non possent dictorum participes esse, v. c. in his: *diximus*, *dicemus*, *possumus vobis confirmare* etc. Sic et hodie scriptores, in primis tamen ii, qui vel in aede verba facere soliti vel Ciceronis libris assueti sunt, de se in plurali loqui non dubitant, v. c. *vide nostram disputationem*, vel *vide nos supra* etc., ubi simpliciter est pro *meam*, *me.* Ceterum, reges ac principes ita de se loqui solere, notum est.

SECT. XV

De Ironia s. commutatione vocabulorum contrariorum.

Ironia dicitur esse *permutatio vocabulorum ob disjunctionem* h. e. *oppositionem.* At duo vocabula non propterea inter se commutari possunt, quod sibi contraria sunt: hoc foret contra perspicuitatem, quae in omnibus tropis vult, ut vocabulum, pro quo aliud vocabulum ponitur, tamen simul in mentem veniat: id quod ex phantasiae lege in iis vocabulis, quorum ideae cognatione h. e. similitudine vel relatione quadam conjuncta

ta sunt, fieri facile solet. At cui in contrario vocabulo contrarium vocabulum s. notio contraria facile in mentem venit? — Forsan ironiam ita licet breviter definire, ut in eo consistat, *si aliud cogitamus, aliud dicimus, ita tamen, ut, quid proprie cogitemus, contextu alioque modo declaretur;* seu ita: ut *ironia* sit *disjunctio non tam notionum, quam verborum,* s. *permutatio non tam notionum, quam verborum contrariorum.* Nam *ideae* non vere hic permutantur, licet permutari prima specie videantur. V. c. quando de *paupere* dico: *est dives*, ac de *divite: est pauper*; quando *indoctum* voco *doctum*, et *doctum* appello *indoctum;* sic *pulcher* pro *foedo*, *stultus* pro *sapiente*, et contra.

Notanda hic quaedam:

1) Hic tropus, si vere tropus, nec potius permutatio locutionum synonymicarum jocandi illudendique causa inventa, vocari debet, magis in loquendo, maxime in sermone familiari, quam in scribendo valet, quia gestu ac vultu indicare loquens potest, se contra, ac loquatur, sentire. Nam, si auditores et lectores non intelligunt ironice dicta, frustra est loquentis eloquentia.

2) Ut in scribendo et dicendo usurpari perspicue possit, commendatur usus quarundam particularum, v. c. *scilicet*, *quippe*, interdum *vero*, a priscis hac in re usurpatarum, quae moneant lectores et auditores, dicentem ac scribentem non *serio* loqui. Cum vero ne hae quidem semper sufficiant, totus contextus debet talis esse, ut ironia statim sentiatur.

3) Non omnes res ironice exprimi possunt, sed tantum eae, quarum ratio, magnitudo, utilitas ita nota est, ut lectori vel auditori statim contrarium in mentem venire debeat. V. c. quando quis dicit, *bellum egregie prodesse literarum studiis, aloën esse dulcissimi saporis, Alexandrum fuisse gloriae non cupidum, Helenam non pulchram, Ciceronem non Oratorem, Caesarem non magnum belli ducem* etc., quisque *ironiam* sentit. At, si quis de viris magnis illis quidem, sed non vulgo notis, ita loqueretur, ut diceret, eos *non magnos* fuisse: semper in periculo foret, ne audientes legentesque crederent, illum serio loqui, et istos homines vere non magnos fuisse; atque ita ironia periret. Sic et de rebus magnae quidem utilitatis,

at parum notis. Si quis artis medendi egregie peritus de morbo valde capitali vel de remedio certissimo, sed utroque parum noto, coram imperitis ita loqueretur, ut illum non capitalem, hoc levissimum, esse diceret: profecto nemo auditorum sciret, eum ironice loqui, sed omnes credituri essent, vere eum loqui. Ergo cautio hic est adhibenda, nec τῷ *scilicet, quippe, vero,* praesertim in scribendo, ubi vultus et gestuum nullus usus est, nimis confidendum. Contextus est optimus interpres.

4) Cum ironia maxime jocando, illudendo, ac reddendo aliquem ridiculum serviat, nostris oratoribus non valde commendanda est. Oratorem, ut omnem sapientem, decet gravitas, maximeque de rebus ad religionem pertinentibus coram populo, valde plerumque communium rerum imperito ac bona praecepta virtutum cognoscendi cupido, dicentem.

Magis frequentantur et frequentari merentur ejus species *litotes* et *euphemismus.*

1) *Litotes* i. e. *quae minus dicere videtur, quam intelligi vult;* s. apertius: *quae rem minuere videtur, at profecto rem auget majoremque reddit,* v. c. *vir non ignotus* per se significat *virum, qui non plane ignotus est*: hic non est *litotes;* potest vero etiam significare *virum valde notum*: hic est *litotes.* Sic, *homo non pauper* pro *homine ditissimo,* est *litotes:* v. c. *Croesus non pauper erat* i. e. *ditissimus.* At, si per *hominem non pauperem* intelligis hominem, qui, *licet non plane pauper, tamen nec dives est:* non *litotes* haec est. Sic *non dives* i. e. *pauperrimus,* est *litotes*: sic et *munera non sperno* i. e. *cupide sumo munera.* At, si *munera non sperno* proprie ponis, non est litotes. — Hinc *Litotes* non ubique quadrat, sed ubi perspicuitas concedit, h. e. ubi sermo est de *re omnibus nota,* de *homine notissimo.* V. c. *Croesi divitiae sunt notissimae.* Quando igitur dico: *Croesus non pauperrimus fuit,* quisque intelligit, me velle dicere, *Croesum fuisse ditissimum:* sic Livius Polybium vocat *scriptorem non contemnendum* h. e. *praeclarum ac fide dignissimum,* quia Polybius Romanis erat scriptor notus: sic coram eruditis loquens possum Ciceronem appellare *oratorem non infimum,*

infimum, non contemnendum i. e. *magnum.* At, si coram imperitis aliquis diceret: *Cicero, der kein schlechter Redner war; der nicht arme Crassus; Helena, die nicht häßlich oder nicht die häßlichste war* etc.: frustra loquetur, quia auditores haec verba proprie sumerent, h. e. ita, *ut crederent, Ciceronis eloquentiam tolerandam, Crassum non pauperem, Helenam non turpissima facie fuisse,* atque ita non de *Ciceronis summa eloquentia, Crassi immensis divitiis, Helenae facie omnium pulcherrima* intellecturi essent.

2) *Euphemismus* est, cum res ingratas, obscoenas, tristesque nomine suaviori, saltem leniori, exprimimus: id quod humanitas et venustas ab omnibus dicentibus exigit, si quidem perspicuitas hac re non offenditur. Fit hoc tribus maxime modis:

a) *ideae tristiores mutantur in paulo suaviores vel leniores.* V. c. si cui dico: *pater tuus beatus,* (*der selige*) vel, ut Theologi interdum loquuntur, *consummatus* pro *mortuo.* Libentius enim filii audiunt, patrem suum *beatum* vocari quam *mortuum:* quia posterius vocabulum iis mortem patris in mentem revocat. Est vero metonymia consequ. pro anteced. — Sic: *si quid humani ei acciderit, si quid humani passus fuerit, si quid ei acciderit,* pro: *si mortuus fuerit.* Sic: *accidit ei aliquid humani* etc. i. e. *mortuus est.* Est metonymia generis pro specie. — Sic et nostri: *wenn Gott über ihn gebiethen, ihn zu sich nehmen, sollte,* pro: *so er etwa sterben, umkommen, sollte.* Pertinet huc forsan *situs* pro *sepulto.* Forsan enim *situs* est i. q. *relictus,* a *sino.*

b) *ideae obscoenae permutantur cum aliis, in quibus res obscoena paulum occultatur.* V. c. *venus* pro *coitu: arvum genitale* et *natura* apud Cic. pro *partibus obscoenis:* sic: *ire, quo saturi solent* pro *ventrem exonerare.* Sic Hebr. *pedes tegere.* Quae est modesta metonymia anteced. pro conseq.

c) *ideae inhumaniores cum humanioribus permutantur.* V. c. *non est inimicus vini* s. *non odit vinum* dicitur humanius pro: *valde potat, vini studiosissimus est.* Sic de *edace: non spernit epulas,* nostri: *er läßt es sich wohl schmecken, ist kein Feind vom Essen,* i. e. *multa edit,* s. *epulas cupide quaerit;* sic de *contentioso: non se vexari sinit,* nostri: *er läßt nicht mit sich spielen, versteht keinen Scherz*

 etc.

etc. — Huc pertinet *recte*, *benigne*, quod humaniores dicebant pro *non* vel *nolo*: v. c. si quis profecturus ex amico quaerebat, an ipsi aliquid mandare vellet: hic amicus, si nil, quod mandaret, habebat, humane respondebat: *recte*; pro *non* vel pro *nihil habeo, quod tibi mandare possim*; proprie *recte* per ellipsin explicandum, *recte facis*, quod scilicet me interrogas, i. e. *placet mihi ista tua humanitas*: est simile nostro: *gut, es ist gut: ich danke* cet. — it. in denegando: v. c. si quis in coena hospitem, ut ederet, monebat: hic, non amplius cibi appetens, respondebat: *benigne* (scil. facis) i. e. *nolo amplius edere*. Sic et nostri, si quid ab aliquo accipere nolunt, dicunt: *ich danke* (scil. pro tua humanitate): *ich bin Ihnen verbunden*, it. *ergebenster Diener, Sie sind sehr gütig*, pro *nolo accipere*. Dicunt etiam, si cum hominibus vilioribus loquuntur: *gut, es ist gut, ich will euch nicht berauben* etc., pro *nolo tuum donum accipere* cet. — Hic notandum, 1) euphemismum maxime commendandum esse: pertinet enim ad suavitatem dicendi: 2) ejus fontes sunt hi: a) commutatio anteced. cum conseq., vel conseq. cum anteced. v. c. *beatus* pro *mortuo: ire quo saturi solent: pedes tegere: venus* pro *coitu*: it. speciei cum genere, v. c. *aliquid humani pati* pro *mori*: b) litotes, v. c. *non valde odit vinum, epulas*, pro *vini et epularum est cupidissimus*: c) circumscriptiones metonymicae aliaeque, v. c. *ire, quo saturi solent*: — pertinet huc notabilis euphemismus Ciceronis pro Milone per circumscriptionem venustam factus, cap. 10 extr.: *fecerunt id servi Milonis*, — *quod suos quisque servos in tali re facere voluisset*, pro: *occidendo Clodio ulti sunt dominum*: in qua circumscriptione tam tecte inclusa est mors Clodii, ut vix sentiatur. De talibus circumscriptionibus infra in sect. de *copia dicendi* susius exponetur.

Plures euphemismos facile, qui suavitati dicendi student, excogitare poterunt ac forsan suaviores et acutiores.

SECT. XVI

Additamenta quaedam de vocabulis singulis.

Sunt praeterea in vocabulis singulis nonnulla observanda:

1) *verba solennia* sedulo adhibenda esse ei, qui eleganter scribere velit, recte monent rhetores, h. e. ea, quae

quae de aliqua re tam constanter usurpantur apud priscos, ut fere non alia iis substituantur, atque ita illi proprie convenire videantur. V. c. *senatui videtur* i. e. *senatus decernit* (quod aeque usitatum); *senator censet, decernit; populus jubet*, v. c. legem, pro *decernit; subducere* et *deducere classem; ludos committere* i. e. *incipere; praeses provinciae decedit* (i. e. provincia abit Romam) et, post *justam victoriam, deportat triumphum:* it. *ferre ad populum, referre ad senatum, habere concionem, petere honores* v. c. *consulatum* etc., *abdicare se magistratu*: sic et *dicere* (it. *creare*) *dictatorem*, *creare consulem*, *praetorem*, *cooptare pontificem*, *prodere* (it. *creare*) *interregem, legere Vestalem*, *senatorem* etc. (de verbis *dicere*, *creare, legere*, *cooptare*, v. supra c. 2, n. 9). His igitur utendum, si de rebus romanis ejusmodi scribimus. — Sed sunt etiam apud nos solennia, v. c. *rex*, non *praefectus regno*, nec *praeses* regni, *Archidux*, *Marchio*, *Landgravius*, *Mareschallus*, *Allodium* etc.: quae non cum aliis, licet forsan latinioribus, commutanda sunt. At tota haec res ad *perspicuitatem* referenda, de qua infra separatim agetur: et quo magna pars eorum, quae nunc sequuntur, pertinet.

2) deinde vitanda sunt, quantum fieri potest, sequentia:

a) *vocabula plebeja et obscoena.* De iis jam dictum in *euphemismo.* Res enim pertinet ad suavitatem et humanitatem.

b) *vocabula barbara* h. e. *non latina*, sed ex aliis linguis interdum in usum linguae latinae ingredientia: v. c. *recommendare* pro *commendare*, e Francica: it. *graeca*, v. c. ὁ πάνυ *Casaubonus* pro: *celeberrimus Casaubonus*, ubi sine ulla necessitate Graece dicitur: quod est contra perspicuitatem (quia non omnis talia intelligit) ac simul suavitatem; quia inest aliquid affectati, quod semper displicet. Nec video, cur ὁ πάνυ magis placere eruditis possit quam *celeberrimus;* sic et ἐπέχω in notis Philologorum, cet. At *barbara* vocabula evitare nemo potest, nisi qui latinorum scriptorum lectioni assuetus est, et Lexici boni ope utitur.

tur. — At contra sunt nonnulla, licet barbara, tamen retinenda, quia perspicuitas postulat: v. c. *Landgravius*, *Marchio*, *Feudum*, *Allodium*, *Mareschallus* etc. Sic *etymologiam* magis dixerim, quam *notationem*, licet Cicero ita dixerit et prius graecum sit: quia me vocabulo *etymologiae* utentem homines magis intelligunt, quam utentem vocabulo *notationis*. Ac, perspicuitati servire, est primum eloquentis officium.

c) *novata* etiam huc pertinent h. e. *aurea aetate nondum usitata*. — At hic perspicuitas saepe postulat, ut vocabula recentiora, quibus res et melius et brevius exprimitur, adhibeamus potius, quam vocabula aureae aetatis, si haec obscuriora sunt: v. c. *Imperator* Sigismundus, *Landgravius* etc. Attamen non negari potest, saepe verba novata cum bene latinis commutari posse, modo lectioni scriptorum latinorum assuetus sis.

d) huc pertinent *technica*, de quibus idem dicendum: v. c. philosophica, theologica, juridica, medica. Hic *perspicuitas* et *ratio lectorum* atque *auditorum* consulenda. Qui doctis reique peritis scribit, aut Compendium vel systema aliquod edit, cur is non proprio artis vocabulo, v. c. *Decoctum*, *infusum*, *extravasatio*, *scandalum* etc., potius utatur, quam periphrasi non satis commoda lectorem moretur? At in aliis libris, v. c. orationibus etc., ubi non artis peritos lectores exspectas, melius periphrasi, si commode fieri possit, utaris. Ac saepe philosophos quidem posse pro vocabulis vulgari more receptis Ciceroniana adhibere, v. c. *colligere*, *argumentari* pro *inferre*; *propositiones adfirmantes* vel *ajentes* pro *adfirmativis* cet., docuit Ernesti suo exemplo in Initiis philosophicis.

e) *obsoleta*, scil. aetate Ciceronis, (ad hanc enim respiciunt vulgo) per se patet omitti debere, *ob perspicuitatem*. Nam, si Ciceronis jam aetate ignota et obscura erant, quanto magis nostra?

f) *poetica* s. poetis propria ac duriora et inusitatiora, quam prosaica oratio lenior patiatur, omitti item debere per se patet: repugnant enim *perspicuitati* et *suavitati dicendi*. Id quod in primis intell. de epithetis, v. c. *mare velivolum*, *horrisonum* etc. Haec non nisi usu discenda.

g) *hybrida* (ut vocantur a nonnullis) i. e. e duobus vocabulis duarum linguarum composita; v. c. *monoculus*, ubi *oculus* est latinum, et *μόνος* graecum. — Recte. At sunt tamen, quibus vix carere hodie queamus; v. c. *Archidux*, *Archidapifer* etc. Et ipsi prisci nonnullis usi sunt, v. c. *post-*

postscenia, *biclinium* ap. Plaut. etc. Cf. Quintil. Instit. I, 5: Voss. Rhet. III, 2, 1. Et Caesar ipse librum Catoni Ciceronis oppositum inscripsit *Anticato.* Ergo usus consulendus. Hic solus debet decernere. Nam per se nihil vitii inesse video in vocabulo, partim graeco, partim latino, modo in usu apud priscos fuerit et rem, quam exprimi volo, recte exprimat.

Haec omnia ad totam orationem et stilum, atque ita infra ad capita de perspicuitate et suavitate dicendi, proprie pertinere facile intelligitur. Nec eorum hic mentionem fecissemus, nisi forsan a nonnullis exspectata hic fuissent. — At, cum dicimus, ista vocabula non adhiberi facile debere, per se patet, hoc de *seria oratione* intelligi. Nam per jocum v. c. in literis ad amicos et in sermone familiari quidlibet proferre licet. — Nec credendum est, in omissione istorum vocabulorum elegantiam consistere: imo haec in toto orationis et stili habitu, in pulchrarum sententiarum pulchra connexione, consistit.

3) In singulis verbis attendendum quoque est, ut eorum veram h. e. usitatam flexionem recte intelligamus: v. c. *specierum* et *speciebus* non dixerunt prisci, omninoque rari sunt isti duo casus quintae declinationis, praeterquam in *res* et *dies*. Cicero quidem pro *specierum*, *speciebus*, maluit dicere *formarum* et *formis*: *Nolim enim*, inquit Topic. 7, *ne si latine quidem possit*, specierum *et* speciebus *dicere: et saepe his casibus utendum est: at* formis *et* formarum *velim.* Idem pro vocabulo *specierum* utitur vocabulo *partium*, Tusc. IIII, 6, ubi ait: *partes autem perturbationum* etc. i. e. *species.* — At, si quis philosophicum librum scribens, ubi *specierum* saepe mentio facienda esset, *partes* et *formas* propterea, quia, ut intelligeretur satis, timeret, adhibere dubitaret, ac perspicuitatis causa poneret *specierum* et *speciebus:* quis ejus dubitationi et religioni non ignoscat? — Sic *equabus*, *filiabus*, *deabus* etc. quas terminationes libri grammatici inculcant, raro vel potius nunquam occurrunt, nisi sexus aliter discerni nequit, v. c. *diis deabusque* dixit Cicero Rab. perd. 2. Hic necessaria erat terminatio *abus.* At, *duabus filiis*, *ambabus filiis*, semper dixerim,

rim, quia *duabus* et *ambabus* jam docent *filias*, non *filios*, intelligi. Omninoque terminatio *is* servatur in talibus femininis, si contextus jam docet, de sexu feminino sermonem esse. Sic Varro de *Musis* loquens R. R. III, 16 §. 7 ita ait: *His diis Heliconem attribuerunt homines*, pro *deabus*. Attamen *duabus filiabus* legitur *Liv.* XXIIII, 26. *Alacris, acris, celebris* etc. raro in genere masculino occurrit: hinc rectius: vir *celeber, acer, alacer*, quam *celebris, acris, alacris;* et sic in omnibus adjectivis talibus terminatio *er* est gen. masc. et *is* usitatius femin. Sed omnem usum verborum supra dixi pendere maxime ab assidua lectione priscorum: cui qui se dat, ab eo istas res melius et certius observari, atque ita rectius usurpari, sponte patet.

4) de synonymicis vocabulis notandum, tironem non debere inter ea referre, quae non sint: v. c. *aut* et *vel* cum *sive, seu*, non commutari debent. *Sive, seu*, dicitur libenter de iisdem rebus duplex nomen gerentibus, atque ita explicationis causa, v. c. *Apollo seu Phoebus; Pallas seu Minerva. Aut* et *vel* de diversis, v. c. *Apollo vel Minerva; Apollo aut Mercurius; lingua vel oculus.* — Sic *ac* differt ab *et* hactenus, quod illud non poni debet ante vocalem: v. c. ne dixeris: *ac ego*, sed: *et ego, atque ego. Iratus* non plane idem est quod *ira inflammatus:* hoc indicat *gravitatem irae.* Sic *valde* et *incredibilem in modum* differunt gradu: *ubi locorum, minime gentium, quid est quod* etc., plus indicant quam *ubi, minime, cur. Quodsi* differt a *si* cet.

SECT. XVII

De compositione vocabulorum grammatica, h. e. *quatenus ea plerumque tantum e relatione ipsorum inter se sine respectu idearum in iis latentium considerantur.*

De verbis singulis diximus, nunc de eorum *conjunctione* loquemur. Ea est vel *grammatica*, quae tantum

tum fere verba per se spectat, vel *rhetorica*, quae tantum idearum et eloquentiae ipsius rationem habet.

Compositio s. *constructio grammatica*, quae in vulgaribus libris grammaticis graeco nomine *syntaxeos* appellatur, cernitur in eo, quando, nulla fere idearum ratione habita, ob vocabulum aliquod antecedens vocabulum sequens mutationis aliquid patitur et in certo *casu*, *numero*, *tempore*, *modo* etc. poni debet. Vocatur et *rectio*, contineturque praeceptis grammaticis: nec opus foret hic de ea dicere, nisi sciremus, nonnullos libellos grammaticos, v. c. Langianum, parum accurate scriptos esse, hincque illam pueris interdum parum accurate tradi. — Not. in scholis interdum *constructio* usurpatur pro *ordine verborum*; v. c. *pueri jubentur constructionem quaerere* i. e. ordinem verborum: et dicuntur *male* vel *bene construere*: it. saepe dicitur: *wie geht die Construction? construire doch! er construiret nicht*, *kann nicht construiren.* — Male, indefinite et obscure. *Puer* in vertendis locis prisci scriptoris non *construit*, sed *scriptor* v. c. Nepos *construxit periodos* et *totum librum* i. e. *composuit*: *construere* enim est proprie *componere* vel *aedificare* v. c. *domum*, *navem* cet. Puer tantum debet ordinem verborum in priscis scriptoribus quaerere, atque ita videre, quomodo prisci construxerint orationem suam; ut et ipse aliquando ita orationem vel libellum construere possit. Vocabula igitur a bonae latinitatis studioso ea tantum ratione *construi* s. *componi ac jungi* debent, qua a priscis constructa fuere. Hac de re, quia interdum non satis accurate traditur, pauca, tironum gratia, dicemus, et ordinem vulgarem libellorum grammaticorum fere sequemur.

I) Inter pronomen *possessivum* et *substantivum* dicunt interjici *unius*, *solius*, *ipsius*, *ipsorum*, *amborum*. — Recte. At non per se, nec sine sensu. *Meum solius peccatum corrigi non potest* est pro: *ego solus sum*, *cujus peccatum non* etc. *Tua unius opera liberatus es*, i. e. *durch deine Bemühung allein* etc.

etc. *Tua ipsius culpa miser es*, i. e. *durch deine eigne Schuld* etc., *tu ipse effecisti, ut nunc miser sis.* Sic et *amborum* non inseritur, nisi de *duobus* sermo est.

II) *Opus est* dicunt requirere vel nominativum vel ablativum rei. — Recte. Et plerumque, v. c. in substantivis, nil refert, utrum nominativus an ablativus ponatur. — Sed interdum nominativus melior est, si scilicet perspicuitas exigit. Hoc v. c. fit in neutris adjectivorum et pronominum; v. c. *quod opus mihi fuit, id tibi non est opus:* hic *quo* et *eo* nolim dicere, quia possint pro masculinis haberi: at perspicuitas vult, ut, quidquid lectorem morari aliquo modo possit, id tollamus, et ipsi lectionem quam facillimam reddamus: hoc postulat quoque humanitas. At tum demum *eo* et *iis* uti licet, cum *quod, quae,* sequitur: quia tum neutrum agnoscitur: v. c. *eo, quod cupis, non tibi opus est: opus fuit iis, quae ad bellum pertinerent.*

III) *Verbum* (proprie sumtum, v. c. *sum, amo, lego* cet.) quando duobus vel pluribus substantivis, personas indicantibus, tanquam praedicatum additur, debet esse in plurali, licet theodisca lingua interdum singulari utatur: v. c. *Vater und Mutter ist krank, pater et mater aegrotant* s. *aegroti sunt.* At si haec substantiva indicant res vita carentes, uti licet quoque singulari verbi, v. c. *pecunia* et *domus amissa est:* poterat tamen et recte dici: *amissae sunt.*

IV) Adjectivum et participium, quando substantivis, personas diversi sexus indicantibus, tanquam praedicatum additur, accommodat se generi masculino: v. c. *pater et mater sunt sani, mortui*, non *sanae, mortuae.* — At, si non praedicati vim sustinet, sed non nisi merum epitheton est, accommodat se ad sexum subjecti propioris: v. c. *Noster frater et soror,* vel *nostra soror et frater:* it. *soror et frater noster,* vel *frater et soror nostra:* nisi vis repetere adjectivum et dicere *noster frater et soror nostra*: quod haud dubie accuratius. — Idem observatur in omni adjectivo et participio, quod substantivis non personas, sed res, indicantibus additur, sive praedicati vim sustineat sive non: v. c. *pecunia et liber amissus est*, vel *liber et pecunia amissa est*; vel *amissa est pecunia et liber*, vel *amissus est liber et pecunia.* — At, si tot substantiva praecedunt, *res* in primis indicantia, tamque diversi generis, ut incerti simus, ad quodnam eorum accommodare se debeat *adjectivum* vim praedicati habens et proprie ad cuncta illa referendum; praesertim si alia sunt pluralis alia singularis numeri: rectius istud unum adjectivum in neutro plur. subjicitur; v. c. *libertas, patria, opes, exercitus, leges,*

et

et imperium, amissa sunt. Proprie autem ita intelligendum: *amissa* scil. *negotia, sind verlohrne Dinge.*

V) Pro praepositionibus *in, erga, adversus* etc. dicunt genitivum non modo *mei, tui, nostri* etc. sed etiam substantivorum poni posse; v. c. *amor mei, nostri; amor Dei* i. e. *erga Deum.* — Non satis definite. *Mei, tui* etc. semper ita dici potest, quia hic nulla ambiguitas; at in substantivis contextus consulendus est, ne perspicuitas laedatur, quia v. c. *amor Dei, patris* etc., esse potest quoque *amor Dei, patris, erga alios:* v. c. recte dicimus ita: *multi sunt, qui ad Dei amorem per ipsius beneficia non impellantur:* hic aperte est pro *erga Deum*; recte quoque: *Dei amor ostendit se per ipsius beneficia;* hic *Dei amor* proprie sumitur pro *amore Dei erga homines.* At stultum foret ita dicere: *animus mihi est de amore Dei loqui,* pro *de amore erga Deum.* Hic enim contextus non aptus est: et posset quoque *amor Dei erga homines* intelligi a lectore. Ego quidem semper *amorem Dei, patris* etc., intellexerim de *amore Dei, patris, erga alios*; nisi contextus aliud aperte suadet.

VI) *Esse*, si rei describendae servit, dicunt genitivo et ablativo jungi. — Recte. Sed add. 1) adjectivum quoque adesse debet; v. c. non dixerim: *mulier est pulchritudine* s. *pulchritudinis*, pro *est pulchra, hat Schönheit;* at *magna pulchritudine, magnae pulchritudinis:* nec *mons est altitudine;* at *magna,* vel *ea, tali, altitudine* etc. 2) deinde usus loquendi observari debet: in aliis enim casus alteruter, in aliis uterque, in usu est; v. c. *res est magnae utilitatis et magna utilitate.* Contra *est magno natu,* non *est magni natus.* Notum autem est, istum *genitivum* non ab *esse* regi, sed ab omisso substantivo, v. c. *homo, negotium* h. e. *res:* et *ablativum* a *praeditus*, quod et saepissime a priscis additur.

Not. formulam *patris est,* v. c. *alere liberos,* pro *pater debet* etc., huic etiam regulae subjiciunt, quasi *est* regat genitivum, cum tamen *officium,* quod aeque bene addi potest, vel etiam *negotium,* ut *Perizon.* vult, i. e. *res,* intelligi debeat. Hinc et alia explicari possunt facilius; v. c. *cujusvis hominis est errare* i. e. *negotium, Irren ist die Sache eines jeden Menschen,* i. e. *jeder kann irren*; *hinnire est equorum* i. e. *negotium, Wiehern ist der Pferde ihre Sache.* Hic enim infinitivus est subjectum ubique: cf. Cic. Arch. 3 *sed hoc non solum ingenii ac literarum, verum etiam naturae atque virtutis, ut domus* etc., h. e. *Aber das war nicht bloß eine Sache des Genies und der Gelehrsamkeit, sondern auch* etc. *Archias hatte es nicht bloß*

bloß seinem Genie zu verdanken etc.; ubi aperte intell. *negotium:* et notandum, *ut* sequi.

VII) *Neutra* nonnullorum *adjectivorum* et *pronominum*, ut: *hoc*, *id*, *illud*, *istud*, *quid*, *aliquid*, *quidquid*, *quidquam*, *tantum*, *quantum*, *multum*, *plus*, *plurimum*, *reliquum*, *aliquantum*, *dimidium*, saepe *substantive* cum genitivo poni dicunt. — Recte, at non definite. Nam 1) nonnulla eorum possunt tantum substantive poni, non utique debent: v. c. *hoc*, *id*, *illud*, *multum*, *plurimum*, *reliquum*, *dimidium;* v. c. *hoc negotii*, *id officii*, *multum temporis* etc.; ubi *hoc negotium*, *id officium*, *multum tempus*, aeque bene dici potest. Imo praeter hoc *multum* cetera frequentius ut adjectiva ponuntur, nec fere dixerim *hoc pennae*, *id chartae*, sine affectationis crimine: at *id aetatis* saepius occurrit pro *ea aetate.* Multo minus dixerim *hoc patris*, *id matris* etc., v. c. *tu hoc patris non amare potes?* ridiculum foret pro *hunc patrem.* Hinc usus loquendi consulendus. 2) sed cetera: *quid*, *aliquid*, *quidquid*, *quidquam*, *tantum* pro *tot*, *quantum* pro *quot*, *plus*, *aliquantum* semper substantive atque ita, si substantivum additur, cum genitivo ponuntur, v. c. *quid rei* i. e. *quae res? quid negotii;* (not. reperitur tamen vero etiam v. c. *quid nomen*, *Plaut.* Pseud. II, 2, 4: *Men.* IV, 9, 7 pro *nominis: quid honestum*, *Liv.* XXXIIII, 3) *aliquid temporis*, *causae*, (not. *aliquid extremum*, *Cic.* Sen. 19; *aliquid improvisum*, *Liv.* XXVII, 4.) *quidquid rei*, *librorum*, *habes;* si *quidquam novi* scirem; *tantum temporis; tantum librorum* habes, *quantum* ego vix *hominum* vidi; *plus negotii*, *librorum; aliquantum temporis.* — Hic not., neutrum *tantum* et *quantum* duplicem notionem habere 1) i. q. *tam magnum*, *quam magnum:* hac notione manet semper adjectivum, v. c. *tantum negotium*, *eine so große Sache*; *tanti homines*, *so große Leute;* ubi male dixeris: *tantum negotii*, *tantum hominum.* 2) est i. q. *tot*, *quot:* hac notione substantive poni debet, v. c. *habes tantum librorum*, *quantum ego vix hominum vidi*, i. e. *habes tot libros*, *quot ego vix homines vidi.* Hoc tirones si observant, facilis iis est usus horum: genitivum autem istum non ab istis neutris, sed ab omisso vocabulo, v. c. *negotium*, pendere, monuit Perizon. ad Sanct.

VIII) *Interest* h. e. *prodest*, *es ist daran gelegen*, et *refert*, eodem sensu, ajunt regere *genitivum personae*, *praeter* pronomina *mea*, *tua* etc. — Recte, sed nihil addunt de *re*, *quae prodest*, *woran gelegen ist.* Turbat hic vernacula, utens *substantivo*, v. c. *es liegt mir viel an Büchern*, *es liegt dem Sohne viel an des Vaters Gesundheit*, ubi tiro, deceptus quaestione

illa

illa vulgari, *woran?* proclivis est ad usurpandum *ablativum.* Male. Debent illa ita verti: *magni mea interest libros habere: filii multum interest*, (non hic sumserim *magni* ob perspicuitatem, ne quis τὸ *magni* ad *filii* referat) *patrem esse sanum.* — Omninoque tota haec res ita tradi debet: *res*, quae prodesse dicitur, *woran gelegen ist*, nunquam per casum substantivi, sed per *infinitivum*, vel per *accusativum cum infinitivo*, vel etiam interdum per *an*, *utrum-an*, *quis*, *quid*, *quomodo*, exprimi debet, v. c. *nihil tua interest, an hoc scias: nihil mea interest, utrum hoc falsum an verum sit: magni mea refert, quid homines de me judicent; parum tua interest, quomodo vivam: magni interest, quos quisque magistros quotidie audiat:* it. *qualis*, *quantus* etc. Interdum etiam *ad* reperitur, v. c. Cicero in epist. illa ad Luccejum ad Div. V, ep. 12, §. 6 *Equidem ad nostram laudem non multum video interesse, sed ad properationem meam quiddam interest, non te exspectare, dum ad locum venias* etc. *ad* i. e. *quod attinet ad*, ut saepe.

VIIII) *Adverbia eo*, *pridie* etc., dicunt regere genitivum. At 1) debebat simul dici, *eo* hic esse i. q. *ad eam magnitudinem* s. *tam longe;* v. c. *eo audaciae*, *doctrinae*, *processit*, pro *tam longe in audacia, in doctrina, processit* s. *progressus est, er hats so weit in der Kühnheit, Gelehrsamkeit, gebracht:* illo modo semper prisci: 2) *pridie ejus diei* occurrit ap. *Cic.* et *Caes.* Quando vero aliud substantivum additur, tum saepius accusativo jungitur; v. c. *pridie Kalendas Majas, Idus Apriles:* vulgo *pridie Kalendarum Maii.*

X) Nonnullis adverbiis *loci* et *temporis* jungi dicunt *genitivos*, *terrarum*, *loci*, *temporis*: quasi haec additamenta frustra sint vel ubique quadrent. At, si *interea temporis* pro *interea* excipis, cetera non simpliciter ita dicta sunt, sed cum *gravitate* quadam; et *ubique terrarum*, *ubi locorum*, plus valent, quam *ubique*, *ubi*: et *minime gentium* gravius dictum est quam *minime*, estque nostrum: *bey Leibe nicht*, *in der Welt Gottes nicht*, ut nonnulli loquuntur.

XI) De *verbis activis*, s. potius *transitivis* (sic enim rectius appellantur: quia *verba neutra* etiam sunt *activa* per se, h. e. *actionem quandam* notant, sed *intransitivam*; hinc et *intransitiva* appellantur), discunt vulgo pueri: *omnia verba activa* s. *transitiva regunt accusativum.* — Recte: at hoc iis parum prodest; estque quasi petitio principii, ut ajunt. Nam pueri nondum norunt activa. Didicerunt quidem *activa* s. *transitiva* esse ea, quae habeant passivum. At nondum sciunt, quaenam verba habeant passivum, quae non. Hoc tantum de *amo*, *doceo*, *lego*, *audio* et paucis aliis sciunt, quorum passi-

vum cum activo simul didicere. At de ceteris difficile est pueris nosse, quia lectio priscorum iis deest, et praeterea usus vernaculae linguae eos turbat, in qua saepe verba passivis gaudent, quae in latina iis carent, et contra: v. c. *ich schone parco, ich helfe juvo.* Hinc in tam difficili re ad tirones juvandos interdum ita simul iis praecipio: *Quaecunque verba accusativum regunt, ea sunt passivo toto instructa*, et *vocantur activa* s. *transitiva:* hinc v. c. *amor, amaris, amabor, amatus, amandus; adjuvor, adjuvaris, adjuvabor, adjutus, adjuvandus.* Quae contra non regunt accusativum, ea non habent passivum totum, h. e. habent tantum tertiam personam singularis, generis neutrius, impersonaliter explicandam, v. c. *parcitur man schont* etc. Hinc non dico: *parcor, parceris, parcebar, parcar, parcitus, parcendus:* at *parcendum,* quia est neutrum: nec *persuadeor, persuaderis, persuadebar, persuadebor, persuasus, persuadendus,* sed tantum *persuadendum.* Hinc vernacula *ich werde überredet, du wirst* etc. *der Vater wird* etc. *ich bin überredet worden, du bist* etc. *die Aeltern sind* etc. ita verti debent: *persuadetur mihi, tibi, patri* etc. *persuasum est mihi, tibi, parentibus* etc. Sic est in omnibus, et tiro in iis non facile errabit, v. c. *petere aliquem* est *invadere,* sed *petere ab aliquo* est *orare.* Utrum passivum habebit? prius, non posterius. Ergo *petor, peteris, petitur,* est a *petere aliquem,* non a *petere ab aliquo;* sic *quaerere aliquem, einen suchen,* habebit passivum, *quaerere ab aliquo, einen fragen,* carebit illo; sic *consulere aliquem* habebit *consulor, consultus sum, consulendus:* at *consulo alicui,* i. e. *prospicio,* non habebit. — Haec observatio, tenuis illa quidem, sed magnae est utilitatis, v. c. in mutando gerundio in participium. V. c. quia verba accusativum regentia habent passivum totum: hinc pro *cupidus legendi librum et libros* dici potest *cupidus legendi libri et librorum legendorum;* at cupidus *parcendi inimicis, persuadendi tibi,* non potest mutari in *parcendorum inimicorum, tui persuadendi.* Idem de deponentibus observandum: quae, si accusativum regunt, habent futurum particip. passivi; sin minus, carent eo: hinc *cupidus consequendae doctrinae,* it. *tuenda lingua,* pro *cupidus consequendi doctrinam, tuendo linguam,* dici potest: at non *cupidus utendae occasionis,* vel *fruendis voluptatibus,* pro *cupidus utendi occasione, fruendo voluptatibus,* dici potest. — Potest vero illa regula quoque inverti: Verba, quae passivum totum habent, vel de quibus saltem *una* certa persona, v. c. *prima* etc., reperitur, ut *adjutus sum,* ea regunt accusativum, suntque adeo vera activa s. transitiva. Multum hoc tironem juvabit:

vabit: fateor tamen, sine lectione priscorum et usu cognitionem illius nondum perfectam fore.

Not. Reperiuntur tamen non raro *utendus, a, um, fruendus, a, um,* v. c. ap. *Cic.* Verr. II, 18 extr. *utenda* cet. *Cic.* Fin. I, 1 extr. *fruenda* cet. Hinc imitari licet.

XII) *Oportet* ajunt regere accusativum personae et infinitivum rei: hinc discunt pueri: *me oportet ich muß, te oportet du* etc. — Rectius sic traditur: *Oportet* nihil aliud notat quam *opus est.* Ergo proprie sequi debet *ut*, quemadmodum in vernacula *daß*, v. c. *Es ist nöthig, daß ich* oder *der Vater schreibe;* sed istud *ut* semper, ni fallor, omittitur, ac vel nominativus cum conjunctivo sequitur, vel iste nominativus in accusat. cum infinit. mutatur, v. c. *oportet, ego scribam, pater scribat;* vel *oportet me scribere, patrem scribere.* Posterior constructio pertinet ad caput de accusat. cum infinitivo. Et tota res similis est huic: *velim facias* et *te facere.*

XIII) *Interrogationes* illae: *womit, wodurch, wovon, woran, worauf* etc., propter quas ablativum sequi libelli grammatici tradunt, plerumque, si pauculas v. c. *womit* et *wodurch* excipias, valde incertae et indefinitae sunt animosque tironum valde confundunt. V. c. 1) *wodurch* non ubique ablativum regit, v. c. *ich bin durch Schlesien, durch Berlin, gereiset:* hic non dici potest *profectus sum Silesia, Berolino.* 2) *woraus, wovon, worin* raro ablativum permittit: v. c. *urbe fugere, muris fugere, urbe esse,* pro *ex urbe, de muris, in urbe,* quis dicat? 3) *wornach* interdum decipit tironem, v. c. *ich reise nach Polen, nach Berlin, ich strebe nach Gelehrsamkeit, bin nach Lobe begierig:* hic dicere conabitur *proficiscor Polonia, Berolino, appeto doctrina, cupidus sum laude,* pro *in Poloniam, Berolinum, doctrinam, laudis.* Cur? quia quaestio *wornach* ita postulare videtur. Melius est discere, *casum* ablativum vel a praepositionibus vel a certis verbis regi etc.

XIIII) Post *comparativum* ajunt, omisso τῷ *quam*, poni posse ablativum, idque eleganter dici addunt. — At notandum 1) non ubique hoc fieri posse, sed tantum in *casu* subjecti, s. si nomen istud vel *nominativus* (subjectum) *est*, vel *nominativi* (subjecti) *vim habet*; quod posterius locum habet in accusativo cum infinitivo, v. c. *tu doctior es patre* i. e. *quam pater:* vel *dicunt te doctiorem esse patre* pro *quam patrem.* — At non dicere possum: *beneficia probis libentius tribuo improbis* pro *quam improbis;* nec: *cupidior sum virtutis doctrina* pro *quam doctrinae;* in his τὸ *quam* suo loco non movendum. 2) quod quidam istum ablativum elegantiorem esse putant τῷ *quam*, in eo errant, quia prisci utramque

 for-

formam aeque crebro usurpant. Ac sane difficilior interdum est tironibus forma posterior quam prior. V. c. facile vertunt: *scio te doctiorem esse patre;* at, si pro eo *τὸ quam* usurpare jubentur, vidi eos facile ponere *scio te esse doctiorem quam pater:* quia nesciunt, *τὸ quam* casum eundem post se requirere, qui praecessit, quia duo haec subjecta inter se comparantur.

XV) *Accusativus* cum *infinitivo*, qua forma nil frequentius est apud priscos, mature disci debet, ac sub magistro perito intra paucas horas disci potest, quod experientia saepe docuit. Mirandum est, hanc formam cum participiorum usu diuturnam tironum crucem in multis scholis esse. Causa est praecipua, quod latine scribendi artem non e lectione priscorum, sed e libellis grammaticis saepe non accuratis, discere solent atque jubentur. Ad horum regulas, satis indefinitas, formant se saepe et magistri et discipuli. Hinc illae lacrymae. Totam igitur rem hic paulo distinctius tradere operae pretium est.

Accusativus (Subjecti) cum *infinitivo* pro vernaculo nominativo cum indicativo aut conjunctivo poni vel potest vel debet, ubi vernacula habet *daß:* atque ita particulae, quae illud *daß* exprimere solent, ut *an* (si cum *quod daß* commutatur), *quin*, *ut* et *quod*, omittuntur. Singulas recensebo, easque praeponam, ubi paucioribus verbis defungi licet. Hic igitur

1) prius scire debes, ubi *an*, *quin*, *ut* et *quod*, poni debeant, quam his particulis substituere audeas usum accusativi cum infinitivo.

a) *An* ponitur post verba dubitandi et respondet vernaculo *ob:* v. c. *dubito, an pater venturus sit.*

b) *Quin* ponitur post *non dubito*, *non dubium est* etc., quod fere idem est, quod *certo scio:* v. c. *non dubito, quin pater venturus sit.*

c) *Ut* ponitur 1) post vocabula comparativa *ita*, *sic*, *adeo*, *tantus*, *tot* etc. 2) post verba ac phrases, quae causam sequentis enuntiationis continent vel continere saltem videntur ac debent; s. disertius, quae efficiunt, ut id, quod sequitur, vel fiat vel saltem fieri debeat ac possit: qualia sunt verba *voluntatis*, *rogandi*, *optandi*, *hortandi*, *monendi*, *suadendi*, *impellendi*, *imperandi*, it. post *utile est*, *aequum est*, *accidit*, *fit*, *contingit*, *evenit*, *sequitur* etc.

d) *Quod*

d) *Quod* proprie poni debet vel debebat post verba et phrases eas, quae non continent caussam sequentis enuntiationis, h. e. — *primum* post verba *sensuum*, *cogitandi*, *opinandi*, *putandi*, *judicandi*, *colligendi* (schliessen), *intelligendi*, *sciendi*, *nesciendi*, et similia, v. c. *certum est*, *apparet* etc.: — *deinde* post verba *affectuum*, v. c. *gaudeo*, *doleo*, *spero*, et similia, (praeter verba *metuendi*; post quae *ut* pro *ne* et *ne* pro *ut* poni solet): *denique* post verba, quibus alicui *aliquid notum facimus* et *indicamus*, *quacunque ratione fiat*, v. c. *dico*, *nego*, *narro*, *indico*, *significo*, *scribo*, et similia similesque formas, v. c. *nuntius est allatus* etc.

2) deinde ipsa mutatio harum *particularum una cum nominativo* et *modo verbi finito* in *accusativum cum infinitivo* diligenter instituenda est. Nam interdum illa mutatio fieri necessario debet, v. c. τȣ *quod* plerumque; interdum fieri tantum potest, si libet, h. e. parum refert, utrum particulam illam cum nominativo et indicativo vel conjunctivo, an accusativum cum infinit., eligas; interdum ista mutatio plane fieri non debet. — Hoc distincte sic tradi in libellis grammaticis debet, si quid utilitatis inde certo percipi velimus. Ordinem superiorem hic servabimus:

a) Pro *an* post *dubito* ubique accusativ. cum infinit. poni potest, quia τὸ *an* nostro *daß* respondet. — Recte ergo: *dubito*, *an pater venturus sit*, et *patrem venturum esse*; ut nos: *ich zweifle*, *ob der Vater kommen werde*, et *daß der Vater kommen werde*.

b) Pro *quin* post *non dubito*, similibusque formis, v. c. *non dubium est*, *quis dubitat* etc., ubi libet, *accusativum cum infinitivo* ponere licet. — Recte ergo utrumque: *non dubito*, *quin pater venturus sit*, et *patrem venturum esse*. At prius, nisi fallor, tam frequentius occurrit apud priscos, ut adeo stulti sint, qui in posteriori forma elegantiae nescio quid praecipuae quaerant.

c) *Ut* varia est conditione:

1) semper manere, nec unquam in *accus. cum infinit.* debet mutari post *ita*, *sic*, *talis*, *tantus*, *adeo*; quo pertinet *is* pro *talis*; v. c. *ea est virtute*, *ut* etc.; it. post verba *faciendi* s. *efficiendi*, *suadendi*, *impellendi*, *hortandi*, *monendi*, *cogendi*, *rogandi* s. *orandi*, *imperandi* (praeter *jubeo*); itemque post *accidit*, *fit*, *contingit*, v. c. *fecisti*, *ut veniret*; *suadeo*, *ut id agas*, ubi nostri interdum τὸ *daß* omittunt;

 ich

ich rathe dir dieses zu thun: sic et in aliis *er befahl mir zu kommen, imperavit, ut venirem: er zwang mich zu schreiben, coegit me, ut scriberem: rogo te, ut venias: contigit mihi, ut te viderem, ich habe das Glück gehabt dich zu sehen* etc. In his omnibus *ut* rectius usurpatur, quam accus. cum infinitivo, quidquid vernacula turbet: neque ergo dicendum: *fecisti eum venire; suadeo tibi id agere; imperavit mihi venire; contigit, accidit mihi, te videre;* licet vernaculae respondeat. — Hic not. a) interdum apud priscos aliter esse; v. c. *contigit ei antecellere* est ap. Cic. Arch. 3 pro *ut antecelleret;* sic *infinitivus* post *cogo* poni potest, v. c. *coegit me scribere* etc. At nulla regula sine exceptione, qua turbari non debemus. b) inter verba *imperandi* unum *jubeo* excipitur quodam modo. Nam fere semper ap. priscos construitur cum accusat. et infinitivo, v. c. *Pater jussit me venire; Deus jussit, hoc a nobis fieri;* non: *jussit ut venirem; jussit, ut hoc fieret a nobis.* Interdum tamen etiam, omisso τῷ *ut,* sequitur conjunctivus; v. c. *jube veniat laß ihn doch kommen; jussit adduceretur.* c) inter verba *imperandi* referenda sunt *dicere, scribere, nuntiare* ac similia verba *indicandi,* si qua vis imperandi inest vel si voluntatem simul indicant, v. c. *dic ei, ut veniat, sag ihm, daß er komme: senatus scripsit illi, ut rediret, schrieb ihm, daß er* etc.

2) post verba *velle, cupere, optare, pati,* liberum est cuique τὸ *ut* ponere aut accusativum cum infinitivo, quia utraque forma saepe ap. priscos occurrit. Sic et post *aequum est, oportet, necesse est, sequitur* s. *consequens est:* v. c. *Volo te venire* et *ut venias: rogavi patrem scribere* et *ut scriberet; oportet rem fieri* et *res fiat* (sine *ut*); *necesse est hominem mori* et *homo moriatur; aequum est hoc fieri* et *ut hoc fiat; hinc sequitur, ut nemo longe in literis sine ingenio progrediatur,* et *neminem longe progredi* etc.

3) post *jubere,* ut jam dictum, rectius est ubique ponere accus. cum infinit.

d) *Quod* majori difficultate laborare videtur. At non laborat: modo teneamus, *quod* post illa verba supra allata semper abjici et in accusat. cum infinit. mutari debere, nisi est aperte particula causalis h. e. cum *quia* commutari potest. Tum enim quoque *quod* rectum est. Accuratius res tota ita tenenda:

1) Post verba *sensuum,* v. c. *video, audio* cet., et *mentis,* v. c. *intelligo, puto* etc.; it. post verba *dicendi, scribendi,* omni-

omninoque *significandi*, semper τὸ *quod* abjici et accusativus cum infinitivo poni debet; quia hic *quod* non est i. q. *quia*, v. c. *video te doctum esse*, non *quod doctus es: intelligo, (judico, arbitror, puto), patrem venturum esse*, non *quod veniet* vel *venturus sit: manifestum, certum, notum est, res omnes a Deo creatas esse*, non *quod res omnes creatae* etc. Postulat hoc usus priscorum. — Hic not. a) errare eos, qui accusat. cum infinitivo *elegantius* poni dicant, quam τὸ *quod*. Nam aliter dici nequit: *quod* plane falsum est. b) Perizonius ad Sanctium docuit, priscos tamen *interdum* posuisse in his formis *quod*. — At, quia hoc *interdum* factum est, nam negari vix potest, quidquid Gronovius ad Liv. contra dicat, hinc regula tamen esse nequit. Videntur prisci olim dixisse v. c. *audio, quod pater veniet*, et *patrem venturum esse*, ut nos: *ich höre, daß der Vater kommen wird*, et *ich höre, der Vater werde kommen*, sed prior forma deinde obsolevisse paulatim videtur. Hinc sequitur, posteriorem, quia ea fere semper usi sunt prisci, tironibus solam esse commendandam. — Errat vero *Gesnerus* ad Heinecc., cum putat, Perizonium, licet τὸ *quod* defenderit, tamen ipsum hac forma non usum. Imo loquitur, licet raro, ita Perizonius ad Sanctium, v. c. p. 781 *Quocirca ut taceam, quod illa hereditatis interpretatio sit longius petita* etc. et in Addend. ad p. 525 *Et notabile, quod omnia haec vocabula dativum habeant* etc. c) *dico, nuntio, scribo* et similia verba *indicandi*, si vim imperandi habent vel voluntatem aliquam includunt, ad *verba imperandi* pertinent; ergo post ea non accusativus cum infinitivo, sed *ut*, sequi debet: v. c. *dic filio tuo, ut ad me veniat*, i. e. *impera*, ut nostri *sag deinem Sohne, daß er zu mir komme; scripsit mihi pater, ut ad se venirem* i. e. *per literas mihi imperavit*, ut nostri *der Vater hat mir geschrieben, daß ich zu ihm kommen sollte*. Hic usus accusativi cum infinit. falsus foret. Sic Cic. ad Div. III ep. 7 §. 4 *quid habuit iniquitatis, me scribere, ne facerent ante, quam* etc., h. e. *me per literas imperare, interdicere iis* etc. d) Anomaliam interdum apud priscos nemo miretur; v. c. illa formula nota est: *adde, quod* etc., quae tamen notat idem, quod *dic praeterea:* sic *accedit, ut* saepe occurrit pro *quod:* sic post *verum est* occurrit *ut* loco accusativi et infinitivi, Nep. Hann. 1 *Si verum est, quod nemo dubitat, ut populus rom. — superarit* pro *populum rom. — superasse*. — Referunt huc Cic. Rosc. Am. 41 *Non est verisimile, ut Chrysogonus horum literas adamarit et humanitatem;* Verr. IIII, 6 *verisimile non est, ut ille homo tam locuples — religioni suae — pecuniam anteponeret:* pro *Chrysogonum*

gonum adamasse etc., *hominem illum — anteposuisse.* — At forsan τὸ *ut* per *quemadmodum* explicandum: nam e) caveant tirones, ne, si post verba sensuum et dicendi *ut* apud priscos reperiant, statim id per *daß* vertant et pro accusativo cum infinit. positum atque ita vitium esse putent. Saepe enim τὸ *ut* post ista verba est particula similitudinis pro *quemadmodum:* neque ergo huc pertinet, v. c. Cic. R. Am. 24 in. *Videtisne, quos — poetae tradiderunt — supplicium de matre sumsisse, ut eos agitent furiae* etc. Ordo verborum est: *Videtisne, ut furiae eos agitent,* i. e. *quemadmodum furiae* etc., sic saepe Cicero et alii, v. c. Plin. Paneg. 8 §. 5 *oblitine sumus, ut* etc., i. e. *quemadmodum:* qui locus in Lexico Fabri male affertur, ad ostendendam anomaliam, ut et Plin. Paneg. 8 §. 6 *An dubium est, ut* etc., ubi τὸ *ut* ab *effectum esse* pendet, non a *dubium est.* Et sic forsan superiores loci Ciceronis *Verisimile est, ut* etc. explicari possunt.

Not. interdum pro accusativo cum infinitivo ponitur nominativus cum infinitivo, vel potius solus infinitivus.

a) Sic semper post *videor, dicor, feror:* v. c. *pater dicitur esse doctus.* Hic enim ordo verborum est, *pater* praecedit, non sequitur, in ordine constructionis, ut itaque non dici debeat, sequi debere nominativum cum infinitivo. Infinitivus regitur a *dicitur* e vulgari regula: *quando duo verba concurrunt, posterius abit in infinitivum.* Sic *mater dicitur esse proba,* non *matrem esse probam: mater dicta est ventura esse,* non *dictum est matrem venturam.* Sic semper dicendum. — Quod si Cicero et Nepos interdum aliter locuti sunt, haec paucula exempla, si quidem genuina sunt, nos non debent movere.

b) Post nonnulla alia passiva potest interdum eadem forma usurpari; v. c. dici potest: *existimatur patrem esse doctum* et *pater esse doctus.* Nam sic et prisci.

c) Huc pertinet *cupio esse doctus,* quod dici potest pro: *cupio me doctum esse.* — Ceterum in omnibus his formulis notanda est haec regula: *infinitivus* esse *requirit post se eundem casum, qui praecessit.* Ad hanc regulam exigenda sunt ista exempla et alia, v. c. *dicunt, regem esse bonum: rex dicitur esse bonus: pater cupit esse doctus, cupio* (ego) *esse doctus.* In *cupio* enim latet nominativus: huc pertinent hae quoque formulae, non nisi ex illa regula explicandae: *mihi licet esse otioso, felici; parentibus licet esse otiosis, felicibus:* dicere etiam pro iis possum: *mihi licet esse otiosum, felicem; parentibus licet esse otiosos, felices,* quod

quod ita explicandum: *mihi licet, me esse otiosum; parentibus licet, ipsos esse otiosos* etc., atque ita pro illo accusativo cum infinitivo habendum, accusativo tamen, ut saepe et alibi fit, hic omisso.

2) De verbis *affectuum* ita tirones monere soleo, ut dicam, quatuor eorum esse genera, ad quae singuli referantur, *gaudium, dolorem, spem* et *metum.* Iam

a) post verba *gaudendi* et *dolendi* utrumque poni potest, et *accusativus cum infinitivo*, et *quod;* quia τὸ *quod* caussam hic indicat, et cum *quia* commutari potest. Rectum itaque est, et *gaudeo te valere, doleo patrem esse aegrotum,* et *gaudeo, quod vales; doleo, quod pater aegrotus est.* — Not. non *valeas, sit*: nam *quod* i. e. *daß* non regit conjunctivum, ut male nonnulli praecipiunt.

b) Post *spero, spes me tenet* etc., semper accusativus cum infinitivo poni debet, nunquam *quod*, v. c. *spero patrem esse venturum*, non *quod pater veniet.* — Forsan et *spero* ad verba sensuum et mentis referri possit: nam proprie est i. q. *opinor*, ut gr. ἐλπίζω, ἔλπομαι, ac propterea et in bonam partem de *spe* et in malam partem de *metu* ponitur, v. c. *non sperabam hoc mali eventurum*, pro *timebam, putabam.* Quod si cogitas, eo minus mirandum est, accusativum cum infinit. semper sequi. — Notandum vero est, post *spero* semper, si quidem de futura re sermo est, *futurum infin.* poni debere, licet vernacula saepe praesens ponat, v. c. *ich hoffe morgen die Bücher zu bekommen, meine Aeltern zu sehen*; quod verti debet: *spero me cras libros accepturum; me parentes meos visurum;* non *accipere, videre:* (quamquam interdum quoque sic prisci:) et male hic regula usurparetur: *quando duo verba conveniunt, posterius in infinitivo ponendum.*

c) *Verba timendi* non huc pertinent: post ea enim *ne* significatione affirmativa *daß*, et *ut* significatione negativa *daß nicht* ponitur, v. c. *timeo, timor mihi injicitur, ne hostes adveniant.* Potest tamen interdum quoque accusativus cum infinitivo poni: quia et ita nonnunquam prisci.

XVI) De usu *infinitivi*, sine praeced. accusativo, regula illa, ex qua duorum verborum concurrentium, h. e. arctissime cohaerentium, posterius in infinitivo ponitur, arctioribus limitibus includenda est. Non enim hoc ubique licet; v. c. non dicere possum: *impellor scribere; pater me*

me impulit scribere, pro: *ad scribendum*, vel pro: *ut scribam, scriberem.* Non dicere licet: *operam dabo multa discere*, pro: *ut discam multa*; licet vernacula ita: *ich will mir Mühe geben viel zu lernen.* Et eadem vernacula et illa regula simul tirones decipit, ut dicant: *quaeram istam rem consequi, ich will suchen die Sache zu erlangen*, pro: *studebo* etc. Nam defendunt se illa regula. — Male. Post certa tantum verba infinitivus sequi potest ac debet, v. c. *volo, nolo, cupio, conor, tento, audeo, studeo, cogito, possum, nequeo, obliviscor, debeo, coepi, incipio, constitui, soleo, consuevi, cogor, scio* etc. ac raro post *habeo* i. e. *debeo*, v. c. *habeo dicere* ap. Cicer., quod proprie graecum est. Poetae sunt audaciores, et post *parco, fugio* etc., ponunt infinitivum, v. c. *parce quaerere, fuge quaerere*, pro: *ne quaeras.* At illos hic non est quod curemus. Tota igitur res usu loquendi disci debet. — Ceterum in lectione priscorum cautio tironi est adhibenda, ne interdum *casum* aliquem aut infinitivum putet regi a verbo, a quo non regitur, sed tantum regi prima specie videtur; v. c. 1) *pater putatur doctus, videtur sapiens*; ubi videtur *doctus* et *sapiens* a *putatur* et *videtur* regi, sed regitur ab omisso *esse*, quod saepe in tali forma omittitur: debebat esse, *pater putatur esse doctus, videtur esse sapiens;* tunc nominativum sequi debere ex superiori regula apparet: *post esse eundem casum nominis debere poni, qui praecesserit.* Sic *urbem putant magnam, sie halten die Stadt für groß*, ubi intell. *esse*, estque ergo accusat. cum infinitivo, nec τὸ *magnam* a *putant* regitur: sic *homines te credunt doctum*, intell. *esse*. 2) in primis notanda est haec formula: *humanum est errare*, s. *errare humanum est.* Hic videtur τὸ *errare* ab *humanum* vel ab *est* regi. Male. Ordo est: *errare est humanum, das Irren ist menschlich;* τὸ *errare* est, ut omnes tales infinitivi, subjectum s. nominativus praecedens verbo suo. — Sic *dulce est pro patria mori.* Hic *pro patria mori* est subjectum generis neutrius (ut omnes infinitivi), ad quod se accommodat verbum *est*, cum praedicato *dulce*. Sic *venit mihi in mentem optare* est simile τῷ *venit mihi in mentem dies ille;* ubi *optare* et *dies ille* sunt subjecta. — Huc pertinet in primis illa formula: *patris officium est liberos alere, boni pastoris officium est tondere* etc., in qua tirones saepe haerent ac dubitant, annon *alendi* et *tondendi* ponere debeant, quia a praecedente vocabulo *officium* regi putant. — Male: *alere liberos* et *tondere pecus* est subjectum. Ordo enim est: *alere liberos* (*die Ernährung der Kinder*) *est officium patris*, sic *tondere pecus est officium* s. *negotium boni pastoris.* Eodem modo agendum in omnibus ejusmodi formulis,

lis, v. c. *equorum est hinnire*, ubi ab *hinnire* incipiendum est.

XVII) De usu *indicativi* et *conjunctivi* s. *subjunctivi*. Indicativus ponitur, ubi vel de re certa simpliciter dicitur, vel nulla particula subjunctivum regens praecedit, vel alia contextus ratio hunc modum non postulat. Hic ergo notandum, particulas has: *etsi*, *tametsi*, *quamquam*, *si*, *nisi*, *ante quam*, *simulac*, *quamvis*, non per se conjunctivum regere, ut vulgo dicunt, sed indicativum. At contextus ratio efficere potest, ut omnes hae particulae, et plures, v. c. *quando*, *ubi*, *quis*, *quid* etc., cum conjunctivo conjungantur. Ergo a contextu pendet hic usus subjunctivi, non ab ipsarum natura. Totam rem sic teneamus:

A) *Conjunctivus* s. *subjunctivus* s. *potentialis* certo sensu ponitur *per se*, h. e. *non praefixa particula subjunctivum regente*, quando de re, tanquam incerta, h. e. tantum *possibili*, *credibili*, *optabili* vel *concedenda*, dicitur; v. c. *dicat aliquis*, *es möchte*, *dürfte*, *könnte jemand sagen*: *at moriatur interea pater*, *aber der Vater möchte unterdessen sterben*: *Sit innocens*, *gut*, *er mag unschuldig seyn*; *veniat*, *er mag kommen*; *diu vivat! er mag lange leben!* — Interdum praefigitur particula aliqua per se indicativum regens, v. c. *si quis dicat*, *wenn jemand sagen sollte*, *möchte*: *quamquam*, *etsi nesciam*, *ob ich gleich nicht wissen möchte* etc. Quis hinc non videt, quotiescunque subjunctivus talibus particulis jungatur, causam non in ipsis quaerendam, sed in notione subjunctivi? Hinc et hic modus pro imperativo, per humanitatem, interdum ponitur: *facias*, *valeas*; quod proprie tamen est: *du magst es thun*, *magst gesund seyn*.

B) *Subjunctivus* deinde post certas particulas ponitur, quarum natura hunc modum per se postulat. Sunt hae: *ut daß*, *ne*, *quo*, *quin daß nicht*, *utinam*, *o!* *si*, *licet*, *quasi*, *cum* causale, *utrum*, *an ob*, *quamvis* pro *quantumvis*, *qui* pro *ut* vel *cum*, omnesque particulae interrogativae, si extra interrogationem ponuntur.

1) *Ut*, i. e. a) *daß*, *damit*, est particula et causalis et optativa, v. c. *ut veniat! daß er doch komme oder kommen möchte!* b) *gesetzt daß*, ubi *fac* intell., v. c. *ut pater veniat*, i. e. *gesetzt, daß der Vater kömmt* s. *käme*. *Ut desint vires*, *tamen est laudanda voluntas*, i. e. *gesetzt auch*, *daß die Kräfte fehlen sollten* etc. Male explicant per *quamquam*. Haec non est vis τȣ *ut*; nam, etsi ita interdum explicare licet, v. c. in illo versu: *ut desint vires* etc., *ob gleich die Kräfte* etc., tamen hinc nondum sequitur, *ut* notare i. q. *quamquam*. Ac ne convenit quidem

quidem haec notio ubique; cum tamen *gesetzt daß* ubique conveniat; v. c. *ut pater veniat*, *quid tum faciemus? gesetzt der Vater käme*, *was wollen wir dann machen?* Vertas quaeso: *ob schon der Vater kömmt*, *was wollen wir dann machen?* quam ridicule! Ergo tenendum, *ut* esse *gesetzt daß*, nunquam *obschon*, licet cum hoc interdum commutari posse videatur. c) *ut* per *ne* explicari solet post verba metuendi; v. c. *timeo*, *metuo*, *ut veniat*, i. e. *ich fürchte*, *er möchte nicht kommen*. Et contenti esse hac explicatione possumus, etsi forsan ne opus quidem sit; ut judicat Perizon. ad Sanct. p. 812.

2) *Ne*, i. e. *ut non*, nisi quod post verba *timendi* pro *ut* ponitur.

3) *Quo*, i. e. *ut damit:* hinc *quo minus* pro *ut non* s. *ne*, v. c. *impeditus sum*, *quo minus scriberem* pro *ne*, quod et ipsum saepe occurrit.

4) *Quin*, a) pro *ut non*, v. c. *non fieri potest*, *quin virtus homines felices reddat*, pro *ut non*, quod aeque bene poni potest: it. *parum abest*, *quin credam*, i. e. *bald möcht ichs glauben*. b) pro *quod non daß nicht*, v. c. *suadeo tibi hoc*, *non quin sciam*, *te consilio non indigere*, *nicht*, *als wenn ich nicht wüßte*, pro *quod non*, ut et alibi saepe dicitur. Hinc *non dubito*, *quin* etc. explicari potest. c) pro *qui non*; v. c. *nemo est*, *quin sciat*, *der nicht wisse*, *wissen sollte*. At aliud adhuc est *quin*, indicativum regens, et ab illo valde differens, ac significans a) *imo*, *potius* b) *cur non?* in certis formulis, v. c. *quin fugis?* i. e. *fliehe doch! warum fliehest du nicht?* Quod huc non pertinet.

5) *Utinam* et *o! si*, cum sint particulae optativae atque ita de re tantum possibili et optabili loquantur, subjunctivum aperte requirunt. De *utinam* adhuc alia causa afferri potest. *Utinam* proprie positum est pro *uti* s. *ut daß*, vel est potius idem vocabulum, adjecto tantum τῷ *nam*, sicut in *quidnam*, *ubinam*. Iam, quemadmodum *ut* s. *uti* optative usurpatur, v. c. *ut pater veniat!* sicut nostri: *daß der Vater doch kommen möchte* s. *käme!* sic de *utinam* non mirum. Possit et ante τὸ *utinam* (i. e. *ut*) intelligi *opto*, *optamus* etc., quod tamen non opus.

6) *Licet* pro *quamquam* vulgo sumitur; nec male. At proprie concessionem quandam indicat, estque proprie verbum, intellecto *ut:* hinc conjunctivus non tam a τῷ *licet* quam a τῷ *ut* regitur; v. c. *licet pater te valde amet*, *tamen non debes confidere*, *eum omnia tua peccata neglecturum*, pro *licet*, *ut* etc. s. *concedo*, *patrem te amare* etc. *Es mag seyn*, *daß dich der*

Vater

Vater sehr liebt, so darfst du doch deswegen etc.; sic *licet eas, du magst gehen.* Nam post verbum *licet* solet *ut* omitti. Item *licebit* eodem sensu dicitur, v. c. *licebit eas, facias, du magst immer gehen, das immer thun.* Postea vero coepit usurpari omnino pro *etsi, quamquam.*

7) *Quasi* pro *quam si* (*quam* est *wie* s. *als*) post se conjunctivum postulare per se intelligitur, quia de re incerta et possibili loquitur. — Unum notabo, hanc particulam, si praesens tempus praecesserit, vel praesenti tempori, si quidem de re praesenti sermo est, vel perfecto, si quidem de re praeterita dicitur, jungi apud priscos solere; cum contra vernacula prius cum imperfecto, posterius cum plusquamperfecto, commutare gaudeat; v. c. dicendum est: *tu taces, quasi nescias,* non *nescires, als wenn du es nicht wüßtest; tu taces, quasi nil audiveris, gleich als wenn du nichts gehöret hättest,* male: *audivisses.* En exempla e Cicerone ad Div. VIIII, ep. 17 in.: *Non tu homo ridiculus es, qui — ex me quaeras, quid futurum putem? quasi aut ego quidquam sciam, quod iste nesciat, aut — non soleam ex isto scire, gleich als wenn ich etwas wüßte* etc. Exemplum perfecti est ad Div. III, ep. 7, §. 4 *sic enim scribit: quasi vero — ego ad illos, non illi ad me venire debuerint, gleich als wenn ich zu ihnen, und sie nicht zu mir hätten kommen sollen.* Male vulgo dixissent: *debuissent,* et in priori *scirem, solerem.* At si imperfectum vel plusquamperfectum praecessit, sequitur vel imperfectum vel plusquamperfectum, prout res postulat, v. c. *tacebas, quasi nescires aut nihil audivisses.*

8) *Quum* s. *cum,* causam vel notam vel ante declaratam et concessam indicans, nostroque *da* respondens, semper regit conjunctivum; v. c. *cum sciam, te bonos libros legere solere, miror* etc., *da ich weis* etc. *Quae cum ita sint, da dem also ist* etc.: male: *scio* et *sunt.* — Hic de vi hujus particulae notandum; vulgo dici esse i. q. *quia.* Male. Nam, etsi interdum cum eo commutari possit, tamen differt ab eo h. e. plus indicat, ac propterea ubique cum *quia* commutari nequit; v. c. non dixerim: *Athenienses Miltiadem damnarunt, cum infectis rebus cum classe rediisset,* pro: *quia redierat.* Consideres exemplum supra allatum e Cic. ad Div. VIIII, ep. 17 *Non tu homo ridiculus es, qui, cum Balbus noster* (Caesaris familiaris) *apud te fuerit* (scil. qui tibi rem melius et certius dicere poterat), *ex me quaeras, quid de istis municipiis et agris futurum putem?* Iam pro: *cum Balbus noster apud te fuerit,* ponas: *quia Balbus noster apud te fuit:* et senties, verba sensu carere nec cohaerere inter se. — Dicunt etiam vulgo, *cum* significare

significare *etsi*. Male, nec satis accurate. Nam licet τὸ *cum* interdum, h. e. si *tamen* sequitur, per *etsi* explicari possit, quia nostrum *da* s. *da doch* pro *obschon* interdum poni solet, v. c. *Cum scirem, te mihi inimicum esse, tamen ad te venire ausus sum:* ubi parum refert, utrum vertas: *da ich wußte* etc., an: *ob ich gleich wußte*: tamen ubique non potest cum *etsi* commutari, v. c. quis dicat: *hic mitto librum*, *cum sciam*, *te jam legisse*, pro *etsi scio te jam* etc.; vel *rem tibi dicam*, *cum non eam intelligas*, pro *etsi eam non intelligis?* Nonne illud obscure et ridicule dictum foret? Cum igitur τὸ *cum* nequeat ubique τοῖς *quia* et *etsi* substitui: patet, non esse synonyma. Cum vero in omnibus locis, ubi τὸ *cum* per *quia* et *etsi* explicant, aeque bene proprie per *Da* explicari et verti possit: non video, cur notiones vocabulorum, per se jam multas, sine necessitate augeamus atque ita tironum mentem ac memoriam obruamus et perturbemus. Ceterum ab hoc *cum* causali differt adverbium *cum wann*, *da*, de tempore usurpandum; quod indicativum regere solet; v. c. *gaudeo, cum te video;* nisi quod etiam imperfectum et plusquamperfectum conjunctivi sequi potest.

9) Quamvis i. e. *quantumvis*, *wenn auch noch so* vel *wenn auch noch so sehr*, regit conjunctivum, quod per se clarum est, quia non nisi de re incerta, possibili etc., dicere possum; *wenn auch noch so* vel *wenn auch noch so sehr*, v. c. *homo, quamvis sit doctus*, *tamen perpetuo discere debet*, i. e. *wenn er auch noch so gelehrt wäre* s. *er mag noch so sehr gelehrt seyn.* — At *quamvis* quoque significat simpliciter *etsi:* tum regit indicativum. — Attendant hic tirones in priscis, ne conjunctivum, interdum huic *quamvis obschon* additum, ab hoc regi putent: v. c. *quamvis sciret* i. e. *ob er schon wissen mochte:* hic est vis conjunctivi manifesta in τῷ *mochte*. *Quamvis obschon* etiam, ut omnes particulas, post accusat. cum infinitivo ac post conjunctivum cum conjunctivo conjungi, infra dicetur.

10) *An ob*, et *utrum* s. *ne* et *an*, *ob - oder ob*, cum conjunctivo conjungitur. V. c. *nescio, an pater venturus sit*, male: *veniet* s. *venturus est:* — *nescio, an librum noris*, male: *nosti: dic mihi, an sanus sis*, male: *es*. *Nescio*, *utrum scribam an legam*, male: *scribo, lego*. *Quaerunt*, *Cajusne sit rediturus an ibi mansurus.* — Omninoque hoc valet de omnibus vocabulis interrogationi aptis, v. c. *quis*, *quid*, *ubi*, *quando* etc., si quidem non directe interrogant seu enuntiatio aliqua praecessit, v. c. *dic mihi, quis ille sit*, male: *est*. *Nescio, quid velis*, male: *vis*. *Dic mihi*, *unde veneris et quando scripseris*, male: *unde venisti* et *quando scripsisti*. *Scimus*, *quid feceris*, quo

quo iveris, quando reversurus sis, male: *fecisti, ivisti, revertes* s. *reversurus es*.

11) *dum, donec, quoad*, si exprimunt vocabulum *bis*, regunt et indicativum et conjunctivum; sin significant *quamdiu*, indicativum: v. c. *exspectavi, dum, donec, scirem* etc.

12) *Qui, quae, quod*, de quo in libellis grammaticis vulgo parum accurate traditur, et cujus tamen usus in primis ob brevitatem commendandus est, saepissime conjunctivum postulat: a) post *esse, reperiri, inveniri* et similia, si haec verba praedicati personam induunt, atque ita τὸ *qui* cum sua enuntiatione subjecti vim habet; v. c. *Est, qui dicat*, male: *dicit*; *sunt, qui dicant, narrent, dixerint* etc., male: *dicunt, narrant, dixerunt. Fuerunt, qui dicerent; erunt, qui dicant; reperti sunt, qui confirmarent* etc.; male: *dixerunt, dicunt confirmarunt*; sic *inveniuntur* (*reperiuntur*), *qui dicant; inventi* (*reperti*) *sunt, qui dicerent*. Huc pertinet *habere*, v. c. *habeo, cui dem literas* i. e. *est mihi:* Cic. ad Div. VI, ep. 6 *Habeo signa, quae observem*. b) quando pro *ut is, ut ego, ut tu* etc. brevitatis causa ponitur: v. c. *misit aliquem, qui nuntiaret*, pro: *ut nuntiaret*, s. proprie: *ut is nuntiaret. Habes eum patrem, quo melior nemo esse possit*, pro: *habes eum* (i. e. talem) *patrem, ut eo nemo* etc. In primis post *dignus* semper pro *ut is, ut ego* etc., poni debet. V. c. *Pater est dignus, qui ametur*, pro: *ut* (is) *ametur; Mater est digna, quam ames, cui obtemperes, a qua discas* etc., pro: *Mater est digna, ut eam ames, ut ei obtemperes, ut ab ea discas; Parentes digni sunt, quos amemus, quibus obtemperemus*, pro: *ut eos amemus, iis obtemperemus. Dignus sum, quem ames*, pro: *ut me ames; dignus es, cui suadeam*, pro: *ut tibi suadeam; digni sunt parentes, quorum praeceptis obediamus*, pro: *ut eorum praeceptis* etc. *Digni estis, quorum libri serventur*, pro: *ut vestri libri* etc. *Digni sumus, quorum vitae parcatis*, pro: *ut nostrae vitae* etc. Et sic semper, praeterquam si jam *qui* praecessit: hic enim, ad vitandam repetitionem auribus injucundam, *ut* servatur. V. c. *cognovi hominem*, qui *dignus erat ut amaretur*, seu rectius: *qui, ut amaretur, dignus erat*, pro: *qui dignus erat, qui amaretur*. Causa vero, cur *qui* hic conjunctivum habeat, est, quia τὸ *ut* in eo latet. Nec tamen negandum, *ut* quoque apud priscos interdum post *dignus* sequi, licet τὸ *qui* non praecesserit, v. c. Liv. XXIIII, 16 extr. c) quando pro *cum ego, tu, is*, ponitur, v. c. *Caesar, qui sciret, hostes appropinquare* etc., pro *cum* s. *cum is. Miror, te librum spernere, quem ipse dixeris esse pulchrum*, pro: *miror, te libr. spernere*,

spernere, cum ipse dixeris, eum esse pulchrum. Quid me laudas, quem ne noris quidem? pro: *Quid me laudas, cum me ne noris quidem?* Cic. Catil. I, 9 *Quamquam, quid ego te invitem, a quo jam sciam esse praemissos*, pro: *quid — invitem, cum sciam, a te jam praem.* etc. It. *miror te libros mihi misisse, quorum me scires non cupidum esse*, i. e. *cum eorum me scires* etc. Cicero ita millies.

C) Omnes aliae particulae, quae per se non possunt conjunctivum regere, v. c. *etsi, tametsi, si, cum wenn, ut wie, quod weil, dum indem, so lange, quamvis obschon*, it. *qui* h. e. simpliciter *welcher*, triplicem ob causam solent cum conjunctivo conjungi. — Ad quam causam non attendentes Grammatici nonnulli crediderunt et docuerunt, istas particulas per se conjunctivum regere.

1) Quando *de re incerta, possibili, optabili* vel *concedenda*, sermo est. V. c. *etiamsi quis dicat* etc., i. e. *wenn auch jemand sagen wollte: parentes sunt colendi, etiamsi sint duri*, i. e. *wenn sie auch gleich hart seyn sollten: quamquam vix credam*, i. e. *ob ichs gleich kaum glauben möchte* etc. Pendet haec res non ab iis particulis, sed a natura rei *incertae, possibilis* etc.: hinc et sine his particulis conjunctivus ponitur: v. c. *dicat aliquis, es möchte jemand sagen: vix credam, kaum möchte ichs glauben;* qua de re supra diximus in A.

2) Quando conjunctivus in eadem periodo praecessit, et enuntiatio, cui una illarum particularum praefixa est, cum illo arcte, quod ad ideas attinet, cohaeret. V. c. *rogo te, ut, quamquam sis adolescens, tamen mortis cogitationem non negligas.* Hic *quamquam* habet conjunctivum ob praecedentem conjunct. modum *negligas.* — *Aequum est, ut, cum sani simus (wenn wir gesund sind), de morte cogitemus.* Hic *cum* habet conjunctivum ob *τὸ cogitemus.* — *Saepe accidit, ut, quos maxime amemus, ii maxime nobis eripiantur.* Hic *quos* jungitur conjunctivo, quia conjunctiv. *eripiantur* praecessit. — *Rex imperavit, ut, quae bello opus essent, pararentur* etc. Cic. ad Div. III, ep. 8 §. 19: *Sin hoc genere delectaris, ut, quae tibi in mentem veniant, aliis attribuas*, recte pro: *veniunt* propter *attribuas.* III, ep. 7 §. 4: *Primum cum ad me aditum esset ab iis, qui dicerent* etc., recte *dicerent* pro: *dicebant* propter *esset.* III, ep. 5 §. 14: *Quod te a Scaevola petiisse dicis, ut, dum tu abesses, — provinciae praeesset.* Hic *dum* habet conjunctivum ob praeced. *praeesset.* Sic III, ep. 6 §. 12: *ut, dum tempus anni esset idoneum, aliquid negotii gerere possem:* ubi *esset* ob praeced. *possem.*

3) Quando

3) Quando accusativus cum infinitivo praecessit. V. c. *scio, te, si quid scias, id reticere solere*: ubi *si* conjunctivum habet ob *te-solere*. Sic: *decet sapientem ita vivere, ut loquatur, wie er redet*, pro: *loquitur* ob praeced. *sapientem vivere. Credo, patrem, quia nobis non scripserit, mox reversurum*, pro: *scripsit. Decet nos rem non ante suscipere, quam eam meditati simus*, pro: *sumus. Audivi, ea, quae a te gesta sint, nobis a te mox narratum iri.* Cicero ad Div. III, ep. 7 §. 6: *sed scito plures esse, qui de tributis recusent, quam qui exigi velint*: ubi *qui* cum conjunctivo ob praeced. *plures esse.* ad Div. III, ep. 8 in.: *Etsi — videbam, te hanc epistolam, cum ad urbem esses, esse lecturum* etc., ubi *cum wenn* habet conjunctivum: ibid. §. 8 *studia mihi eorum placere, quod in te grati essent* etc., ubi particula *quod* conjunctivum habet ob accusat. cum infinitivo. — Hoc imitandum esse tironibus per se patet. — Ceterum hujus triplicis causae ignoratio fecit, ut in libellis grammaticis vulgaribus diceretur hic conjunctivus ab ipsis particulis *quamquam, quod*, regi. Nec tamen negandum, apud priscos saepe quoque post accusativum infinitivo junctum et post conjunctivum poni indicativum, si de re tanquam certa dicatur, v. c. Cic. Agr. II, 4 *cum videam haec omnia — quae vobis cara — sunt, in fidem esse collata.* Cic. Rosc. Am. 1, *ut adsint propterea, quod officium sequuntur: taceant autem idcirco, quia periculum metuunt.*

XVIII) De *gerundiis*, in quorum usu recte addiscendo multum temporis perdi solet, tota res ita potest brevissime tradi:

1) *Gerundium* est proprie neutrum futuri participii; hinc a) ea etiam verba, quae passivo toto atque ita participio passivi carent, tamen gerundium habent, quia, ut supra (XI) monuimus, omnia verba accusativum non regentia atque ita totum passivum non habentia, tamen *tertiam personam* neutrius generis, impersonaliter usurpandam, habent, atque ita participium futuri passivi in genere neutro. 2) Hinc gerundia eodem modo usurpantur, quo adjectiva, si absolute ac sine substantivo adhibentur, usurpari solent, v. c. ut dico: *est bonum, est malum, es ist gut, böse*; sic etiam *est amandum, est legendum, est parcendum, man muß lieben* etc. Ut vero, addito substantivo, adjectivum se accommodat ad ejus genus, dicimusque v. c. *liber est bonus*, sic et: *liber est legendus, pater est amandus.*

2) *de usu gerundiorum* hic tria notes: a) unde regantur, b) quid regant, c) quomodo cum participiis, ut loquuntur, commutentur.

a) *gerundia* eodem modo reguntur, quo adjectiva neutra: v. c. *amandum est* in nomin. dicitur, ut *malum est*, quia τὸ *est* nominativum regit. — Genit. *amandi* regitur ab iis vocabulis, quae genitivum regere solent, v. c. *cupiditas amandi, cupidus legendi.* — Sic ceteri casus: v. c. ut dico: *par oneri*, ita: *par ferendo*, quia *par* dativum regit. — Accusativus regitur a praepositionibus suis, v. c. ut dico: *impellor ad virtutem*, sic: *impellor ad scribendum.* — Ablat. v. c. ut dicimus: *in virtute est suavitas: virtute felices reddimur*, ita: *in discendo est suavitas: docendo discimus.*

b) *gerundia* regunt casus verbi sui, quia sunt ejus particulae: nam, quod convenit toti, id etiam convenit partibus. V. c. *cupidus discendi literas, scribendi epistolam, parcendi inimicis, utendi tempore; par sum ferendo onus; impellor ad scribendum literas; discendo literas sapientiores reddimur; in amando deum est magna suavitas.* — Recte ita dicitur: et prisci saepe ita dixere; sed longe saepius gerundium commutant cum participio, de qua re statim.

c) *gerundium* hoc, si substantivum additur, longe frequentius commutatur a priscis cum toto participio futuri passivi, si quidem fieri potest h. e. si totum participium futuri passivi adest. Id quod tali fit modo: substantivum in casu eo, in quo gerundium erat, ponitur, et participium, more adjectivorum, accommodat se ad numeros, casus et genus substantivi. Sic pro his formulis: *sum cupidus discendi literas, scribendi epistolam; par sum ferendo onus; impellimur ad amandum virtutem* vel *virtutes; discendo linguam*, et *in scribendo epistolam, discendo artes*, et *in discendo artes*, dicitur rectius h. e. usitatius: *cupidus sum literarum discendarum, epistolae scribendae; sum par oneri ferendo; impellimur ad virtutem amandam, ad virtutes amandas; lingua discenda, in epistola scribenda, artibus discendis, in artibus discendis.* Sic et nominativus, v. c. *liber est legendus, literae sunt scribendae.* Hac ratione tiro potest istam rem intra paucas horas discere. Hic not.:

(a) haec permutatio tantum locum habet in verbis accusativum regentibus, v. c. *lego, disco, imitor, consequor* etc., quia haec, ut supra (XI) diximus, sola habent futurum passivi participium. In ceteris gerundium servari debet,

bet, v. c. dicere cogor: *sum cupidus parcendi inimicis*, non: *inimicorum parcendorum; utendi tempore*, non: *temporis utendi*; *impellimur ad parcendum inimicis*, *ad recte utendum tempore*, non: *impellimur ad inimicos parcendos*, *ad tempus recte utendum;* sic non dicere licet: *occasione utenda*, *voluptatibus fruendis*, sed: *utendo occasione*, *fruendo voluptatibus*. — Sic est quoque in nominativo. Dicere debemus: *utendum est tempore*, *fruendum est voluptate*, non: *tempus est utendum*, *voluptas est fruenda*. Causa nulla alia justa profecto afferri potest, praeter hanc: *ponere non possumus participium*, *quia nullum adest*. Nec tamen negandum, apud priscos occurrere quoque participia *fruendus*, *utendus* etc. v. c. *Omnia utenda* Cic. Verr. II, 18 v. *meine Sprachlehre*.

(b) usus iste participiorum loco gerundiorum non debet pulchrior vocari s. elegantior, sed usitatior, ac propterea, quod ad nos attinet, *rectior*. Nam, quo quid saepius occurrit, eo nobis rectius videri debet. Priscos vero etiam saepe gerundiis uti, ubi licebat ea in participia mutare, notum est, v. c. *consectando praedones* ap. Nepot. et saepius ita Livius: ergo iste gerundii usus non plane est damnandus.

(c) subinde tamen rectius est, gerundium ponere, etiamsi ex regula liceat id in participium convertere: v. c. *cupidus sum multa discendi*, *hoc faciendi*, rectius dicitur, quam: *cupidus sum multorum discendorum*, *cupidus sum hujus faciendi*. Cur rectius illud? quia perspicuitas ita postulat: nam *multorum* et *hujus* poterat a lectore imperito pro *masculino* haberi: at *multa* et *hoc* nunquam. Hinc prisci, perspicuitatis studiosissimi, hoc ubique praeoptant.

XVIIII) De *ceteris participiis*, quorum usum nonnulli pro praecipua *elegantia* ubique venditant, cum tamen is tantum brevitatis ac necessitatis causa inventus sit, ac propterea tantum ipsa in exprimendis ideis et enuntiationibus secundariis, v. c. temporis etc., adhibeantur, est adhuc dicendum. Est plerumque crux tironum, quia non mature iis recte explicatur. Totum artificium, si summatim consideras, nititur his rebus: a) semper *duo verba*, s. potius *duae enuntiationes*, adesse debent, tam arcte connexae, ut altera sit alterius causa vel antecedens vel alia quaedam determinatio. Causam et determinationem hanc indicant praefixae illae particulae *qui*, *ubi*, *quando*, *dum*, *postquam*. b) quaeritur, utra enuntia-

tio in participium abeat? ea, quae tempore prius cogitatur vel istam determinationem continet. c) participia debent, perspicuitatis causa, idem tempus exprimere, quod verbum mutandum exprimebat, v. c. perfectum manet perfectum, praesens manet praesens. d) participia habent adjectivorum naturam, atque ita se accommodant ad casum, numerum et genus, substantivorum suorum. e) ablativi consequentiae fiunt, si enuntiationes istae duae duo diversa subjecta habent. Haec summatim: nunc accuratius trademus:

A) de participiis, quatenus ambae enuntiationes unum subjectum commune habent:

1) *primum*, participium ponitur pro *qui* cum *suo verbo finito*. Hic usus est facillimus: hinc ab hoc incipiendum est: imo, si recte judicas, omnia participia, praeter ablativos consequentiae, fieri vides abjectione istius pronominis relativi: h. e. omnes istas particulas *quando*, *dum*, *postquam* etc. abjici non posse, nisi per *qui* explicari quodam modo possint, praeter ablat. consequentiae; v. c. pro: *homo, qui deum amat, est felix*, dicimus: *homo, deum amans, est felix*; pro: *hominis, qui deum amat, felicitas est magna*, dicimus: *hominis, deum amantis, felicitas* etc.; pro: *homini, qui deum amat, contingit felicitas magna*, dicimus: *homini, deum amanti, contingit* etc.; pro: *hominem, qui deum amat, exspectat felicitas*, dicimus: *hominem, deum amantem* etc.; pro: *de homine, qui deum amat, bene judicamus*, dicimus: *de homine, deum amante* etc. Mutatio haec recte facta est: nam enuntiatio antecedens mutata est: enuntiatio enim, *homo amat deum*, prius cogitatur quam haec: *homo est felix*, etc. — Not. hic: a) si pro substantivo pronomen *is* i. e. *derjenige* subjecti personam gerit, hoc abjicitur, quia hoc pronomen jam in participio latet, v. c. *is est felix, qui deum amat*, mutatur sic: *felix est deum amans*; pro: *felicitas ejus, qui deum amat, magna est*, dicendum: *felicitas amantis deum magna est*. At, si *is* est pronomen relativum et significat *derselbe*, non abjici debet: v. c. *hostes fugati sunt: eos fugientes persecuti sunt Romani*. Porro b) *homo, qui a deo amatur*, non potest in participium abire, nec haec enuntiatio: *homo, qui deum amavit*. Cur non? quia Activum caret participio perfecti, et Passivum caret participio praesentis. At, si tamen velis participio aliquo uti, debes deponens quaerere: v. c. *amore complecti* pro *amare*: et *amore frui* pro *amari*. Tunc potes pro: *homo, qui deum amavit*, dicere: *homo, deum amo-*

re complexus, et pro: *homo, qui a deo amatur*, dicere: *homo, dei amore fruens*, vel similiter.

2) *deinde* participium dicunt quoque poni pro *si*, *quando*, *quia.* — At hoc tantum fieri potest, si hae particulae simul per *qui* explicari possunt. Alias perspicuitas offenderetur: v. c. *homo, si deum amat, est felix*, et: *homo, quia deum amat, est felix*, potest ita efferri: *homo deum amans est felix*, quia hic *si* et *quia* per *qui* explicari ac cum eo commutari licet: parum enim refert, utrum hic dicas: *felix est homo, qui deum amat*, an: *si deum amat*, et *quia deum amat.* Hae tres determinationes per *qui*, *si* et *quia*, fere idem notant: et lectoris parum interest, utrum verba: *felix est homo deum amans*, explicet: *felix est homo, qui deum amat*, an: *si amat*, et *quia amat.* Idem enim sensus. Hinc patet, non ubique licere illas particulas *quia* et *si* cum participio mutari, sed debere contextum consuli.

3) *participium* quoque poni dicunt loco particularum *dum, cum, postquam.* — Recte: at non ubique, sed tantum, ubi hae particulae itidem cum *qui* permutari possunt, atque participium inde effectum per *qui* explicari quoque licet. V. c. *pater, dum loquebatur, moriebatur*, potest mutari ita: *pater loquens moriebatur*, quia hoc participium et ita explicari potest: *pater, qui loquebatur, moriebatur;* sic pro: *pater, postquam mortuus erat, sepeliebatur*, dici potest: *pater mortuus sepeliebatur*, quia hoc ita quoque explicare licet: *pater, qui mortuus erat, sepeliebatur.* Hinc videmus, τῦ *qui* ubique rationem esse habendam. Sic *pater, dum librum legebat, dicebat*, ita mutatur: *pater librum legens dicebat*, quia τὸ *qui* in τῷ *legens* latet. Sic et *gaudeo te videns* pro *cum te video*, quia simul est quoque i. q. *ego, qui te video, gaudeo.*

4) dicunt etiam participium poni pro particula *et.* Sed hoc non fit, nisi vel per *dum* vel per *postquam* atque ita simul per *qui* quodam modo explicari possit. V. c. pro *legebat librum et statim remittebat* dici potest *lectum librum statim remisit.* At hoc proprie dictum est pro *librum, postquam* vel *qui lectus erat* scil. ab illo, *remisit.* Sic: *librum legebat, ac deinde abiit*, mutari potest in ablativos consequentiae, de quibus statim dicetur, *libro lecto abiit.* Ablativi consequentiae soli soluti sunt illa lege, qua particulae illae cum *qui* debent commutari posse. Hinc patet, non ubique τὸ *et* in participium abire posse, v. c. quis pro: *ego edo et bibo*, dicat: *edens bibo*, vel *bibo edens?* inter haec verba non est arcta ista conjunctio; nulla adest determinatio; nec participium istud

per *qui*, ac ne per *cum*, *dum*, quidem, explicari potest. Haec de participio, quatenus ambae enuntiationes unum subjectum commune habent.

B) de *participiis*, *quatenus ambae enuntiationes illae duo diversa subjecta* habent, s. de *ablativis consequentiae*, ut vulgo dicuntur, haec tenenda: Quando duae enuntiationes ita junguntur, ut singulae habeant suum subjectum, enuntiatio, quae prius cogitatur vel particulam *dum*, *cum*, *quando*, *postquam* in fronte gerit, debet, si quidem eam in participium convertere placet (nam fieri non necessario debet), in ablativo poni, v. c. pro: *Postquam pater profectus est*, *venerunt ad me amici* etc., dicitur: *Patre profecto venerunt* etc.; hic enim sunt duo diversa subjecta: *pater* et *amici*. *Dum ego scribebam*, *moriebatur pater*, potest mutari in: *me scribente* etc. Sic: *Caesare mortuo Antonius rempublicam vexavit.* — Unum exemplum ponam, ex quo tirones facile discant, ubi ponere debeant ablativos consequentiae, ubi non. *Sole oriente luna fugit*, et: *sol oriens fugat stellas.* Utrumque vernacule vertitur quidem: *wann die Sonne aufgeht*, *so* etc. At in priori sunt duo subjecta: *sol* et *luna;* in posteriori est unum, scil. *sol.* Prius ita resolvitur: *Quando sol oritur*, *luna fugit:* quis oritur? *sol;* quis fugit? *luna.* Ergo non, qui oritur, idem fugit. Posterius ita resolvitur: *Quando sol oritur*, *fugat stellas*, s. *sol*, *quando oritur*, *fugat stellas.* Hic quaero: quis oritur? *sol;* quis fugat? idem *sol.* — Aliud exemplum: *Sole orto lego: sol ortus calefacit.* Notandum simul, ablativos consequentiae interdum brevitatis causa in alios transferre licere casus vel a *nomine* vel a *verbo* pendentes: v. c. pro: *postquam pater mortuus erat*, *eum sepelivimus*, interdum ita dici potest: *patrem mortuum sepelivimus:* quod melius est quam *patre mortuo*, *eum sep.* Sic pro: *postquam pater mortuus erat*, *ejus libros vendidimus*, (pro quo, si ablativis conseq. uti velles, dicendum foret *patre mortuo*, *ejus libros* etc.) ita dici potest: *patris mortui libros vendidimus.* Sensus eodem redit; posterius modo brevius dictum est explicarique potest, ut superiora: *patrem*, *postquam* s. *qui mortuus erat*, *sepelivimus; patris*, *postquam* s. *qui mortuus erat*, *libros vendidimus*: ut vel hinc appareat, quam facilis fiat tironibus participiorum explicatio, si a τῷ *qui* incipiatur et hujus pronominis abjectio prius recte accurateque explicetur. — Male agunt, qui de *postquam*, *cum*, *dum*, ac de ablativis consequentiae prius loquuntur. Hoc est rem invertere et molestam reddere. Addamus simul haec:

a) qui participia non nisi per abjectionem istarum particularum ponere potest, is nondum eorum valde peritus est. Nam et alibi ea poni possunt, ubi nullae ejusmodi particulae sunt. V. c. substantiva possunt in participia mutari. V. c. *bey Erblickung des Vaters ging ich* etc., *Viso patre ivi* etc., vel: *videns patrem ibam* etc. Sic pro: *in consideratione divinae benignitatis soleo mirari* etc., possum dicere: *considerans divinam benignitatem* etc., vel: *in consideranda divina benignitate* etc. *Bey seiner Rückkunft sagte ich ihm, empfing ich ihn* etc., *redeunti illi dicebam, redeuntem illum excipiebam* etc. *Bey seinem Sterben sagte er, moriens dicebat. Bey seinem Sterben sprach ich, moriente illo dicebam. Bey seinem Sterben sagte ich zu ihm, morienti illi dicebam* etc.

b) plura participia ejusdem casus non jungi debent, nisi interventu copulae *et*, *ac*, *atque*, quia alias perspicuitas laeditur. Peccasse hic videtur Caesar B. G. IIII, 24 in. *At barbari, consilio Romanorum cognito, praemisso equitatu, et essedariis, quo plerumque genere in proeliis uti consueverunt, reliquis copiis subsecuti nostros navibus egredi prohibebant.* Durum hic est: *consilio cognito, praemisso equitatu*, quod non imitandum. Debebat vel sic dicere: *consilio cognito et praemisso equitatu* etc., vel sic: *consilio cognito, postquam praemiserant equitatum* etc., vel sic: *At barbari, postquam consilium Rom. cognoverant, praemisso equitatu* etc. Sed participia diversorum casuum bene jungi possunt; sic v. c. in loco jam dicto: *praemisso equitatu — subsecuti — prohibebant.* Sic ib. IIII, 25 §. 3: *Atque nostris militibus cunctantibus maxime propter altitudinem maris, qui decimae legionis aquilam ferebat, contestatus deos — inquit.* Hic ablativus et nominativus: *cunctantibus, contestatus.* Pleni sunt Caesar, Livius, talium participiorum in diversis casibus junctorum.

c) interdum participia verborum non sunt in usu: v. c. *dans*, *fans*, *ignoturus*, aliaque rariora, quibus abstinendum.

Quaeritur hic, an participiis, ubicunque eorum detur facultas ponendorum, utendum sit? — Minime. Nam nimis frequens rei usus, licet rectus sit per se, tamen taedio est: variare etiam decet. Ergo et τὰ *qui, cum, postquam* etc., sunt adhibenda, suntque a priscis saepissime adhibita. Quaeritur ergo, quando participia et cur adhibenda sint?

a) *ob variationem*, quae est mater suavitatis.

b) *ob brevitatem*, quae et ipsa est mater suavitatis. Hinc in narrandis multis rebus optime conveniunt. Hinc historici iis omnium creberrime utuntur; longeque crebrius quam oratores. — Male ergo nonnulli eorum usum inter praecipuas venustates orationis per se referendum putant: v. c. Heinecc. Fundam. stili I, 1. 22 ** 6 p. 75 male ait: *participia*, *quae dici non potest*, *quantum ornent orationem* etc. — Nam qui v. c. dicit: *homo*, *qui deum amat*, *est felix* a dicente: *homo deum amans est felix*, non differt, quod ad sententiam attinet. Uterque idem dicit; sic, utrum dicas: *Caesar*, *cum Rhodanum trajecisset*, *venit in* etc., an: *Caesar trajecto Rhodano venit*, parum refert. Posterius tantum brevius dictum est: ac si de re leviori loquimur, brevitate uti debemus, atque ita participiis uti.

c) interdum etiam perspicuitatis causa, quae per brevitatem istam adjuvatur. V. c. *homo alios peccantes vituperans debet ipse vitiis carere*, seu: *homo alios*, *qui peccant*, *vituperans debet ipse* etc., non tam moratur lectorem, quam: *homo*, *qui alios*, *qui peccant*, *vituperat*, *debet* etc. In priori constructionis ordo facilius apparet, quam in posteriori.

d) interdum ob suavitatem; quia praeter variationem et brevitatem, de quibus ante dictum, et quae suavitati haud dubie saepe serviunt, etiam ita repetitio eorundem vocabulorum et earundem syllabarum, quae semper injucunda est, vitari potest. V. c. *cum exercitus*, *Alpibus trajectis*, *in Italiam venisset* etc. suavius est dictum, quam: *cum exercitus Alpes trajecisset et in Italiam venisset*: ob duplicem terminationem *isset*, quae ita evitatur. Huc pertinet exemplum modo allatum: *homo alios peccantes vituperans debet ipse vitiis carere*, vel: *homo alios*, *qui peccant*, *vituperans debet* etc., vel etiam: *homo*, *qui alios peccantes vituperat*, *debet* etc. Ex his tribus formis quamcunque eligas, suavius dicitur, quam sic: *homo*, *qui alios*, *qui peccant*, *vituperat* etc., quia repetitio τȣ̃ *qui* evitatur. Legi hic debent in primis Caesar et Livius.

Quaeritur, quando abstinendum participiis?

a) *in re gravi:* ubi copiose, ut gravitas sentiatur, non breviter loqui decet. Huic serviunt potius periphrases: v. c. *deum*, *qui nos quotidie beneficiis cumulare gaudet omnibusque modis nostrae commoditati et voluptati prospicit, eum*

odisse

odisse summa impudentia est malim dicere, quam: *deum nos — gaudentem et prospicientem* etc.

b) interdum perspicuitas offendi potest participiis, v. c. multis similibus terminationibus: sic *hominem deum amantem, homines virtutes amantes* non facile dixerim pro: *hominem, qui deum amat; homines, qui virtutes amant:* vel saltem alio modo rem expresserim. Nam *hominem deum amantem* potest et explicari: *deum, qui hominem amat.*

c) interdum et suavitas offenditur, ut in memorato exemplo: *homines virtutes amantes*, ob repetitionem terminationum *es.*

Magno igitur judicio in recte usurpandis participiis opus esse ac contextus haberi debere rationem intelligitur: interdum ornare possunt, interdum officere venustati.

XX) Adjiciamus quaedam de *verbi terminationibus personalibus* (*Personalendungen:* quas male vulgo vocant *personas* verbi; vid. Grammatica nostra) et *temporibus* recte usurpandis, de quibus vulgo parum praecipi solet.

A) de *terminationibus personalibus* (vulgo *personis*) duo notabimus:

1) *qui, quae, quod*, eandem terminationem personalem (vulgo *personam*) postulat, quae praecessit, si scil. ad eam refertur. V. c. dicendum est: *non ego is sum, qui omnia sciam*, non: *sciat;* sic dicendum: *tu non is es, qui nobis imperare possis*, non: *possit;* sic: *nos non ii sumus, qui facile gloriemur*, non: *glorientur;* — it. sine τῷ *is.* V. c. *tu solus inventus es, qui tale quid faceres*, non: *faceret.* Hic vernacula decipit facile tironem, in tali re utens ubique tertia terminatione personali (s. persona, ut vulgo perperam loquuntur), ut in illis: *Ich bin nicht derjenige, der alles wisse: Du bist nicht derjenige, der uns befehlen kann* s. *könne: Wir sind nicht diejenigen, die sich leicht rühmen; du bist der einzige gewesen, der so etwas gethan hat.* Decepit ea adeo *Cortium* illum, qui in dedicatione Sallust. ait: *Non quidem is sum, qui sapienter dictis ejus — aliquid adjecerit aut omnino in hoc genere reperire possit* etc., pro: *adjecerim, possim.* Quanto magis decipere potest tirones!

2) in *enuntiationibus universalibus*, quae vernacule incipiuntur per *man*, v. c. *man sagt, man glaubt* etc., praecipiunt vel tertiam terminationem personalem (s. personam, ut vulgo dicunt) passivi, vel secundam activi, vel primam pluralis, interdum etiam tertiam pluralis poni posse. At hae terminationes

tiones personales (s. personae, ut vulgo loquuntur) non ubique commutari possunt: *tertia* quidem *passivi* ubique convenit, si quidem verbum toto passivo est instructum; at ceterae tantum, ubi *perspicuitas* admittit, h. e. si personarum s. subjectorum, quae istis terminationibus proprie conveniunt, in contextu ratio quaedam proprie habetur: — Ergo a) *secunda* non fere utar in epistolis ad amicum, quia credere hic possit, se proprie intelligi; nisi contextus aperte doceat, rem esse in universum intelligendam; at in libris licet ea uti, v. c. *quidquid vis recte discere, id ante recte intelligere debes:* in primis post infinitivos loco subjecti positos, v. c. *turpe est, quae didiceris, ea oblivisci,* h. e. *was man gelernt hat: honestum est, beneficiorum, quae a deo acceperis, perpetuo memorem esse,* h. e. *die man von Gott empfangen hat: decet, quae scias, ea cum aliis communicare,* i. e. *was man weis.* b) *prima pluralis* in omnibus quidem istis enuntiationibus, h. e. quae ad omnes homines pertinent, usurpari potest; at debent illae tales esse, ut *nos* simul ipsi intelligamur vel intelligi velimus possimusve: v. c. *turpe est, quae didicerimus, ea oblivisci: honestum est, beneficiorum, quae a deo acceperimus, memores esse: decet, quae sciamus, cum aliis communicare.* — At, si de re loquimur, cujus participes non sumus, vel non esse volumus aut credimus, non prima pluralis convenit. V. c. si de re loquimur, quam plerique credunt, nos vero non credimus, non dicere possumus: *credimus vulgo* i. e. *man glaubt insgemein.* — Ineptum foret v. c. dicere: *Nunc refutabimus id, quod vulgo credimus* aut *dicimus, Nun wollen wir das widerlegen, was man insgemein glaubt oder spricht.* At, si eandem rem credimus, ista terminatione personali uti licet. c) *tertia pluralis* in nonnullis tantum verbis usitata est, v. c. *dicunt, ferunt, perhibent;* interdum *putant, credunt,* praesertim si addatur *vulgo:* tum enim apparet, non de certis hominibus, sed de omnibus, intelligendum esse. Sic et *amant, docent, legunt, monent* etc. non fere dixerim, nisi addito *vulgo.* — Et omnino sciendum, in ista terminatione personali sine subjecto adhibita semper intelligi debere *homines* i. e. *omnes,* vel saltem *plerique, die Leute.* Iam, ubi vocabulum *homines,* i. e. *die Leute insgemein,* non potest intelligi, ibi nec potest tertia pluralis poni. Hinc etiam τὸ *dicunt, ajunt, perhibent* etc. non facile in alia tempora transtulerim; nec dixerim: *dicent, dixerunt* etc., *man wird sagen, hat gesagt;* quia usus loquendi tantum in praesenti fixus est. — Notandum etiam, in qua terminatione personali inceperis, in ea te pergere debere, saltem in eodem contextu. V. c. *decet,*

decet, quae scias, ea tuis amicis narrare: decet, quae sciamus, nostris amicis narrare.

B) *de recto usu et recta consecutione temporum:*

1) *de temporum propria vi et usu proprio:*

Hoc ante tenendum est, quam possis consecutionem eorum discere.

a) *praesens* loquitur, ut vel appellatio docet, de re praesente: v. c. *lego* i. e. *nunc lego.* Hinc prisci dicunt v. c. *si quis dicat, objiciat* etc., ubi nostri: *wenn jemand sagen sollte, einwenden sollte*: scil. *jetzt.* — Male hic nonnulli: *diceret;* quia de *re praesente* sermo est. Sic: *velim ich wollte: veniat er möchte kommen: adsit er möchte da seyn* etc. it. *cum videam wenn ich sehen sollte* etc.: omninoque τὸ *sollte* vel *möchte* per praesens exprimitur, nisi praecessit imperfectum, perfectum vel plusquamperfectum: tum sequitur imperfectum. In epistolis tamen interdum pro eo poni imperfectum vel perfectum infra monebitur.

b) *imperfectum* proprie loquitur de actione nondum plane perfecta, sed adhuc durante: v. c. *illo die legebam, meditabar* etc., indicat, me illo die per aliquod temporis spatium *legisse* et *meditatum* esse, at nondum desiisse legere et meditari. In primis huc pertinet verbum *venire*, quod ab *advenire* quodam modo differt et ab *ire* parum diversum est. *Veniebat* ergo non semper respondet nostro: *er kam:* hoc enim indicat plerumque *adventum;* sed illud significat, *hominem adhuc in via esse:* hinc si vernaculum: *da er kam, sprach er*, vertere vis, debes dicere: *cum venisset*, non: *veniret.* Sed, ut magis appareat, actionem aliquam nondum finitam esse, sed adhuc durare, debet ac solet alia adjici actio, quae eodem tempore fiebat: v. c. *dum librum legebam, advenit pater:* hic *actio adveniendi* fiebat simul cum *actione legendi* h. e. fiebat interea dum legebam. Hinc patet, cur prisci particulam *dum* maxime soleant imperfectis jungere: *dum* enim notat *durationem temporis: währender Zeit, indem*, et male a nonnullis pro *cum da* usurpatur. Sic: *dum scribebam, patris mortem audiebam, vel filius veniebat.* Hic *interea dum* τὸ *scribere* fiebat, etiam τὸ *audire* et *venire* accidit. NB. 1) Saepe tamen Latinos *imperfecto* etiam pro *perfecto*, de quo mox dicemus, usos esse, non negari potest, scilicet, quando narrant

narrant simpliciter quid factum sit. Sed hoc non docet, id rectum esse, sed ipsos non semper diligentes fuisse in loquendo. 2) vernaculum *würde* exprimi solet per *imperfectum conjunctivi*, v. c. *diceret* i. e. *er würde sagen* cet.

c) *perfectum* loquitur *de actione plane finita*, ita tamen ut non alia actio illam secuta *statim* h. e. *in arcta connexione* sequi debeat. V. c. *parentes venerunt* i. e. *adsunt*; hic illorum *actio veniendi finita* s. *perfecta est*; *desierunt* enim *venire*. Sed non additur, quid post *τὸ venisse* factum sit. Quod si additum fuisset, pro *perfecto* illo debuisset poni *plusquamperfectum* cum particula *temporis*: *ubi*, *cum*, *postquam*. NB. 1) hoc tempore narrantes libenter utuntur, cum simpliciter narrare volunt, quid per se factum sit. 2) Usi tamen etiam sunt prisci *perfecto* ita, ut rem secutam indicent simul, atque ita pro *plusquamperfecto*, v. c. *Cic.* ad Div. III, 10 in. *Cum est ad nos allatum* cet.: *Sulpic.* ad Cic. in Epp. *Cic.* ad Div. IIII, 5 in. *Posteaquam mihi renuntiatum est* cet.

d) *plusquamperfectum* indicat *plus*, quam illud *perfectum*, h. e. loquitur non modo de actione plane finita, sed addit statim aliam quoque actionem, quae illam secuta est: et *haec* NB. est illud *plus*: sumamus v. c. superius: *parentes venerunt*: hic nildum praeterea additur, ergo *perfectum* sufficit. At, si aliam actionem consequentem adderem, v. c. hanc: *parentes viderunt filium aegrotum*, eamque cum praecedente per particulam temporis connectere vellem, nunc non *perfectum* amplius sufficeret, sed nunc dici deberet: *cum parentes venissent*, s. *postquam parentes venerant*, *viderunt filium aegrotum*. Sic, si duas has actiones narrare vellem, a) *filium venisse* et b) *patrem hoc adventu laetatum esse*, quisque videt, ambas actiones per se esse finitas h. e. nihil iis deesse ad perfectionem, atque ita ambas per se posse, si quidem sejungantur, *perfecto tempore* exprimi: at, si ambas simul tanquam connexas considerare volo h. e. ita, ut posterior priorem sequatur, atque utramque per particulam temporis conjungere, hanc priorem plusquamperfecto tempore exprimere cogor atque ita dicere: *postquam filius venerat* s. *cum filius venisset*, *pater laetatus est*. — Not. 1) Cum vernacula lingua, saepe parum accurate loquens, non raro hic imperfecto pro plusquamperfecto uti soleat: hinc fit, ut ea decepti tirones idem vitium in latina committant. V. c. nostri dicunt: *da der Sohn kam*, *so freute sich der Vater*, quod ad verbum foret: *cum filius veniret*, *laetatus est pater*.

— Male;

— Male; debet esse: *cum filius venisset* etc. Sic nostri dicunt: *da ich ihn sah, so freute ich mich; als ich es hörte, so fragte ich* etc. Hic semper plusquamperfectum usurpandum et dicendum est: *cum illum vidissem, gavisus sum; cum id audivissem, interrogavi.* Nam, si gaudere debeo, ille jam venerit necesse est: et, si interrogare debeo, necesse est me audivisse. Ergo *τὰ venire* et *audire* jam praeterierint necesse est. — Male ergo hic *viderem* et *audirem* poneretur. 2) Prisci tamen hic etiam perfecto et interdum imperfecto utuntur; v. c. *Cum est ad nos allatum* cet. *Cic.* ad Div. III, 10 in. cf. *Sulpic.* ad Cic. in Epist. ad Div. IIII, 5 in. *Posteaquam mihi renuntiatum est* cet.: *Nep.* Milt. 4 *cum viderent* pro *vidissent* cet.

e) *Futurum indicativi* simplex, v. c. *amabo*, *amaturus sum*, loquitur de actione futura, ita, ut vel *nulla* actio vel *talis tantum* addatur, quae *cum illa simul* fiet, v. c. *Emam* s. *emturus sum mihi libros;* it. *proficiscar Berolinum.* In his una actio est, quam nulla alia sequitur. *Quando libros mihi emam, a patre pecuniam petam:* hic additur actioni futurae alia actio, quae simul fiet. Sic in hoc: *quando Berolinum proficiscar, in itinere urbes Silesiae visam;* hic additur actio, quae simul cum illa profectione fiet. Hoc semper observandum. At, si actio additur, quae *post* priorem actionem futura demum est vel fieri debet, et utraque per particulam temporis, v. c. *quando, cum*, conjungitur, tum prior futuro exacto semper exprimenda est, de quo statim.

f) *Futurum* in *ero*, v. c. *fuero*, *amavero*, *amatus fuero* etc., est 1) *futurum indicativi*, non *conjunctivi*; quod vel inde patet, quod nunquam particulas conjunctivum regentes, v. c. *ut*, *ne*, *quin*, *quo*, *licet* etc., praefixas habet. *Futurum conjunctivi* est semper illud periphrasticum, v. c. *futurus sim, amaturus sim* etc. 2) est deinde non *simplex futurum* h. e. non loquitur de re aut actione futura simpliciter, sed est *futurum exactum* (*exigere* est *perficere*, ergo *exactum* i. q. *perfectum*), seu *perfectofuturum.* Comprehendit enim simul et *futurum* et *perfectum* tempus (unde et a *perfecto* formatur), h. e. loquitur quidem de *re* vel *actione futura;* at, quia statim additur alia res vel actio, quae post illam fiet, illa res vel actio futura quodam modo h. e. respectu sequentis rei pro jam perfecta s. finita re habetur, seu tanquam perfecta ac finita consideratur, v. c. *librum legam* ac *deinde illum tibi mittam* sunt duae futurae actiones, quarum posterior post priorem demum

fiet.

fiet. Ergo si per particulam temporis, v. c. *cum (wann)*, *ubi*, *quando*, jungi debent, ita exprimendae sunt: *ubi librum legero*, *illum tibi mittam.* Hinc futura exacta, ut *fuero*, *amavero*, *amatus fuero* non debent disci: *ich werde seyn*, *ich werde lieben*, *ich werde geliebt werden*, sed semper: *ich werde gewesen seyn*, *ich werde geliebt haben*, *ich werde geliebt worden seyn.* Excipiuntur tantum ea, quae carent futuro simplici, v. c. *meminero*, *ich werde mich erinnern*; ubi necessitatis causa tantum ita dicitur. Usus *futuri exacti* tironibus valde difficilis fit ob dissimilitudinem linguae vernaculae, quae simplici futuro plerumque utitur, ubi futurum exactum adhibere debebat, v. c. *wann der Vater kommen wird*, *so werde ich ihm sagen*, pro: *wird gekommen seyn*; it. *wann du mir das Buch schicken wirst*, *so werde ichs meinem Vater geben*, pro *wirst geschickt haben.* Quae verti debent: *ubi pater venerit*, *ei dicam*: *ubi librum mihi miseris*, *patri meo dabo.* Male hic tirones: *ubi pater veniet* etc.; *ubi librum mihi mittes* etc. Nam pater jam debet venisse, si quid ei dicam: librum jam debes misisse, si patri eum dabo vel dare potero. Sic Cicero et prisci semper; v. c. *quod si feceris*, *magnam habebo gratiam*: *quidquid statueris*, *mihi placebit.* Male: *facies*, *statues.* Nam τὸ *facere* ante cogitatur et fit, quam τὸ *gratiam habere*: et τὸ *statuere* ante, quam τὸ *placere.*

Haec de vi temporum et usu proprio. Ne tamen quidquam omittam, quod ad eorum usum recte percipiendum et imitandum pertineat, addenda sunt sequentia:

a) Latini solent in epistolis rem vel actionem praesentem, si haec mutationi obnoxia est atque ita jam mutata esse vel praeteriisse potest, ante quam epistola amico reddita sit, non praesenti sed imperfecto tempore exprimere, quia ob humanitatem non tam sui, quam amici, ad quem scribunt, rationem habent. Nam, quod *praesens* est mihi scribenti, id amico legenti *praeteritum* esse potest: et, quod *hodie* fit, dum scribo, vel praeteriisse vel mutatum esse potest, epistola reddita. Vernacula hic turbat tirones utens in tali re ubique fere praesenti tempore. Quando igitur amico scribimus de consilio ac voluntate nostra aliquid efficiendi, de morbo quodam, de fama etc.: utendum est imperfecto, v. c. *cogitabam cras proficisci*, non *cogito*; licet nostri dicant: *ich gedenke morgen zu verreisen*; quia voluntas proficiscendi abjici potest: sic *aegrotabam*, non *aegroto*; quia morbus praeterire potest prius,

quam

quam epistola redditur, nostri: *ich bin krank.* Sic *homines dicebant, narrabant, fama erat;* non *dicunt, narrant, fama est*, ut vernacule: *man sagt, die Leute erzählen, es geht ein Gerüchte;* quia homines possunt desiisse dicere et narrare, et fama potest cessasse antea, quam epistola reddita fuerit. Sic est quoque in futuro periphrastico; v. c. qui alicui scribit, se profecturum esse, non debet dicere: *profecturus sum,* sed *profecturus eram.* Sic semper Cicero, v. c. ad Div. I ep. 8 §. 12 *Rem te valde bene gessisse rumor erat; exspectabantur literae tuae*, i. e. *rumor est, exspectantur* etc.: ibid. ep. 2 §. 9 *Haec scripsi a. d. XVI Kal. Febr. ante lucem. Eo die senatus erat futurus,* pro *futurus est* s. *erit.* Nam poterat differri. Ad Div. VII ep. 18 §. 9 *Tu, si intervallum longius erit mearum literarum, ne sis admiratus* (i. e. *ne mireris*). *Eram enim absuturus mense Aprili,* pro *abero*; quia iter differri poterat. — At per se patet, in epistolis manere praesens, si sermo sit de rebus certis et immutabilibus, v. c. *homines sunt mortales; fortuna est incerta; liber a te missus mihi est gratus; Lipsia est urbs Saxoniae.* — Eodem pertinet, quod Latini, si quid amico *mittunt, scribunt*, dicere in epistolis solent: non *mitto, scribo*, ut nostri: *Hier schicke ich Ihnen* cet. *dieses schreibe ich* etc., sed *misi, scripsi:* quia humanitatis causa se ad amicum accommodant: qui dum epistolam legit, jam illud *missum* et *scriptum* est; v. c. Cic. ad Div. I ep. 2 §. 9 *Haec scripsi a. d. XVI Kal. Febr. ante lucem, Dieses schreibe ich den* etc.

b) Latini, si quid narrant factum esse, atque ita de re perfecta loquuntur, tamen saepe utuntur tempore praesente pro perfecto, v. c. *Caesar, re audita, statim consilium convocat, milites educi jubet, edicit* etc., pro *convocavit, jussit, edixit.* Sic et nostri: *ruft den Kriegsrath zusammen, gibt Ordre* etc. Fieri haec permutatio solet, ut res sensibus magis exponatur: quia sic narratur, tanquam *nunc* fiat, et *ante oculos nostros.* Sed et omnes homines, etiam plebeji, apud nos ita loquuntur, quando celeriter et cupide aliquid narrant. Nobis imitari hic priscos recte licet in narrando, praesertim cum haec forma serviat variationi, matri suavitatis.

c) Interdum praesens infinitivi pro futuro apud priscos positum reperitur, quia *futurum* tempus deest, v. c. *spero, me hoc facere posse, werde thun können*: *praevidebam, illam rem a me posci, werde gefodert werden:* sic non raro

Livius. At non satis accurate: meliusque est pro eo uti τῷ *fore ut*, v. c. *spero fore, ut hoc facere possim: praevidebam fore, ut illa res a me posceretur.* Nostri quoque utuntur interdum praesenti pro futuro: v. c. *Morgen komme ich zu dir, übers Iahr bin ich nicht mehr da.* Negligenter hoc dictum. Sic et graeci et latini, at vix imitandum, nisi in familiari sermone.

d) Latini etiam saepissime *perfecto conjunctivi* pro *praesente conjunctivi* utuntur: v. c. *dixerit aliquis, es möchte jemand sagen*, pro *dicat. Hoc non ego dixerim, das möchte ich nicht sagen*, pro *dicam: objeceris, du möchtest einwenden.* Sic *si quis dixerit, crediderit, putaverit, negaverit* etc., pro *dicat, credat, putet, neget* etc. Hoc imitari licet: nec tamen credendum, priorem formam esse venustiorem posteriori. Utraque est bona et valde usitata.

e) In formula: *memini me dicere, legere*, pro *dixisse, legisse* (nam utroque modo prisci loquuntur), putant vulgo, *praesens* positum esse pro *perfecto.* — Male. *Dicere* et *legere* non hic est *praesens*, sed *imperfectum.* Nam 1) jam pueri discunt, *amare, legere* esse et praesens et imperfectum. Cur igitur non potius in illa formula: *memini me dicere*, τὸ *dicere* pro *imperfecto* habeamus, cum τὸ *meminisse* non ad praesens tempus sed ad praeteritum pertineat? 2) ex ipsa permutatione hoc patet. *Perfectum* et *imperfectum* et alibi de re *praeterita* promiscue usurpatur, v. c. *Caesar dicebat* vel *dixit.* 3) in primis patet ex locis priscorum, v. c. Cic. ad Div. III ep. 10 §. 19 *Ad me adire quosdam memini, qui dicerent* etc. Ex hoc loco apertum est, Ciceronem τὸ *adire* habuisse pro *imperfecto*, quia addit imperfectum *dicerent:* si enim τὸ *adire* habuisset pro praesente, haud dubie dixisset: *dicant.* Nam post *praesens* debet *praesens* et post *imperfectum* debet *imperfectum* poni, ut statim docebitur.

2) *de temporum consecutione*, quae a vernacula interdum abit, estque res valde difficilis, haec tenenda:

a) Post *ut daß, ne daß nicht* vel *daß, quo damit, quo minus daß nicht, quin daß* vel *daß nicht*, item *qui, quae, quod*, aliasve particulas, conjunctivum vel per se vel ob contextum post se requirentes solet, si vel *praesens* vel *futurum* praecessit, *praesens* poni: sin *imperfectum, perfectum* aut *plusquamperfectum*, praecessit, sequi solet *imperfectum.* Hic tamen propriae temporum notionis ratio simul habenda: hinc nonnullae exceptiones occurrunt: v. c.

1) *Prae-*

1) *Praesens* post *praesens*, si scilicet de re praesenti sermo est, v. c. — post *ut*: *rogo te, ut venias: impello, hortor, moneo te, ut discas. Si accidat, ut pater veniat, daß der Vater kommen sollte*, non *veniret*. *Virtus tua efficit, ut lauderis. Si res ista efficiat, ut lauderis, daß du gelobt werden solltest*, non *laudareris*. *Velim, ut istud mox fiat*, non *fieret*, licet vernacule dicant: *ich wollte, daß dieß bald geschehen möchte* s. *geschähe*. *Si fieri possit, ut istam rem consequar*, non *consequerer*, licet nostri dicant: *wenn es möglich wäre, daß ich das erhielte* s. *erhalten sollte*. *Nemo optet, ut hoc fiat*, non *fieret*, licet nostri: *daß dieß geschehen möchte*. Sic et *nemo optaverit* (h. e. optet), *ut hoc verum sit*: nam *perfectum* conjunctivi saepe, ut supra dictum, pro praesente conjunctivi ponitur: et in hoc usu consideratur ut praesens, atque ita praesens post se postulat: v. c. *Si quis postulaverit, ut dicam, wenn jemand fodern möchte, daß ich sagen sollte*, non *dicerem*: *optaverim, ut verum sit*, non *esset*, licet nostri: *ich wollte wünschen, daß dieses wahr wäre*: est enim pro *optem*. *Nemo est tam stultus, ut non intelligat*, non *intelligeret*, licet nostri: *daß er nicht einsehen sollte*. *Ita te amo, ut patrem magis amare non possim*, male dicitur *possem*, licet vernacule dicamus: *daß ich meinen Vater nicht mehr lieben könnte*. Huc pertinet *spero fore, ut fiat*: nam *fore* est ut *amare* simul praesens et imperfect., a verbo *forem*. — Post *ne*: v. c. *timeo, ne pater veniat*. Sic: *si timeas, ne pater veniat*, non *veniret*, licet vernacule: *wenn du dich etwa fürchtest, fürchten solltest, daß der Vater kommen möchte*. *Vix periculum esse puto, ne bona tua perdas*, non *perderes*; quia praesens *esse* praecedit, licet vernacule dicamus: *kaum glaube ich, daß zu befürchten sey, daß du dein Vermögen verlieren solltest*. Sic: *non timuerim, ne res ita cadat*, non *caderet*: quia *timuerim* est pro *timeam*, *ich möchte mich wohl nicht fürchten, daß die Sache so ablaufen möchte*. Sic: *plura dicere nolo, ne putes* etc., *damit du nicht glauben mögest, möchtest* etc., non *putares*. — Post *quo*: v. c. *impedio te, quo minus scribas*; sic: *si quis me impediat, quo minus scribam*, non *scriberem*, licet vernacula *imperfecto* utatur ac dicat: *wenn mich jemand verhindern sollte, daß ich nicht schriebe* s. *verhindern sollte zu schreiben*. Sic: *rogo te, ut multa discas, quo possis reip. operam utilem praestare*, non *posses*, licet vernacule dicatur: *damit du dem Staate nützlich dienen könntest*. Sic: *Erras, cum putas, te a me impediri, quo minus scribas* s. *scribere possis*, non *scriberes* s. *scribere posses*, licet vernacule dicatur: *daß du nicht schreiben könntest*. — Post *quin*: v. c.

Non dubito, quin pater hoc sciat, non *sciret*, *wisse* s. *wissen möchte.* Sic: *quomodo dubitare potes, quin ista res omnibus nota sit, wie kannst du zweifeln, daß die Sache nicht allen bekannt seyn sollte*, non *esset.* Sic: *multos esse puto, qui non dubitent, quin tu hanc rem efficere possis*, non *posses*, licet vernacule: *machen könntest* Male verbis *possum* et *debeo* in primis accidit, ut ejus imperfectum conjunctivi pro praesenti saepe a tironibus, vernacula deceptis, ponatur. — Post *qui, quae, quod:* v. c. *sunt, qui dicant; reperiuntur, inveniuntur, qui affirment;* sic *multos esse puto, qui dicere audeant*, non *auderent*, licet nostra lingua dicatur: *die sich unterstehen möchten zu sagen.* Sic: *non credere possum, esse, qui de ea re dubitent*, non *dubitarent*, licet vernacule dicamus: *ich kann nicht glauben, daß es Leute gebe, die daran zweifeln sollten.* Sic: *non puto homines esse, qui discere nolint, die nicht lernen wollten*, male *nollent.* Sic: *An putas hominem esse, qui id efficere possit*, non *posset*, licet vernacule dicamus: *der das ausrichten, möglich machen, könnte?* Sic Cic. Arch. 6 *An tu existimas, suppetere nobis posse, quod quotidie dicamus*, non *diceremus*, *Glaubst du, daß wir täglich etwas haben würden, das wir reden könnten?* brevius: *daß wir täglich Stoff zum Reden haben würden?* — Post *quis, quid, an, ubi, cur, quomodo, quod, quia, cum da*, aliasque particulas, ubi notio praesentis temporis latet; v. c. *scio, quid cogites, was du denkst* s. *denken möchtest, mögest.* Cic. ad Div. VIIII ep. 17 §. 5 *quid faciat, non habet, er weis nicht, was er machen soll.* Sic: *dic, ubi sit;* sic *audio, te scire velle, ubi sim et quid agam, wo ich wohl seyn und was ich machen möge. Si quis quaerat, an hoc efficere possim aut velim*, non *possem, vellem*, licet vernacule dicatur: *wenn jemand fragen sollte, ob ich dieses thun könnte oder wollte* s. *ob ich wohl dieses möchte thun können oder wollen;* sic: *si quis quaerat, cur id facere velim*, non *vellem, warum ich das thun wollte. Miraris, quomodo id fieri possit*, non *posset, wie das möglich könnte gemacht werden. Audio multos dubitare, an ea res effici possit*, non *posset;* sic: *mirari scribis homines, quomodo talia audere possim, quia non credibile sit, hominem* etc., non *possem, esset*, licet vernacule: *wie ich solche Dinge wagen könnte, weil es nicht glaublich wäre, daß ein Mensch* etc. Hic tiro facile posuerit: *possem* et *esset.* Sic: *neminem amare possim, cum videam eum improbum esse*, i. e. *wenn ich sehen sollte, daß er* etc.; sic et: *si videam, ubi videam, audiam* etc., *wenn ich sehen, hören, sollte;* sic Terent.: *si faciem videas, videtur esse quantivis pretii*, i. e. *wenn man sein Aeußerliches sehen sollte* etc.; sic; *scribis te mirari*,

mirari, quomodo filius tuus doctus fieri possit, si pecunia non abundet, non *posset*, *abundaret*, licet nostri: *wie er gelehrt werden könnte, wenn er nicht Geld im Ueberfluß hätte*, cum rectius dicere debeant: *wie er gelehrt werden könne, wenn er nicht Geld im Ueberfluß habe.* Sic: *quaeris, an ita loqui debeamus*, non *deberemus*, licet nostri interdum: *ob wir so reden sollten*, pro *sollen*, quod rectius. Sic: *dicis te non posse ibi esse* s. *habitare, ubi inimici tui sint* s. *habitent*, non *essent, habitarent*, licet nostri: *du sprichst, du könntest nicht da wohnen* s. *seyn, wo deine Feinde wären, wohnten*; nam praecessit *esse* praesens. — Hactenus de *praesente* post *praesens* ponendo, de quo pluribus me egisse non mirabuntur, qui difficultatem hujus rei, nondum satis alibi explicatae, norunt longa experientia edocti.

Exceptio. At post *praesens* debet *perfectum* poni, si de re *praeterita* sermo, it. *futurum*, si de *futura*:

a) *Perfectum:* — Post *ut*: v. e. *hinc sequitur, ut Deus solus illud fecerit, gethan habe; hinc sequitur, ut Cajus erraverit, hieraus folgt, daß Cajus geirret habe.* Quis hic dicat: *faciat, erret? Necesse est, homo ante multa didicerit, quam alios erudire velit* etc. Quis hic *discat* ponere audeat? *Multi temere optant, ut nunquam nati sint, daß sie nie gebohren wären*, non *nati essent*; sic: *optandum est, ut ista narratio de caede amici falsa fuerit!* i. e. *falsch mag* s. *möge gewesen seyn. Opto, ut pater incolumis Lipsiam venerit, daß er mag gesund nach Leipzig gekommen seyn. Vereor, ut scripserit*, i. e. *er möchte nicht geschrieben haben.* — Post *ne:* v. c. *timeo, ne jam venerit*, i. e. *er möchte schon gekommen seyn: timeo, ne mortuus sit.* — Post *quo*: v. c. *impedior adhuc, quo minus rem perfecerim:* at usitatius est *impeditus sum, quo minus rem perficerem.* — Post *quin:* v. c. *non dubito, quin fecerit, venerit, hortatus sit* etc. *Non dubium est, quin Augustus Virgilium magni fecerit.* Cic. Quint. 18 *causae nil dicimus, quin tibi vadimonium promiserit.* — Post *qui* et ceteras particulas: v. c. *sunt, qui dixerint, scripserint, narraverint;* sic: *sunt, qui saepe jam admoniti sint, nec tamen meliores fieri velint. Priscos, qui tam praeclaros libros scripserint, a nobis magni fieri non mirum est. Non is sum, qui talia dicere potuerim*, non *potuissem*, ut vernacula loquitur: *der das hätte sagen können.* Sic: *scio, quid feceris, unde veneris. Nescio, cur credere noluerit; dic, ubi fueris, et quando redieris;*

redieris; scribe mihi, an res ita gesta sit, et quomodo omnia facta sint. Cic. Quint. 18 *testes tot, quibus omnibus causa justissima est, cur scire potuerint; nulla, cur mentiantur:* ubi notes, post *praesens* et *perfectum* et *praesens* poni, idque recte. Cic. Verr. I, 13 *Videamus, rationes quemadmodum retulerit.*

b) *Futurum:* v. c. *hinc sequitur, ut Iudaei Iesum nunquam pro Messia habituri sint. Necesse est, homo ignavus nunquam dignitatem consecuturus sit* s. *hominem ignavum — consecuturum esse. Timeo, ne pater prius rediturus sit, quam id fieri possit. Non dubito, quin tu semper in ista sententia mansurus sis.* Sic: *patrem proficisci gaudeo, non, quo rediturus sit ditior,* i. e. *nicht, als wenn er reicher zurückkommen würde.* — Sic post *qui* et alias particulas: v. c. *non is sum, qui nunquam moriturus sim, qui omnia visurus sim* etc.; *dic mihi, quando pater venturus sit, quid acturus sis, ubi in posterum habitaturus sis; nescio, an reditura sit mater* etc. Nisi forte dicendum, τὸ *sim, sis, sit* in his futuris semper manere praesens.

Tria itaque post *praesens* recte poni possunt tempora: *praesens, praeteritum,* et *futurum.* — Quaeritur, an etiam *imperfectum* et *plusquamperfectum?* Recte, si res poscit: v. c. in talibus formulis: *dic mihi, quid faceres, ubi habitares* etc. i. e. *was du thun würdest, wo du wohnen würdest* cet. Cic. ad Div. VIIII, 14 §. 6 *gratulor tibi, cum tantum vales apud Dolabellam, quantum si* (i. e. *ut si tantum*) *ego apud sororis filium valerem, jam salvi esse possemus;* ubi *valerem* magis perspicuum est quam si dixisset *valeam.* Porro: *dic mihi, quid fecisses* s. *facturus fuisses, würdest gethan haben; dic mihi, ubi habitasses* s. *habitaturus fuisses, gewohnt hättest, würdest gewohnt haben:* Sic: *scire velim, quid tu dixisses, fecisses, si isto loco fuisses,* i. e. *was du gesagt, gethan, hättest* s. *würdest gesagt, gethan, haben.* Sic: *dic mihi, an venisses* s. *venturus fuisses, ob du würdest gekommen seyn, gekommen wärest.* Sic: *nescio, an tu librum vere emisses, si copia tibi fuisset, ob du das Buch auch wirklich gekauft hättest* etc., s. *emturus fuisses.* Quis hic ponere audeat: *dixeris, feceris, veneris, emeris?* Hinc patet, quantopere errent, qui putant, satis se de consecutione temporum dixisse, si dixerint: post praesens et futurum debet praesens, post cetera tempora imperfectum poni. Id quod e sequentibus magis apparebit. Not. anomaliam vid. infra post n. 5.

2) *Prae-*

2) *Praesens* post *futurum.* Sic plerumque post *ut, ne, quo, quin* debet fieri: v. c. *rogabo patrem, ut librum mihi emat; cras necesse erit scribam; cras oportebit legamus istum librum* s. *nos legere. Coges me, ut tandem dicam. Qui mihi suadebit, ut mentiar, is faciet, ut pro improbo a me habeatur. Per omnem vitam timebo, ne errem* s. *errare possim.* Cic. ad Div. III, ep. 8 §. 22 *Non dicam plura, ne, in quo te objurgem, id ipsum videar imitari.* Cic. ad Div. III, ep. 7 §. 19 *non perficies, quo minus tua causa velim,* non *vellem,* ut vernacula suasisset. Sic: *nunquam te impediturus sum, quo minus virtuti studeas; nunquam dubitabo, quin Deus justus sit; Iudaei nunquam dubitabunt, quin Messias nondum adsit.* Cic. ad Div. III, ep. 8 §. 3 *Si quid egero, scribam ad te, neque domum unquam ad me literas mittam, quin adjungam eas, quas tibi reddi velim,* i. e. *daß ich nicht auch einen Brief an dich mit hinzufügen sollte.* — Male hic dictum esset: *adjungerem* vel *adjuncturus sim* etc. — Post *qui, quae, quod* semper in his formulis: *erunt, qui dicant: reperientur, invenientur, qui rem istam affirment. Semper erit, quod dicas; non erit, quod fleas* etc. Sic: *faciam, quae velim.* Cic. ad Div. III, ep. 7 §. 6 *Sed scito, — me tamen, quod te velle existimem, esse facturum.* — Post particulas *quis, quid, ubi, quando, cur* etc. saepe h. e. ubicunque notio praesentis temporis adest: v. c. *cras videbo, quid agas, quis iste homo sit, ubi habites. Mox tibi dicam, unde ista res oriatur, cur mihi non placeat, et an credibilis sit* etc.

Not. At *perfectum* debet post *futurum* poni, si de re praeterita sermo est: v. c. in his similibusque formulis: *quando magister tuus venerit, necesse erit, lectionem tuam didiceris. Cras necesse erit, laborem finitum esse* s. *labor finitus sit, nisi in vituperationem incurrere voles. Si pater cras non redierit, timebo, ne forsan a latronibus sit occisus. Narrabo tibi saltem aliquid, ne prorsus frustra apud me fueris. Nunquam dubitabo, quin Deus mundum creaverit. Dicam tibi, quis librum istum scripserit, quid tractaverit. Dicam tibi, quid et quomodo egerim, vixerim* etc. *Cras tibi narrabo, quando et quomodo Cajus mortuus sit, et ubi eum sepeliverimus. Cras audiemus, an res vere ita gesta sit, et cur nondum nota facta sit.* Cic. Verr. I, 13 *Iam ipse ostendet, quamobrem Cn. Carbonem reliquerit.* Agr. II, 8 in. *Quaeret quispiam, in tanta injuria — quid spectarit.* — Quaeritur, an post *futurum* possit quoque *imperfectum* vel *plusquamperfectum* poni. Utique, si res ita fert, non

quidem cum τῷ *ut* vel *ne*, cet., at cum τοῖς *quis*, *quid*, *ubi* similibusve: a) *Imperfectum*, ubi de re incerta vel possibili sermo, et ubi vernaculo *würden* exprimendum est, v. c. si quis ex me quaereret, quid facerem, si me latrones adorirentur, respondere possum: *dicam tibi*, *quid facerem* s. *facturus essem*. *ich will dir sagen*, *was ich thäte* s. *thun würde*: sic *audies*, *quis talia auderet*, *unternehmen würde*. Not. *fore* seq. *imperfecto*, quod saepe apud priscos occurrit, non huc pertinet, quamquam imperitis videatur huc trahendum esse, v. c. *sperabam fore*, *ut veniret*: *videbam fore*, *ut moreretur*. At *fore* non est tempus futurum, sed, ut omnino praesens et imperfect. verbi *forem*, ita in istis formis est imperfectum, quia imperfecta *sperabam*, *videbam*, praecedunt. b) *Plusquamperfecto conjunctivi* non magis supersedere licebit: v. c. Si quem reprehendissem, quod a latronibus petitus se non defendisset, et is ex me quaereret sui excusandi causa, quid ego in tali re fecissem, quomodo respondebo? Haud dubie dixerim: *dicam tibi*, *quid ego egissem* s. *acturus fuissem*, *was ich gethan hätte*, *gethan haben würde*. Hoc postulat perspicuitas. Nam si dico: *dicam tibi*, *quid egerim*, hoc significat, *was ich gethan habe*, *gethan haben mag*. — An vero etiam *futurum* post *futurum* poni possit? — Potest, si notio ita postulat et perspicuitas: v. c. *Si pater tuus non mox revertetur*, *timebo forsan*, *ne post multos menses demum rediturus sit*. *Dicam tibi*, *quando reversurus sim*: *proxime tibi scribam*, *an venturus sim*, *an aliquem mecum ducturus sim* etc. Nisi forte velis hoc *sim* in *venturus* etc. pro praesente habere. Not. anomaliam ap. priscos vid. infra post n. 5.

3) *Imperfectum* post *Imperfectum*: ita plerumque, quia relatio idearum ita plerumque postulat; v. c. *rogabam*, *ut id faceret*; *necesse erat*, *pater proficisceretur*; *timebam*, *ne id accideret*. *Impediebat me*, *quo minus scriberem*. Cic. ad Div. III, ep. 7 §. 5 *literis*, *per quas mecum agebas*, *ne eos impedirem*, *quo minus ante hyemem aedificarent*, non *aedificent*. Sic: *non dubitabam*, *quin res ita se haberet*; *nesciebam*, *quid velles*, *ubi esses*; *dicebam ei aperte*, *quid sentirem*, *quis ille homo esset*, *cur nollem id facere*, *cur non possem perficere*; *scribebat mihi*, *quomodo res ageretur*. Sic: *rogabam eum*, *ut homines*, *quos amaret*, *etiam defenderet*. *Audiebam*, *eos*, *qui ita dicerent*, *laudari*. Not. *laudari* est *imperfectum*, quia ab *audiebam* pendet: ne forsan tirones, ut solent, ubique pro *praesente* habeant. Sic: *memini*, *homines non nisi ea dicere*, *quae*

quae vera essent. — Male *sint*, quia *dicere* hic est imperfect. Sic: *sciebam, omnia, quae legeret, pulchra esse*, non *legat*, quia *esse* est *imperfectum*; add. Cic. ad Div. III, ep. 6 §. 11 *literas accepi, quae me docerent, quid ageres, aut ubi te visurus essem*; ubi tiro male dixisset: *agas, visurus sim*, quia vernacule vertitur: *was du machst, und wo wir dich sprechen werden.* — Sic semper dicendum: nec unquam *praesens*, nec *perfectum*, nec *futurum* post *imperfectum* ponendum est. — At *plusquamperfectum* saepe debet post *imperfectum* poni, si scilicet res exprimenda prius facta vel prius cogitanda est, quam ea, quae praecedente imperfecto exprimebatur. V. c. *Heri optabam, ut pater venisset. Stultus ille nuper optabat, ut dudum mortuus esset*, vel *ut nunquam natus esset. Optandum erat* vel *esset, ut res ista nunquam accidisset: vellem hominem illum nequam nunquam vidissem.* Sic Cic. ad Div. VII ep. 16 §. 3 *Vellem eum tecum abduxisses; olim necesse erat, homo multa didicisset, qui alios erudire vellet.* Sic: *timebam, ne domus conflagrasset; metuebam, ne tu meum filium corrupisses, möchtest ihn verdorben haben; scribebam ista, non, quo vera credidissem; non dubitabam, quin Caesar jam advenisset: Caesar non dubitabat, quin victoria amissa esset. Parum aberat, quin cecidissem.* Sic: *sciebam, quid audivisses, quis tibi narrasset; nesciebam, quando mortuus esset; interrogabam, an scripsisset, cur intermisisset.* Sic: *dolebam, quod abierat: gaudebam, quod manserat. Erant, qui audivissent istud. Rogabam eum, ut, si quid audisset, mihi narraret.* Hic *audisset* sequitur τὸ *narraret. Sciebam, homines, qui talia fecissent, graviter puniri.* Hic *puniri* est imperf., ut in illo: *memini me dicere.* Sic Cic. ad Div. III, ep. 7 §. 13 *Viros esse, qui ista reliquissent, magnos arbitrabar*; ubi *esse* itidem est imperfectum. — Sic semper dicendum: nec audiendi sunt, qui ubique inculcant tantum: post imperfectum debere poni imperfectum. At hoc certum est, praeter imperfectum et plusquamperfectum non aliud tempus post imperfectum recte poni posse. Nam de *fore*, i. e. *futurum esse*, jam supra monui, si sequatur imperfectum, esse imperfectum: nam per se est et *praesens* et *imperfectum* verbi *forem.* Quando itaque dico: *spero fore, ut non moriatur*, τὸ *fore* est *praesens*, quia a praesente *spero* pendet: Quando vero dico: *sperabam fore, ut non moreretur*, τὸ *fore* est imperfectum, quia pendet ab imperf. *sperabam;* hinc debebat sequi *moreretur*, et falsum omnino fuisset *moriatur.*

4) *Imperfectum* post *perfectum.* Ita plerumque fieri debet, etsi plerumque hac in re tirones peccant, ac perfectum

eligunt aliudve tempus, nisi vernaculae similitudo adjuvat. — Post *ut:* v. c. *rogavi patrem, ut librum emeret; impuli te, ut scriberes:* et sic post omnia verba *volendi, rogandi, monendi, suadendi, permittendi;* post *utile fuit, necesse fuit, opus fuit,* semper sequi debet imperfectum. V. c. *necesse fuit, ista faceres; hortatus sum illum, ut festinaret,* non *festinet; persuasit mihi, ut illud facerem,* non *fecerim,* licet vernacule dicatur: *Er hat mich überredet, daß ichs gethan habe; opus fuit* s. *oportuit pater proficisceretur,* non *proficiscatur* aut *profectus sit.* — Post cetera verba, *ut* post se postulantia: v. c. *efficere, facere, id consequi:* post *factum est, contigit, accidit, evenit:* post *tam, ita, sic, talis, tantus* etc. plerumque etiam imperfectum solet sequi, praecedente perfecto: v. c. *Pater effecit, ut dives existimaretur,* non *existimatus sit,* licet interdum vernacule dicatur: *daß er für reich gehalten worden ist.* Sic: *Licet vera dixissem, tamen non effeci, ut homines mihi crederent,* non *crediderint* vel *credidissent,* licet nostri: *Ob ich gleich die Wahrheit gesagt hatte, so habe ichs doch nicht dahin gebracht, daß mir die Leute geglaubt hätten.* Sic: *Doctrina tua effecit, ut ab omnibus laudareris,* i. e. *daß du von allen bist gelobt worden:* male diceretur: *laudatus sis.* Sic: *Pompejus magnis suis rebus gestis id assecutus est, ut Magnus appellaretur,* i. e. *hat es durch seine Thaten so weit* s. *dahin gebracht, daß er der Große genannt worden ist* s. *daß er den Beynamen des Großen erhalten hat,* non *appellatus sit.* Sic: *Factum est, ut praeter opinionem pater rediret,* non *redierit,* licet nostri interdum: *Es ist geschehen, daß der Vater wider Vermuthen zurück gekommen ist.* Sic: *Saepe accidit, ut filius patri non obtemperaret, imo eum necaret,* non *obtemperaverit, necaverit,* licet vernacula dicat: *Es hat sich oft zugetragen, daß ein Sohn seinem Vater nicht gehorcht, ja ihn sogar umgebracht, hat.* Sic: *Contigit mihi nuper, ut homines meam sententiam sequerentur,* i. e. *ich habe neulich das Glück gehabt, daß die Leute meiner Meinung gefolgt sind,* non *secuti sint.* Sic: *Audio factum esse, contigisse, accidisse, ut homines aliter sentirent,* non *senserint.* Sic: *Oratio tua ita placuit, ut homines te valde admirarentur,* non *admirati sint;* nostri: *dich sehr bewundert haben.* Sic: *Patris tui doctrina tanta fuit, ut major esse non posset,* non *potuerit.* Sic: *Tantum librorum* s. *tot libros misit mihi, ut fere non omnes legere possem,* non *potuerim,* licet nostri: *daß ich sie beynahe nicht alle habe lesen können.* — Haec omnia recte: ac sic saepissime prisci. Sed ut nos in vernacula lingua post τὸ *daß,* si *perfectum* praecessit,

cessit, saepe non modo *imperfecto*, sed etiam, si actio finita indicatur, *perfecto* utimur, sic et apud Latinos post *perfectum τὸ ut*, si actio finita indicatur, saepe *perfecto* jungitur, v. c. Cic. Arch. 5 in. *tanta diligentia fuit, ut ad Lentulum venerit:* Cic. Sall. 23 *ita se gessit, ut nihil cogitarit:* Cic. Mur. 5 in. *ita fuit infirma, ut coëgerit.* Ibid. 9 in. *Asiam sic obiit, ut — reliquerit.* Cic. Harusp. 25 *ita cecidit, ut — regnaverit.* Cic. Mil. 14 *ita est mulctatus, ut vitam amiserit.* Cic. Dejot. 5 *in eam partem accepta sunt, ut — adfeceris.* Cic. Phil. V, 12 *ita addixit, ut — reliquerit.* Cic. Mur. 15 *tantum valuit, ut se — renovarit.* Ibid. 16 *tantum posuit, ut — judicarit.* Sic in primis Nepos, v. c. Themistocl. 4 §. 3 *tam angusto mari conflixit, ut multitudo navium explicari non potuerit*, pro *posset.* Agesf. 5 *tantum abfuit ab insolentia, ut commiseratus sit*, pro *commiseraretur.* Attic. 12 *tantum abfuit a cupiditate, ut usus sit* etc., pro *uteretur:* ib. 14 *tanta usus est moderatione, ut — gesserit*, pro *gereret* etc. Ergo *perfectum* non damnandum. — Utitur et Nepos *praesente* pro *imperfecto:* Alcib. 1 in. *In hoc natura, quid efficere possit, videtur experta*, pro *posset;* nisi forsan ita legendum. — At saepe debet *praesens* pro *imperfecto* poni; scilicet, quando de re vel actione praesente tantum sermo est, atque ita perspicuitas valde laederetur, si tum uteremur *imperfecto*: v. c. *hic homo sua bona ita dissipavit, ut nunc pauper sit* s. *ut nunc nil amplius restet.* Sic dicendum, non *esset, restaret.* Hoc enim possit explicari: *daß er nun arm seyn würde, daß ihm nun nichts mehr übrig bleiben würde:* quod tamen non intelligi debuit. Sic: *hic homo tam pauca didicit, ut fere ne legere quidem sciat, daß er nicht einmal lesen kann*, scilicet *jetzt:* male hic dicatur: *sciret.* Nam *sciret* non de praesente tempore, sed de praeterito, intelligi debet. Si *sciret* ponitur, sensus est: *daß er nicht einmal lesen konnte.* Utrumque igitur recte dicitur: *ut ne legere quidem sciret*, et: *ut ne legere quidem sciat;* at diverso sensu: illud ad praeteritum quoddam tempus, hoc ad praesens refertur. Hinc patet, judicio opus hic esse. Sic dici debet: *consecutus sum hoc, ut homines me laudent*, si *nunc laudant:* et *ut homines me laudarent*, si *jam me laudarunt.* Cic. ad Div. V, ep. 6 §. 7 *Ego autem meis rebus gestis hoc sum adsecutus, ut bonum nomen existimer*, i. e. *habe es dahin gebracht, daß ich für einen guten Schuldner gehalten werde*, scilicet *nunc;* poterat quoque dicere: *existimarer:* sed alio sensu: tum foret: *daß ich — gehalten worden bin*, scilicet *olim*, non *nunc.* Sic: *industria tua effecit, ut nunc doctissimus sis.* Sic: *tua industria indefessa factum est, ut homines te pro doctissimo habeant*, scilicet *nunc.* —

Si

Si utriusque temporis et praesentis et praeteriti ratio haberi debet, utrumque ponendum est: v. c. *industria tua indefessa factum est* s. *hoc consecutus es*, *ut ab omnibus laudareris et adhuc lauderis:* sic recte; *effecit, ut laudaretur et adhuc laudetur ab omnibus.* — Not. Ut paulo ante dixi, priscos post *perfectum* saepe quoque *perfecto* pro *imperfecto* uti, ita *perfectum* post *perfectum* interdum tam necessario sequi debet, ut usus *imperfecti* tum sit vitiosus h. e. perspicuitati officiat, v. c. *Cicero tam praeclare latine scripsit*, *ut consolationem a Sigonio editam vix scribere potuerit* s. *scripserit*, i. e. *daß er es kaum geschrieben haben kann, kaum geschrieben haben mag.* Quis hic ponat: *posset*, *scriberet?* Nonnulli ad evitandum hoc perfectum pro eo dicere solent: *ut Cicero vix scripsisse videatur.* Non male. At non omnino necessarium. — Etiam *futurum* interdum sequitur, ac sequi debet, v. c. *tu perfidia tua effecisti, ut nemo tibi in posterum fidem habiturus sit*: sic dicendum. — Post *ne:* v. c. *timui*, *ne id accideret*, non *accidat. Dixi hoc propterea*, *ne crederes* etc. Sic: *timui*, *ne pater venturus esset:* sic semper dicendum. — At interdum etiam *plusquamperfectum*, postulante ita temporis ratione: v. c. *heri valde timui, ne pater interfectus esset, möchte umgebracht worden seyn*, non *interficeretur*, quod alium sensum pareret. — Post *quo:* v. c. *non te impedivi, quo minus festinares*, non *festines. Impeditus sum ista re, quo minus rem tam celeriter conficere possem*, non *potuerim.* Sic semper dicendum, licet nostri: *daß ich nicht gekonnt habe* etc. Cic. ad Div. VI, ep. 23 in. *Non ea res me deterruit, quo minus — literas ad te mitterem*, non *miserim.* Ad Div. VIIII, ep. 17 §. 7 *Haec tibi antea non rescripsi, non quo cessator esse solerem, nicht als wenn ich pflegte* etc. — Post *quin:* v. c. *nunquam dubitavi*, *quin tu istam rem perficere posses*, non *possis*, nec *potueris*, nec *potuisses. Nemo adhuc dubitavit, quin deus esset benignus*, non *sit*, licet nostri praesenti utantur et loquantur: *niemand hat noch daran gezweifelt, daß Gott gütig sey. Nemo dubitavit, quin res ita eventura esset, quin pater venturus esset*, non *sit*, licet nostri interdum: *daß die Sache so ablaufen werde, daß der Vater kommen werde.* Cic. ad Div. V, ep. 19 in. *Etsi mihi nunquam dubium fuit*, *quin tibi essem carissimus*, i. e. *daß du mich sehr lieb habest*, *daß ich dir sehr werth sey*, ubi vernacula forsan tironibus suasisset, ut dicerent: *sim.* Male. Semper imperfectum poni debet, vel simplex illud, ut *legerem* etc., vel conjugationis periphrasticae, ut *lecturus essem* etc. — Post *qui:* v. c. semper in hac forma: *fuerunt*, *qui dicerent*, nostri: *es sind Leute gewesen, die gesagt haben.* Sic: *reperti sunt, inventi*

sunt,

sunt, qui crederent. Sic in epistola Sulpicii in Epp. Cic. ad Div. IIII, ep. 12 §. 6 *inventus est amicus, qui ei mortem adferret*, non *attulerit*, licet ita vernacula: *es hat sich ein Freund finden lassen, der ihn umgebracht hat.* Sic: *notum est, semper fuisse, qui dicerent*, non *dixerint: miraris, homines repertos esse, qui amicos occiderent?* Cic. ad Div. III, ep. 6 § 11 *literas accepi, quae me docerent* etc. Sic: *pater dignus fuit, qui diutius viveret*, non *vivat.* Sic: *audivi, te librum scripsisse, qui nemini placeret*, non *placeat*, licet vernacula: *welches niemand gefällt*; *dicunt, aliquem advenisse, qui profiteretur artem magicam*, non *profiteatur.* Sic semper dicendum est. — At pro *imperfecto interdum*, h. e. re ipsa ac perspicuitate exigente, quoque *plusquamperfectum* ponendum est. V. c. *dicunt, libros combustos esse, quos emisses a Cajo.* Sic: *Catilina non is fuit, qui contra Ciceronem tacuisset, nisi res aperta fuisset. Cicero non is fuit, qui ausus esset Romae manere triumviris adventantibus.* Si quis tamen pro *tacuisset* et *ausus esset* ponere velit *taceret* et *auderet*, non repugnaverim, ac Cicero ipse interdum *imperfecto* pro *plusquamperfecto* contra perspicuitatem utitur, v. c. Verr. II, 1 extr. *neque tam facile opes Carthaginis tantae concidissent, nisi illud et rei frumentariae subsidium et receptaculum classibus nostris pateret*, pro *patuisset.* Attamen videndum, annon perspicuitas laedatur: et malim, Ciceronem ipsum scripsisse *patuisset*, et omnino tum ipsum tum ceteros priscos ista enallage, quam vocant, abstinuisse. Perspicuitas plus valet, quam enallage. — Post *quis, quid, quam, ubi, quando*, aliasque particulas. V. c. *sero cognovi, quis esset*, non *sit*, licet nostri: *wer es sey. Scripsit mihi, quid ibi gereretur*, non *geratur*, licet nostra: *was da vorgeht. Dixi tibi, quid vellem*, non *velim* vel *volo*, licet nostri: *ich habe dirs ja gesagt, was ich will.* Interdum *perfectum* vel *plusquamperfectum:* v. c. *dixi tibi, quid patri scripserim* vel *scripsissem*, si de re praeterita sermo. — Sic: *jam perspexisti, quam praeclara esset virtus*, non *sit*, licet nostri: *wie vortrefflich die Tugend sey*; *dixit mihi, quam aegre ferret*, non *ferat:* nostri quidem: *wie leid es ihm thue, wie er sich betrübe.* Cic. ad Div. IIII, ep. 5 §. 2 *nam, quam fortiter ferres communes miserias, non perspexi*, non *feras*, quia *perspexi* praecedit; licet vernacule verti debeat: *denn wie standhaft du die gemeine Noth erträgst* s. *erträgest, das habe ich nicht daraus ersehen.* Ib. ep. 6 §. 5 *ex quibus perspexisse mihi videor, quam festinares accedere*, non *festines*, licet vernacule reddatur: *wie du eilest*, non *eiltest.* Interdum *perfectum* vel *plusquamperfectum:* v. c. *dixit mihi, quam aegre tulerit* vel *tulisset*, si de *re praeterita* sermo est.

est. — Sic: *dixit mihi, ubi habitaret, ubi esset, ubi dormiret, ubi divitiae suae essent*, non *habitet, sit, dormiat, sint*, licet vernacula praesente utatur. At, ubi res postulat, debet *perfectum* et *plusquamperfectum* sequi, v. c. *dixit mihi, ubi latuerit* vel *latuisset isto tempore, quo hostes ipsum quaesiverint* vel *quaesivissent, wo er sich versteckt habe* s. *hätte* etc.

Not. a) *memini, novi* etc., et similia verba, quae in perfecto vim praesentis habent, v. c. *consuevi*, pro praesentibus hic habentur, non pro perfectis.

b) *perfecta conjunctivi*, si pro *praesentibus usurpentur*, v. c. *objecerit, dixerit aliquis* pro *objiciat, dicat, es möchte jemand sagen* etc. hic itidem inter perfecta non referenda. Hinc recte dicitur: *si me rogaveris, ut veniam*, non *venirem*, quia *rogaveris* est i. q. *roges*. Sic: *necesse fuerit moriatur*, non *moreretur*, i. e. *er möchte wohl sterben müssen*, ad verba: *es möchte unvermeidlich seyn, daß er stürbe*; *fuerit* i. q. *sit*. Hinc, si verba vernacula: *du möchtest mich fragen, was ich machte*, vertere vis, debes dicere: *quaeras* vel *quaesieris ex me, quid agam*, non *agerem*: quia τὸ *quaesieris* hic est i. q. *quaeras*. Sic ubique Cicero.

5) *Imperfectum* post *plusquamperfectum*. Ita semper post *ut, ne, quin, quo minus*: — post *ut*: v. c. *rogaveram te dudum, ut id faceres: Si tu homini suasisses, ut aliud consilium caperet*, non *cepisset*, nec *capere debuisset*. *Nemo praeter te efficere potuisset, ut respublica liberaretur*, non *liberata esset*, licet interdum nostri: *niemand hätte das bewirken, es dahin bringen, können, daß der Staat in Freyheit gesetzt worden wäre*. *Ego profecto effecissem, ut literas amare inciperes*, non *incepisses*, licet vernacule dicatur: *daß du die Gelehrsamkeit zu lieben angefangen hättest*. *Contigerat ei, ut dux eligeretur*, non *electus sit, esset*. *Ita amatus fuerat ab omnibus, ut ardentius amari non posset*, non *potuisset*. Sic: *hanc tibi gratiam retulissem, ut omnia, quae velles, tibi darem*, pro *dedissem*, vernacule: *ich hätte dir solchen Dank abgestattet, daß ich dir alles gegeben hätte, was du gewollt hättest*, quamquam hic forsan non nemini permiserim uti *dedissem*. *Optaverant omnes, ut moreretur*; at aliud est: *optaverant omnes, ut diu mortuus esset*: hoc est: *daß er gestorben wäre*, de re praeterita: illud, *daß er sterben möchte*. Valde ergo differunt. — Post *ne*: v. c. *timueram, ne ita res caderet: Si timuissem, ut iste moreretur* etc. — Post *quo*: v. c. *non impeditus erat, quo minus venire posset*, non *potuisset*. Sic: *si tu me impedivisses, quo minus rem illam perficerem* etc., non *perfecissem*, licet vernacule dicatur:

catur: *wenn du mich verhindert hättest, daß ich nicht die Sache zu Stande gebracht hätte.* — Post *quin*: v. c. *nunquam dubium fuerat, quin res ita caderet. Nunquam dubitassemus, quin tu rem illam recte intelligeres et recte gesturus esses.* — Sic et fere post *qui, quis, quid, ubi* etc. V. c. post *qui*: v. c. *fuerant, qui dicerent: si reperti fuissent, qui id negarent,* non *dixissent, negassent*, licet vernacule: *die das gesagt hatten, die das geläugnet hätten.* — Post *quis, quid, cur, an, ubi* etc.: v. c. *cum intellexissem, quid sentiret, qualis homo esset,* non *sentiat, sit*, licet nostri: *da ich gesehen hatte* s. *da ich sah, was er denke, was er für ein Mensch sey.* Debet tamen *plusquamperfectum* poni, si de re praeterita sermo, v. c. *cum vidissem, qualis homo fuisset*, scil. *olim*, *et quid sensisset*, scil. *olim*: ubi *sentiret* et *esset* falsa forent. *Audiveram, ubi esset*, ac, si de re praeterita, *ubi fuisset. Quaesiverat ex me nuper, an tu valeres;* non *valeas*, ut nostri interdum, *ob du gesund seyst*, pro *wärest*: at *plusquamperfectum* quoque sequi debet, v. c. *quaesierat ex eo, an rediisses, ubi latuisses, quando scripsisses* etc. — Ceterum hinc patet, in hac consecutione temporum in primis horum vim propriam respiciendam esse. Not. Qui priscos diligenter perlegit, facile videt, istam consecutionem temporum ab iis non semper diligenter servatam esse. Quod utrum ipsis scriptoribus an librariis an editoribus tribuendum sit, nunc non quaeram. Exempla adferam: 1) *Imperfectum* saepe post *praesens* reperitur: plerumque tamen ubi *praesens* pro *imperfecto* vel *perfecto* ponitur, v. c. in narrationibus: attamen et in aliis, v. c. Liv. II, 37 *praecones dimittuntur, qui — juberent.* V, 27 *ad senatum, qui dederent Falerios, proficiscuntur.* VI, 29 *locum, quem — communirent, capiunt.* XXVII, 43 *quid pararet, edocet.* Ib. c. 46 *eo inclinant sententiae, ut — tempus pugnae differretur.* XXXII, 3 *petit, ut rem — differret.* XXXVIII, 21 *prosternunt corpora sic, ut passim procumberent.* Et sic saepius. Caes. B. G. I, 9 *legatos mitunt, ut — impetrarent:* 13, *ut consequi posset, curat.* IIII, 11 *mittit, qui nuntiarent*: ac saepius. Cic. Att. VIII, 6 extr. *moriar, si gauderem:* 2) *praesens* post *imperfectum;* v. c. Caes. B. G. I, 7 *qui dicerent, — rogare* (Helvetios), *ut ejus voluntate id sibi facere liceat* pro *liceret.* Sil. Ital. I, 374 *Obstabat — Vallum, ne instent.* 3) *Praesens* post *perfectum;* v. c. Liv. XXXVIII, 22 *Saepe — usui fuerunt, ut — tegant.* XLIII, 2 *ab senatu petierunt, ne se — spoliari — patiantur* pro *paterentur.* Cic. Verr. III, 1 *Nam qui sibi hoc sumsit, ut corrigat mores aliorum ac peccata reprehendat, quis huic ignoscat* etc. ubi Ernesti vult legere *sumit* pro *sumsit.* Add.

Liv.

Liv. XLIIII, 21 in. *Senatus decrevit, ut — crearent. — Tum ex omnibus, quos velit, eligat* etc. pro *vellet, eligeret.* 4) *Perfect.* post *imperfectum*; v. c. Cic. Rosc. Am. 35 *Quid erat, quod — voluerit?*

b) Est et alia consecutio temporum, quae per particulas *et*, *ac*, *atque* et similes particulas connectendi copulari solent. Hic dicunt, *τὸ et* jungere *eadem tempora*, h. e. efficere, ut tempus idem, quod praecesserit, sequi debeat. — At aeque indefinita est haec regula ac superior. Tota res vertitur in idea *temporum* rite exprimenda. Iam, cum uni subjecto non modo duae actiones praesentis temporis, sed etiam duae actiones diversi temporis, tribui simul possint, apparet, in eadem periodo diversa tempora per *et* recte jungi posse. Iunguntur itaque tempora omnis generis, v. c.

1) eadem tempora, v. c. *amo te et magni facio*: *scripsi ad patem, et eum certiorem feci.*

2) *praesens* et *perfectum.* V. c. *cum id sciam et ex aliis audiverim, te literis sedulo dare operam.* Sic dici necessario debet. Ac saepe historici jungunt in narrando *praesens* et *perfectum* eodem sensu: v. c. *Caesar educit copias et profectus est: convocat et dixit: admonuit et jubet* etc. Sic saepe Livius, maxime Sallustius, quem tamen morem non imitandum censuerim: sapit enim affectationem.

3) *imperfectum* et *plusquamperfectum.* V. c. *cum ipse scirem et ex aliis audivissem* etc. *Cum vidissem, te nullo labore frangi posse, ac cogitarem* etc. Quis tempora eadem hic esse velit?

4) *praesens* et *futurum.* V. c. *amo te et per omnem aetatem amabo.*

5) *praesens* et *imperfectum.* V. c. *doleo et semper dolebam.*

6) *imperfectum* et *futurum.* V. c. *dolebam et forsan semper dolebo.* — Et sic alia quoque *tempora* jungi poterunt. — Haec hactenus. Ceterum res per se loquitur, nec exemplis priscorum illam confirmari opus est.

SECT. XVIII

De nonnullis germanismis vel mutandis vel retinendis.

Cum saepe accidat, ut lingua latina in vocabulorum usu et compositione a vernacula abeat, saepe vero etiam

etiam cum hac conveniat: ad hanc vel similitudinem vel dissimilitudinem attendendum est tironi, ne vel germanismum in latinitatem inferat vel aliquid propterea, quia vernacula ita loquitur, fugiat: nam saepe germanismus bonus est idem bonus latinismus, h. e. saepe videtur aliquid esse vernaculae linguae proprium, cum tamen aeque reperiatur in latina. Hinc paucis dicemus a) de germanismis fugiendis b) de iis locutionibus, quae hominibus latinae linguae non satis peritis videntur esse meri germanismi, at vere latinae quoque sunt h. e. a priscis Romanis modo rarius modo crebrius usurpatae sunt.

A) *Locutiones* aliquot, in quibus tiro vernacula deceptus haerere possit, recenseamus, ut cavere illas possit: v. c.

Cursus vitae non est *der Lebenslauf* simpliciter, i. e. complexus eorum, quae in vita acciderunt, quem narrare aliis solemus: hic rectius dixeris *vita*: v. c. *vitam alicujus exponere*, *den Lebenslauf eines Menschen erzählen.* Sed *cursus vitae* est spatium vitae, quod homini percurrendum est, et quod vel male vel bene percurrere solet.

Vir magnus non de *statura* dicitur, sed de *virtutibus animi*, *meritis*, *rebus gestis*. *Socrates*, *Alexander*, *Demosthenes* fuerunt viri *magni*. De *statura* usurpari potest *longus*, ut in francica.

Ducere bellum non est *Krieg führen*, sed *bellum diuturnius reddere*, *verlängern.* *Krieg führen* est *bellum gerere.*

Male audire non est *übel hören*, physice, hoc est *graviter audire;* sed *im üblen Rufe stehen.* Sic *bene audire* de *bona fama.*

Quem in finem non est *quo consilio*, *zu welcher Absicht*, sed semper i. q. *quamdiu*, *wie lange?* Hoc apertum est ex Cic. Catil. I, in., ubi cum *quousque* et *quamdiu* commutatur.

Nullus non potest de duobus dici, licet vernacula simpliciter *keiner*, *keinen*, dicat: v. c. si quis interrogatus, utrum Virgilium an Horatium legerit, respondere vult, se neque hunc neque illum legisse: dicit quidem vernacule: *ich habe keinen gelesen* s. *ich habe keinen von ihnen gelesen*; at latine dicere nequit: *nullum legi* s. *nullum eorum legi*, sed: *neutrum legi* s. *neutrum eorum legi.*

Quis non de *uno e duobus* dici potest: v. c. si quis de Cicerone ac Plinio interroget; *welcher ist besser* s. *der beste*, male hoc vertatur: *quis est melior?* sed: *uter est melior?* licet vernacula non addat: *unter beyden.* Et comparativus debet de duobus dici, licet vernacula superlativo utatur: v. c. de Cicerone et Plinio: *welcher ist der beste*, *gelehrteste* etc.? debet verti: *uter est melior, doctior?* Sic de *nostris manibus* quaerimus vernacule: *welche ist die geschickteste?* latine: *utra est agilior?*

Vel et *aut* non debet poni post *utrum* omninoque in duplici interrogatione: hic *an* requiritur; v. c. *hast du es gesehen oder gehört?* non debet verti: *utrum* (male *an*) *vidisti aut* (*vel*) *audisti?* Sed hoc triplici modo verti tantum potest: *Utrum vidisti an audivisti? Vidistine an audivisti? Vidisti an audivisti?* Sic hoc: *ich frage, ob du es gesehen oder gehöret hast*, ita vertatur vel: *quaero, utrum videris an audiveris*; vel *quaero, viderisne an audiveris*; vel *quaero, videris an audieris.* Ac, si hoc vertere vis: *ich frage, ob du es gehört hast oder nicht*, debes ita loqui: *quaero, utrum audiveris, nec ne* (s. *annon*).

Quam, *quot*, *quoties*, *quantus*, *qualis*, *quantopere* in exclamationibus non admittunt τὸ *non*, licet vernacula addere gaudeat; v. c. *wie schön ist das nicht! wie viele Menschen haben das nicht gesagt! wie oft habe ich dirs nicht gesagt!* Latini ita: *quam pulchrum est! quot homines tibi jam dixerunt! quoties tibi dixi*, male: *quam pulchrum non est*, *ab eruditis laudari! quot non dixerunt! quoties non tibi dixi!*

Quot non facile poni debet, quando τὸ *wie viel* pro *paucis* ponitur; sed *quotus quisque:* v. c. *wie viele gibts wohl, die ihr Leben gern verlieren*, vertere debes: *quotus quisque est, qui vitam libenter amittat?* Sic: *quotus quisque hoc credit*, i. e. *wie viele glauben das wohl?* i. e. *sehr wenige.*

Quot sunt vestrum, i. e. *wie viel sind euer*, scil. *zusammen*, falso dicitur; debet dici: *quot estis?* Et responsio: *es sind unser dreye*, *zehne* etc. non debet verti: *nostrum sunt tres* etc., sed: *nos sumus tres*, *decem* etc. At si *quot sunt vestrum* est *wie viel sind unter euch?* et *nostrum sunt tres unter uns sind dreye*, recte ita dicitur.

Vaticinium, *oraculum*, *impletum est*, venit ex hebraica in nostram linguam; rectius: *vaticinio*, *oraculo*, *eventus respondit.* At *implere promissum*, *legem*, non damnandum.

Omnibus quadrantibus anni proficiscitur, *Er verreiset alle Vierteljahre*, perperam dicitur. Debebat saltem esse *singulis* pro *omnibus.* — At nec hoc usitate. Debet dici: *ter-*

tio quoque mense. Sic: *pater meus omnibus* s. *singulis septem diebus cibo se abstinet, fastet alle sieben Tage,* falsum est pro: *septimo quoque die,* sic in ceteris.

Quantum das pro coena, pro institutione, pro habitatione? Wie viel gibst du für den Tisch, Unterricht, Wohnung? Non satis perspicue dicitur, saltem dici debebat *quantum mercedis das* etc. Melius tamen: *quanti coenas? quanti doceris? quanti habitas!* sic enim prisci.

Non possum rem mihi repraesentare, ich kann mir die Sache nicht vorstellen, male. Imo: *non cogitare possum.* Nam *denken* et *sich vorstellen* idem est.

Homo odit alterum, amicus alterum amat, male. Imo: *homo hominem odit, amicus amicum amat.* Sic: *cuneus cuneum trudit, manus manum lavat, eine Hand wäscht die andre,* ubi *alterum, alteram,* falsum foret. Sic et in ceteris dicendum.

Hinc venit, ut omnes illum fugiant, daher kömmts, daß etc., imperite pro: *hinc fit, ut* etc.

Sine omni dubitatione, ohne allen Zweifel, non plane damnaverim: tamen cum priscis malim dicere *sine ulla dubitatione.*

Non semel nicht einmal, ne semel quidem valde differunt a *nequidem nicht einmal. Non semel* est *saepe mehr als einmal, oft: ne semel quidem* est *nunquam:* v. c. *Non semel te admonui, ich habe dich oft,* s. *nicht etwa bloß einmal, erinnert: Ne semel quidem apud me fuisti, du bist nicht ein einzigmal bey mir gewesen: Hic puer ne legere quidem didicit, hat nicht einmal lesen gelernt.*

Qui modo sit, wer es nur sey, es sey wer es nur wolle, male pro *quicunque est:* v. c. *homo, quicunque est, Deum debet amare. Quicunque* est proprie i. q. *omnis qui.* Sic: *ubicunque est, er sey, wo er nur wolle* etc.

Res facile est intelligenda, invenienda, ist leicht zu verstehen, zu finden, male; dici debet: *res facile intelligitur, intelligi, inveniri, potest; rem facile intelligere, invenire, licet. Res facile est intelligenda* est *die Sache muß leicht verstanden werden.* Sic et *facile videndum est, es ist leicht zu sehen,* male pro *facile est videre, facile videre licet.*

Liber a te legendus est, male pro *tibi.* Et post gerundia ac participia talia semper dativus personae poni debet. V. c. *pater est mihi amandus:* prisci enim ita malunt loqui.

Spero patrem mox videre, ich hoffe den Vater bald zu sehen, perperam pro: *spero, me patrem mox visurum* s. *fore, ut*

mox videam. *Spero*, si res futura sequitur, post se debet habere accusativum cum infinitivo futuri, vel *fore, ut.*

Non possum comprehendere, quomodo v. c. *Hannibal potuerit Alpes transgredi, Ich kanns nicht begreifen* etc. Male. Imo: *non intelligere possum.* Sic pro: *non comprehendi potest, quomodo* etc., debet dici: *non intelligi potest.*

Tam longe pervenit in doctrina, in impudentia, er ist so weit gekommen in der Gelehrsamkeit etc. Male. Imo: *eo doctrinae, eo impudentiae, progressus est, processit* s. *pervenit.*

Communicare aliquid alicui male pro *cum aliquo.*

Ita comparatum est cum hac re, so ists beschaffen etc. Male pro *res est talis, sic se habet*, s. *haec est rei ratio, natura* etc.

Non possum describere, quam crudeliter se gesserit; quam pulchra, dives, sit, ich kanns gar nicht beschreiben, wie grausam er sich betragen; wie schön, wie reich, sie ist. Male pro: *non dicere possum, quam* etc. Sic: *Man kanns nicht beschreiben, wie schön* etc. *Non potest dici, quam* etc. Sic semper prisci.

Magnum honoris gradum accipere, eine grosse Ehrenstelle erhalten. Male pro: *altum honoris gradum adscendere.* De *gradu*, i. e. *Stufe*, neque *magnus* neque *accipere* dici potest.

Non recte prudenter rem egit, er hat die Sache nicht recht vorsichtig verrichtet. Male pro: *non satis prudenter* etc. Saepe vernaculum *recht* est latinum *satis.* Sic: *ich verstehe dich nicht recht, te non satis intelligo: bist du recht klug? satisne sanus es?*

Recte valde doctus vir est, er ist ein recht sehr gelehrter Mann. Male pro: *est vir quam doctissimus, longe doctissimus: τὸ recht* junctum *τῷ sehr* est particula augendi.

Remedium rei, v. c. *doctrinae, ein Mittel zur Gelehrsamkeit.* Male pro: *via ad doctrinam. Remedium est id, quod contra aliquid usurpatur, ein Mittel wider etwas böses.* V. c. *Remedium morbi, doloris.*

Recta sapientia est Deo placere, recta via, i. e. *die rechte Weisheit, der rechte Weg.* Male, imo *vera.*

Cor Herz i. e. *Muth*: male: imo *animus.*

Facere sibi conscientiam sich ein Gewissen machen: male: quia *conscientia* non respondet vernaculo *Gewissen*, si hoc est i. q. *Bedenklichkeit, Scrupel.* Et sic in aliis vocabulis jungendis facillime tiro vacabit errore, si quidem illa singula antea intellexerit.

B) *Locutio-*

B) *Locutiones*, quae interdum *germanismi videntur*, et *vere occurrunt* apud *priscos*: v. c.

Esse in spe, i. e. *in Hoffnung seyn*, Cic. ad Div. XIIII, ep. 3 §. 4.

Esse in exspectatione, in Erwartung seyn, i. e. *exspectare*, Cic. ad Div. X, ep. 4 §. 4. Interdum est i. q. *exspectari*, ibid. VIIII, ep. 6 §. 1.

Esse in aere alicujus, in jemandes Schuld seyn; v. c. *es in aere meo, du bist in meiner Schuld*. Cic. ad Div. XIII, ep. 62 §. 1.

Esse in armis, in Waffen seyn. Sic saepissime.

Esse sub manu, bey der Hand seyn. Planc. in Epp. Cic. ad Div. X, ep. 23 §. 5 *Vocontii sub manu ut essent*, h. e. *ut prope essent mihi*.

In manu Dei, tua, nostra etc., i. e. *potestate*, *Es steht in der Hand Gottes* etc. Cic. ad Div. XIIII, ep. 2 §. 7 *Verum haec non sunt in manu nostra*.

Esse apud se, bey sich seyn, i. e. *compotem sui esse*. V. c. Terent. Heavt. V, 1 *Prae iracundia non sum apud me, vor Zorn, Hitze, bin ich nicht bey mir selbst*.

Esse apud aliquem, bey jemand seyn, scil. *zum Besuche*. Sic saepe Cicero, Varro etc. Sic et *habitare apud aliquem*, i. e. *in ejus domo*, pro quo et dicitur *habitare cum aliquo*.

Esse inter homines, unter Leuten seyn, i. e. *uti hominibus*, cui oppon. *homines* s. *hominum conventus fugere*. Cic. Rosc. Am. 28 in. *qui nunquam inter homines fuerit*. Recte igitur de homine, qui vitam solitariam perpetuo egit, dicitur: *nunquam inter homines fuit*.

Apud Livium Hannibal ita locutus est, i. e. *ut Livius narrat*. Sic saepe Cicero, v. c. Senect. 9 *Cyrus — apud Xenophontem negat* etc.: c. 22 in. *Apud Xenophontem autem moriens Cyrus major haec dicit* etc. Sic nostri: *Hannibal spricht beym Livius* etc., i. e. *in ejus libris inducitur loquens*.

Exire de sorte, ut nostri: *das Loos ist herausgekommen*; sic Latini: *sors exiit*. V. c. Cic. Verr. II, 51.

Incidere in morbum; it. *cadere in morbum, in eine Krankheit fallen*, saepe Latini.

Spem habere, Hoffnung haben, Cic. ad Div. VI, ep. 14 §. 1: Et *spem habere in aliqua re* Coelius Epp. ad Cic. VIII, ep. 11 §. 2.

Ducere se a loco, i. e. *abire, aufugere*. Sic Asin. Pollio in ep. ad Cic. in Epp. Cic. X, ep. 32 in. *Balbus Quaestor — duxit*

duxit se a Gadibus; sic nostri in sermone plebejo: *er hat sich abgeführt*; sic Plautus: *duc te hinc*, i. e. *abi*.

Facere librum, ein Buch machen. Varr. R. R. II, praef. 7 *librum feci uxori*. Sic: *versus facere* Sallust. Catil. 25 §. 5: *Sermonem facere*, i. e. *ein Gespräch machen*, Cic. ad Div. VIIII, ep. 9 §. 6.

Facere pecuniam, sich Geld machen, scil. quocunque modo fieri possit, fraude etc.; sic Cicero Verr. II, 6.

Facere alicui timorem, jemand Furcht machen. Sic Planc. in Epp. Cic. ad Div. X, ep. 18 §. 3 — *quae mihi quoque facit timorem*. Sic *facere alicui dolorem* etc.

Facere pro *creare magistratus*; v. c. *Consulem facere aliquem, einen zum Consul machen*. Cic. Planc. 4 *Facit eos, a quibus est maxime ambitus, das Volk macht diejenigen* (*dazu*), *von denen es am meisten gebethen wird*.

Facere iter, eine Reise thun, reisen. Nil frequentius.

Facere, seq. accusat. cum infinit., *so thun, als ob* etc., i. e. *fingere*. Sic Cic. ad Div. XV, ep. 18 §. 2 *itaque facio, me alias res agere* etc., *daher thue ich so, als wenn ich* etc. Sic: *fac esse ita omnia, thu einmal so, als wenn alles so wäre*: *faciamus, verum esse* etc., *wir wollen so thun, als obs wahr wäre*.

Facere bene, gut thun, de effectu salutari medicinae, pro: *salubrem esse*, occurrit ap. Caton. de re rust. 157 §. 6 Verba sunt: *id bene faciet, et mali nihil sinet in corpore consistere*, i. e. *das wird gut thun und nichts Böses im Leibe lassen*. Sic Colum. VI, 15 in. *Idem remedium optime faciet, wird sehr gut thun*, i. e. *saluberrimum erit, valde proderit*.

Quid hoc homine faciamus? was sollen wir mit diesem Menschen machen? Cic. Verr. II, 16 *quid hoc homine facias?*

Alius factus est, er ist ein andrer Mensch geworden s. *er ist ganz anders geworden*, i. e. *mutavit se, suam sententiam*. Cic. ad Div. XI, ep. 12 §. 5.

Dare calculos, in lusu illo, *die Steine geben, recht geben*, i. e. *setzen*. Notus est versus Ovidii: *tu male jactato, tu male jacta dato*, i. e. *wirf schlecht und gib*, s. *setze das geworfene schlecht*.

Unus recte de duobus seq. *altero*. At, si de pluribus sermo, *alius* dici debet; v. c. *homines non idem de hac re sentiunt. Alius eam amat, alius aversatur*. Hic *alius* non de *uno homine*, sed de pluribus simul, intelligendum.

Alter ego, mein andres Ich, Cic. ad Div. VII, ep. 5 in., *de homine amicissimo*.

Calefacere

Calefacere aliquem, *einem warm machen*, *einem einheizen*, i. e. *vexare*, *angere*, *molestiam exhibere.* Sic Cicero aliquoties.

Non mihi hoc sumo, *ut* etc., *ich nehme mir das nicht heraus*, *daß ich sollte* etc., pro: *non tantum audeo.* Saepe ita Cicero, v. e. ad Div. VII, ep. 17 §. 3 *Vide, quid mihi sumserim! sieh, was ich mir herausgenommen habe!*

Sumere pecuniam, *Geld aufnehmen; sumere rem pretio*, *eine Sache für so und so viel Geld nehmen*, i. e. *emere.* Cic. ad Div. VII, ep. 23 §. 5 *Tanti ista* (scil. signa) *quatuor aut quinque sumsisti*, i. e. *emisti.* Eruditi vernaculi, qui formulas latinas cum graecis et has cum latinis comparare libenter solent, comparant hoc *sumere* pro *emere* cum graeco λαμβάνειν. At cur non potius cum vernaculo *nehmen?* V. c. *Ich nehme alle meine Waaren bey dem Kaufmanne N.*, i. e. *ich kaufe sie.*

Hoc tibi non sic abibit, *das wird dir nicht so hingehen.* Sic Terent.

Tenere se, *sich halten;* v. e. Cic. Acad. IIII, 4 *nec se tenuit, quin contra suum doctorem librum ederet*, *er hat sich nicht halten können*, *daß er nicht* etc. Fin. II, 7 *Hoc loco se tenere Triarius non potuit*, *hier konnte er sich nicht halten*, de cupide dicturo, i. e. *konnte nicht länger warten.*

Pecunia cadit in illam diem, *ist den Tag gefällig.* Cic. ad Attic. XV, ep. 20 *in eam diem cadere numos*, *qui a Quinto debentur*, i. e. *das Geld ist auf den Tag zahlbar;* sic et nos: *die Zahlung fällt richtig* etc.

Fidem frangere, *die Treue brechen.* Cic. Rosc. Com. 6.

Oculum rei adjicere, *ein Auge auf eine Sache werfen*, i. e. *cupidum fieri rei.* Sic Cic. Verr. II, 15 *Partim plane videbant*, *adjectum esse oculum hereditati*, scil. a Verre.

Age abeamus, *mache wir wollen fortgehen:* de pluribus *agite.* Haec enim est significatio hujus verbi, quod otiosum esse male credunt nonnulli.

Agere florem, *Blüthe treiben*, *blühen*, Colum. II, 16. Sic et: *er treibt ein schändliches Leben*, *agit vitam turpem.*

Ducere vitam, v. c. *jucundam*, *ein angenehmes Leben führen.* Saepissime.

Ad summum, *ad minimum*, *zum höchsten* s. *aufs höchste; zum wenigsten*, *aufs wenigste:* dicitur et *summum*, *minimum*, *höchstens*, *wenigstens.*

Ad manum habere, *zur Hand haben.* Nep. Att. XVIII, 1 §. 5 *ad manum habuit scribae loco*, *er hatte ihn zur Hand*, *als* etc.

Ponamus, wir wollen setzen. *Ponere* enim est tum *affirmare*, v. c. *ponere Deum*, tum *credere*, v. c. *ponere aliquem principem*, i. e. *habere pro principe.* Sic Cic. Acad. IIII, 1.

Sub ea conditione, unter der Bedingung. Sic Cic. Arch. 10 *sub ea conditione, ne quid postea scriberet.*

Vestis bene sedet, sitzt gut, i. e. *paßt gut, ist gerecht*, apud Plinium. *Sedere* indicat omnino *firmitatem* et *constantiam* quandam.

Est aliquid, de re *non contemnenda, es ist wohl etwas, es will etwas sagen.* Est litotes. Saepe ita prisci, in primis poetae, v. c. *est aliquid, nupsisse Iovi* etc. Cic. ad Div. VI, ep. 19 §. 5 *qui* (int. liber, qui Orator inscribitur,) *si est talis, qualem tibi videri scribis, ego quoque sum aliquid*, i. e. *so bilde ich mir etwas ein:* ad Attic. IIII, 2 *si unquam in dicendo fuimus aliquid* etc.

Non est pro homine, es ist nicht für den Menschen, i. e. *non aptum est, non convenit ei, non conducit ei.* Sic Colum. III, 5 init. *quod ego minime reor esse pro agricola, ich glaube, daß dieses gar nicht für einen Landwirth, Bauer, sey.* Sic Vellej. I, 13 extr. *magis pro republica fuerit* i. e. *e re publica fuerit, reip. profuerit.* *Pro* etiam alio sensu convenit vernaculae, v. c. *pro mea parte, für meinen Theil; pro concione dicere, vor der Gemeinde, Versammlung, reden;* ac saepius ap. Liv. est pro *ante.*

Prae lacrymis loqui non possum, vor Thränen: prae iracundia non sum apud me, ich bin vor Zorn nicht bey mir selbst. Terent. Heavt. V, 1.

Cum timore vivere, mit Furcht leben, Coelius in Epp. Cic. ad Div. VIII ep. 14 §. 9.

Est mihi cum illo commune, das ist mir mit ihm gemein: vide Cic. ad Div. II ep. 17 §. 15.

Non ita multo post, nicht eben so lange hernach, ubi τὸ *ita* respondet vernaculo *so.* Saepe ita Nepos; it. Cic. Rosc. Am. 23 in. *Non ita multis ante annis ajunt* etc.

Hoc confirmare possum, me nihil unquam de hac re dixisse; ubi *hoc* redundat. Sic nostri: *das kann ich versichern, daß ich* etc.

Bene emere, gut kaufen, i. e. *vili pretio, wohlfeil:* et *male emere, schlecht kaufen*, i. e. *magno, theuer.* Contra: *bene vendere, gut verkaufen*, i. e. *magno, theuer:* et *male vendere, schlecht verkaufen*, i. e. *parvo, wohlfeil.*

In diem vivere, in den Tag hinein leben, proprie est: *auf den Tag nur leben*, i. e. *ita vivere, ut hujus diei tantum, non sequentis temporis, rationem habeas:* quod est signum magnae

nae negligentiae. Sic Cic. v. c. Orat. II, 40: *si barbarorum est in diem vivere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent;* ubi opponuntur *in diem vivere* et *sempitern. temp. spectare.* Sic etiam, licet paulo obscurius ob *lusum* verborum *de die* et *in diem vivere*, est Philipp. II, 34 *Iam minime miror, te — cum perditissimis latronibus non solum de die, sed etiam in diem, vivere.* Sequentia enim declarant, *in diem vivere* hic esse *ita vivere, ut tempus futurum non cogites.* Nec Graevius hic audiendus.

Cum in eo esset, ut etc., *da es an dem war, daß* etc.: sic saepe Nepos.

Sic sum, so bin ich; sic vita est hominum, so ist das menschliche Leben, i. e. *talis.* Sic saepe prisci. V. c. Cic. Rosc. Am. 30 *Sic vita hominum est, ut* etc., i. e. *so geht es in der Welt* etc.

Ire in semen, in Samen gehen, de plantis ap. Caton. de re rust. 161 §. 3. Sic: *in corpus ire, ins Fleisch gehen*, i. e. *corpus sibi facere*, ut Phaedrus loquitur, s. *carnosum fieri*, ap. Quintil. II, 11. Verba sunt: — *ut* (juvenes) *exspatientur, et gaudeant materia, et quasi in corpus eant.* Burm. expl. *pinguescant.* Male. Aliud enim est *pinguescere*, aliud *in corpus ire* s. *corpus facere* h. e. *carnosum fieri.* Potest aliquis esse *carnosus*, nec tamen *pinguis.*

Provenire, fortkommen, de positis arboribus et plantis. Colum. V, 6 §. 14 *Quae ulmus a positione bene provenerit, ejus summae virgae falce debent enodari. Pro* est contract. ex *porro*, ut saepe.

In manus sumere, in die Hände nehmen. Cic. Verr. IIII, 27 *Iste unumquodque vas in manus sumere, laudare, mirari.*

Bene it, es geht gut. Cic. Att. XII, ep. 24 extr. *De Attica, optime it*, i. e. *was die betrifft, so gehts recht gut:* ibid. XIIII, ep. 15 *incipit res melius ire, quam putaram, die Sache fängt an besser zu gehen.*

Pedibus ire, zu Fuße gehen etc. *Dare bibere, zu trinken geben*, Terent. Haec hactenus.

Plura in scriptoribus priscis linguae nostrae simillima ab attendentibus facile reperientur. Est enim lingua vernacula linguae latinae non tam dissimilis quam vulgo creditur. Ac profecto tirones debebant eas locutiones omnes, quae vernaculis sunt similes, quia faciliores sunt, prius discere et usurpare, quam abirent ab usu nostrae linguae. Nam prudentis est, filio prius ostendere viam rectam, quam ei monstret diverticula. Et tirones, quando statim

ab initio audiunt magiſtros clamare: *Ne ad verba reddas; eſt germaniſmus, vernacula ita loquitur, abeundum eſt a vernacula, ut elegantius reddatur* etc., tales tirones non modo credere coguntur, linguam latinam linguae vernaculae plane diſſimilem eſſe, ſed etiam a populari dicendi conſuetudine deterrentur, ac, niſi mature ab intelligentibus revocantur, per omne tempus oratione affectata utuntur, et pulchritudinem dicendi non niſi in verborum pompa exquiſita quaerunt.

CAP. III

De ordine vocabulorum.

Vocabula non modo juſto *caſu*, *genere*, *numero*, *modo*, *terminatione perſonali* (vulgo *perſona*), *tempore* etc. jungenda, ſed etiam *recto ordine* collocanda ſunt.

Hic ordo 1) a multis creditur pendere a voluntate noſtra, ita, ut non differat, utrum v. c. dicas: *patrem amare debent filii*, an: *filii debent amare patrem*, an: *amare patrem filii debent*, *debent amare patrem filii* etc. — Male. Interdum quidem, h. e. in rebus levibus, liceat; at non ubique. Sic male Heineccius p. 61 dicit, *perinde eſſe, adjectiva ſubſtantivis ſive praeponas ſive poſtponas*. 2) Alii ſibi certum ordinem verborum temere finxerunt, et tradiderunt, *hoc* vel *illud vocabulum* libenter *praeponi*, hoc *poſtponi* etc., quaſi hoc perpetuo ac ſine ulla cauſa fieri poſſit: v. c. Heineccius dixit p. 58, debere *vocativum* poſt aliquot verba demum locum occupare, et *caſus obliquos* nominativo praeponi; p. 59, enuntiationem *comparativos* aut verba *malo* et *praeſtat* ſequentem comparativo et verbo ſuo eleganter praemitti, v. c. *vir pace quam bello illuſtrior*; p. 60, elegantius verbum *ſubſtantivum* a ſuo *verbo*, et *infinitivum* a *ſuo verbo*, ſejungi, v. c. *quaeſtio decreta a ſenatu eſt*:

laus,

taus, quae possit e macello peti: et *comparativos* ac *superlativos* elegantissime claudere periodum, it. inter substantivum et adjectivum aliquid eleganter interponi; p. 62, *si*, *nisi*, *ut*, voci uni aut alteri eleganter postponi, v. c. *id si fecissent* etc. Haec omnia partim falsa, partim indefinite dicta sunt; in multis aliter egerunt prisci, omninoque causas justas habuere, cur hoc vel illud vocabulum aut praemitterent aut postponerent.

Accuratius itaque de hoc ordine vocabulorum dicemus, quem plerumque notionum per illa expressarum ratione et natura niti certissimum est: modo causas altius indagare, nec usus loquendi cognitione historica, h. e. hac regula: *prisci ita dixerunt, quia ita dixerunt*, contenti esse, velimus. Ordo verborum universus est duplex, a) in nonnullis verbis est fixus, b) in plerisque inconstans, h. e. pendet ab ordine idearum, atque ita a perspicuitate, interdum a suavitate, interdum a gravitate dicendi.

SECT. I

Ordo nonnullorum vocabulorum est fixus.

Sunt nonnulla vocabula, quibus certum et immutatum ordinem prisci tribuerint ita, ut causam, qua ducti sint, non ubique satis indagare liceat. Huc pertinent

1) Particulae *nam* (si *causam* continet), *at* (*attamen*), *verum*, *sed*, quae *semper* ab initio periodorum vel enuntiationum ponuntur, cujus rei causa ignoratur; it. *quare*, *quamobrem*, aliaeque a pronom. relat. effectae: ubi causa est, quia retinent vim hujus pronominis connectendi, de qua infra. Huc pertinent *conditionales*: *si*, *nisi*; *concessivae*: *etsi*, *quamquam* etc., *causales*: *quia*, *quoniam*, *cum*; quae semper primum locum in enuntiatione vel periodo occupant, nisi forte vocabulum adsit, quod priorem locum ob notionis rationem interdum mereatur, v. c. *qui nisi*, *qui quia*, *tu si* etc.

Contra *enim*, *vero* (*aber*), *autem*, *quoque*, *quidem* nunquam ab initio enuntiationis, nedum periodi, poni possunt, sed post unum alterumve vocabulum; in primis *enim*, *vero* (i. e,

(i. e. *aber*), *autem* gaudent secundum locum, raro tertium, occupare: v. c. *ego vero, tu enim* etc. Non bene dicatur: *ego tibi enim* s. *vero;* multo pejus: *ego tibi promisi autem* s. *enim* etc. Causa est, quia sic offendatur perspicuitas. Not. si *vero* est i. q. *vere*, non raro praeponitur, v. c. *Cic.* Tusc. II, 11: Div. I, 47: Mur. 31. Rarius primum locum obtinet, si est i. q. *autem*, v. c. *Plaut.* Rud. IIII, 3, 56. — *Etenim, itaque, ergo, denique, tandem* solent non nisi primum vel secundum locum obtinere. *Etiam* potest praeponi et postponi; sic et *tamen:* posterius tamen non solet initium facere totarum periodorum, sed tantum membrorum, in primis consequentium.

NB. *quidem* habet in primis vim duplicem a) *concedendi, zwar:* quae vis nota. b) *restringendi, excipiendi*, qua ea, quae antea de toto vel genere dicta erant, ad partem, speciem, vel individuum transfert, vel id, quod generaliter dictum erat et intelligi debebat, de certa tantum persona, de certa re, certo loco, tempore intelligendum esse monet; et a nobis tum vertitur *wenigstens*, it. *zum Beyspiele.* V. c. *sic senserunt omnes eruditi. Leibnitius quidem aperte id professus est*, i. e. *Leibniz wenigstens*, s. *zum Beyspiele Leibniz* etc. Male hic diceretur *Leibnitius aperte quidem* etc. Nam τὸ *quidem* statim subjici debet *rei*, quae excipitur, et ad quam restrictio illa proprie pertinet. Cic. Senect. 9, cum monuisset, defectionem virium in senibus vulgo obviam saepius vitiis adolescentiae quam senectute ipsa effici, ita pergit: *Libidinosa etenim et intemperans adolescentia effetum corpus tradit senectuti. Cyrus quidem ap. Xenophontem —, cum admodum senex esset, negat se unquam sensisse senectutem imbecilliorem factam, quam adolescentia fuisset.* Verte: *Cyrus wenigstens*, vel: *Cyrus zum Beyspiele:* at prius praeplacet, ne notiones vocabulorum praeter necessitatem augeamus. Sic Cic. Offic. III, 17 *Sed, qui sint boni et quid sit bene agi, magna quaestio est. Quintus quidem Scaevola dicebat* etc. Sic dicere possum: *veniam ad te, quocunque tempore jusseris, nunc quidem non possum.* Sic dicendum; male dicatur: *non quidem nunc* etc. Nam τὸ *quidem* ad *nunc* pertinet. Sic dicimus: *de mea quidem sententia*, non: *de sententia quidem mea.* Cur? quia τὸ *quidem* ad *mea* tantum referendum.

Huc pertinent duae particulae *ne quidem*, quas sejungendas et unum vocabulum inter eas ponendum recte vulgo dicunt; at neque, cur haec sejunctio fiat, neque, quodnam vocabulum interponi debeat, addunt. Vera causa e praecedentibus intelligi potest. *Quidem* enim hic est illa particula

cula restrictiva, h. e. negat partem, ut eo magis totum negari possit, vel rem exiguam, ut eo magis res major negari queat: v. c. *tu ne unum quidem librum, nedum omnes, legisti:* hic *lectio unius libri* negatur, ut eo facilius lectio *omnium* negari possit; *filius tuus ne legere quidem, nedum scribere, potest:* hic *τὸ legere* tanquam *levius* negatur, ut inde *τὸ scribere*, tanquam *gravius*, eo tutius negari possit. Sed supra jam diximus, *τὸ quidem*, si sit particula restrictiva, statim *subjecto* s. *rei*, ad quam proprie pertinet ista restrictio, subjici debere. Ergo et sic in *ne quidem*. Hinc sequitur, ut non verba quaelibet enuntiationis talis negativae, sed tantum id vocabulum, ad quod restrictio s. negatio proprie et arctissime pertinet s. in quo accentus est (ut loquimur), interseri debeat. V. c. recte dicitur: *tu ne partem quidem rei accipies, nedum rem ipsam;* at male: *tu ne accipies quidem partem* etc. vel: *tu ne rei quidem accipies partem* etc. — Recte dicitur: *hic homo ne legere quidem dedicit, nedum scribere;* male vero: *hic homo ne didicit quidem legere, nedum scribere.* — Recte dicitur: *pauperes saepe ne tantum quidem habent, ut se vestire possint;* male vero: *pauperes ne habent quidem tantum* etc. — Recte dicitur: *ne vidi quidem virum istum unquam, nedum cum eo collocutus sum;* male: *ne virum quidem unquam* etc. vel: *ne unquam quidem virum* etc. Manifeste enim in istis vocabulorum horum: *partem, legere, tantum, vidi,* maxime ratio habetur; *notiones* hae proprie et diserte negantur. Hinc nullum vocabulum est, quod non interseri possit, si quidem in eo accentus est: v. c. *tu ne librum quidem commodare mihi vis, nedum rem majorem:* recte: non vero: *tu ne commodare quidem librum* cet. At recte: *tu librum ne commodare quidem mihi vis, nedum donare:* male: *tu ne librum quidem* cet., sic recte: *tu ne fratri quidem librum commodare vis, nedum alieno:* male: *tu ne librum quidem* cet. Hinc patet, perspicuitatem esse veram causam, cur *τὸ quidem* istum locum obtinere debeat, ac, nisi huic particulae iste locus tribuatur, sensum orationis atque adeo gravitatem saepe perire. Not. At *ne quidem* conjunctim reperiuntur Cic. Att. II, 16 extr. *illud ne quidem contemnam.* Edit. Ern.

II) *Duo substantiva*, quorum posterius pro *τῷ alter, der andere*, ponitur; v. c. *cuneus cuneum trudit, homo hominem odit, manus manum lavat* etc. semper hoc ordine manere debent. Falsum foret: *homo amat hominem, cuneus trudit cuneum*, vel *hominem amat homo*, vel *hominem homo amat.* Sunt enim proverbiales locutiones; sic et: *alius alium odit, aliud ex alio malum,* non debent immutari.

III)

III) *Quisque* cum τῷ *suus*, *sibi*, *se* in eodem membro conjunctum libenter huic postponitur. V. c. *suum cuique pulchrum*, non *cuique suum pulchrum* vel *cuique pulchrum suum*. Sic: *suos quisque amat liberos*: nec aliter. Cic. ad Div. VI, ep. 1 in. *ea est perturbatio rerum*, *ut suae quemque fortunae maxime poeniteat*. Verr. V, 38 *dicebat*, *quos ex sua quisque navi missos sciret esse*. Virgil. quidem: *quisque suos patimur manes*; at poetas hic non curamus. Sic: *sibi quisque*, *se quisque*, non *quisque sibi*, *se*.

IIII) *Quisque* cum superlativo arctissime conjunctum, tanquam subjectum cum suo epitheto, semper huic postponitur. V. c. *doctissimus quisque ita sentit*, i. e. *die Gelehrtesten denken so*: *optima quaeque sunt eligenda*, *man muss das Beste* s. *die besten Dinge erwählen*. — Notandum, quod jam supra monui, τὸ *quisque* hic minime redundare. Imo in his formis necessarium est: efficit enim pluralem s. enuntiationem universalem. *Doctissimus quisque* non est *unus doctissimus*, sed *omnes doctissimi*; et sic semper intelligendum. *Doctissimus* per se est *sehr gelehrt*, et de *uno* dicitur. At, si vertere volo: *der Gelehrteste* (h. e. *die Gelehrtesten*) *ist immer der bescheidenste* s. *die Gelehrtesten sind immer* etc., debeo dicere: *doctissimus quisque est modestissimus*, *doctissimi quique sunt* etc. Sic: *er liest die besten Bücher*, *legit optimos quosque libros*, non *optimos libros*: hoc quoque foret: *er liest sehr gute Bücher*, quod tantum de *paucis libris* intelligi possit.

V) *Quisque*, *nominibus numeralibus certum ordinem numeri* indicantibus junctum, quo et *quotus* pertinet, semper iis postponitur. V. c. *quartus quisque annus est intercalaris*, h. e. *quartus annus est semper intercalaris*: τὸ *semper* est illud *quisque*: hinc *semper* non separatim addendum. Sic: *tertio quoque mense hoc fieri solet*, i. e. *das pflegt alle drey Monathe*, s. *alle Vierteljahre*, *zu geschehen*: *decimum quemque capite plecti jussit*, i. e. *allemal den zehnten Mann*. *Septimus quisque dies sacris faciundis est dicatus*, i. e. *der siebente Tag ist allemal* etc. Hinc patet, τὸ *quisque* non ornatus, ut nonnulli somniant, sed necessitatis causa addi solere ac debere: atque ita ob *perspicuitatem*. Nam omisso τῷ *quisque* longe alius sensus efficeretur, v. c. *tertio mense hoc fieri solet* indicat, hoc *semel* tantum ac certo quodam tertio mense anni, v. c. *Martio*, fieri solere. *Decimum capite plecti jussit* de *uno* intelligendum foret. Nam *decimus* est *unus*: at *decimus quisque* sunt *omnes decimi*. *Septimus dies est sacris destinatus* indicat, hoc *semel* fieri; et sensus foret: *ein siebenter Tag* etc. Sed nos vernaculum *allemal* omittere possumus et

et debemus in his formulis, quia per ſe intelligitur: nam ſi *quisque dies, qui eſt ſeptimus, ſacris deſtinatus fuit*, patet, hunc ordinem eſſe perpetuum. — Sic: *quotus quisque. Quotus* numerat, et *quisque* indicat, τὸ *quotus* non de uno, ſed de hominibus in genere, intelligendum. Ergo nec abundat. Aliud eſt: *quotus eſt hic vir? quota eſt hora?* aliud: *quotusquisque omnibus horis ſatis ſapere poteſt?* hoc eſt: *quot ſunt ex omnibus hominibus, qui* etc.

VI) *Praepoſitiones*, ut earum nomen jam docet, ſemper praeponi debent ſuis nominibus: hoc vult perſpicuitas, ut ſciamus, quo pertineant. V. c. *ad rem*, *in re*, *hanc ob rem* etc. At ſunt exempla, ubi poſtponantur:

a) Nonnullae interdum poſtponuntur, plerumque tamen pronomini relativo, v. c. *quos ad* pro *ad quos*, Cic. Nat. D. II, 4 in.: *Quam circa*, Cic. Verr. IIII, 48: *Quem contra veneras*, Cic. Mur. 4: ſic *quas contra*, Cic. Vat. 7: *Quos inter*, Cic. Verr. III, 20: *Quem penes*, Cic. ad Div. VIIII, 16 §. 4 et Hor. Art. 72: *Quos propter*, Cic. Att. X, 4 in.: *Quem propter*, Plaut. Amph. IIII, 1, 8: *Quem ultra*, Cic. Tuſc. IIII, 17: *Quos ultra citraque*, Hor. Sat. I, 1, 107: *Quo de*, Cic. Manil. 16 et Verr. II, 12: *Quos adverſum*, Salluſt. Iug. 101: *Quam ante*, Nep. Chabr. 3: *Hunc juxta*, Nep. Pauſ. 4: ſic *Rhenum juxta*, Tacit. Ann. IIII, 5: *Diomedonte coram*, Nep. Epam. 4: *Lucem intra*, Tac. Ann. IIII, 48: *Urbem extra*, Tac. Ann. XIII, 47 cet.

b) *tenus* ſemper poſtponitur, v. c. *capulo tenus*. Ergo non pro praepoſitione habenda haec particula. Sic et *verſus*.

c) in primis huc pertinet *cum*, quae praepoſitio ſemper τοῖς *me, te, ſe, nobis, vobis*, ſaepe etiam τῷ *quo* ſ. *qui, qua, quibus*, poſtponitur. Quod cur fiat, licet forſan non magis ſciamus, quam de *tenus*, *de*, et aliis praepoſitionibus ac rebus, tamen, quia de *nobiscum* cauſam e Cicerone petitam afferre ſolent, liceat mihi paucis ea repetere, quae contra hanc Ciceronis auctoritatem alibi (in *Gedanken von der deutſchen Schr. und Empfehl.*) dixi. Nempe veteres *nobiscum* pro *cum nobis* propterea, ut obſcoenitas vitaretur, dixiſſe auctor eſt Cic. ad Div. VIIII, ep. 22 et Orat. 45, quem ſequitur Quintilianus Inſtit. VIII, 3 dicens, *cum notis hominibus* obſcoene dici, rectiusque eſſe: *cum hominibus notis*. Horum duumvirorum auctoritatem recentiores ſecuti dicunt, in *cum nobis* ineſſe aliquid obſcoeni. At haec tota res eſt hiſtorica: cogitemus hic ſequentia:

1) Cicero

1) Cicero loquitur de *veteribus*, h. e. iis, qui ante ſua tempora vixere, idque forſan *diu ante;* imo, forſan, qui tempore *Numae*, *Bruti* etc., vixerunt: quis enim ſcit, *quo tempore* iſta *poſtpoſitio* initium ſumſerit? — At difficile eſt, de cauſa, quam majores noſtri in uſurpando vocabulo quodam vel immutando ſecuti ſint, judicare. Saepe ne de iis quidem, quae noſtra aetate vel tempore parentum inventa ſunt, tuto judicare licet. Hinc patet, ea, quae Cicero de cauſa, cur veteres *nobiscum* praeoptaverint, protulerit, eſſe meram *opinionem* vel potius *conjecturam* hominis ingenioſi. Quintilianum vero, Ciceronis admiratorem magnum, ipſius ſententiam repetiiſſe non mirum.

2) Si priſcis viſum eſt *obſcoene* dici *cum nobis:* cur dixere: *cum non*, *cum noſtris*, *cum nominis* etc.? in quibus omnibus eadem ineſt obſcoenitas. V. c. Sulpicius in Epp. Cic. ad Div. IIII, ep. 12 §. 5 ait: *cum non longe abeſſem a Piraeeo* etc. Caeſar B. G. V, 50 §. 4 *praeliumque cum noſtris equitibus committit.* Ovid. art. am. II, 637: *Quid tuti ſupereſt, cum nominis exſtat adulter?* Et ipſe Cicero Dom. 9 in. *cum nominibus.* Nec dubium, quin plura ſimilia occurrant, v. c. *cum noſſem; Marcum noſtrum* etc. *Cum nihil* etc. An, quaeſo, Romani in ſolo *cum nobis* caſti fuere vel eſſe voluere? Ac cur iidem caſti Romani dixerunt: *Caeſarianus*, *Pompejanus*, *Sullanus* etc.? ubi terminatio *anus obſcoeni* quid aperte continet; it. *Tuſculanum*, *Formianum* cet. it. cur *penitus?* ut taceam *penates*, *Capenates*, *Fidenates*, ubi terminatio obſcoena eſt; it. *Cyclades*, *natio* etc.

3) Cur, quaeſo, dixere non tantum *nobiscum*, ſed etiam *vobiscum*, *mecum*, *tecum*, *ſecum*, *quocum*, *quacum*, *quicum* (i. e. *quocum* cet.), *quibuscum?* ubi tamen nulla obſcoenitas.

Ex his apparere putaverim, cauſam illam obſcoenitatis a Cicerone, viro ingenioſiſſimo, effictam, et poſtea, ut a diſcipulis magiſtri exemplum ubique ſequentibus ſubinde fieri ſolet, a Quintiliano, nominis Ciceroniani cultore obſervantiſſimo, ob reverentiam eſſe repetitam. Cicero fuit magnus orator, non item magnus Grammaticus; id quod aliunde patet, et raro utrumque conjunctum eſſe ſolet. Oratores plerumque uſum loquendi, non originem ejus, inveſtigant. Nec quisquam de origine rei, ante ſuam aetatem dudum receptae, teſtis ſatis locuples eſſe poteſt. Dudum ante Ciceronis tempora Romani dixerant *mecum, tecum, nobiscum*, *vobiscum* etc., quae ratio dicendi haud dubie caſu, ut plures ejusmodi locutiones, invecta eſt. Qui cauſam quaerit, cauſam facile reperit. Cicero, cauſam illius rei

rei investigans, reperit vel potius reperisse sibi visus est, illam ab obscoenitate ductam; nisi forte fuit lusus quidam et mera argutatio Grammatici cujusdam tum viventis, quam Cicero serio pro sua sententia venditavit magisque exornavit. Nam quid mirabile, Romanos *cum* postposuisse *τῷ nobis*, cum a) non modo in latina lingua hoc pluribus praepositionibus acciderit, ut nominibus suis postponerentur, ut supra vidimus, v. c. *ad*, *propter*, *inter*, *circa*, *contra*, *ultra* cet., *de*, *tenus*, quo forsan et referri possit *procul dubio*, pro quo et dictum est *dubio procul:* sed etiam b) in aliis linguis, v. c. in Graeca *περὶ*, *μετὰ* etc., quae casibus suis saepe postponuntur, in primis in vernacula; v. c. nos dicimus *wegen deines Fleißes* et *deines Fleißes wegen*, *ohne Zweifel* et *Zweifels ohne*; it. *meinetwegen*, *deinetwegen*, ubi *wegen* ita postponitur, ut *cum τῷ nobis*. Quis hic causam, cur *wegen* postponatur, novit? Nonne, si philosophari vellemus, aliquam inveniremus? — Credibile ergo est, Romanos priscos initio et *cum nobis*, *cum vobis*, *cum me*, *cum se*, *cum te* et *nobiscum*, *vobiscum*, *mecum*, *secum*, *tecum* promiscue dixisse: postea, h. e. forsan dudum ante Ciceronis tempora, posteriorem rationem dicendi *temere* in usu mansisse. Cf. quae de *scio quod* et *scio* cum *accus.* et *infin.* supra monuimus.

VII) In *proverbiis*, *solennibus usuque receptis formulis* et *appellationibus*, ordo verborum non mutandus est; v. c. *equis viris*, *velis remis*, i. e. *omnibus copiis*, *opibus*, *viribus*, non: *viris equis*, *remis velis*; sic: *vi armatis hominibus*, non contra. Sic: *terra marique*: *cuneus cuneum trudit*, non: *cuneus trudit cuneum*. Sic: *manus manum lavat*. Sic: *Iupiter optimus maximus*, *fratres arvales*, *pontifex maximus*, *populus romanus*, *pater patratus*, *magister equitum* etc., non: *optimus maximus Iupiter*, *maximus pontifex*, *patratus pater* etc. — Referre huc, si velis, possis formulas: *spe citius*, *opinione celerius*, *justo longior*, *solito tristior*, quia aliquam vim proverbii habent: quamquam non opus est, quia, ut infra dicetur, ordo idearum hunc vocabulorum ordinem postulat: prius enim cogitatur *spe* quam *citius* etc.

VIII) *Ecce*, *o*, *vae* etc. suis casibus semper anteponuntur; v. c. *ecce me! o me miserum! vae mihi!* non: *me ecce* etc.

VIIII) Particula *non* verbo *possum* praeponenda: v. c. *facere non possum*, male: *possum non facere*. Sic eadem particula ei vocabulo, ad quod proprie pertinet, statim praeponenda, v. c. *Factum hoc est non consilio*, *sed casu*: rectius

est, quam: *Hoc non factum est consilio, sed casu*; saltem perspicuitati convenientius.

X) *Inquam*, *inquis*, *inquit*, *inquiebam* cet. post unum aliquotve verba, quae memorantur, poni solet, v. c. *Est vero*, *inquam*, *signum* cet. Cic. Catil. III, 5. *Alcibiades*, *quoniam*, *inquit*, *victoriae repugnas*, cet. Nep. Alcibid. 8. Sic: *pater*, *mox*, *inquit*, *veniam* pro *pater inquit: mox veniam*.

SECT. II

De ordine vocabulorum pendente ab ordine notionum.

Plerumque tamen vocabulorum ordo pendet a notionum ordine, h. e. vocabula digeri et collocari debent, prout ideae ac notiones illis exprimendae in mente oriuntur vel oriri solent ac debent. Pertinet igitur hoc ad perspicuitatem, quae, quo diligentius ordo cogitationum et idearum servatur, eo magis adjuvatur. Quae itaque prius cogitantur, h. e. prius in rerum natura sunt, ea priorem locum occupare debent, nisi forte vel *suavitas dicendi*, omnem asperitatem, obscoenitatem etc., quae e concursu nonnullarum syllabarum oriri possit etc., sedulo cavens, vel *gravitas dicendi*, quae interdum unius vocabuli, licet hujus notio ordine posterior esse debeat, prae alio maxime rationem haberi ac propterea prius poni vult, istum ordinem paululum immutent; de qua re infra in Capp. de *suavitate* et *gravitate* separatim agetur. Hic tantum maxime necessaria dicemus:

I) *Subjectum*, quod prius cogitatur, h. e. prius in rerum natura fuit, cogitarive debet *alio subjecto*, huic praeponendum. V. c. *Pater et filius ibant*, non: *filius et pater*. Sic: *Patres Conscripti* recte dictum est, si, quod vulgo creditur (vid. v. c. Liv. II, 1 extr.) dictum est pro: *Patres et Conscripti*, atque *illi* a regibus, *hi* a Bruto, originem habuere.

II) *Subjectum* prius cogitatur, quam *praedicatum*: ergo proprie praeponendum. V. c. *Deus nos innumeris beneficiis affecit:*

affecit: Deus est benignissimus, non: *nos Deus innumeris* etc.: *benignissimus est Deus.* — Duplex tamen est exceptio: 1) ob *perspicuitatem.* Si subjectum longa explicatione indiget, quae ab illo, salva perspicuitate, sejungi nequit: praedicato, si hoc breve est, postponitur, ut tali modo subjectum cum explicatione cohaereat. V. c. Cic. ad Div. III, ep. 1 §. 5 *Iucunda mihi ejus oratio fuit, cum de animo tuo, de sermonibus, quos de me haberes, quotidie mihi narraret.* Verba: *cum de animo — narraret*, sunt explicatio uberior vocabuli *oratio.* Non igitur decuisset dicere sic: *ejus oratio, cum de animo — narraret, fuit mihi jucunda*, vel sic: *ejus oratio fuit mihi jucunda, cum de animo — narraret.* Eadem ratione illa enuntiatio: *Deus est benignissimus*, inverti possit ac debeat, si dicas: v. c. *Benignissimus est Deus, cum nobis non modo vitam et mentem, qua singula perspiceremus, tribuerit, sed etiam voluptati nostrae consulat:* vel similiter. 2) ob *gravitatem:* h. e. si praedicatum tale est, ut in primis attendi ac sentiri debeat. V. c. Orator, de virtutibus Dei exponens, postquam aliquot explicavit, rectius ita pergit: *At benignissimus quoque est Deus*, quam: *At Deus est quoque benignissimus*, quia hic non tam ad Deum, quae notio jam nota est auditoribus, quam ad illius benignitatem attendi debet. In primis huc pertinent haec exempla: a) *Grave mihi vulnus inflixit mors parentis mei.* b) *Nemo miretur, me parentes tuos tantopere colere et amare: magna enim eorum in me inde a pueritia sunt merita.* In his quisque sentiet τὸ *grave* et τὸ *magna* praeponenda fuisse, quia notionem primariam, h. e. gravissimam et attentione dignissimam, continent. Sic Cic. semper fere, v. c. ad Div. V, ep. 11 in. *Grata tibi mea esse officia non miror.*

III) *Persona*, ad quam *praedicatum* refertur, h. e. cui v. c. *ignoscimus*, *suademus*, *irascimur* etc. it. cui aliquid *tribuimus*, *mittimus*, *promittimus* etc., prius cogitatur, quam ipsum praedicatum, h. e. prius in rerum natura fuit, quam τὸ *ignoscere*, *suadere*, *irasci*, *tribuere*, *mittere*, *promittere* etc.: hinc, nisi duae illae superiores exceptiones impediunt, praeponi illi debet. V. c. *Pater mihi ignovit*, non *ignovit mihi*; *frater mihi promisit, se tibi libros aliquot missurum*, non *frater promisit mihi, se missurum esse libros aliquot tibi.* — Idem accidit *rei*, si loco personae ponitur, v. c. *Pater tuis peccatis ignovit*, non *pater ignovit tuis peccatis.*

IIII) *Persona*, cui *rem* aliquam *tribuimus*, *pollicemur*, *mittimus* etc., prius cogitatur, quam ista res: ergo ei praeponitur. V. c. *Pater mihi librum aliquem misit*, non *pater librum mihi* etc. — Alia vero res est, si *liber* vel *τὸ mittere* ut primaria notio cogitatur, ad quam praecipue attendi velis; v. c. si de eo ante sermo fuit, si de eo dubitatum fuit etc., quod contextus definire debet.

V) *Causa*, propter quam res fit, fiet, factave est, prius cogitatur, quam *res:* ergo praeponitur rei, nisi causae graves aliud suadeant, quod in his omnibus seqq. tenendum. V. c. *ego te ob egregiam virtutem semper amavi*, non *ego te amavi ob egregiam* etc.; sic: *rogo te, ut pro amicitia nostra miseriae meae succurras*, non *ut miseriae meae pro* etc. Sic prisci fere semper. Cic. ad Div. II, ep. 14 extr. *Nam jamdiu propter hyemis magnitudinem nihil novi ad nos afferebatur:* hic recte *propter hyemis magnit.* ante ponitur, quam *nihil novi* etc. Verr. V, 42 *At eum tu ob virtutem corona aurea donaras:* recte; non: *corona aurea donaras ob virtutem;* ad Div. III, ep. 2 §. 3 *A te maximopere pro nostra summa conjunctione tuaque singulari humanitate etiam atque etiam quaeso* etc., et IIII, ep. 7 §. 11 *quorum* (amicorum) *est magna pro tuis maximis clarissimisque virtutibus multitudo.* Caesar B. G. II, 15 in. *Caesar honoris Divitiaci atque Aeduorum causa sese eos in fidem recepturum dixit.*

VI) *Res*, e quarum numero una *excipitur*, prius cogitantur, quam haec: ergo praeponuntur cum particula sua exceptiva *praeter:* v. c. *Ego praeter ceteras tuas virtutes humanitatem tuam in primis admiror*, non *ego humanitatem tuam praeter ceteras* etc. Sic Cic. ad Div. XI, ep. 27 §. 14 *nam praeter haec, quae commemoravi, — habeo multa occultiora* etc. — At postponitur *praeter* cum suo casu Cic. Tusc. I, 3 *Itaque suos libros ipsi legunt cum suis, nec quisquam attingit praeter eos, qui eandem licentiam scribendi sibi permitti volunt.* Sed non aliter poterat Cicero, quia *τὰ qui eandem — volunt* ad *praeter eos* pertinent, atque ita haec tam multa verba: *praeter eos — volunt*, non ante *attingit* poni poterant. — Huc pertinet quoque *nisi* absolute h. e. *sine verbo* positum, v. c. *dabo tibi, nisi omnia, tamen nonnulla: rogo te, ut mihi libros, nisi omnes, at aliquot tamen mittas.*

VII) *Tempus*, quo *res* aliqua fit, prius cogitatur, quam haec: ergo vocabula illud exprimentia praeponuntur. V. c. *nemo illo tempore me consolabatur*, rectius quam: *nemo me*

me consolabatur illo tempore; sic: *frater nuper ad me scripsit, venit*, rectius quam: *frater ad me scripsit, venit nuper.* In Sulpic. Ep. in Epp. Cic. ad Div. IIII, 12 est hic ordo aliquoties: §. 4 *circiter hora decima noctis Postumius ad me venit, et mihi nuntiavit, M. Marcellum collegam nostrum post coenae tempus — percussum esse, — postea se a Marcello ad me missum* etc. Hic *circiter hora dec.* ante verba: *ad me venit*, et *post coenae tempus* ante *percussum esse*, observes: it. *postea* ante *missum esse*. ib. §. 5 *in quibus erat scriptum, paulo ante lucem Marcellum diem suum obiisse*, recte: non *diem suum obiisse paulo ante* etc. — Huc pertinent formulae illae *spe citius, dicto celerius, solito tristior, justo longior.* Nulla alia causa afferri potest, cur prisci hoc ordine semper locuti sint, quam quia *spes, dictum, solitum, justum* prius cogitantur, quam *citius, celerius* etc. Nam, quando dico, hominem *spe citius, opinione celerius*, advenisse, nonne antea *sperabamus, opinabamur*, eum *cito* quidem, at non *tam cito*, adventurum esse? Sic: *solito tristior* est *tristior, quam olim homo solebat:* ergo hoc prius cogitatur; sic et *justo longior* est *longior, quam justum erat. Dicto celerius* est *celerius, quam dictum erat*; per hyperbolen dictum. — Huc pertinent quoque participia vim temporis prioris continentia, v. c. Caes. B. G. IIII, 24 *At barbari, consilio Romanorum cognito, praemisso equitatu, reliquis copiis subsecuti nostros navibus exire prohibebant.* En ordinem temporis: primum *cognoscunt* consilium Romanorum, deinde *praemittunt* equitatum, tum cum reliquis copiis *subsequuntur*, atque ita *prohibebant* etc. ib. c. 25 *tum nostri cohortati inter se — ex navi desiluerunt.* Cic. ad Div. XI, ep. 29 in. *Dubitanti mihi — de hoc toto consilio — magnum pondus accessit — consilium tuum.* Verr. I, 3 in. *Implorantes jura libertatis et civitatis in crucem sustulit.* Hic ordo alius esse non poterat. Male Cicero dixisset: *Consilium tuum accessit mihi dubitanti:* et *sustulit in crucem implorantes jura* etc. Nam *dubitare* prius cogitatur, quam *consilium tuum*, et prius *implorabant* illi jura etc., quam Verres eos *in crucem sustulit.*

VIII) *Locus*, in quo res aliqua fit, in quem res mittitur etc., prius cogitatur, quam res ista: ergo praeponendus. V. c. Cic. ad Div. III, ep. 3 §. 1 *Brundisium sum venissem*, non *venissem Brundis.* Ibid. *Censebant enim omnes fere, ut in Italia supplementum — legionibus scriberetur:* — Recte; non: *supplementum in Italia*, et §. 3 *Nunc quod a te petii literis iis, quas Romae tabellariis tuis dedi.* Recte: non *quas dedi tabellariis tuis Romae.* Hic notes, *Romam*

prius cogitari, quam *tabellarios*, quia illa dudum *erat*, antequam hi eo venissent; deinde *hos tabellarios* prius, quam τὸ *dedi:* tabellarii enim prius adsunt, quam aliquid iis literarum detur. — Si vero duplex locus occurrit, is praeponendus est, e quo in alterum proficiscor. Sic Sulpic. ad Cic. in Epp. Cic. ad Div. IIII, ep. 12 §. 2 *Cum ab Epidauro Piraeeum navi advectus essem*, et §. 3 *eo consilio, ut ab Athenis in Boeotiam irem.*

VIIII) *Modus*, quo praedicatum subjecto convenit, prius cogitatur, quam *praedicatum*; ergo huic praeponitur: hinc vides, adverbia verbis suis anteponi; v. c. *homo necessario moritur: ad me sponte venit: de hac re Cicero egregie scripsit: res male gesta est:* non *venit sponte*, *gesta est male.* Sulpic. in Epp. Cic. ad Div. IIII, ep. 5 §. 19 *Fac aliquando intelligamus* etc.

X) *Similitudo* prius cogitatur, quam id, quod cum ea comparatur vel per eam illustratur: hinc praeponitur, v. c. Caes. B. G. II, 17 *ut instar muri hae sepes munimenta praeberent; instar patris mihi fuisti*, non *mihi instar patris* etc: hinc particulae similitudinis τῷ *ita* vel *sic* anteponuntur. V. c. *Ego, ut olim dixi, ita nunc dicam*, non *ego ita dicam, ut* etc. Cic. Marc. 6 *nostri enim sensus, ut in pace, sic tum etiam in bello congruebant:* Phil. II, 43 *Est ergo flamen, ut Marti, ut Quirino, sic divo Iulio M. Antonius.* — Huc quoque referri potest, quod ablativus comparativo praeponitur, v. c. *tu es illo doctior;* it. illa superiora: *spe citius, opinione celerius, dicto citius, solito tristior, justo longior, tristior.*

XI) *Nomen proprium* prius cogitatur, quam *nomen muneris*, aliave ejus *appellatio*, *appositio* s. *explicatio:* hinc praeponitur, v. c. *Cicero consul; Marcellus collega*; non: *consul Cicero; collega Marcellus*, ut vernacule loquimur; sic: *Pompejus, vir clarissimus; Scipio, Imperator eximius;* sic: *Roma urbs, Corinthus urbs, Aetna mons, Rhenus flumen* etc., non: *urbs Roma, flumen Rhenus* etc. Tunc *urbs Romae, flumen Rheni*, dicendum foret. — At peccarunt interdum prisci, v. c. Cic. Offic. II, 7 *Cum uxorem Theben admodum diligeret.* Verr. II, 6 *Provincia Sicilia.* Orat. II, 69 *Siculus, cui praetor Scipio patronum causae dabat*, et c. 70 *Cum laesisset testis Silas Pisonem:* ubi debebat esse: *Theben uxorem, Sicilia provincia, Scipio praetor, Silas testis.*

XII) *Qui* praeponi debet ceteris vocabulis in eadem enuntiatione; v. c. *homo, qui Deum colit* etc., non *homo, Deum qui colit.* — Si tamen non habet praecedens vocabulum,

lum, ad quod refertur, ſed ad ſequens aliquod pertinet: recte poſt unum alterumque vocabulum rejicitur, ut ſequenti ſubjecto, ad quod pertinet, fiat propius. Cauſa ergo eſt *perſpicuitas.* V. c. *Deum qui colit, is felix eſt.*

XIII) *Qui*, ſi ab initio enuntiationis abſolutae pro *hic*, *is*, ponitur, ſemper primum ejus locum occupat: ſervit enim connexioni duarum enuntiationum abſolutarum (vulgo *periodorum*) atque ita perſpicuitati. V. c. *Virtus omnibus commendanda eſt. Quam qui colunt* etc., non *qui quam colunt.* Iſte ordo nunquam mutatur.

XIIII) *Vocativus*, licet forſan interdum parum referre videatur, quo loco ponatur, tamen 1) in prima enuntiatione (ſ. *periodo*, ut vulgo loquuntur) ſive epiſtolae ſive orationis poni, humanitatis eſt; idque, ſi fieri poſſit, non procul ab initio. 3) videndum, ut ei vocabulo, cui conveniat, h. e. ad quod proprie referatur, ſtatim addatur; v. c. *Credo ego vos, judices; Si tibi, frater, iſta contigiſſent* etc., ubi male dixeris: *Vos credo ego, judices; Si tibi iſta, frater*, etc. 3) videndum, ne ambiguitas oriatur, v. c. non dixerim: *melius pater rem geret, ſi, frater, ita illam inſtituet*; nec: *quicunque te laeſerit, is, frater, me quoque laedet*, pro *quicunque te, frater, laeſerit* etc. — In ſcribendo quidem commata aliquid adjuvant: an vero etiam in oratione recitanda? Ac perſpicuitas non debet ſolo commatum uſu niti.

XV) Omnia vocabula eo ordine omnino poni debent, ut ſtatim lector videat, quo quodque pertineat, h. e. *nil alieni immiſcendum eſt*; v. c. non dixerim: *magnum, ego librum cum abs te accepiſſem, fuit meum gaudium;* quia lector neſciret, utrum τὸ *magnum* ad *librum* an ad *gaudium* referri deberet; nec dixerim: *cum egregium mihi nuper miſiſſes valde librum gaviſus ſum*, pro *cum — librum miſiſſes, valde gaviſus ſum.* Vocatur iſtud vitium *hyperbaton*, ac, ſi durius eſt, *ſynchyſis.* Peccarunt hic interdum ipſi priſci, in primis Horatius et Terentius, ut eo major attentio ſit adhibenda, ne tiro reverentia erga priſcos ductus horum vitia imitetur. V. c. Horat. I od. I, 6 *terrarum dominos evehit ad deos*, ubi alii interpretes verba *terrarum dominos* ad *Deos* referunt, alii *Romanos* intelligunt. Si Horatius dixiſſet vel dicere potuiſſet: *ad Deos terrarum dominos evehit*, quisque facilius intellexiſſet, ad *Deos* pertinere. Id. Sat. I, 5, 72 *ubi ſedulus hoſpes Paene macros arſit dum turdos verſat in igne*, pro *ubi ſedulus hoſpes paene arſit, dum turdos macros* etc. vel pro: *ubi ſedulus hoſpes Paene arſit, macros dum turdos* cet., ut

Lambinus ex uno cod. legit, idque non male. Ovid. Met. I, 222 *Mox ait: experiar, Deus hic, discrimine aperto, an sit mortalis*, pro *Mox ait: discrimine* (i. e. *specimine*) *aperto experiar*, (utrum) *hic sit Deus an mortalis*. Terent. Andr. II, 3, 2 *Si id succenseat, quia non dat tibi uxorem Chremes, ipsus sibi esse injurius videatur; priusquam tuum, ut sese habeat, animum ad nuptias perspexerit*, ubi ordo hic esse debebat: *Si ob id, quia Chrem. non tibi ux. dat, nunc succenseat pater, priusquam tuum animum, ut* scilicet *se habeat ad nuptias, perspexerit, ipsus sibi esse injurius videatur*. Livius XXVIII, 30 extr. *Cum inter triremes — proelium misceretur, quinqueremis romana — duas triremes suppressit, unius praelata impetu lateris alterius remos detersit* (fregit). Ordo hic est: — *detersit remos alterius lateris unius* scil. triremis Punicae; *praelata impetu* est *praetervecta cum impetu* s. *vehementer*: pro *unius* magis perspicue dixisset: *in una*. Cicero ubique ordine verborum studuit perspicuitati eorum consulere, v. c. Philipp. II, 4 *Si ostenderis, quomodo sis eos inter sicarios defensurus*. Hic si dixisset: *inter sicarios eos* etc., ambigue dixisset, quia τὸ *eos* ab imprudente lectore ad *sicarios* referri potuisset.

XVI) Inter *adjectivum* et ejus *substantivum* nonnulla vocabula arcte cum iis cohaerentia libenter interseri solent: adjuvatur ita perspicuitas, quia lector statim videat necesse est, vocabulum interpositum non nisi ad illud substantivum referri debere.

1) *Genitivus*, v. c. *magnus patris amor*. Rectius ergo, h. e. magis perspicue, dixeris: *magnus patris amor felicitatem filii adjuvit*, quam: *magnus amor patris felicitatem adjuvit filii*, quia lector illic statim scit, quo *patris* pertineat, hic non antea, quam totam enuntiationem legit; sed initio dubius est, an *patris* ad *felicitatem* referendum sit. Sic: *magna hominis felicitas securitate constat*, rectius, quam: *magna felicitas hominis* etc., quia sic poterat *hominis* etiam ad *securitate* referri: sic *mea solius opera, tua unius culpa* etc., rectius, quam: *mea opera solius, tua opera unius*.

2) Praepositiones *erga, in, adversus*; v. c. *tuus erga me amor, meus in te amor*: sic statim scio, quo v. c. *in te* pertineat, scil. ad τὰ *meus amor*; quod non fit, si postponitur, v. c. *meus amor in literas patris in primis exemplo auctus est*. Hic *patris* poterat ad *literas* referri, nisi sequentia demum ostenderent, ab *exemplo* pendere. Quanto facilius: *meus in literas amor patris exemplo* etc.!

XVII)

XVII) Pronomen *qui quae quod* vocabulo ei, ad quod refertur f. cum quo arcte cohaeret et cujus explicatio est, vel statim vel certe non multis vocabulis interjectis subjici debet. Rectius ergo est: *omnes mihi comparavi libros, qui mihi utiles esse possent*, quam: *omnes libros mihi comparavi, qui* etc., quia illa ratione *qui* propius vocabulo *libros* redditur, quam hac. Sic: *non profecto ego sum is, qui facile glorier*, vel saltem: *non profecto ego is sum, qui facile glorier*, rectius dicitur ob arctiorem conjunctionem τῦ *qui* cum suo *is*, quam: *non is ego profecto sum, qui* etc. Sic dicere malim: *non laudare possum eos, qui* etc., vel: *non laudare eos possum, qui* etc., quam: *eos non laudare possum, qui* etc.; nisi forte in τῷ *eos* oppositio lateat, atque ita gravitas insit: v. c. *ut illos, de quibus dixi, laudavi, ita eos contra laudare nullo modo possum, qui* etc., praesertim si enuntiatio *qui* etc. paulo longior sit. Tum sane licet.

XVIII) Vocabula, quorum notiones sibi contrariae sunt, debent, si sibi opponuntur, arctius secum conjungi, ut ista oppositio eo citius et clarius elucescat, v. c. rectius dicitur: *ejus otium negotiosum semper fuit*, quam: *otium ejus semper fuit negotiosum*. Sic: *appetis pecuniam, virtutem abjicis*, vel *pecuniam appetis, abjicis virtutem*, rectius dicitur, quam: *appetis pecuniam, abjicis virtutem*, vel *pecuniam appetis, virtutem abjicis*. Sic: *in provinciam profectus es pauper, dives Romam rediisti*, rectius dicitur, quam: *in provinciam pauper profectus es, rediisti dives Romam*. Poterat et dici: *in provinciam pauper es profectus, rediisti* etc. Huc pertinet dictum illud Carbonis a Cicerone Orat. 63 memoratum: *patris dictum* sapiens temeritas *filii comprobavit*. Ac forsan illa populi exclamatio, quam Cicero l. c. ob ditrochaeum *comprobavit* factam esse credit, potius propter istam arctam conjunctionem vocabulorum contrariorum *sapiens* et *temeritas* accidit. Saltem hoc verisimilius videtur. Ceterum istam rem ad gravitatem dicendi pertinere per se patet.

XVIIII) Si duorum vocabulorum arcte cohaerentium, ac propterea arcte conjungendorum (v. c. subst. et adject.), unum est monosyllabum, hoc perspicuitatis causa polysyllabo praeponendum est: alioquin enim illud monosyllabum non audiretur: pertinet igitur hoc ad dicendum tantum, non ad scribendum. Nam in pronuntiando solemus, ubi sententia postulat vel patitur, subinde interquiescere, atque simul vocem remittere. At vox remissa vix auditur, praesertim ab auditoribus procul stantibus. Hinc ultima

ſyllaba dictorum *perire*, h. e. vel plane non vel a paucis ſaltem propius ſtantibus vix audiri, ſolet. Iam, ſi monoſyllabum ultimo poneretur loco tum, cum interquieſceremus, ſive in media ſive in extrema enuntiatione abſoluta, quam vulgo *periodum* nominant, nonne id plane periret? Contra, ſi e polyſyllabis una ſyllaba perit, non magna eſt jactura, quia e ceteris ſyllabis conjici tamen facile poteſt totum vocabulum, v. c. quando dicimus: *vir clariſſimus*, *ars pulcherrima*, auditorque tantum intelligit *vir clariſſim'*, *ars pulcherrim'*, tamen ſcit, nos *clariſſimus* et *pulcherrima* voluiſſe dicere. Hinc mos monoſyllabum praeponendi polyſyllabo exſtitiſſe et invaluiſſe videtur. Hinc ubique deinde dixerunt: *vir clariſſimus*, *ars pulcherrima*, *hic imperator*, *haec femina*, non: *clariſſimus vir*, *imperator hic* etc. Sic: *mi frater*, *me miſerum!* non! *frater mi*, *miſerum me!* Item in aliis, v. c. *non poſſum*, *non credo*, *vix credo*, *vae vobis*, *o beatum! me amat* etc., non: *credo vix*, *amat me* etc. Sed huc pertinere quoque videtur *urbs Roma:* ſic enim proprie ex hac regula dicendum foret; ſed, cur ex alia regula dicatur *Roma urbs*, ſupra (XI) dixi.

Hinc patet 1) ordinem verborum non temere invectum, nec ob fictam quandam euphoniam; ſed maxime ob perſpicuitatem, 2) interdum tamen hunc ordinem proprium et naturalem a Romanis mutatum eſſe ob *gravitatem*. 3) interdum vero etiam hoc factum eſt ob ſuavitatem quandam, de qua infra: hinc patet 4) cur Romani in fine periodi non vocabulum monoſyllabum poſuerint, ſaltem non in re gravi, vel tale, ad quod attendi, quod ſentiri, volebant. Ceterum, Romanos interdum, praeſertim in re leviori, per negligentiam hic peccaſſe et ordinem iſtum temere mutaſſe, non incredibile eſt. Cui non interdum aliquid vitii excidat? Cui non ſomnus obrepat? Dormitavit ipſe Homerus. At vitia obſervanda, non imitanda, ſunt.

CAP.

CAP. IIII

De recto ordine enuntiationum.

R*ectus enuntiationum* (*Sätze*) *ordo* eo magis notandus est, quo saepius illum vernacula, nondum satis exculta, negligit, atque ita tironem, latine scribere tentantem, decipit. Pendet autem iste ordo enuntiationum aeque ac supra explicatus ordo vocabulorum ab ordine notionum et idearum. Quaecunque igitur enuntiationes prius cogitantur, eae aliis praeponuntur. Hinc rectus enuntiationum ordo perspicuitati orationis et stili egregie prodest: quae est prima utilitas. Altera est, quod simul periodis struendis servit, quae est non minima pars stili bene latini. Tertia est *suavitas* quaedam orationis: quarta *gravitas*, quae isto ordine saepe adjuvatur.

SECT. I

De praeponendis singulis enuntiationibus.

Cum, ut supra dictum est, *causa* propter quam, *locus* quo, *tempus* quando, res fiat vel facta sit etc., prius cogitentur quam res ipsa: sequitur, enuntiationem eam, quae *causam*, *tempus*, *locum* exprimat, ei, quae rem ipsam contineat, natura sua praeponendam: pertinent huc ob eandem causam *concessivae*, *exceptivae*, *definientes* etc.

Praeponi itaque solent ac debent:

1) *Enuntiationes causales*, incipientes per *quia*, *quoniam*, *cum*, *quod*, interdum *cur:* v. c. *quia me innumeris beneficiis affecisti*, *propterea te per omnem vitam amabo*, vel periodice: *te*, *quia me innum. benefic. affecisti*, *propterea per omnem* etc., rectius per se dicitur, quam: *per omnem vitam te amabo*, *quia me innum.* etc. Nam *τὸ beneficiis affecisse* prius cogitatur, quam *τὸ per omnem vitam amare.* — Sic pro: *non poteram tibi scribere*, *quoniam*, *ubi esses*, *nesciebam*, rectius dicitur: *quoniam*, *ubi esses*, *nesciebam*, *non poteram tibi scribere*, vel periodice: *ego*, *quoniam*, *ubi esses*, etc., vel saltem: *scribere tibi*, *quoniam*, *ubi*

ubi esses, nesciebam, non poteram. Nam *τὸ nescire*, ubi aliquis sit, prius cogitatur, quam *τὸ posse scribere ad eum.* Sic rectius: *cur fleas, nulla causa est*, quam: *nulla causa est, cur fleas.* Sic prisci, in primis Cicero, v. c. ad Div. III, ep. 5 §. 2 *Scribis enim — etsi tibi jucunda fuerint, tamen, quoniam ex alto repetita sint, non necessaria te putasse.* Hic *quoniam ex* etc. est causa *τῦ non necess.* etc. Agr. II, 5 *etenim arbitrabar, quoniam eodem anno gerendi nobis essent magistratus, esse aliquam oportere inter nos reip. administrandae societatem.* — Huc pertinet formula: *nihil est, quod.* Cic. ad Div. VIIII, ep. 16 §. 19 *Tu autem quod mihi bonam copiam ejures, nihil est;* add. Offic. III, 31 *Cui cum esset nuntiatum, quod illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur, surrexit e lectulo.* — De *cum* nihil est frequentius, v. c. Cic. Rosc. Am. 25 *qui cum intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parric. singulare excogitaverunt* Exceptio infra sequetur.

II) *Enuntiationes conditionales*, quarum duces sunt *si, nisi, siquidem* etc.; v. c. pro: *rogo te, ut librum mihi mittas, si habeas*, rectius dicitur: *rogo te, ut, si librum habeas, eum mihi mittas*, vel periodice ac brevius: *ut librum, si habeas, mihi mittas:* nam librum antea debes habere, quam mittere possis. Sic: *si permiseris, ad te veniam*, est haud dubie rectius, quam: *ad te veniam, si permiseris:* nam *τὸ permittere* prius cogitatur, quam *τὸ veniam.* Sic Cicero ubique fere, v. c. Rosc. Am. 24 *Haec magnitudo maleficii facit, ut, nisi paene manifestum parricidium proferatur, credibile non sit.* Offic. II, 7 *Multorum odiis nullas opes posse resistere, si antea fuit ignotum, nuper est cognitum.* Rosc. Am. 1 *ego si quid liberius dixero, vel occultum esse — vel ignosci adolescentiae meae poterit.* Et sic millies. Exceptiones vid. infra.

III) *Enuntiationes locum indicantes*, quarum duces sunt *ubi, quo in loco, quo, quem in locum, quorsum, unde* etc. V. c. *ubi sis, nescio*, rectius, quam: *nescio, ubi sis:* nam *tuum esse* prius cogitatur, quam *meum scire.* Sic: *ubi factum sit, scio, non scio, ubi factum sit.* Sic: *unde venturi sint, scire cupimus; quem in locum res deducta sit, manifestum est*, rectius dicitur, quam: *scire cupimus, unde venturi sint; manifestum est, quem in locum* etc. Cic. Phil. II, 25 *quo se verteret, non habebat*; ad Div. VI, ep. 4 §. 9 *tempus est hujusmodi, ut, — et, ubi quisque sit, ibi esse minime velit;* ad Div. IIII, ep. 7 §. 8 *cogitare deberes, ubicunque esses, te fore in ejus ipsius, quem fugeres, potestate.* Sic millies. Exceptiones vid. infra.

IIII)

IIII) *Enuntiationes tempus significantes*, quarum duces sunt *cum da*, *cum wann*, *dum*, *postquam*, *ubi* etc. v. c. pro: *librum tibi dabo, cum primum accepero*, rectius dicitur: *cum primum librum accepero, eum tibi dabo*, vel brevius periodice: *librum, cum primum accep., tibi dabo.* Sic: *posteaquam mihi renuntiatum est de obitu filiae tuae, — graviter molesteque tuli*, rectius dixit Sulpic. in Epp. Cic. ad Div. IIII, ep. 5 in., quam: *graviter molesteque tuli, posteaquam* etc. Cic. ad Div. XII, ep. 17 §. 3 *me scito, dum tu absis, quasi — licentiam nactum* (me) *scribere audacius.* Manil. 9 *Quae dum nostri colligunt omnia diligentius, rex e manibus effugit.* Sic rectius, quam: *rex e manibus effugit, dum nostri ea* etc. Nam *colligere* prius cogitatur. Verr. IIII, 20 *Nam — posteaquam Cordius pro testimonio dixit, te sibi reddidisse, finem reddendi fecisti.* Verr. II, 23 *quod ubi auditum est, aestuare illi, qui dederant* etc. Verr. I, 26 *Haec ubi filio nuntiata sunt, statim — ad aedes contendit.* Rosc. Am. 21 *Credo, cum vidisset, qui homines in hisce subselliis sederent, quaesisse, num ille aut ille defensurus esset.* — Sic et *antequam* praeponitur. Cic. Or. I, 31 extr. *Etiam illa cognoram et acceperam, antequam de re diceremus, initio conciliandos esse eorum animos, qui audirent.* — Sic *quando*, *cum wann*. Liv. XXXVIII, 11 *qui non comparebunt, quando quisque eorum primum inventus fuerit, reddatur.* Cic. ad Div. XVI, ep. 12 extr. *et, si valebis, cum recte navigari poterit, tum naviges*, i. e. *so schiffe alsdann, wann man sicher wird* etc. — Sic *quoad* i. e. *quamdiu*. Cic. Coel. 4 in. *nam, quoad aetas M. Coelii potuit isti suspicioni locum dare, fuit primum — munita.* Phil. X, 4 *nam, quoad vos omnia pati vidit, usus est ipse incredibili patientia.* — Huc pertinent *participia* supra memorata, in quibus notio temporis inest, v. c. Caes. B. G. IIII, 24 *At barbari, consilio Romanorum cognito, praemisso equitatu, reliquis copiis subsecuti nostros navibus exire prohibebant.* Participia enim ad enuntiationes referri possunt, licet supra inter verba singula retulerim, ubi vid.: et sic millies. Exceptiones tamen, si quae sunt, infra tradentur.

V) *Enuntiationes concessivae*, incipientes per *etsi*, *etiamsi*, *quamquam*, *licet*, *ut gesetzt daß* etc.; v. c. pro: *nolebam istud agere, quamquam poteram*, rectius: *quamquam poteram, tamen nolebam istud agere*, vel: *quamquam istud agere poteram, tamen nolebam.* Cic. ad Div. VII, ep. 19 §. 4 *qui quamquam plurimi sunt, doctorem tamen usumque desiderant.* Offic. II, 7 *qui, ut scriptum legimus, cum uxorem Theben admodum diligeret; tamen ad eam in cubiculum veniens barbarum*

barum — jubebat anteire. Rosc. Am. 11 *quoniam quidem semel suscepi, licet hercules undique omnes in me terrores periculaque impendeant, succurram atque subibo.* Verr. Act. I, 18 extr. *ita vobis planum faciemus, ut statuatis, etiamsi spatium ad dicendum — habuissemus, tamen oratione longa nihil opus fuisse.* Manil. 23 in. *Quare, etiamsi quem habetis, qui collatis signis exercitus regios superare posse videatur, tamen, nisi erit idem, qui — possit, non erit idoneus, qui* etc. Offic. II, 7 *quamvis enim demersae sint leges —, emergunt tamen.* Phil. XII, 3 *qui si pacis, id est timoris nostri, nomen audiverit, ut* (*gesetzt daß*) *non referat pedem, insistet certe.* Sic millies. Exceptiones infra memorabuntur.

VI) *Enuntiationes interrogativae*, at non diserte interrogantes, sed objectum vel modum rei plerumque indicantes, quarum duces sunt *quis, quid, an, utrum, cur, quomodo, quemadmodum* etc.; v. c. pro: *nescio, quis sit*, rectius dicitur: *quis sit, nescio.* Sic rectius dicitur: *quomodo se res habeat, nescio; quid istic gereretur, non scripsisti; an pater venturus esset, nesciebam*, quam: *nescio, quomodo se res* etc.; *non scripsisti, quid istic* etc.; *nesciebam, an pater* etc. Sic prisci, in primis Cicero, millies, v. c. Rosc. Am. 26 *utrum, quid agatur, non vides?* Phil. II, 39 *quemadmodum illinc abieris, vel potius paene non abieris, scimus*: ad Div. V, 20 §. 5 *quid rectum sit, apparet; quid expediat, obscurum est.* Rosc. Am. 43 *de quo, judices, neque quomodo dicam, neque quomodo taceam, reperire possum.* Tusc. II, 3 *Cur legendi sint, — non intelligo.* Tusc. II, 22 in. *sed — qualis futurus sit, si modo aliquando fuerit, exponitur.* Verr. II, 13 extr. *Quantam potestatem habuerit, videtis; quas res gesserit, cognoscite.* Exceptiones infra dabuntur.

VII) *Enuntiationes similitudinem continentes et incipientes* per *velut, quasi ut, tanquam*; v. c. *Ego, tanquam non audissem, silui*, rectius dicitur, quam: *silui, tanquam* etc. Sic: *is, quemadmodum poetae agere solent, multa intexuit*, pro *is multa intexuit, quemadmodum* etc. Cic. Verr. IIII, 34 *Hanc* (scil. Dianam ex aere factam) *cum — vidisset, quasi illa ipse face percussus esset, ita flagrare cupiditate atque amentia coepit.* Cf. quae de relatione particularum *ut, ita* etc., n. VIII dicentur.

VIII) *Enuntiationes relativae*, incipientes per *qui, qualis, quantus, quot, quoties, quam, quantopere, ut* (*wie*), *ubi* etc. praeponuntur enuntiationibus illis respondentibus ac

se

se incipientibus per *is*, *talis*, *tantus*, *tot*, *toties*, *tam*, *tantopere*, *ita*, *ibi*, v. c.

1) *qui* seq. *is*. Non dicendum est: *felix is est*, *qui deum amat*, sed: *qui deum amat*, *is felix est:* nam *amare deum* prius cogitatur, quam *felicem esse: amor enim dei* est caussa *felicitatis*. Sic rectius dicitur: *Qui virtuti student*, *eos deus amat*, quam: *deus eos amat*, *qui* etc. — Hinc *quo* seq. comparat. semper *τῷ eo* praeponendum; v. c. *quo doctiores sumus*, *eo modestiores esse debemus*, non: *eo modestiores debemus esse*, *quo doctiores sumus*, licet nostri dicant: *wir müssen desto bescheidner seyn*, *je gelehrter wir sind*. Sic Cicero millies, v. c. Offic. II, 7 *etenim*, *qui se metui volent*, *a quibus metuentur*, *eosdem metuant ipsi necesse est*. Offic. I, 8 in. *In quibus autem major est animus*, *in iis pecuniae cupiditas spectat ad opes*. Verr. III, 18 *Non mehercule criminis augendi caussa dicam*, *judices*, *sed*, *quem accepi ipse oculis animoque sensum*, *hunc* (pro: *eum*) *vere apud vos* — *exponam;* ad Div. VI, 20 §. 4 *Quod enim eo labore assequi vis*, *nullo modo assequere*. NB. hic deest *id*, *hoc*. Ad Div. VIIII, 22 §. 6 *Ego enim*, *quae provideri poterunt*, *non fallar in iis*. Est periodice simul dictum. — In primis huc pertinet *quicunque*, i. e. *omnis qui: quidquid* et *quodcunque*, h. e. *omne quod:* v. c. pro: *faciam omne id*, *quod volueris*, rectius dicitur: *quidquid* (*quaecunque*) *volueris*, *id* s. *hoc* (*ea*, *haec*) *faciam*. Cic. sic millies, v. c. Rosc. Am. 33 — *et quidquid tu contra dixeris*, *id cum defensione nostra contendito*. Ad Div. X, ep. 5 §. 8 *His temporibus difficillimis reipublicae quidquid subveneris*, *id erit totum et proprium tuum:* ad Div. VI, ep. 19 §. 5 *Mihi quidem persuadeo*, *me*, *quidquid habuerim judicii de dicendo*, *in illum librum contulisse*, omisso *id*, ut saepe. Coel. 2 in. *hi sic habeant*, *quaecunque in equite romano dignitas esse possit*, *eam semper in M. Coelio habitam esse summam*.

2) *qualis*, *talis*. V. c. pro: *hic est talis*, *qualis ejus pater fuit*, rectius dicitur: *qualis pater fuit*, *talis hic est*. Sic pro: *filii solent esse tales*, *quales parentes sunt*, rectius dicitur: *quales sunt parentes*, *tales esse solent filii*. Sic Cicero millies, v. c. Rosc. Am. 4 *Te* —, *Fanni*, *quaeso*, *ut*, *qualem te jam antea* — *praebuisti*, *talem te* —, *hoc tempore impertias*. Offic. II, 12 — *si quis id ageret*, *ut*, *qualis haberi vellet*, *talis esset*. — Sic *qualiscunque:* v. c. Cic. Leg. III, 14 in. *Nam licet videre*, — *qualescunque summi civitatis viri fuerint*, *talem civitatem fuisse*.

3) *quan-*

3) *quantus*, *tantus*, v. c. pro: *tantas res Caesar gessit, quantas nemo antea gesserat*, rectius dicitur: *quantas res antea nemo gesserat, tantas Caesar gessit.* Cic. ad Div. XVI, ep. 4 extr. *quantam diligentiam in valetudinem tuam contuleris, tanti me fieri judicabo:* et ep. 6 §. 1 *quantum me diligis, tantum adhibe in te diligentiae.*

4) *quot*, *tot*, v. c. pro: *tu tot libros legisti, quot ego vix vidi*, rectius dixeris: *quot ego libros vix vidi, tot tu legisti.* Cic. Or. 21 *Quot officia oratoris, tot sunt genera dicendi.*

5) *quoties*, *toties*, v. c. pro: *toties ego Berolini fui, quoties tu Lipsiae fuisti*, rectius dicitur: *quoties tu Lipsiae fuisti, toties ego Berolini fui.* Sic rectius est: *quoties plantas contemplor, toties admiror divinam sapientiam:* pro: *admiror toties divinam sap., quoties* etc. Vernacula etiam omisso *toties* ita loquitur: *ich bewundere die göttliche Weisheit, so oft ich* etc., et tamen dicendum: *quoties — toties*, vel saltem *quoties* praeponendum omisso *toties.* Cic. Marc. 6 *de nobis quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis cogitabis.* — Sic *quotiescunque* vel sequente τῷ *toties* vel etiam *omisso* interdum: v. c. Cic. Or. II, 32 *Nam, si Mancini caussam in uno Mancino ponimus, quotiescunque receptus non erit, toties causa nova nascetur.* Nep. Hann. 1 *Quotiescunque cum eo congressus est, semper discessit superior.*

6) *quam*, *tam*, v. c. pro: *qui deum amat, tam felix est, quam is est infelix, qui deum odit*, rectius dicitur: *quam infelix est, qui deum odit, tam felix est, qui eum amat.* Cic. Act. I in Verr. 2 *quodsi, quam audax est ad conandum, tam esset obscurus in agendo* etc., periodice. — Sic *quamdiu, tamdiu.* Cic. Or. II, 23 in. *quorum quamdiu mansit imitatio, tamdiu genus illud dicendi studiumque vixit.*

7) *quantopere, tantopere*, v. c. pro: *amo te tantopere, quantopere filii parentes amant*, rectius dicitur: *quantopere filii parentes amant, tantopere ego te amo.*

8) *ut* s. *quemadmodum*, *sicut*, seq. *ita* s. *sic.* V. c. pro: *amo te ita, ut parentes filios amant*, rectius dicitur: *ut parentes filios amant, ita ego te amo.* Sic pro: *curae nostrae adventante amico saepe ita diffugiunt, ut* s. *quemadmodum tenebrae noctis solis adventu diffugere solent*, rectius dixeris: *quemadmodum* s. *ut solis adventu* etc. *ita* s. *sic adventante amico curae* etc. Cic. Act. I in Verr. 2 *Nam, ut apertus in corripiendis pecuniis fuit, sic in spe corrumpendi judicii perspicua sua consilia conatusque omnibus fecit.* Ad Div. II, ep. 10

§. 3

§. 3 *Ut optasti, ita est;* et V, ep. 21 §. 13 *Sed, ut illa secunda moderate tulimus, sic hanc — adversam — fortunam fortiter ferre debemus.* — Hinc illa formula: *ut quisque* seq. *ita* semper hunc ordinem servare debet, v. c. *ut quisque est doctissimus, ita solet esse modestissimus*, i. e. *quo quis est doctior, eo modestior esse solet.* Causa est, quia id, quocum rem comparamus, prius cogitamus, quam hanc. At aliter est in formula jurandi *ita, ut*: hic ordo solet manere, quia est formula solennis et proverbialis.

9) *ubi, ibi*, v. c. pro: *cupio ibi esse, ubi te esse scio*, rectius dicitur: *ubi te scio esse, ibi esse cupio.* Cic. ad Div. VI, ep. 4 §. 9 *tempus est hujusmodi, ut suam quisque conditionem miserrimam putet, et, ubi quisque sit, ibi esse minime velit.*

Sufficiat hoc specimen enuntiationum praeponendarum. Quas ut manifestum est natura sua priorem ordinem obtinere, quia notiones natura priores continent, ita nemo est, quin intelligat, hunc naturalem enuntiationum ordinem naturali notionum ordine nitentem perspicuitati orationis magnopere consulere. Nihil enim tam perspicuum est, quam verus ordo cogitationum. Plures adhuc enuntiationes esse forsan possunt, quae ut praeponantur dignae videantur: quas investigandas bonae latinitatis studiosis relinquo, ipsos simul monens, ut, quotiescunque duas enuntiationes jungere cogitent, antea, utra prius cogitetur, considerent, ac v. c. enuntiationes rem explicantes definientesque arcte cum re conjungant, v. c. non dicant: *Miror, Brutum potuisse inter Caesaris interfectores esse, qui tamen ab eo tot beneficiis affectus erat*, sed potius: *miror, Brutum, qui a Caesare tot beneficiis affectus esset, tamen inter hujus interfectores esse potuisse.* Nam in illo verba: *qui tamen* etc., ad Caesarem pertinere videntur, in hoc aperte ad Brutum referuntur. Sic non dicendum: *Homo est mortalis, quoad corpore est instructus, sed immortalis, quoad cogitat*, sed: *Homo, quoad corpore instructus est, mortalis, quoad cogitat, immortalis, est*, vel

ſimiliter. Ceterum exceptiones, ſi quae ſunt, infra ſect. 3 tradentur.

SECT. II

Quando plures ejusmodi enuntiationes praeponendae concurrant, quaenam praeponenda?

Eadem eſt ratio, quando ejusmodi enuntiationes duae pluresve concurrunt. Hic itidem ordo notionum ſequendus eſt, h. e. illae ita ponendae ſunt, prout quaeque vel prius vel ſerius cogitatur. Interdum igitur cauſalis conditionalem, interdum conditionalis cauſalem, temporalis cauſalem vel conceſſivam etc. ſequi debet. Quod ut planius fiat, aliquot e Cicerone et Livio ſubjiciam exempla:

I) *Cauſalem* ſequitur *temporalis*. Cic. ad Div. XVI, ep. 11 §. 7 *Lentulus conſul, quo majus ſuum beneficium faceret, ſimulatque expediſſet, quae eſſent neceſſaria de republica, dixit, ſe relaturum*, h. e. *voluit referre*, cur? *ut majus benef. redderet;* quando? *ſimulatque exped.*

II) *Cauſalem* ſequitur *conceſſiva*. Roſc. Am. 20 — *et*, quia *id eſt ſuſpicioſum*, tametſi *beſtiae ſunt*, *tamen in eam partem potius peccant*, *quae eſt cautior*, h. e. quia id ſuſpicioſum eſt, aliquem ſcil. noctu in Capitolium venire, latrant, atque ita peccant in partem cautiorem potius.

III) *Temporalem* ſequitur *conceſſiva* et *hanc cauſalis*. Cic. ad Div. III, ep. 10 in. Cum *eſt ad nos allatum de temeritate eorum*, *qui tibi negotium faceſſerent*, etſi *graviter primo nuntio commotus ſum*, quod *nihil tam praeter opinionem meam accidere potuit: tamen — cetera mihi facillima videbantur* etc. Mutes *τὸ etſi* in *quidem*, ſic omnia facilia: cum eſt ad nos allatum *de* etc., *equidem* graviter commotus ſum, *quod* nihil etc., *Als ich Nachricht erhalten* etc., *ſo bin ich zwar anfangs darüber erſchrocken* ſ. *ſo habe mich betrübt*, *weil nichts ſo wider Erwarten hätte geſchehen können: allein* etc.

IIII) *Conditionalem* ſequitur *temporalis*. Ad Div. III, ep. 5 §. 11 *ſed*, ſi *quid nunc me fallit in ſcribendo*, ſimulac *progredi coepero*, — *faciam, ut tibi nota ſit omnis ratio dierum.*

V) Duae *temporales* junguntur. Verr. IIII, 20 *Nam*, cum *te compluribus confirmaſſes redditurum*, poſteaquam *Cordius*

pro

pro testimonio dixit, te sibi reddidisse, finem reddendi fecisti, Denn, da du — versichert hattest —, so hast du aufgehört —, nachdem Cordius als Zeuge ausgesagt hat, daß du etc.

VI) Duae *temporales* praecedunt, quas *causalis* et *concessiva* et iterum *causalis* sequitur. Verr. I, 6 *Romam* ut *ex Sicilia redii*, cum *iste atque istius amici, homines lauti et urbani, sermones hujuscemodi dissipassent*, quo *animos testium retardarent, me magna pecunia a vera accusatione esse deductum*, tametsi *probabatur nemini*, quod *et ex Sicilia testes erant ii, qui quaestorem me in provincia cognoverant, et hinc homines maxime illustres, qui, ut ipsi noti sunt, sic nostrum unumquemque norunt: tamen usque eo timui, ne quis de mea fide atque integritate dubitaret, donec ad rejiciendos judices venimus.* Sic ordo idearum postulabat.

VII) *Tres temporales* praecedunt sequente *concessiva.* Liv. I, 16 *Romana pubes, sedato* tandem *pavore*, postquam *ex tam turbido die serena et tranquilla lux effulsit*, ubi *vacuam sedem regiam vidit*, etsi *satis credebat patribus, qui proximi steterant, sublimem raptum procella: tamen, velut orbitatis metu icta, moestum aliquamdiu silentium obtinuit.* Ordo idearum ita flagitabat. Locus tironibus paulo difficilior est, qui fit facilior, si in explicando *quidem* pro *etsi* ponitur atque ita dissolvitur: postquam post sedatum pavorem ex tam — serena — lux effulsit, romana pubes credebat quidem, ubi vacuam — vidit, satis patribus, qui etc.

Plura exempla multarum talium enuntiationum ita conjunctarum facile invenire licet in Livio, Caesare, et Cicerone.

SECT. III

Exceptiones.

Non raro tamen reperimus, ordinem istum enuntiationum, ordine idearum in iis latentium nitentem, apud priscos mutari, et eas, quae natura praeponi debebant, postponi, et contra. Haec immutatio fit varias ob causas: in primis

I) Si enuntiatio, ob naturam prius ponenda, est nimis longa prae ea, cui praeponi debebat. Tum enim hanc breviorem praeponi suadet tum *numerus oratorius* tum *perspicuitas*. *Numerus*, quia semper injucundum

eſt, quando membrum poſterius longe brevius eſt priori: *perſpicuitas*, quia connexio membrorum horum tali modo non tam perſpicue ſentitur.

V. c. non dixerim: *cur illa res tam brevi tempore ac ſine ullo negotio fieri potuerit*, *neſcio*, ſed: *neſcio*, *cur illa res tam* etc.: quia longior enuntiatio libenter poſteriorem locum occupat. Sic non bene dicitur: *quod mihi propter iſta exigua officia gratias agas*, *non eſt*, pro *non eſt*, *quod mihi* etc. Sic non bene dixeris: *ſi credidiſſem*, *a te meum adventum tam cupide exſpectatum eſſe*, *veniſſem*, pro *veniſſem*, *ſi credidiſſem* etc. At tolerari poſſit, ſi ita dicas: *ſi credidiſſem*, *a te meum adventum tam cupide exſpectatum eſſe*, *profecto ad te veniſſem* ſ. *venire non dubitaſſem:* nunc enim enuntiatio paulo longior eſt facta. Sic non dici debet: *Qui putat, doctrinam magnam ſine ingenio bono*, *induſtria magna*, *bonisque magiſtris acquiri poſſe*, *errat*, ſed: *errat*, *qui putat* etc. Sic omnes priſci loquuntur, et numero et perſpicuitate jubente: niſi forte gravitas rei tamen interdum poſtulet, ut illa longa enuntiatio locum priorem obtineat.

II) Si enuntiatio, cogitatione quidem prior, longiori explicatione vel illuſtratione, ſtatim addenda, adhuc indiget, vel etiam cum enuntiatione abſoluta (vulgo *periodo*) ſequente arctius cohaeret. Tum enim decet eam cohaerere cum explicatione et illuſtratione iſta vel cum enuntiatione abſoluta (vulgo *periodo*) ſequente, atque ita contra naturam ſuam poſtponi: quia, ſi alii enuntiationi praeponeretur, ab explicatione vel periodo iſta ſejungeretur: quod contra perſpicuitatem foret.

V. c. non dixerim: *quia Cajus iſto tempore non domi fuit*, *Titium occidere non potuit*. *Id quod* (ſc. illum non domi fuiſſe) *docuerunt innumeri teſtes*; *docet primum Sempronius*, *deinde* etc. Hic dicendum potius: *non potuit Cajus Titium occidere*, *quia iſto tempore non domi fuit*. *Id quod docuerunt* etc. Sic enim τὰ *Id quod docuerunt* propiora fiunt τοῖς *quia iſto tempore non domi fuit*: nam cum his cohaerent. Ergo iterum perſpicuitas eſt cauſa immutationis.

III) Si *enuntiatio*, per ſe quidem loco priore digna, cum praecedente non tam cohaeret, quam ea, quae poſtponi

poſtponi debebat: haec meliori jure i. e. ob perſpicuitatem praeponitur.

V. c. *Te nullos poetas unquam legiſſe certum eſt. Hinc de iis te non poſſe judicare neceſſe eſt, licet te pro bono poetarum judice venditare ſoleas.* Recte hanc enuntiationem conceſſivam *licet te* etc. poſtponi ſponte patet: idque ob perſpicuitatem. Sic dixerim potius: *tu Homerum contemnis. Quod quomodo facere potes, cum eum non legeris?* quam: *tu Homerum contemnis. Quod, cum eum non legeris, quomodo facere potes?*

IIII) Interdum etiam enuntiatio, praeponenda proprie, ad evitandam ambiguitatem poſtponitur.

V. c. ſi dicere vellem, eum, qui literarum ſtudia diu ſecutus ſit, illa ob dulcedinem, qua repleta ſint, non facile relinquere, ambigue ita loquerer: *qui ſtudia literarum diu ſecutus eſt, quia ſuavia ſunt, non facile ea relinquet*, quia verba: *quia ſuavia ſunt*, aeque cauſa eſſe poſſent verborum: *qui ſtudia literarum diu ſecutus eſt*, ac verborum: *non facile ea relinquet*, ad quae proprie referri vellem. — Ergo ad iſtam ambiguitatem vitandam vel verba: *quia ſuavia ſunt*, verbis: *non facile relinquet*, poſtponenda, et ſic dicendum: *qui ſtudia — ſecutus eſt, non facile relinquet ea, quia ſuavia ſunt;* vel, ſi tamen ordinem ſervare velis, ita dicendum: *qui ſtudia literarum diu ſecutus eſt, ea, quia ſuavia ſunt, non facile relinquet.* Vel hinc apparet periodorum utilitas.

V) Si qua enuntiatio in contextu quodam gravior eſt, quam ea, quae natura ſua praeponi debebat; ac ſi illam ſcriptor vel orator magis ac citius attendi ſentirique cupit: illa, licet ſit proprie poſterior, tamen anteponi debet. Exempla ubivis obvia. Nulla hic fingi poſſunt, quia contextus requiritur. — Ceterum ex hac regula intelligitur, cur *ut daß*, quae particula a verbo praecedenti regi ſolet, atque ita cogitatione poſterior eſt, tamen ſaepe cum ſua enuntiatione iſti verbo praeponatur.

V. c. Cic. Verr. IIII, 39 *continuo, ſignum ut demolirentur et Meſſanam deportarent, imperavit.* Fin. III, 19 *Quare, ut perſpicuum eſt, natura nos a dolore abhorrere, ſic apparet, a natura ipſa, ut eos, quos genuerimus, amemus, impelli:*

 ubi

ubi *ut amemus* τῷ *impelli* praepositum est. Liv. XXXVIII, 11 *Diu jactati Aetoli, tandem ut conditiones pacis convenirent, effecerunt:* ubi *ut — convenirent* τῷ *effecerunt* praepositum. Nisi forte hoc propterea, ut periodus fieret, factum est. — Huc pertinet quoque *dignus*, v. c. *hunc hominem, quem amemus, dignum esse censeo:* in primis praecedente *qui*, v. c. *mortuus est pater tuus, qui, ut longissima vita frueretur, prae ceteris dignus erat.* Sic prisci loquuntur fere ubique.

VI) Interdum tamen etiam videntur prisci ob negligentiam enuntiationem aliquam, quae natura sua alii praeponi debebat, huic postposuisse, praesertim in rebus parvis, in narratione familiari, in epistolis, omninoque in festinanter scribendo vel loquendo.

Quadruplex igitur foret causa, cur enuntiationes, priore ordine per se dignae, interdum a priscis postpositae viderentur, *perspicuitas*, *numerus* atque ita *suavitas*, *gravitas* et *negligentia*. An plures causae reperiri possint, alii viderint.

Iam exempla e priscis, in primis Cicerone, afferemus, superiorem Sect. I ordinem secuturi.

I) *Causales* interdum postponuntur, v. c. Cic. Rosc. Am. 1 in. *Ita fit, ut adsint propterea, quod officium sequuntur; taceant autem idcirco, quia periculum metuunt.* Causa videtur esse, quia *adesse* et *tacere* hic sunt primariae notiones, de quibus ante dixerat, et quas in primis attendi volebat. — Manil. 3 extr. *Verumtamen illis imperatoribus laus est tribuenda, quod egerunt; venia danda, quod reliquerunt.* Hic eadem videtur esse causa: ac simul forsan Cicero imperatores illos ridiculos tecte reddere studebat ista duplici terminatione: *quod egerunt, quod reliquerunt;* in qua inest oppositio, cujus vis sentitur magis in fine. — Sulpic. in Epp. Cic. ad Div. IIII, ep. 5 §. 11 *quae si hoc tempore non suum diem obiisset, paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quia homo nata fuerat.* Hic poterat enuntiatio causalis periodice inseri, ita: *tamen, quia homo nata fuerat, paucis post annis* etc.; ut ideo negligentiae vitium esse videatur: quod in celeriter scribendo facile accidit. Videtur Sulpicio, postquam scripserat: — *ei moriendum fuit*, in mentem demum venisse addere hanc causam: *quia homo nata fuerat.* — Cic. Agr. II, 4 *Quare, qui possum non esse popularis, cum videam, haec omnia, Quirites, pacem externam, libertatem propriam generis et nominis vestri, otium domesticum, quae vobis cara atque*

atque ampla sunt, in fidem et quodammodo in patrocinium mei consulatus esse collata? Sponte patet, haec tam multa arcte cohaerentia inde a *cum videam* usque ad *esse collata* non potuisse praeponi τοῖς *qui possum non esse popularis;* nec dicere potuisse Ciceronem: *quare, cum videam — esse collata, qui possum non esse popularis?* praeterea τὸ *popularis* est primaria notio, ad quam Cicero praecipue attendi vult, et de qua ante non semel dixerat, ut vel propterea praeponenda esset. — Offic. III, 5 *Deinde, qui alterum violat, ut ipse aliquid commodi consequatur, aut nihil se existimat contra naturam facere aut magis* etc. Hic fit ob longitudinem; ut taceam, verba *ut ipse — consequatur* verbis *qui alterum violat* non anteponenda sed inserenda fuisse; deinde, si diceretur: *qui, ut ipse aliquid commodi consequatur, alterum violat*, sic numerus offenderetur. — Fontej. 16 *Venit huic subsidio — cuncta civitas, quae non solum ob eam caussam laborat, ut huic, a quo ipsa servata est, parem gratiam referre videatur, sed etiam, quod ea conditione atque — nocere possint.* Debebat, fateor, dicere proprie: *quae non solum propterea, ut huic, a quo — videatur, sed etiam, quod ea conditione atque — nocere possint, laborat.* At quis tam multa verba inter *propterea* et *laborat* inserat, et unum verbum *laborat* sine ullo comite ponat? — Ad Div. III, ep. 5 §. 3 *te habuisse rationem, ut mihi consuleres, restitueresque et praeparares quodam modo omnia, quo mea ratio facilior et solutior esse posset.* Debebat quidem dicere: *te habuisse rationem, ut, quo mea ratio facilior et solutior esse posset, mihi consuleres, restitueresque* etc. At a) *ut* et *quo* conjungi durum est repugnatque perspicuitati b) *quo mea — posset* sunt nimis multa verba prae his: *mihi consuleres.* — Ad Div. XI, ep. 21 extr. *Si quid erit occultius, — meorum aliquem mittam, quo fidelius ad te literae perferantur.* Hic poterant posteriora verba praeponi ita: *si quid erit occultius, — quo fidelius ad te literae perferantur, meorum aliquem ad te mittam.* Videtur ergo esse vitium negligentiae.

II) *Conditionales* postponuntur, v. c. Cic. Amic. 23 *Atque hoc maxime judicaretur, si quid tale posset contingere, ut aliquis nos deus ex hac hominum frequentia tolleret, et in solitudine uspiam collocaret, atque ibi suppeditans — potestatem eriperet.* Hic prior enuntiatio *hoc maxime judicaretur* cohaeret cum praecedentibus, et verba *si quid tale — eriperet* nimis multa sunt. — Sic et c. 25 *qui id fieri poterit, si ne in uno quidem quoque unus animus erit idemque semper, sed varius, commutabilis, multiplex?* It. Verr. II, 3 extr. *Hunc denique ipsum pertulissent, si humano modo, si*

usitato more, si denique uno in aliquo peccasset. — Ad Div. VI, ep. 20 §. 4 *Omnino de tota re, ut mihi videtur, sapientius faceres, si non curares.* Hic praeponi poterat ita: *si non curares, sapient. faceres.* Est ergo negligentia. — Ad Div. XI, ep. 21 §. 6 *Sim enim impudens, si plus postulem, quam homini a rerum natura tribui potest.* Ob longitudinem. Sic et III, ep. 9 §. 6 *Gratissimum mihi feceris, si ad me, simulatque adeptus eris, quod et tu confidis et ego opto, literas miseris.* — Fin. II, 26 extr. *Me igitur ipsum ames oportet, non mea, si veri amici futuri simus.* Recte, ob gravitatem prioris enuntiationis. Poterat tamen nec male dicere periodice: *me igitur ipsum, si — simus, ames oportet* etc.; sic saepius. — Sic et *nisi*; v. c. Cic. Off. III, 31 *At ille — gladium destrinxit, juravitque, se illum statim interfecturum, nisi jusjurandum sibi dedisset, se patrem missum esse facturum.* Recte ob longitudinem ac simul suavitatem. Quam injucundum fuisset dicere: *juravitque, nisi — dedisset, se patrem missum esse facturum, se illum statim interfecturum*; ob duplex *se* et duplex *urum?* — Verr. IIII, 39 prope fin. *At iste: quam mihi religionem narras? quam poenam? quem senatum? vivum te non relinquam, moriere virgis, nisi signum traditur.* Recte a) ob affectum dicentis b) simul ut auditores sentiant, ob quam exiguam rem Verres poenam mortis eamque acerbissimam viro honesto et proagoro civitatis minatus sit. Praemittit igitur poenam atrocem: *moriere virgis*: cur? hic auditores attenti fiunt: *nisi signum traditur.* Gravis scilicet causa.

III) *Enuntiationes locum indicantes* postponuntur: v. c. Cic. ad Div. III, ep. 5 §. 8 — *ut dicerem, me libenter ad eam partem provinciae primum esse venturum, quo te maxime velle arbitrarer.* Haec enuntiatio non poterat quidem huic: *me — esse venturum* praeponi ob longitudinem hujus, at ei ita inseri: *ut dicerem, me ad eam partem provinciae, quo te maxime — arbitrarer, libenter primum esse venturum.* Est igitur negligentia: nisi dicamus, Ciceronem numero assuetum libenter ditrochaeo *arbitrarer* sententiam finire voluisse, praesertim cum *arer* suavius sonet, quam *urum.* — Div. II, 66 in. *Tum secundum quietem visus ei dicitur draco is, quem mater Olympias alebat, radiculam ore ferre et simul dicere, quo illa loci nasceretur, neque is longe aberat ab eo loco* etc. Debebant quidem verba: *quo illa loci* etc. poni ante *dicere:* at ob multitudinem non fieri poterat.

IIII) *Enuntiationes temporales* postponuntur, v. c. Cic. Act. in Verr. I, 2 *Semel ait se in vita pertimuisse, tum, cum primum*

primum reus a me factus sit. Recte praeponitur hic *semel — pertimuisse*, ut attentio auditorum excitaretur, cur timuisset. — Amic. 26 *Nulla est igitur haec amicitia, cum alter verum audire non vult, alter ad mentiendum paratus est.* Recte ob longitudinem: deinde est explicatio quaedam prioris, ut vel propterea anteponi non potuerit. — Ad Div. VI, ep. 8 §. 2 *mihi hoc dederunt, ut esses in Sicilia, quoad* (i. e. quamdiu) *velles.* Ob negligentiam: dici enim poterat: *ut, quoad velles, in Sicilia esses*, uti in ead. ep. §. 1 dixerat: *hoc mihi darent, tibi in Sicilia, quoad vellemus, uti esse liceret.* — Sic et ablat. conseq. Cic. ad Div. III, ep. 8 in. *Etsi — videbam, te hanc epistolam, cum ad urbem esses, esse lecturum, refrigerato jam levissimo sermone hominum provincialium* etc. Recte ob longitudinem: debebat quidem ante verba *esse lecturum* poni.

V) *Enuntiationes concessivae* postponuntur: v. c. Cic. ad Div. VI, ep. 4 §. 3 *Nunc tantum videmur intelligere non diuturnum bellum: etsi id ipsum nonnullis videatur secus.* Recte: nam *id ipsum* non poterat poni, nisi *non diuturnum bellum* praecessisset, ad quod pertinet. Poterat quidem ita dicere: *nunc tantum bellum non diuturnum, etsi id ipsum nonnullis videatur secus, intelligere videmur.* At a) paulo longior enuntiatio interponeretur b) posset ita intelligi, tanquam Cicero, licet alii aliter sentirent, hoc *certo* intelligeret; quae ejus mens non est: imo incertus est: hinc dicit tantum, *se intelligere* quidem bellum, et addit, *aliis aliter videri*, quos refutare non audet. Ergo aliter dicere non poterat. Potest τὸ *etsi* quoque verti *wiewohl*; et tum sequi debet: vid. infra Not. — Ad Div. VIIII, ep. 16 §. 11 *Quamobrem Oenomao tuo nihil utor, etsi posuisti loco versus Accianos.* Recte: est duplex responsio ad duas res diversas; non anteponi poterat *etsi* etc. Potest τὸ *etsi* et verti *wiewohl:* tum ad seq. Not. pertinet. — Fin. I, 6 *Epicurus autem, in quibus sequitur Democritum, non fere labitur: quamquam utriusque multa non probo, tum illud in primis, quod cum in* etc. Recte ob longitudinem. Potest τὸ *quamquam* et verti *wiewohl:* tum ad seq. Not. pertinet. Not. *quamquam, etsi* cet., si est i. q. *attamen* nostrum *wiewohl*, semper postponitur, quia utimur eo, quando antedicta corrigimus, v. c. *Venias ad me quamprimum, ut tibi rem istam narrem: quamquam ne opus quidem est, quia eam jam haud dubie nosti, wiewohl es nicht einmal nöthig ist*, etc. Hic nos quasi revocamus et corrigimus. Sic Cic. Senect. 14 *Cupidis — molestum est carere: satiatis — jucundius est carere, quam frui: quamquam non caret is, qui non desiderat.* Ac forsan superiora omnia huc pertinent. — De *etiamsi*

postposito est exemplum Cic. Amic. 27 *Quae tamen ipsa* (utilitas) *efflorescit ex amicitia, etiamsi tu eam minus secutus sis.* Recte: nam prior enuntiatio *quae tamen* etc. cohaeret cum praecedentibus. Ibid. *Omnia autem brevia tolerabilia esse debent, etiamsi magna sint.* Recte: *omnia autem* etc. cohaerent cum praecedentibus. Attamen poterat periodice ita dici: *omnia autem brevia, etiamsi magna sint, tolerabilia esse debent.*

VI) *Enuntiationes interrogativae*, non interrogantes illae quidem, sed objectum modumve rei exprimentes et incipientes per *quis*, *quid*, *quomodo* etc. postponuntur, v. c. a) *quid:* Cic. ad Div. XI, 29 in. *Nam et scripsisti aperte, quid tibi videretur* etc. Hic praeponi poterat sic: *nam et, quid tibi videretur, scripsisti aperte;* et paulo post: *cum — per literas te consuluissem, quid mihi faciendum esset, eundumne ad Pompejum, an* etc. Hic recte postponitur ob longitudinem. Sic et Manil. 1 *facile intellexi, et quid de me judicaretis et quid aliis praescriberetis;* ob longitudinem. b) *quomodo:* Phil. II, 4 *Ego quoque te disertum putabo, si ostenderis, quomodo sis eos inter sicarios defensurus.* Recte postponitur ob longitudinem, pro: *si, quomodo — defensurus, ostenderis.* c) *qualis:* Phil. II, 5 *ut igitur intelligeretis, qualem ipse se consulem profiteretur, objecit* etc.; ob longitudinem, pro: *ut igitur, qualem — profiteretur, intelligeretis.* d) *quantus:* Manil. 9 extr. *Conjectura perspicitis, quantum istud bellum futurum sit, quod conjungant reges* etc.; ob longitudinem. e) *quam:* Ad Div. IIII, ep. 14 §. 4 *tamen intelligebam, quam crudelis esset futura victoria;* ob longit. f) *cur* et *quare.* Manil. 10 in. *Satis mihi multa verba fecisse videor, quare hoc bellum esset genere ipso necessarium, magnitudine periculosum* etc.; ob longitud. et connexionem. Sic et Verr. III, 26 in. *Iam omnes intelligunt, cur universa provincia defensorem suae salutis quaesiverit eum, cujus* etc.

VII) *Enuntiationes similitudinis*, v. c. Cic. Phil. II, 39 extr. *Medico tria millia jugerum* (int. *dedisti*), *quasi te sanum fecisset; rhetori duo, quasi disertum facere potuisset.* Recte: gravitas periisset, si invertisset; ac ne poterat quidem invertere, quia verbum *dedisti* omisit.

VIII) *Enuntiationes relativae*, incipientes per *qui, qualis, quantus, quot, quoties, quam, quantopere, ut wie, ubi,* postponuntur iis, quae ipsis respondent et per *is*, *talis*, *tantus*, *tot*, *toties*, *tam*, *tantopere*, *ita*, *ibi* incipiunt; v. c.

1) *is — qui*, pro: *qui — is.* Hoc fit saepissime, saepe etiam τῷ *is* omisso. Cic. Fontej. 2 *Quid Massiliensium civitas?*

hunc

hunc praesentem iis affecit honoribus, quos habuit amplissimos. Non praeponi poterat *quos hab.* etc. verbis: *hunc praes.* etc., quia haec cum praecedd. cohaerent: at poterat certe ita periodice dici: *hunc praesentem, quos honores habuit amplissimos, iis affecit.* At videtur gravitatis causa istum ordinem praeoptasse: a) affecit honoribus, quibusnam? b) quos habuit amplissimos: atque ita *amplissimos* claudit periodum. Senect. 14 *Cupidis enim — molestius forsan est carere: satiatis vero et expletis jucundius est carere, quam frui: quamquam non caret is, qui non desiderat.* Recte hic *non caret is* praeponuntur τοῖς *qui non desiderat*, ut acumen sentiatur ac praecedentia celerrime confutentur. — Sic et *idem* seq. *qui.* Cic. Verr. III, 6 in. *Siciliae civitates sic in amicitiam fidemque recepimus, ut eodem jure essent, quo fuissent; eadem conditione populo romano parerent, qua suis antea paruissent.* Hic, puto, praeponi poterant *quo fuissent, qua suis — paruissent*, sed ita: *ut, quo jure fuissent, eodem essent; qua conditione suis antea paruissent, eadem populo romano parerent:* nisi dicamus, *eodem jure, eadem conditione*, ob gravitatem praeposita esse. — Sic et *quidquid* postponitur: v. c. ad Div. XI, ep. 27 §. 17 *Dignitas tua facit, ut animadvertatur, quidquid facias:* hic poterat recte praeponi periodice: *ut, quidquid facias, animadvertatur.* Offic. III, 25 in. *Sol Phaethonti filio facturum se esse promisit, quidquid optasset: optavit, ut in currum patris tolleretur: sublatus est* etc. Hic τὰ *quidquid optasset* recte postposuit ob perspicuitatem et connexionem cum sequentibus: *optavit, ut* etc.; sic *optasset* et *optavit*, in quibus est idem subjectum, conjunguntur. Si Cicero dixisset, ut proprie debebat dicere: *Phaethonti, quidquid optasset, se esse facturum promisit: optavit* etc., connexio interrupta fuisset.

2) *Talis, qualis.* Cic. ad Div. X, ep. 22 extr. *Literas tuas vehementer exspecto, et quidem tales, quales maxime opto.* Ita debebat fieri: posterior ponenda erat, quia est explicatio, et ob longitudinem: quam absonum fuisset dicere: *et quidem, quales maxime opto, tales!* Sic unum vocabulum clausisset sententiam. — Sic et Catil. II, 2 in. *At si quis est talis, quales esse omnes oportebat:* ob longitudinem. — Sext. 47 *qui sunt tales, qualis pater tuus, M. Scaure, fuit, qui — omnibus restitit.* Recte ob longitudinem et connexionem cum seqq. qui — *restitit.*

3) *Tantus, quantus.* Verr. Act. I, 2 *Neque tantum me exspectatio accusationis meae — commovet, quantum istius insidiae nefariae, quas uno tempore mihi* etc. Recte *quantum* etc. postponitur, quia cum tam multis verbis *quas uno* etc., quae

sunt

ſunt explicatio, arcte cohaeret. — Manil. 9 *Itaque tantum victus efficere potuit, quantum incolumis nunquam eſt auſus optare.* Hic poterat τὸ *tantum* etc. recte poſtponi, quia ſequitur: *nam cum ſe in regnum recepiſſet* etc.: quae verba cum τοῖς *tantum victus* etc. magis cohaerent, quia cauſa ſunt, quam cum τοῖς *quantum victor* etc., ut fere negligentia videatur: niſi dicamus propterea factum eſſe, quia τὰ *tantum victus* etc. cohaerent arctius cum praecedentibus. — Ad Div. IIII, ep. 7 §. 15 *Gratia tantum poſſumus, quantum victi.* Hic recte poſtpoſuit: nam *victi* nil gratia proprie poſſunt; verba *quantum victi* addidit, ut ſignificaret, *ſe gratia parum vel nihil valere.* Si dixiſſet: *quantum victi poſſunt, tantum gratia poſſum:* ſenſus eſſet, victos ſolere gratia valere.

4) *Tot, quot.* Manil. 16 *hoc dicam, neminem fuiſſe, qui a diis immortalibus tot et tantas res tacitus auderet optare, quot et quantas dii immortales ad Cn. Pompejum detulerunt.* Recte, quia ſequitur: *quod ut illi proprium ac perpetuum ſit, — optare debetis:* quae verba arcte cum poſterioribus *quot et quantas* etc. cohaerent.

5) *Toties, quoties.* Cic. ad Div. VII, ep. 7 in. *Illud ſoleo mirari, non me toties accipere tuas literas, quoties a Q. mihi fratre afferantur.* Hic recte praeponi poterat: videtur eſſe negligentia.

6) *Tam, quam.* Cic. ad Div. XI, ep. 27 §. 18 *Equidem ſi quando audio, tam defendo, quam me ſcio a te defendi.* Recte ob longitudinem. — Agr. II, 4 *Quid tam populare, quam pax? quid tam populare, quam libertas?* etc. Hic ob interrogationem aliter eſſe non poterat: et dicere *Quid, quam pax, tam populare?* nocuiſſet perſpicuitati ob vocabulum *quidquam*, et ſimul gravitati. — Amic. 14 *Non enim tam utilitas parta per amicum, quam amici amor ipſe delectat.* Recte: eſt enim confirmatio praecedentium: *mihi quidem videntur, qui utilitatis cauſa ſingunt amicitias, amabiliſſimum nodum amicitiae tollere:* cum his igitur verbis arctiſſime cohaerent: *Non enim tam utilitas* etc.

7) *Tantopere, quantopere.* Cic. Or. I, 35 extr. *Neque enim tantopere hanc a Craſſo diſputationem deſiderabam, quantopere ejus in cauſis oratione delector.* Recte: nam verba *Neque enim tantopere hanc* etc. cum praecedd. cohaerent.

8) *Ita, ſic* ſeq. *ut* ſ. *quaſi.* Cic. Catil. I, 2 extr. *Vives et vives ita, ut nunc vivis.* Recte ob gravitatem repetitur *vives.* Quam jejunum foret: *vives et, ut nunc vivis, ita vives!* Tuſc. I, 4 *ſed quo commodius diſputationes noſtrae explicentur, ſic eas exponam, quaſi agatur res, non quaſi narretur.*

Recte

Recte ob longitudinem, et quia posteriora verba sunt explicatio verborum: *sic eas exponam.*

9) *Ibi, ubi.* Cic. ad Div. III, ep. 6 §. 7 *Considera nunc vicissim tuum* (factum). *Non modo ibi non fuisti, ubi me quamprimum videre posses* etc. Recte ob gravitatem. — Ad Div. I, ep. 10 §. 3 *Et ibi malis esse, ubi aliquo numero sis, quam istic, ubi solus sapere videare.* Recte: *ubi* etc. est explicatio τȣ̃ *ibi*, et *ibi* pertinet ad sequentia. Deinde, si praeponere voluisset, dicere debuisset: *et, ubi aliquo numero sis, ibi esse malis, quam, ubi solus sapere videare:* quam frigide et inconcinne!

CAP. V

De Periodo.

SECT. I

Quid sit periodus?

Periodus dicitur ac dici debet, quando enuntiatio aliqua, quae hoc respectu *primaria* dici possit, per interjectam aliam vel etiam plures interdum enuntiationes *secundarias* v. c. *explicantes*, *definientes*, *causales*, *conditionales*, *concessivas*, *temporales* etc. dissecatur. V. c. *Saepe res, licet sit difficillima, tamen per industriam indefessam fieri potest facillima.* Nam enuntiatio: *Saepe res per industriam indefessam fieri potest facillima*, dissecatur per hanc interjectam concessivam: *licet sit difficillima:* particula *tamen* solet tum plerumque addi perspicuitatis causa; abesse vero etiam poterat, et solet saepe abesse. Non ergo omnis perfectus sensus intra binas interpunctiones maximas inclusus periodi nomine insigniendus, ut vulgo multi credunt. Interjectio illa cujusdam enuntiationis sola efficit periodum. Non igitur haec verba: *Nihil omitti debet, quod ad humanam felicitatem pertinere videatur*, sunt periodus, licet perfectum sensum contineant; neque haec: *Quemadmodum*

concordia res parvae crescunt, ita discordia etiam maximae dilabuntur. Credidit hoc Heinecc. in fund. stili 1, 2, 18 ** p. 117. Male. Nulla enim enuntiatio interjecta est. Haec interjectio efficit illum a Cicerone Orat. 61 sic dictum *ambitum, circuitum* (h. e. graece *periodum*), quem Cicero ibidem, quamquam parum perspicue, vocavit quoque *comprehensionem, continuationem, circumscriptionem.* *Periodus* enim proprie significat *circuitum:* quia, qui vocabula enuntiationis primariae per illam interjectionem disjecta colligere vult, is non recta progredi potest, sed circum illam interjectam enuntiationem ire cogitur, antequam dissectae enuntiationis illius verba singula collecta habet.

SECT. II

Quomodo dissecanda enuntiatio primaria?

Sed dissectio ista enuntiationis primariae ita instituenda, ut a) vel subjectum a praedicato sejungatur; v. c. *homines, quia mortales sunt, non possunt vitam aeternam in his terris exspectare;* ubi subjectum *homines* a praedicato *non possunt* etc. sejungitur per causalem enuntiationem: b) vel interdum aliud vocabulum a cetera enuntiatione disjungatur, v. c. *rogo te, ut, si quid scias, mihi dicas:* hic enuntiatio *ut mihi dicas* disjuncta erat. Omninoque videndum, ut ista dissectio, quae proprie ob majorem perspicuitatem, suavitatem, et gravitatem inventa est, apte fiat, h. e. ut enuntiatio inserenda post id vocabulum, ad quod proprie pertinet atque ita loco suo, inferatur. V. c. *ego librum, quia pulcher est, non vendam,* recte dicitur, at male: *ego, quia pulcher est, non vendam librum;* vel: *ego non, quia liber pulcher est, vendam.* Hoc foret puerile. Ergo hac quoque in re judicio opus est. Sic superius: *homines, quia mortales* etc. rectius dicitur, quam sic: *non, quia mortales sunt, homines vitam aeternam in his terris debent sperare.*

SECT.

SECT. III

Quaenam enuntiationes inferendae?

At nec ubique nec quaelibet inferendae funt:

1) non *quaelibet*, fed tantum eae, quae propter arctam conjunctionem, h. e. propter ordinem notionum, iftum locum merentur, ac fimul breviores funt, nec cum feqq. arctius cohaerent, quam enuntiatio primaria. Obtinet hic eadem regula, quam fupra de ordine enuntiationum pofuimus, ut, quae prius cogitentur, eae prius ponantur: unum difcrimen eft hoc, quod, quas fupra aliis praeponendas dicebamus, eae hic inferuntur. Pertinent igitur huc eaedem illae, ut *caufales*, *conditionales*, *locum*, *tempus*, *fimilitudinem indicantes*, *conceffivae*, *interrogativae*, *relativae*, *explicantes*.

2) non *ubique*. Valent hic eaedem exceptiones, quas fupra in digerendis enuntiationibus valere dixi, ut fcilicet enuntiatio, quae natura fua h. e. ob priorem fui cogitationem inferi mereatur, tamen non inferatur, fi vel nimis longa eft prae ea, cui inferenda fit, ut numerus, de quo infra, nimia brevitate membri fequentis offendatur, vel fi explicatione longiori in fequentibus perfequenda indiget, vel ambiguitatem afferre omninoque aut perfpicuitati aut fuavitati aut denique gravitati officere poteft.

SECT. IIII

Quotuplex fit periodus?

Periodus eft vel *fimplex* vel *compofita*. Haec eft vulgaris divifio. Poterat etiam loco compofitae dici *duplex*, *triplex* etc. majori forfan jure et perfpicuitate. *Simplex conftat una faltem enuntiatione* (interdum pluribus per *et* connexis) *per interjectam aliquam* (interdum duas) *disfecta*, *at fine confequente*. *Compofita* conftat faltem *una* (interdum pluribus per *et* connexis) *antecedente*,

dente, et *una ſaltem* (interdum pluribus) *conſequente enuntiatione*; quae utraque per *unam* ſaltem *enuntiationem ſecundariam* dicto ſupra modo *disſecta eſſe* debet. Quodſi *conſequens enuntiatio* deeſt, non vocatur compoſita, ſed ſimplex, licet permultas enuntiationes per *et*, *cum*, *tum* etc. conjunctas contineat. Poteſt enim interdum *ſimplex* longior eſſe quam compoſita: v. c. *quamquam omnes*, *qui divinas leges migrant*, *poenam dei exſpectare debent*, *tamen*, *ſi eos peccatorum poenitet*, *veniam horum conſequi poſſunt:* haec erat periodus compoſita; *quamquam omnes poenam dei exſpectare debent* eſt enuntiatio antecedens, et: *tamen veniam horum conſequi poſſunt* conſequens: utraque eſt disſecta per aliam enuntiationem, prior per hanc: *qui divinas leges migrant*; poſterior per hanc: *ſi eos peccatorum poenitet.*— Sic: *cum te*, *licet fere indignus fueris*, *ſemper amore ac beneficiis*, *quibuscunque potuerim*, *afficere ſtuduerim: miror*, *te*, *quacunque in re poſſis*, *me offendere vehementer ſtudere*, eſt itidem compoſita ex antecedente: *cum te ſemper amore ac beneficiis afficere ſtuduerim*, cui inſertae ſunt duae: *licet fere indignus fueris*, *quibuscunque potuerim:* et ex conſequente: *miror te me offendere ſtudere*, cui inſerta haec eſt: *quacunque in re poſſis.*— At, quando dico: *omnes homines*, *quicunque ſunt*, *ſive divites ſive pauperes*, *ſummum dei amorem*, *quo nos quotidie recreat*, *noſtrisque commodis ſingulis horis conſulit*, *agnoſcere omnemque operam dare debent*, *ut gratum ipſi animum declarent*, eſt periodus ſimplex, licet ſit paulo longior; quia conſequens deeſt. — Item quando dicerem: *ſi*, *quanta eſt tua audacia*, *tanta eſſet tua doctrina*, *nemo te doctior eſſet;* non foret periodus compoſita, licet et antecedentem et conſequentem enuntiationem contineat; quia antecedens quidem: *ſi tanta eſſet tua doctrina*, per interjectam *quanta* etc. disſecta eſt, ſed conſequens: *nemo te doctior eſſet*, caret iſta interjectione. Sed tota haec diviſio periodi in ſimplicem et compoſitam eſt ſterilis nulliusque uſus.

SECT.

SECT. V

Quid prosit periodus?

Periodus tripliciter prodest: *primum* enim adjuvat *perspicuitatem*, quia enuntiationes ex ordine cogitationum inferuntur; nil vero tam perspicuum est, quam ordo: *deinde gravitatem*, quae perspicuitate adjuvatur, ac forsan nil aliud est, quam *summa rei perspicuitas* h. e. talis, quae simul in animum penetrat propter connexionem mentis et animi: *denique suavitatem* maxime, *partim* propter numerum, qui inde egregie adjuvatur, ut adeo non modo Cicero in libris rhetoricis eum cum periodo interdum conjungat vel confundat, sed etiam Isocrates et Gorgias idem fecisse videantur: *partim*, quia lectoris et auditoris animus propter interjectam enuntiationem, quae lectionem et auditionem paulum interrumpit, suspensus tenetur cupideque exspectat, quid tandem secuturum quemve exitum incepta enuntiatio habitura sit. Est in hac re, si ita comparare licet, periodus quodam modo similis carmini epico vel comoediae et tragoediae, in quibus actio primaria non modo actionibus secundariis, cum illa tamen connexis, verum etiam tot repentinis impedimentis interrumpitur, ut exitus non tantum retardetur, sed etiam, qualis exitus futurus sit, dubium relinquatur. Lectoris et spectatoris animus ita attentus tenetur: et suave est, rem non continuam, sed crebro, at apte, interruptam audire et legere atque ita ejus exitum haud provisum cognoscere. At objiciatur, quomodo per illam interjectam enuntiationem vel plures possit perspicuitas adjuvari, cum potius, quia ordo constructionis discissus est, hoc perspicuitati repugnare videatur. Tironi quidem ita videri potest, qui membra enuntiationis disjecta aegre et anxie colligere solet, quemadmodum Medeae pater membra Absyrti filii sui. At, qui cogitando et legendo paulum assuetus est, nec in elementis linguae

amplius haeret, ei facile eſt totam orationis compagem, licet, ut videtur, disjectam, at idearum ordine nitentem, ſtatim mente imo vel oculis ſolis intelligere. Imo facilius ei hoc eſt, quam aliquid ex regulis conſtructionis ſ. ſyntaxeos grammaticis ſcriptum intelligere. Ceterum, ſi una interjecta enuntiatio jam delectat, quanto magis plures? Hinc opera danda, ut mature diſcamus iſtas enuntiationes apte inſerere.

SECT. VI

Exempla periodi e priſcis.

Sed, ut tota res clarius fiat, exempla *periodi* (h. e. *circuitus illius*) e priſcis ſubjiciamus:

I) *Enuntiationes cauſales inſertae:*

a) *cum da.* Cic. Roſc. Am. 1 in. *Credo ego vos, judices, mirari, quid ſit, quod, cum tot ſummi oratores hominesque nobiliſſimi ſedeant, ego potiſſimum ſurrexerim* etc. Ad Div. VIIII, ep. 2 §. 5 *Quaeres fortaſſe, cur, cum haec in urbe ſint, non abſim* etc. Hic inſerta ſunt priori loco *cum-ſedeant*, poſteriori *cum-ſint.*

b) *quod.* Cic. Roſc. Com. 2 *Sed ſi, quod adverſariis nihil credimus, idcirco codicem ſcribere inſtituimus.*

c) *ut daſs, auf daſs, damit.* Cic. Verr. IIII, 19 in. *Homo, ut aliquo modo illum in provinciam revocaret, hanc excogitavit rationem.*

d) *quia.* Verr. V, 42 *homo — nobilis: qui, quia Cleomenem in defendendo filio laeſerat, nudus paene eſt deſtitutus.* Arch. 9 in. *Ergo illi alienum, quia poeta fuit, poſt mortem etiam expetunt.* — Offic. III, 30 in. *At vero T. Veturius et Sp. Poſtumius, cum iterum conſules eſſent, quia, cum male pugnatum apud Caudium eſſet, legionibus noſtris ſub jugum miſſis, pacem cum Samnitibus fecerant, dediti ſunt his:* etc. Hic enuntiatio primaria: *at vero T. Veturius et Sp. Poſtumius dediti ſunt his*, diſſecta eſt per cauſalem: *quia pacem cum Samnitibus fecerant*, et haec iterum per duas temporales 1) *cum male* etc. 2) *legionibus noſtris — miſſis.*

e) *quoniam.* Cic. ad Div. III, ep. 5 §. 2 *Scribis enim, quae de noſtris officiis ego ad te ſcripſerim, etſi tibi jucunda fuerint, tamen, quoniam ex alto repetita ſint, non neceſſaria*

ceſſaria te putaſſe. Hic praeter cauſalem hanc etiam conceſſiva: *etſi* etc., itemque explicativa: *quae de* etc. interjecta eſt.

f) *quo.* Cic. ad Div. XVI, ep. 11 §. 7 *Lentulus, quo majus ſuum beneficium faceret, ſimulatque expediſſet, quae eſſent neceſſaria, de republica dixit ſe relaturum.* Hic praeter cauſalem *quo majus* etc. inſerta eſt temporalis *ſimulatque* etc.

II) *Enuntiationes conditionales inſertae:* v. c.

a) *ſi.* Cic. Roſc. Am. 1 *quia, ſi quis iſtorum dixiſſet, — ſi verbum de republica feciſſet, — multo plura dixiſſe, quam dixiſſet, putaretur.* Hic duplex conditionalis. — Manil. 6 *Itaque haec vobis provincia, Quirites, ſi et belli utilitatem et pacis dignitatem ſuſtinere vultis, non modo a calamitate, ſed etiam a metu calamitatis, eſt defendenda.* Agr. II, 12 *quod conſuli, ſi legem curiatam non habet, rem militarem attingere non licet.* Ad Div. XII, ep. 17 §. 5 *dicam tuis, ut eum, ſi velint, deſcribant.*

b) *niſi.* Cic. Roſc. Am. 24 *Haec magnitudo maleficii facit, ut, niſi paene manifeſtum parricidium proferatur, credibile non ſit.*

c) *quoad* i. e. *quantum.* Cic. ad Div. III, ep. 2 §. 4 *ſi eam, quoad ejus facere potueris, quam expeditiſſimam mihi tradideris, facilior erit* etc.

III) *Enuntiationes locum indicantes inſertae:* v. c.

a) *quocunque.* Cic. Manil. 13 *Itaque propter hanc avaritiam imperatorum quantas calamitates, quocunque ventum ſit, noſtri exercitus ferant, quis ignorat?* Ad Div. VII, ep. 5 in. *C. Trebatium cogitabam, quocunque irem, mecum ducere.*

b) *ubi*, et abſolute et praeced. ſubſtantivo. Cic. ad Div. VII, ep. 13 §. 2 *niſi quod, ubi eſſes, plane neſciebam.* Ibid. ep. 22 §. 2 *tamen id caput, ubi haec controverſia eſt, notavi* etc.

c) *quo in loco.* Caeſar B. G. II, 26 *qui cum ex equitum fuga, quo in loco res eſſet, — cognoviſſent, nihil* etc.

d) *unde.* Caeſ. B. G. IIII, 28 *ſed aliae eodem, unde erant profectae, referrentur.*

IIII) *Enuntiationes tempus indicantes inſertae:* v. c.

a) *cum als, da.* Cic. Manil. 12 *Idem Cretenſibus, cum ad eum — legatos deprecatoreſque miſiſſent, ſpem deditionis non ademit* etc. Offic. III, 31 *L. Manlio Auli filio, cum dictator fuiſſet, M. Pomponius tribunus plebis diem dixit.*

b) *cum primum*. Cic. Offic. I, 32 *Nam Herculem Prodicium dicunt, — cum primum pubesceret, — exisse in solitudinem* etc.

c) *posteaquam*. Cic. Divin. I, 15 *Cujus quidem hoc praeclarissimum est, quod, posteaquam a Caesare tetrarchiae regno pecuniaque multatus est, negat se tamen* etc.

d) *ubi*. Liv. VII, 41 — *additumque legi, ne quis, ubi tribunus militum fuisset, postea ordinum ductor esset.*

e) *simulac, simulatque*. Cic. Verr. I, 10 *Verres, simulac tetigit provinciam, statim Messanam literas dedit.* Ad Div. III, ep. 9 §. 6 *si ad me, simulatque adeptus eris, — literas mittas.*

f) *donec* i. e. *quamdiu*. Liv. II, 24 prope fin. *Ne quis militis, donec in castris esset, bona possideret.*

g) *dum* i. e. *quamdiu*. Cic. Phil. II, 36 in. *improbum fecit ea, quae, dum timor abest, a te non discedit audacia.*

h) *prius quam*. Caes. B. G. II, 12 *postridie ejus diei Caesar prius, quam se hostes ex pavore ac fuga recepissent, in fines Suessionum — exercitum duxit.*

i) *quoad bis*. Cic. ad Div. XVI, ep. 4 §. 2 *Quare nunc quidem non dubito, quin, quoad plane valeas, te neque navigationi neque viae committas.*

k) *quo die*. Cic. ad Div. XII, ep. 25 §. 4 *Ego, mi Cornifici, quo die primum in spem libertatis ingressus sum et — fundamenta reip. jeci, eo die providi multum* etc.

V) *Enuntiationes concessivae insertae:*

a) *etsi*. Cic. Manil. 9 *Noster autem exercitus, etsi urbem ex Tigranis regno ceperat, et proeliis usus erat secundis, tamen nimia longinquitate locorum ac desiderio suorum movebatur.* Caes. B. G. VII, 33 in. *Caesar, etsi a bello atque hoste discedere detrimentosum esse existimabat, tamen non ignorans* etc.

b) *tametsi*. Civ. Divin. in Caecil. 3 *Populus Romanus interea, tametsi multis incommodis difficultatibusque affectus est, tamen nihil aeque — requirit* etc.

c) *quamvis*. Cic. Amic. 26 *Quamquam ista assentatio, quamvis perniciosa sit, nocere tamen nemini potest* etc.

d) *quamquam*. Cic. Rosc. Am. 20 *Verumtamen, quamquam abest a culpa, suspicione tamen caret.*

e) *etiamsi*. Cic. Phil. I, 7 in. *peto, ut, etiamsi sequi minus audebitis orationem atque auctoritatem meam, benigne tamen me, ut fecistis adhuc, audiatis.*

f) *ut*

f) *ut gesetzt daß.* Cic. Quint. 1 *et ad me ventum est: qui, ut summa haberem cetera, temporis quidem certe vix satis habui* etc. Divin. II, 33 *Etenim, ut sint auspicia, quae nulla sunt, haec certe — sunt auspicia nullo modo.*

VI) *Enuntiationes interrogativae*, non diserte interrogantes, incipientes per *quis, quid, utrum, an, cur* etc.

a) *quid.* Cic. Phil. I, 7 in. *qui non, quid efficere posset in republica, cogitavit* etc. Ad Div. XI, ep. 29 §. 3 *Ex quo, quid sentires, intellexi.* Senect. 21 in. *Equidem non video, cur, quid ipse sentiam de morte, non audeam vobis dicere.*

b) *utrum* adject. Cic. Verr. IIII, 7 extr. *dixit — neque se illa habuisse venalia, neque ulla conditione, si, utrum vellet, liceret, adduci unquam potuisse, ut venderet.*

c) *utrum* adv. seq. *an.* Cic. Or. I, 16 *ut — qui aliquid fingunt, etsi tum pictura nihil utuntur, tamen, utrum sciant pingere an nesciant, non obscurum est, sic* etc.

d) *cur.* Cic. Divin. I, 3 in. *Philosophorum exquisita quaedam argumenta, cur esset vera divinatio, collecta sunt.*

e) *quare.* Cic. Invent. II, 10 *ut enim animum alicujus improbare nihil attinet, cum causa, quare peccaverit, non intercesserit* etc.

f) *quantum.* Cic. Amic. 7 *ex quo, quantum boni sit in amicitia, judicari potest.*

g) *quemadmodum.* Cic. ad Div. IIII, ep. 4 §. 7 *etiam mehercule, quod, quemadmodum ea res ageretur, vidimus.*

h) *quam.* Cic. Verr. IIII, 44 extr. *Nam, quia, quam pulchra essent, intelligebat, idcirco* etc. Amic. 26 *nihil exploratum habeas ne amare quidem aut amari, cum, id quam vere fiat, ignores.*

i) *qualis.* Cic. Agr. II, 3 *Ego, qualem Kalendis Ianuariis acceperim rempublicam, Quirites, intelligo.* Nat. D. II, 17 in. *Restat, ut, qualis eorum natura sit, consideremus.*

VII) *Enuntiationes, similitudinis* et *comparationis aliquid continentes, insertae:*

a) *tanquam.* Cic. Phil. II, 3 extr. *At ego, tanquam mihi cum M. Crasso contentio esset, — de republica graviter querens, de homine nihil dixi: —* et addito *ita*, v. c. Verr. IIII, 39 *qui ut primum in illud oppidum venit, statim, tanquam ita fieri non solum oporteret, sed etiam necesse esset, tanquam senatus mandasset, populus rom. jussisset, ita continuo, signum ut demolirentur et Messanam deportarent,*

 impera-

imperavit. Addendum erat *ità* ob perſpicuitatem, quia inſerta paulo longiora erant.

b) *quaſi.* Cic. ad Div. XI, ep. 16 §. 5 *Quamquam enim Lamia ſummo ſplendore — uſus eſt magnificentiſſimo munere aedilicio, tamen, quaſi ea ita non eſſent, ego ſuſcepi totum negotium.*

c) *ſicut.* Cic. Or. 21 *Sed eſt eloquentiae, ſicut reliquarum rerum, fundamentum ſapientia.*

VIII) *Enuntiationes relativae* incipientes per *qui*, *qualis*, *quantus*, *quot*, *quoties*, *quam*, *quantopere*, *ut wie*, *ubi* etc. inſeruntur, quibus reſpondent incipientes per *is*, *talis*, *tantus*, *tot*, *toties*, *tam*, *tantopere*, *ita* ſ. *ſic*, *ibi.*

1) *qui quae quod* omnium frequentiſſime inſeritur, it. *quicunque*, *quisquis*, *τῷ is* ſ. *hic* modo ſequente, modo praecedente, modo plane omiſſo.

a) *qui* ſequente *is* ſ. *hic.* Cic. Nat. D. I, 42 *ut, quos ratio non poſſet, eos ad officium religio duceret.* Fontej. 8 *Si, qui ob aliquod emolumentum ſuum cupidius aliquid dicere videntur, iis credi non convenit* etc. Ad Div. XI, ep. 22 §. 6 *Ego enim, quae provideri poterunt, non fallar in iis.* Or. I, 8 *quamobrem quis hoc non jure miretur, ſummeque — elaborandum cenſeat, ut, quo uno homines maxime beſtiis praeſtent, in hoc hominibus ipſis antecellat?* — Huc pertinet formula illa: *quo — eo* ſ. *hoc; je, deſto:* v. c. Cic. Roſc. Am. 24 extr. *quare hoc, quo minus eſt credibile, niſi oſtenditur, eo magis eſt, ſi convincitur, vindicandum:* poterat et dicere *hoc magis.* Roſc. Com. 11 *Nam, quo quisque eſt ſollertior et ingenioſior, hoc docet iracundius et laborioſius.*

b) *qui* omiſſo *hic* ſ. *is.* Cic. Or. I, 16 *ut, qui pila ludunt, non utuntur in ipſa luſione artificio proprio palaeſtrae* etc. Sic ſaepiſſime ap. Cic. et alios.

c) *qui* praecedente *is* ſ. *hic.* Cic. Or. III, 9 *diligentiſſimeque hoc eſt eis, qui inſtituunt aliquos atque erudiunt, videndum, quo ſua quemque natura maxime ferre videatur.* Roſc. Am. 24 *Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis — videtis, eos, qui aliquid impie ſcelerateque commiſerint, agitari et perterreri Furiarum taedis ardentibus.* Nat. D. I, 42 *qui ea, quae prodeſſent hominum vitae, in deorum numero habita eſſe dixit.*

d) *quicunque*, *quodcunque*, *quaecunque*, *quisquis*, *quidquid*, pro *omnis qui*, *omne quod*, *omnia quae* in primis ſerviunt periodo ſtruendae: vel ſequente *is*, *id*, *ea*, *hic*, *hoc*,

hoc, haec, vel omisso. Cic. Offic. III, 4 extr. *Nobis autem nostra academia magnam licentiam dat, ut, quodcunque maxime probabile occurrat, id nostro jure liceat defendere*, pro: *ut omne id, quod* etc. Ad Div. XIII, ep. 6 in. *me — tecum egisse, ut, quoscunque tibi ejus* (Cuspii) *necessarios commendarem, haberes eos in numero meorum necessariorum*. III, ep. 2 §. 3 *A te — peto, ut, quibuscunque rebus poteris, — prospicias et consulas rationibus meis*. Sic XII, ep. 29 §. 4 et saepius. — Verr. IIII, 34 *postea, quidquid erat oneris in nautis remigibusque exigendis, in frumento imperando, Segestanis praeter ceteros imponebat aliquanto amplius, quam ferre possent*. Verr. II, 2 *Itaque ad omnes res Sicilia — semper usi sumus, ut, quidquid ex sese posset efferre, id apud eos non nasci, sed domi nostrae conditum, putaremus*.

2) *qualis* a) sequ. *talis*. Cic. Rosc. Am. 4 *Te quoque magnopere, M. Fanni, quaeso, ut, qualem te jam antea populo romano praebuisti, — talem te et nobis et populo romano hoc tempore impertias*. Offic. II, 12 *Quamquam Socrates hanc viam ad gloriam proximam — dicebat esse, si quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis esset*. Ib. c. 13 in. *Sed ut facillime, quales simus, tales esse videamur* etc. b) praecedente *talis*. Cic. Or. I, 19 *Caput enim esse arbitrabatur oratoris, ut et ipsis, apud quos ageret, talis, qualem se ipse optaret, videretur*. — Sic et *qualiscunque* seq. *talis*. Cic. Legg. III, 14 in. *Nam licet videre, — qualescunque summi civitatis viri fuerint, talem civitatem fuisse*. — Et absolute positum. Cic. ad Attic. XIII, ep. 47 non proc. ab in. *turpe est enim nobis, illum, qualiscunque est, hoc primo anno egere*. — It. seq. *tamen*. Liv. XXVIIII, 17 *alterius, quod, qualescunque sumus, tamen haec, quae passi sumus, pati non debuimus*.

3 *quantus* a) seq. *tantus*. Cic. Fontej. 14 in. *Quodsi aut, quantam voluntatem habent ad hunc opprimendum, aut, quantam ad maledicendum licentiam, tantum haberent aut ad ementiendum animi aut ad fingendum ingenii, non meliore fortuna — Fontejus fuisset*. Egregia periodus ob numerum notanda; cui similis est haec Arch. 6 *quare quis tandem me reprehendat, — si, quantum ceteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies celebrandos — conceditur temporum, — tantum mihi egomet ad haec studia recolenda sumsero?* Liv. II, 9 in. *Satis libertatem ipsam habere dulcedinis: nisi, quanta vi civitates eam expetant, tanta regna reges defendant, — aequari summa infimis*. XXVI, 12 in. *Ceterum non, quantum pertinaciae ad premendam obsidione Capuam Romanis fuit, tantum*

ad defendendam Hannibali. b) praecedente *tantus.* Cic. Amic. 20 *nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima potest esse, morum studiorumque distantia.* Or. I, 4 *Ac primo quidem totius artis ignari, qui neque exercitationis viam neque aliquod praeceptum artis esse arbitrarentur, tantum, quantum ingenio et cogitatione poterant, consequebantur.* c) omisso *tantus.* Cic. Sext. 13 *mentem — hanc fuisse, ut afflictae et perditae reipublicae, quantum posset, mederetur.* Or. I, 1 extr. *Sed tamen — obsequar studiis nostris, et, quantum mihi vel fraus inimicorum vel causae amicorum vel res publica tribuet otii, ad scribendum potissimum conferam.* — Huc pertinet *quantuscunque*: v. c. Cic. ad Div. XV, ep. 1 §. 13 *Regis Dejotari et voluntatem et copias, quantaecunque sunt, nostras esse duco.* Marcell. 2 *Totum hoc, quantumcunque est, quod certe maximum est, totum est, inquam, tuum.*

4) *quot* a) sequ. *tot* s. *totidem*, saepissime: v. c. Cic. Or. III, 9 *quid censetis? — nonne fore, ut, quot oratores, totidem paene reperiantur genera dicendi?* — Sic et *quotcunque*, *quotquot*, creberrime. b) praecedente *tot.* Cic. ad Attic. IIII, ep. 8 med. *Quid enim hoc miserius, quam eum, qui tot annos, quot habet, designatus consul fuerit, fieri consulem non posse?*

5) *quoties* a) seq. *toties.* Cic. Or. II, 31 in. *Neque enim, quoties verbum aliquod est scriptum, toties ejus verbi literae sunt cogitatione conquirendae.* b) praecedente *toties.* Cic. Or. I, 59 *Hoc nos si facere velimus, ante condemnentur ii, quorum causas receperimus, quam toties, quoties praescribitur, Paeanem* (vel *Paeonem*) *aut Munionem citarimus.* Saepe tamen *toties* omitti solet et potest. — Huc pertinet *quotiescunque*, vel sequente vel omisso *τῷ toties:* v. c. Cic. Or. I, 27 *ita non injuria, quotiescunque dicerent, id, quod aliquando posset accidere, ne tum accideret, timere.*

6) *quam* sequ. *tam* saepissime. Cic. Act. I in Verr. 2 *Quodsi, quam audax est ad conandum, tam esset obscurus in agendo: fortasse aliqua in re nos aliquando fefellisset.* — Saepe etiam praemittitur *tam;* interdum etiam *quam* sine *tam* ponitur, v. c. Cic. Nat. D. II, 17 *Hic, quam volet, Epicurus jocetur;* pro: *quam volet, tam jocetur, mag scherzen, wie er will.* Sic Verr. II, 42 *et hac actione, quam voletis, multi dicent,* pro: *tam multi dicent, quam multos voletis dicere, so viel, wie ihr wollt:* sic saepius. Huc pertinet Divin. I, 32 *Exposui, quam brevissime potui, somnii et furoris oracula* etc. et similia. — Huc pertinere *quam diu*, *quam longe* etc., per se patet: ubi v. c. *tamdiu* vel postponitur vel praeponitur vel etiam omittitur, v. c. Cic. Verr. I, 19 *Deum atque*

hominum

hominum fidem implorabis, circumveniri Verrem, quod accusator nolit tam diu, quam diu liceat, dicere.

7) *quantopere* a) seq. *tantopere.* Locus e priscis nunc non succurrit: fingam exemplum. *Si homines, quantopere in corpore suo ornando laborant, tantopere mentem animumque ornare studerent: sapientia et virtute nil vulgarius esset.* At multos locos, ubi *quantopere* sic inferatur, reperiri certum est. b) sine *tantopere*, Cic. Tusc. III, 3 extr. *Quamquam de universa philosophia, quantopere expetenda esset, colenda* cet.

8) *ut* s. *quemadmodum, sicut,* a) seq. *ita, sic.* Cic. Manil. 5 *Videte, ne, ut illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperii gloriam relinquere, sic vobis turpissimum sit, id, quod accepistis, tueri et conservare non posse.* Or. I, 27 *Cujus quidem rei cum causam quaererem, quidnam esset, cur, ut in quoque oratore plurimum esset, ita maxime is pertimesceret: has causas inveniebam* etc. Or. II, 31 *Sed habere certos locos, qui, ut literae ad verbum scribendum, sic illi ad causam explicandam, statim occurrant.* Amic. 4 extr. *pergratum mihi feceris, — si, quemadmodum soles de ceteris rebus, cum ex te quaeruntur, sic de amicitia disputaris, quid sentias* etc. b) *ut* omisso *ita.* Cic. Catil. I, 7 *Superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen, ut potui, tuli.* Solet quoque interdum *ita* τῷ *ut* praeponi.

9) *ubi* a) seq. *ibi* vel etiam omisso. Cic. ad Div. VI, ep. 4 §. 9 *Sed — tempus est hujusmodi, ut suam quisque conditionem miserrimam putet, et, ubi quisque sit, ibi esse minime velit.* b) praecedente *ibi.* Ad Div. VI, ep. 1 in. *nemoque sit, quin ubivis, quam ibi, ubi est, esse velit.*

VIIII) *Enuntiationes explicativae,* incipientes per *qui quae quod,* apte insertae, i. e. ita, ut statim post subjectum vel rem, quam explicant, positae sint. Cic. Rosc. Am. 18 *Sed ut illud intelligatur, cum apud majores nostros summi viri clarissimique homines, qui omni tempore ad gubernacula reipublicae sedere debebant, tamen in agris quoque colendis aliquantum operae temporisque consumserint.* Ib. c. 47 *quod viris fortibus, quorum opera eximia in rebus gerendis exstitit, honos habitus est, laudo.* Or. I, 58 *De me autem ipso, cui uni tu concedis, ut sine ulla juris scientia tamen causis satisfacere possim, tibi hoc, Crasse, respondeo* etc. Recte: ita perspicuitas postulat.

X) Aliae quoque *enuntiationes insertae* sunt, v. c. *ut fit, ut credo, nisi fallor, ut dixi, ut dico* etc. v. c. Cic. Rosc. Am. 7 *Qui in sua re fuisset egentissimus, erat, ut fit, insolens in*

in aliena. Sic et c. 32 *Verum, ut ſit, multa ſaepe imprudentibus imperatoribus vis belli ac turba molitur.* Ad Div. I, ep. 2 §. 9 *Nos in ſenatu, quemadmodum ſpero, dignitatem noſtram, ut poteſt in tanta hominum perfidia et iniquitate, retinebimus.* Ad Attic. XV, ep. 5 extr. *Mihi vero deliberatum eſt, ut nunc quidem eſt, abeſſe ex ea urbe, in qua* etc., i. e. *bey jetzigen Umſtänden.*

XI) *Ut daß* adeo cum ſua enuntiatione interdum, ut inſeri poſſet, praepoſitum legitur ei verbo, a quo tamen regitur: v. c. Cic. ad Attic. XV, ep. 5 *mihique, ut abſim, auctor eſt.* Add. exempla ſupra S. 3, 5 laudata: Cic. Verr. IIII, 39 *Continuo, ſignum ut demolirentur, imperavit.* Fin. III, 19 *apparet, (nos) a natura ipſa, ut eos, quos genuerimus, amemus, impelli.* Liv. XXXVIII, 11 *Aetoli tandem, ut conditiones pacis convenirent, effecerunt.* --- It. poſt *dignus:* v. c. *mortuus eſt vir, qui, ut diutius viveret, digniſſimus erat.* Tanto periodi amore flagrabant priſci. Quos imitari noſtrum eſt.

SECT. VII

De enuntiationibus, quas habemus, apte inſerendis.

Facile ex iſtis exemplis patet *periodi* ſtructura.* Quae ut non niſi apta injectione unius alteriusve enuntiationis conſtat, ita tironibus nunc facillimum erit, enuntiationes iſtas cauſales, conditionales etc., inſerere, *ſi quidem hae adſunt.* Exempla ponemus:

1) *Cauſalis*, v. c. Verba haec: *Deus Noacho ſoli pepercit, quia ſolus virtuti ſtudebat*, facile ita mutantur: *Noacho, quia ſolus virtuti ſtudebat, ſoli pepercit Deus*, vel: *Deus Noacho, quia ſolus virt. ſtud., ſoli pep.*, vel: *Deus, quia Noachus ſolus virtuti ſtudebat, propterea huic ſoli pepercit.*

2) *Conditionalis*, v. c. Verba: *Quomodo Deus hominibus parcere poteſt, ſi vitia amant?* facile mutantur: *quomodo Deus hominibus, ſi vitia amant, parcere poteſt?* vel: *quomodo Deus, ſi homines vitia amant, iis parcere poteſt?* vel: *quomodo, ſi homines vitia amant, Deus iis parcere poteſt?* --- Sic verba: *Nemo magnam doctrinam conſequi poteſt, niſi magna induſtria inſtructus eſt*, ita mutantur: *Nemo, niſi magna induſtria inſtructus eſt, magnam doctrinam* etc.

3) *Enuntiatio locum indicans*, v. c. Verba: *quia neſcio, ubi ſis, quomodo ad te venire poſſum?* ita mutantur: *quia, ubi*

ubi ſis, neſcio, quomodo etc. — Pro: *audivi, te eo loco nunc eſſe, quo ego ante tres menſes fuerim,* ita dicere licet: *audivi, te, quo loco ego ante tres menſes fuerim, eo nunc eſſe.*

4) *Enuntiatio tempus indicans,* v. c. *Pater nobis multa narrabit, quando* ſ. *ubi venerit,* ita mutatur: *Pater, ubi venerit, multa nobis narrabit,* vel: *Multa pater, ubi venerit, nobis narrabit.* — Sic: *Quando homines epulantur, mortem non cogitant,* ita mutatur: *Homines, quando epulantur, mortem non cogitant.* — Sic pro: *Pater valde perterritus eſt, cum nuntium de morte filii accepiſſet,* dici poteſt: *Pater, cum nuntium — accepiſſet, valde perterritus eſt.* — Sic pro: *Non poſſum legere, dum ſcribo,* dicitur: *Non poſſum, dum ſcribo, legere,* vel: *Ego, dum ſcribo, legere non poſſum.*

5) *Conceſſiva,* v. c. pro: *Librum tibi mittere non poſſem, etiamſi vellem,* dicitur: *librum, etiamſi vellem, mittere non poſſem.* — Sic pro: *Milites acriter pugnarunt, etſi feſſi erant,* dici poteſt: *Milites, etſi feſſi erant, tamen acriter pugnarunt.*

6) *Enuntiatio ſimilitudinem continens,* v. c. pro: *tu me contemnis, tanquam non homo ſim,* dicitur: *tu me, tanquam non homo ſim, ita contemnis.* Adjicitur *ita* interdum ob perſpicuitatem.

7) *Interrogativa,* v. c. *Omnes ſciunt, quid ſit virtus: at pauci meditantur, qua ratione ea potiantur,* ita mutatur: *omnes, quid ſit virtus, ſciunt: at, qua ratione potiantur ea, pauci meditantur,* vel, ob numerum, *meditari ſolent;* vel, ſi voles periodum compoſitam efficere, ita dices: *etſi omnes, quid ſit virtus, ſciunt, tamen, qua ratione* etc. — Sic pro: *Quereris quotidie, nec tamen dicis, cur queraris,* dici poteſt: *quereris quotidie, nec tamen, cur queraris, dicis,* vel, ob ſuavitatem, *cur querare* etc.

8) *Relativae,* incipientes per *qui, qualis, quantus, quot* etc., v. c. pro: *Non poſſum eos odiſſe, qui me amant,* dicitur: *non poſſum eos, qui me amant, odiſſe,* vel: *non poſſum, qui me amant, eos odiſſe.* — Sic pro: *rogavit, ut ea omnia curarem, quae opus eſſent,* dicitur: *rogavit, ut ea omnia, quae opus eſſent, curarem,* vel: *ut, quae opus eſſent, ea omnia curarem,* vel brevius: *ut, quaecunque opus eſſent, ea curarem.* Τὸ *ea* omitti quoque poterat; licebat et dici: *ut, quidquid opus eſſet, id curarem.* — Sic pro: *perſuadeas tibi, me omnia facturum, quae juſſeris,* dicitur: *me, quidquid* ſ. *quaecunque juſſeris, facturum.* — Sic pro: *Credas, me omnibus favere, qui te ament* vel *quos tu ames,* ita dicitur: *Credas, me, quicunque te ament* vel *quoscunque tu ames, iis favere.* — Pro: *Erras,*

ras, quando dicis, te patri tot beneficia tribuisse, quot ab eo acceperis, ita dicitur: *Erras, quando dicis, te, quot beneficia a patre acceperis, tot ei tribuisse:* ubi etiam sine periodi usu dicere licet: *Erras, quando dicis, quot beneficia a patre acceperis, tot ei te tribuisse.* — Sic pro: *Nemo potest tantum reddere parentibus, quantum ab iis accepit*, dici potest: *Nemo, quantum a parentibus accepit, tantum iis reddere potest*, vel: *nemo tantum, quantum a parentibus* etc. — Sic pro: *Tu te talem praesta, qualem te olim praestitisti*, dicitur: *Tu, qualem te olim praestitisti, talem te nunc praesta.*

Haec de inserenda una enuntiatione. Eadem ratione utendum, si duas pluresve inserere velis. Ordo idearum semper regula esse et ob oculos versari debet.

V. c. Verba: *Rogasti me, ut librum a Titio nuper editum mitterem, simulac possem, quia eum legere velles: statim ergo fratri meo scripsi, ut illum tibi mitteret, cum primum fieri posset: frater enim eum legendum a me accepit.* Haec verba, quae et aliter concipi poterant, ita mutari periodice queunt: *Cum me rogasses, ut librum a Titio nuper editum, quia legere velles, simulac possem, mitterem: fratri meo, qui illum legendum a me accepit, statim scripsi, ut, cum primum fieri posset, tibi mitteret.* — Sic pro: *Etsi homo non omnia, quae vult, discere potest, quia est homo, tamen permulta saltem discere potest, quae sibi prosint, si quidem justam industriam adhibet*, ita dici potest: *Etsi homo, quia homo est, non, quaecunque vult, discere potest, tamen permulta saltem, quae sibi prosint, si quidem justam industriam adhibet, discere potest.*

SECT. VIII

De inveniendis enuntiationibus ad inserendum aptis.

At longe difficilior est *periodi structura*, si enuntiationes inserendas non habes, sed ipsas antea invenire debes. Id quod saepissime, imo plerumque, accidit. Hinc saepe fit, ut, qui de periodo loqui bene sciant et ipsas in priscis agnoscant, tamen periodice scribere non satis sciant. Aliud est scire, aliud est facere. Triplicem viam hic ad inveniendas aptas enuntiationes monstrabo,

ſtrabo, quia nusquam, quod ſciam, hac de re traditum eſt. Plures tamen forſan vias aperiri poſſe haud negaverim.

I) Primum meditandum eſt, an in ea enuntiatione, quam disſecare cupis, deſit notio *cauſae*, *conditionis*, *temporis*, *loci*, *reſtrictionis* etc. Singulae hae notiones exprimi poſſunt per ſingulas enuntiationes: ſic habes enuntiationes inſerendas. V. c.

a) Dicis vel dixiſti: *Noacho Deus pepercit.* Hic multa quaeri poſſunt, v. c. *Cur? quando? ubi?* etc.: multa ergo addi queunt, v. c. *quia Deum coluit;* it. tempus, *cum ceteros homines perire juſſiſſet*, et alia. En igitur periodum: *Deus, cum ceteros homines perire juſſiſſet, pepercit Noacho*, vel: *Deus Noacho, quia ipſum colebat, pepercit.* Utraque nunc conjungi poſſit: *Deus, cum ceteros homines perire juſſiſſet, Noacho, quia ipſum colebat, pepercit.* At deeſt priori enuntiationi cauſa: hanc igitur addas et dicas: *Cum Deus omnes homines, quia ſceleribus flagitiisque dediti erant, perire juſſiſſet, Noacho, qui ipſum colebat, pepercit*, vel, ob numerum, *parcendum putavit.* Poſſis et varia adhuc addere, v. c. qua ratione perierint illi, cur Deus hac poena uſus ſit ac punire ſoleat; atque ita, ſi lubet, dicere: *Deus, cum, juſtitiae ſuae memor, omnes homines, Noachi aetate viventes, quia ſceleribus flagitiisque dediti erant, aquae vi immiſſa perire ſimul juſſiſſet, Noacho ſoli, quia ipſum colebat, benignitatis ſuae memor modo mirabili parcendum putavit.* Poſſis et plura addere et alio modo variare. — En aliud exemplum! Quando dico: *Alexander potitus eſt regno Perſarum*, meditanti mihi, quid inſeri poſſit, multa in mentem veniunt, v. c. notio temporis: *Alexander, poſtquam Darium tribus praeliis vicerat, regno Perſarum potitus eſt.* Poſſis multa inſerere adhuc de Alexandro, de Dario, de regno Perſarum, v. c. *Alexander, ſumma gloriae cupiditate incitante, e Macedonia ad Perſas ſuo imperio ſubjiciendos egreſſus, hoc aſſecutus eſt, ut, poſtquam Darium, qui illius fortitudini reſiſtere nullo modo poterat, tribus praeliis vicerat, regno Perſarum potiretur.*

b) Etiam *conceſſiva* enuntiatio facile reperitur, v. c. Quando dico: *Induſtria ſine ingenio parum prodeſt*, venit mihi in mentem: *etſi per ſe laudanda eſt.* Fit ergo periodus;

riodus: *Industria, licet per se valde laudanda sit, tamen sine ingenio parum proficit.* Etiam facile conditionalis inseritur: *Industria, si caret ingenio, parum prodest*, vel sic: *Industria, licet per se sit laudanda, tamen, si ingenio caret* s. *non adjuvatur, parum prodest.* — Omninoque conditio saepe addi debet, si subtiliter loqui cupis, v. c. Si cui dico, *me ad ipsum venturum*: deest conditio, *si fieri possit, si domi sit* etc. Hinc fit statim periodus: *Cras, si otium mihi sit* vel *si domi sis, ad te veniam* etc.

c) *Explicativa* incipiens per *qui* facile reperitur, v. c. pro: *Alexander vicit Darium*, possum dicere: *Alexander, qui Magnus est appellatus, Darium* etc. — Sic, quando dico: *dicam tibi omnia*; deest explicatio s. definitio, scilicet: *quae sciam, audiverim, legerim* etc. Nam omnia omnino amico dicere non possum. Ergo dico: *Ego, quaecunque scio, tibi dicam*, vel: *Scito, me, quaecunque* s. *quidquid sciam, tibi dicturum.*

II) Deinde curandum est saepe, ut enuntiatio dissecanda per *accus.* cum *infinit.* vel per *ut* cum conjunctivo efferatur; ubi per se patet, verbum, quod istum *accus.* cum *infinit.* vel istud *ut* cum conjunct. regat, praecedere debere, atque ita inveniendum esse.

V. c. *Accipies, quae petiisti*, nunquam potest per se periodice efferri. At dicas ita: *Confirmo, te, quae petieris, accepturum.* — Sic verba: *scribe, si potes*, non possunt periodice dici. At sic: *Rogo te, ut, si fieri possit, scribas.* — Saepe quoque praefigi potest *fit, accidit, contingit* etc., v. c. *Accidit, ut, cum in lectulo jacerem, audirem* etc., pro: *cum in lectulo jacebam, audiebam.* Sed hoc pertinet ad copiam dicendi, de qua infra separatim agetur.

III) Denique commutandis vocabulis cum vocabulis, salvo tamen sensu, facile oritur enuntiatio inferenda. Exempla dabimus:

1) *nam, enim*, mutari potest in *quia, quoniam, cum* etc. Sic exsistit enuntiatio causalis, v. c. *Cicero ab omnibus legi meretur: est enim praeclarus scriptor*, pro hac posteriore enuntiatione dic: *quia est praeclarus scriptor.* Nunc habes periodum: *Cicero, quia est praeclarus scriptor, legi* etc., vel: *Cicero, cum sit praeclarus* etc.

2) pro

2) pro adjectivo vel participio ponas interdum *qui.* Sic habebis enuntiationem explicativam, v. c. pro: *Omnes bonos libros legi,* dicas: *omnes libros, qui boni sunt, legi;* pro: *scito, me omnes tuos libros vidisse,* dicas: *scito, me, quidquid librorum* s. *quoscunque libros habes, vidisse.* Sic pro: *Rem diu exspectatam accepi,* dicas: *Rem, quam diu exspectaram, tandem accepi,* vel: *Rem, postquam diu* etc. — Hinc vides, qui participia nimis ament, eos in struendis periodis non nimis felices esse.

3) *quidem* mutetur in *etsi, tametsi, quamquam, licet.* Ita habes enuntiationem concessivam, v. c. Verba: *Deus quidem est benignissimus; attamen etiam justissimus esse solet,* ita efferas: *Deus, licet sit benignissimus, tamen etiam solet esse justissimus.* Sic habes periodum. — Interdum deest *quidem,* at potest cogitari, v. c. *Amo te valde, nec tamen tibi ubivis gratificari possum.* Prius dictum est pro: *Amo quidem* etc. Ergo dicas: *Non possum, licet te amem, tibi ubivis gratificari,* vel: *Non tibi, etsi te valde amo, ubivis gratificari possum.*

4) particula *et* interdum in particulas temporis mutari potest, v. c. pro: *Multi mentiuntur, et hoc sibi honori ducunt,* dicere licet: *Multi, cum mentiuntur, hoc sibi honori ducunt.*

5) *propter* s. *ob* mutetur in particulam caussalem *quia, cum* etc., v. c. pro: *Fratrem tuum ob ejus magnam doctrinam omnes colunt,* dixeris: *Fratrem tuum, quia est magna doctrina ornatus, omnes colunt.* Sic pro: *plures libros ob defectum pecuniae emere non poteram* dicas: *plures libros, quia pecunia deficiebat* s. *carebam, emere non poteram.* — Saepe etiam talem mutationem ipsa necessitas postulat, si v. c. substantivum non usitatum vel rarius est, v. c. vernaculum: *Der Bruder wird seines fleiſsigen Lernens wegen sehr gelobt,* verti debet: *Frater, quia assidue discit, propterea valde laudatur:* nam a *discere* non habemus substantivum respondens illi vernaculo.

6) particula *in* saepe in *etsi, quamquam, quando, cum wann, da* mutanda, v. c. pro: *Sapiens in summa paupertate felix sibi videtur,* dicas: *Sapiens, licet in summa paupertate versetur, tamen sibi felix videtur.* — Sic pro: *In malis non debemus statim animum abjicere,* dici potest: *Non debemus, etsi malis premimur, statim* etc., vel sic: *Non debemus, quando malis premimur, statim* etc. — Sic pro: *Socrates in fine vitae praeclare locutus est,* ita dicere licet: *Socrates, cum finis vitae instabat, praeclare locutus est.*

7) *post*

7) *post* in *postquam*, *cum* etc., v. c. pro: *Roma credebat, se post Caesaris caedem fore liberam*, dicas: *Roma credebat, se, postquam* s. *cum Caesar interfectus esset, liberam fore.*

8) *per* interdum abit in *quia*, *etsi*, *licet* etc., v. c. pro: *per pecuniam homo non semper fit felix*, dicas: *homo, quia pecuniam habet, propterea non fit felix*, vel: *homo, licet pecunia abundet, tamen propterea non semper fit felix.*

9) *inter* nonnunquam in *dum*, v. c. pro: *Cajus inter coenam mortuus est*, dicas: *Cajus, dum coenabat, mortuus est.*

10) *sine* saepe potest in *qui, si, nisi* mutari, v. c. pro: *certum est, hominem sine ingenio parum discere posse*, dicere licet: *certum est, hominem, qui* s. *si ingenio careat, parum* etc. — Sic pro: *literae sacrae dicunt, neminem sine virtute posse deo placere*, ita dicas: *literae sacrae dicunt, neminem, si virtute careat* s. *nisi virtute instructus sit, posse deo placere.*

11) *praeter* interdum in *si excipis*, v. c. pro: *omnes homines praeter Adamum usi sunt parentibus*, dicere licet: *omnes homines, si Adamum excipis* s. *si ab Adamo discesseris, parentibus usi sunt.*

12) *valde* in *tantum quantum*, *tantopere quantopere*, v. c. pro: *scio me a te valde amari*, dici potest: *scio me, quantum* s. *quantopere vix filius a patre* vel *pater a filio amari soleat, tantum* s. *tantopere a te amari.* Pertinet hoc ad copiam, ut sequens:

13) *magnus, maximus* in *tantus, quantus*, v. c. pro: *Cicero eloquentia sua effecit, ut maxima dignitate frueretur*, dici possit: *Cicero — effecit, ut, quantam dignitatem pauci consequantur, tanta frueretur*, vel: *ut, quantam dignitatem pauci consecuti unquam essent, tantam consequeretur.* — Sic pro: *Cicero efficere oratione Maniliana studuit, ut Pompejus pro maximo viro haberetur*, dicere possis: *Cicero efficere — studuit, ut, quantus vix mortalis unquam fuisset, pro tanto Pompejus haberetur* s. *tantum Pompejum esse Romani sibi persuaderent.*

14) *locus*, v. c. *domus, urbs* etc., mutetur interdum in particulam loci, v. c. pro: *miror, te nescire meam domum*, dicas: *miror, te, ubi ego habitem, nescire.* — Sic pro: *scripsisti, te patriam Caji nosse*, dici potest: *scripsisti, te, ubi* s. *in qua urbe Cajus natus sit, scire.*

15) *tempus* in particulam temporis atque ita in enuntiationem temporalem mutari potest, v. c. pro: *multi nesciunt tempus rei*, rectius h. e. magis perspicue dicitur: *multi, quando* s. *quo tempore res acta sit, nesciunt.* — Sic pro: *nos horam mortis nescimus*, dicas: *nos, qua hora morituri simus, ignoramus.*

16)

16) *omnis*, *omnia* ſaepe per *quisquis*, *quidquid; quicunque*, *quodcunque*, *quaecunque* circumſcribi poteſt, v. c. pro: *conſtat*, *omnem noſtram ſcientiam eſſe parvam*, dicas: *quis dubitat, quin, quidquid ſciamus, id parvum ſit?* — Sic pro: *Audio*, *ignem tibi omnes tuos libros eripuiſſe*, dicere licet: *Audio*, *ignem tibi*, *quidquid librorum* ſ. *quoscunque libros habueris*, *eripuiſſe*, vel: *ignem*, *quidquid librorum habueris*, *tibi eripuiſſe.*

17) *cauſa* ſaepe mutari poteſt in *cur*, *unde*, v. c. pro: *Multi dubitant; at dubitationis cauſam non afferunt*, dicas: *Multi dubitant: at, cur dubitent, non addunt.* — Sic: *tonitrua audis, ſed eorum cauſas neſcis*, dicere licet: *tonitrua audis*, *ſed, unde oriantur*, *neſcis.*

18) ſaepe *res* in *quid* mutari poteſt, v. c. pro: *Tu rem non audiviſti*, dicas: *Tu, quid factum ſit, non audiviſti.*

19) *modus, ratio*, mutetur interdum in *quomodo*, *qua ratione*, v. c. pro: *rem ſcio*, *ſed modum ejus neſcio*, ita dicatur: *quid factum ſit*, *ſcio*, *ſed*, *quomodo* ſ. *qua ratione factum ſit*, *neſcio.* — Sic pro: *qui rationem inſtitutionis non intelligit*, *is non debet pueros inſtituere*, ita dicas: *qui*, *qua ratione* ſ. *quomodo pueri inſtituendi ſint*, *non intelligit*, *is non debet* etc.

20) periphraſes, de quibus infra dicetur, in univerſum hic valde proſunt, v. c. *ii*, *qui nos genuere*, i. e. *parentes.* — Sic pro: *ſcelus immaniſſimum eſt, hominem ſuos parentes occidere poſſe*, dici poteſt: *Immaniſſimum ſcelus eſt*, *hominem, a quibus genitus eſt*, *eos occidere poſſe*, ſ. *hominem eos*, *a quibus vitam accepit, poſſe vita privare.*

SECT. VIIII

Cautiones aliquot de uſu periodi.

Cum iſta periodi ſtructura nihil pulchrius ſit, nihilque magis artem bene latine ſcribendi indicet, ut apte ponatur, omninoque ejus uſus melius perſpiciatur, aliquot admonitiones cautionesque addendae ſunt:

1) Omnis interjecta enuntiatio aptam habeat ſententiam neceſſe eſt. Quod niſi eſt, potius abſtineamus periodis, quam nugas ſcribamus. Nugari enim eſt verba ſine ſententia ponere. Imo iſta enuntiatio ta-

lis esse debet, ut quisque lector credere cogatur, illam necessario ponendam fuisse, neque omnino abesse potuisse.

2) Periodo ubique uti non debemus. Ineptum id foret, et lectorem auditoremque defatigaret, eique taedium crearet. Variatione, ut in omnibus rebus, ita hic quoque opus est. Hinc etiam per *incisa* s. *commata* et *membra* s. *cola* scribendum et dicendum est, quod *incisim membratimque dicere et scribere* appellatur: et utraque periodis admiscenda sunt. *Commata* et *cola* sunt enuntiationes nulla alia enuntiatione dissectae: illa sunt breviora, haec longiora. E Rhetorum praeceptis *commata* intra octo syllabas comprehenduntur, h. e. usque ad octo syllabas procurrunt: *cola* ad septendecim, h. e. possunt VIIII, X, XI — XVII syllabis constare. Sunt haec magis subtilia, quam utilia. Quis enim orator animo incitato loquens vel etiam scribens ubique syllabas numeret? Attamen exempla pauca afferam e Cicerone Orat. 66 et 67, ubi ipse haec vocat *incisa* s. *commata: Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia superabat? at egebas:* — et *membra* s. *cola* haec: *Incurristi amens in columnas: in alienos insanus insanisti.* — Satis est nobis scire, debere nos modo *periodo* modo *membris incisisque* uti. Amant enim alterna Camenae.

3) Periodi non debent nimis longae fieri h. e. non nimis multae enuntiationes, eaeque longiores, inserendae sunt. Nam fatigant lectorem, eique taedium creant, et obscuritatis aliquid secum plerumque habent. Periodi longiores a Rhetoribus priscis vocantur πνεύματα i. e. *spiritus* et τάσεις h. e. *extensiones: πνεύματα*, si, quamquam longae sunt, tamen uno spiritu pronuntiari possunt; τάσεις, si uno spiritu a nemine, licet robustissimo, pronuntiari queunt. Hae igitur vitandae, saltem in dicendo; in scribendo ignosci possunt, si quidem perspicuae satis sunt. Nam lectoris oculus plura comprehendere valet, quam auris auditoris. Hinc

longissi-

longiſſimae periodi, quas *τάσεις* vocare poſſis, in Caeſare et Livio, quamquam et in Cicerone ipſo, licet oratore, et in ipſius orationibus, inveniuntur.

4) *Enuntiatio inſerenda* debet eſſe brevior ea, cui inſeritur, vel ſaltem videre debemus, ut verba poſteriora disſectae enuntiationis ne nimis pauca ſint prae interjecta enuntiatione. Hoc poſtulat praeter perſpicuitatem, quae ita offenditur, *numerus oratorius*, qui enuntiationum ſ. membrorum aequalitatem, quantum fieri poteſt, requirit. At difficile eſt illud ubique obſervare, nec Cicero ipſe ubique obſervavit. At hoc ſaltem cavendum eſt, ne enuntiatio disſecta, praeſertim ſi inſerta enuntiatio paulo longior fuit, duobus, nedum uno vocabulo, praeſertim breviori, terminetur. V. c. *patrem, etſi me nullis afficere ſolet beneficiis, amo.* Hoc injucundum eſt: ſaltem adjiciendum *tamen* et ſic dicendum: *patrem, etſi me nullis afficere ſolet beneficiis, tamen amo*, vel: *tamen amare non dubito.* Multo minus ita dixeris: *patrem, etſi me nullis beneficiis affecit, ſed, quibuscunque rebus poteſt, mihi aegre facere ſtudet, amo.* Vocabulum *amo* ſic ſolitarium eſſe non decet. — Notandum: ſi aequalitas membrorum obſervari non poteſt, melius eſt, verba enuntiationis disſectae poſteriora h. e. ea, quae poſt illam disſectionem ponuntur, longiora eſſe, quam enuntiationem interjectam: v. c. *patrem, etſi me non amat, tamen, ut filium ingenuum decet, omni illum pietate obſervantiaque amplecti ſoleo.* Videndum vero ſimul, ne nimio hujus aequalitatis ſtudio materiam, quam tractamus, ipſam debilitemus et enervemus.

5) In compoſitis periodis videndum eſt, quantum fieri poteſt, ut conſequens enuntiatio vel eandem, vel, quia illud non facile fieri ubique poſſit, paulo majorem, vel ſaltem non multo minorem longitudinem habeat, quam antecedens habuerat. V. c. Cic. Divin. in Caecil. 1 in. *Si quis veſtrum, judices, aut eorum, qui adſunt, for-*

te miratur, me, qui tot annos in caufis judiciisque publicis ita fum verfatus, ut defenderim multos, laeferim neminem, fubito nunc mutata voluntate ad accufandum defcendere: is, fi mei confilii caufam rationemque cognoverit, una et id, quod facio, probabit, et in hac caufa profecto neminem praeponendum effe mihi actorem putabit. Fontej. 14 in. *Quodfi aut quantam voluntatem habent ad hunc opprimendum aut quantam ad maledicendum licentiam, tantum haberent aut ad ementiendum animi aut ad fingendum ingenii: non meliore fortuna ad probra non audienda Fontejus, quam illi, de quibus antea commemoravi, fuiffet.* Agr. II, 36 extr. *Quemadmodum, cum petebam, nulli me vobis auctores generis mei commendarunt: fic, fi quid deliquero, nullae funt imagines, quae me a vobis deprecentur.* Catil. I, 13 *Ut faepe homines aegri morbo gravi, cum aeftu febris jactantur, fi aquam gelidam biberint, primo relevari videntur, deinde multo gravius vehementiusque affligantur: fic hic morbus, qui eft in republica, relevatus iftius poena vehementius reliquis vivis ingravefcet.* Ad Div. III, ep. 8 in. *Etfi, quantum ex tuis literis intelligere potui, videbam, te hanc epiftolam, cum ad urbem effes, effe lecturum, refrigerato jam leviffimo fermone hominum provincialium: tamen, cum tu tam multis verbis ad me de improborum oratione fcripfiffes, faciendum mihi putavi, ut tuis literis brevi refponderem.* In iftis exemplis brevior erat confequens antecedente. — Contra paulo longior eft confequens antecedente in hoc Cic. Agr. II, 37 *Nam, fi ii, qui propter defidiam in otio vivunt, tamen in fua turpi inertia capiunt voluptatem: fub ipfo otio, quo vos fortunam regitis, fi hunc ftatum, quem habetis, effe meliorem non ignoratis, non ut quaefitum fed vita partum otium tenueritis.* Vel ex his exemplis patet, raro utramque enuntiationem poffe plane aequalem fibi reddi. Caveamus itaque tantum, ne antecedentem longiffimam confequens nimis brevis fequatur, v. c. vix ita dixerim: *cum pater meus, qui te incredibili amore complecti folet, faepiffime*

ſime mihi mandaſſet, ut, quibuscunque rebus poſſem, te adjuvarem, nihilque omnino, quod tua intereſſe putarem, omitterem: ego, quae mandavit, faciam. Equidem ita non dixerim: attamen cuilibet inaequalitatem talem facile condonarem, dummodo periodus ipſa egregiis ſententiis ornata eſſet, atque ita illam compenſaret. Nihil enim tam pulchrum eſt, quam bene cogitare: et gravis ſuperſtitio eſt, omnia in iſta periodorum concinnitate, nihil in ſententiis, ponere.

6) Periodus et ſimplex et compoſita non ſolum in Orationibus, quamquam hic potiſſimum, ſed etiam alibi adhiberi poteſt, v. c. in epiſtolis, in hiſtoria ſcribenda. Cicero quidem in epiſtolis, in libris rhetoricis et philoſophicis, Caeſar et Livius ſaepiſſime adhibuere, ut exempla ſupra ex iſtis libris petita docere poſſunt.

7) Dividunt etiam vulgo *periodos* in *bimembres, trimembres, quadrimembres*, prout vel duabus vel tribus vel quatuor injectis enuntiationibus conſtant; et *quadrimembres* perfectiſſimas eſſe dicunt. At totum hoc parvae eſt utilitatis: quia ſe quisque ad materiam, quam tractat, accommodare debet ac videre, quid et quantum dici interjicique poſſit, quid non. Imo talia praecepta tirones inducere et efficere poſſunt, ut plus ſtudii in verborum fuco, quam in rerum veritate, plus in ſpecioſe dicendo, quam in apte cogitando, ponant. Hoc teneamus tantum, ſuaviſſimum eſſe, ſi, quot enuntiationes antecedenti, totidem conſequenti enuntiationi inſertae fuerint; hincque nobis operam dandam eſſe, ut, ſi fieri poſſit h. e. ſi contextus materiaeque ratio ferat, iſtud obſervemus. Ex. c. *Si, quantum regibus confidere ſolemus, tantum fiduciae in Deo poneremus: haud dubie, quo gravius nos mala premerent, eo minus deſperandum putaremus.* Hic una eſt in antecedente, una in conſequente. Hac in re peccavit Cicero Caecin. 1 in. *Si, quantum in agro locisque deſertis audacia poteſt*

tantum in foro atque in judiciis impudentia valeret: non minus nunc in causa cederet A. Caecina Sex. Aebutii impudentiae, quam tum in vi facienda cessit audaciae. Hic enim antecedenti quidem inserta est enuntiatio, non item consequenti, ut propterea ista periodus ne pro composita quidem haberi possit. At docet simul hoc Ciceronis exemplum, magis materiae quam artificii illius periodici rationem habendam esse.

CAP. VI

De numeris oratoriis s. numero oratorio.

SECT. I

Quid sint numeri oratorii? (numerus?)

Cum periodo egregie cohaerent *numeri oratorii* (s. *numerus oratorius*, quamquam prius accuratius), quia hi magnam partem per illius aptam conformationem exsistunt. De his igitur numeris, quibus Cicero vim quandam incredibilem et paene immensam tribuit, dicendum est. At si, quid sint, quaeris, magna difficultas reperitur eos definiendi: hinc nonnulli dicunt, eos magis sentiri quam explicari posse: alii definiunt per *harmoniam* s. *concentum*: alii per *conformationem quandam orationis aures ipso sono delectantem.* Nimis generaliter et minus subtiliter. Nam sic, quidquid verborum e numeris musicis caneretur, foret numerus oratorius; quod tamen non est. Cicero ipse numeros oratorios s. numerum orationis (ut loquitur Orat. 60) non explicat in Oratore, sed ibi loquitur de iis tam varie et inconstanter, ut, quid proprie ubique velit, vel maxime attentus non conjiciat: id quod argumento est, saepe hominem aliquid praeclare scire et usurpare, nec tamen accurate explicare, posse. Videamus, an accurate distincte-

diſtincteque explicari poſſint. *Numeri oratorii* conveniunt cum *numeris poeticis* h. e. pedibus, ut Cicero ipſe ait, et cum *numeris muſicis*. Quid vero ſunt *numeri poetiti, muſici?* Quid aliud, quam certae ac demenſae unius Totius partes ſibique invicem quodam modo aequales? In re muſica *numeri* ſunt *partes carminis demenſae ſibique aequales*, quarum menſura indicatur pede, manu, ſignaturque vulgo lineola perpendiculari et quae vocantur a nobis vulgo *Tacte:* hae partes omnes ſibi ſunt aequales *tempore.* Sic *numeri poetici* ſ. pedes ſunt *demenſae unius verſus partes* (ſ. *membra*) eaeque tempore ſibi aequales: v. c. ſpondeus aequat dactylum, quia duae breves ſyllabae uni longae aequales ſunt h. e. tantum temporis poſtulant, quantum una longa deſiderat. Eadem ratio eſt *numerorum oratoriorum:* ſic enim haud dubie locuti ſunt primis temporibus, utentes plurali, non ſingulari: hi igitur *numeri oratorii* ſunt *partes* (ſ. *membra*) *aequales* unius ſententiae majoris vel minoris, v. c. abſolutae ſententiae intra duas interpunctiones maximas incluſae. Poſtea etiam in ſingulari dicere coeperunt *numerum oratorium:* hinc orta eſt difficultas definiendi. At poteſt in ſingulari etiam definiri, ut *numerus* ſit *certa* et *aequalis menſura* ſ. *proportio membrorum* (ſ. *partium*) h. e. *verborum, ſententiarum et enuntiationum earum, quae ad ſe invicem referuntur, atque ita unum Totum conſtituunt:* de his enim tantum ſermo eſt, non de omnibus vocabulis et enuntiationibus. Facilius haec tota res, puto, intelligatur, noſtraque explicatio facilius probetur, ſi ponimus, quod ponere poſſumus, *numerum* proprie ſignificare, ut *omnem partem*, ita in primis *partem certam* ac *demenſam rei cujusque* et ceteris partibus parem: hinc ſponte patet, *numeros muſicos, poeticos, oratorios, militares*, it. *palaeſtricos, ſaltatorios*, eſſe *certas* unius Totius *demenſas ſibique aequales partes:* v. c. Ovid. *carmen numeros veniebat ad aptos* i. e. *partes ſuas* ſ. *pedes.* Sic *cohortes* dicuntur *numeri*, quia ſunt certae demenſaeque ac

 ſibi

ſibi aequales partes legionis. *Numerus* pro *parte* qualibet occurrit Ovid. Met. VII, 126 de infante latente in utero, *utque hominis ſpeciem materna ſumit in alvo perque ſuos intus numeros componitur infans* i. e. *partes:* ut adeo in numeris muſicis, poeticis, oratoriis, palaeſtricis etc. ne translatione quidem opus ſit, quia ubique proprie ſumere licet. *Numerum* autem proprie ſignificare *partem*, non mirum videri debet. Quid enim priſci numerabant prima aetate praeter partes unius Totius? v. c. *agnos* etc.: nam hi ſunt *partes ſui Totius* i. e. gregis etc. Et forſan vernaculum *Zahl, zählen*, cum vocabulo *Theil* eſt ejusdem originis: ſic Graecis *νόμοι* dicuntur *numeri muſici*, haud dubie a *νέμω partior*, *facere partes rei.* Quidquid eſt, ſive *numeros oratorios*, ſive etiam, ob dicendi uſum, *numerum oratorium* dicere lubet: recte licet nobis, ut illos per *partes aequales*, ita hunc per *aequalitatem membrorum* ſ. *partium*, h. e. enuntiationum inter ſe arcte connexarum proportionem explicare. Hinc vero etiam patet, *numerum* non eſſe ipſam harmoniam ſ. ſuavitatem ſoni, *Wohlklang*, ſed cauſam tantum hujus harmoniae ſ. ſuavitatis: quemadmodum carmen, e regulis muſicis apte compoſitum, non eſt ipſa ſuavitas, ſed ſuavitatem affert, eſtque ejus cauſa.

SECT. II

Utilitas et origo numerorum orat. (*numeri*).

Numeri hi utiles ſunt primum propter *ſuavitatem:* nam omnis continuatio ordinis cujusdam, omnis proportio ſ. demenſa aequalitas, placet; deinde vero etiam in primis ob *perſpicuitatem;* et tandem ob *gravitatem.* Res enim ita magis oculis exponuntur et ſubjiciuntur animoque ſentiuntur. Inventores numerorum horum (ſ. numeri) putantur Thraſymachus et Gorgias Leontinus: poſt perfeciſſe dicitur Iſocrates; v. Cic. Orat. 52: quo loco Cicero ita loquitur, ut periodos ad numerum illum quoque pertinere credat. Recte. Nam periodus bene ſtructa eſt numerus vel potius conſtat numeris. Cf. ſupra

SECT.

SECT. III

Quotuplex ſit iſte numerus?

Numerus i. e. aequalitas ſeu proportio iſtarum enuntiationum inter ſe arcte connexarum atque ita unum Totum conſtituentium eſt triplex, ad ſummum quadruplex. Nam a) enuntiationes iſtae ſibi interdum, h. e. ubi contextus fert, aequales debent eſſe in certis verbis ſibi invicem eodem modo reſpondentibus: b) poſterior pars enuntiationis disſectae debet aequalis eſſe enuntiationi inſertae: c) verborum compages, quae totam ſententiam claudit proximeque antecedit diſtinctioni maximae, ſive illa ſit pars disſectae enuntiationis ſive enuntiatio tota, debet vel praecedenti aequalis eſſe vel ſaltem non nimis prae illa brevis. Huc accedit d) compoſitio vocabulorum ad numeros poeticos e mente Ciceronis inſtituenda, quae tamen hodie parum prodeſſe poteſt. Haec ſingula illuſtrabimus:

I) Enuntiationes arcte conjunctae, in primis ſibi oppoſitae, debent, ubi fieri licet, in certis partibus h. e. vocabulis ſibi aequales eſſe ſeu reſpondere: ita, ut totidem vocabula ejusdem generis reſpondeant praecedentibus. Exempla dabimus:

1) *unum vocabulum uni vocabulo* ejusdem generis, ſi fieri poteſt, (h. e. nomen nomini, participium participio, adverbium adverbio) *reſpondet*, h. e. una enuntiatio alteri opponitur ita, ut in utraque unius vocabuli maxime habeatur ratio. V. c. Cic. Mil. 4 *Eſt haec non ſcripta ſed nata lex: — ad quam non docti, ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti, ſumus.* Hic ſingula vocabula ſingulis vocabulis ter opponuntur, eaque unius generis, h. e. participium participio: *ſcripta* et *nata; docti* et *facti; inſtituti* et *imbuti.* Quodſi Cicero dixiſſet: *eſt haec non a majoribus noſtris ſcripta ſed nata lex*, peccaſſet, quia membrum hoc: *ſed nata lex*, longe brevius fuiſſet; at ſic dicere poterat: *eſt haec lex non a majoribus ſcripta, ſed a natura tradita:* ita membra aequalia fuiſſent. At ita dicere noluit, quia ſtatim deinde dixit: *ſed e natura hauſimus.* Talem membrorum aequalium compoſitionem Cicero Or. 49 *concinnitatem* appellat, ubi iſta verba e Miloniana ipſe exempli cauſa affert. Nec tamen negandum, *τὸ imbuti* i. e. a teneris *adſuefacti* forſan parum vel nihil differre ab *inſtituti* et *docti*,

ut adeo tota ista concinna commutatio, si aurium oblectationem excipis, vitium tavtologiae sustinere videatur. — Sic Catil. I, 11: *ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc stuprum; hinc fides, illinc fraudatio* etc., ubi *pudor* et *petulantia*, *pudicitia* et *stuprum* etc. sibi opponuntur. Possis hoc exemplum quoque referre ad sequens, ubi bina vocabula sibi opponuntur; si scilicet *hinc* et *illinc* assumere velis.

2) *bina* vocabula ejusdem generis *binis* respondent, v. c. *tu eo es animo, ut omnes oderis, neminem ames:* ubi *omnes oderis* et *neminem ames* sibi opponuntur. — Sic: *decet hominem, mortales inimicitias, immortales amicitias habere:* sic: *curas aliena, negligis tua.* — Cic. ad Div. VI, ep. 2 §. 5 *Si armis aut conditione positis aut defatigatione abjectis aut victoria detractis civitas respiraverit*: ubi *conditione positis*, *defatigatione abjectis*, et *victoria detractis*, sibi opponuntur; verba sunt ejusdem generis a) ablativi *conditione*, *defatigatione*, *victoria* b) participia in eod. casu *positis*, *abjectis*, *detractis*, quae singula apta sunt: *arma ponere* convenit *conditioni*, *abjicere defatigationi*, *detrahere victoriae.* — Arch. 6 *qui ita vivo, ut ab nullius unquam me tempore — aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit.* Apte. Nam *otium abstrahit*, *voluptas avocat*, *somnus retardat.* Quod *meum* et *denique* inseruit, atque ita enuntiationes non plane aequales reddidit, parvi faciendum est. Perspicuitas quidem postulabat *meum*, et ultima enuntiatio paulo longior fieri debebat. — Peccasset Cicero, si in priore loco dixisset: — *armis aut positis aut defatigatione abjectis* etc.; vel: *armis aut conditione positis aut per defatigationem abjectis* etc., et in posteriore: *aut otii studium abstraxerit aut voluptas avocarit* etc. Addere tum etiam vocabulis *voluptas* et *somnus* substantivum aliquod debuisset, v. c. *voluptatis illecebrae*, *somni dulcedo* vel simile quid. — Haec aequalitas vocabulorum non modo in binis enuntiationibus sibi junctis locum habet, sed etiam in una enuntiatione, v. c. pro: *frater tuus doctrina et vita integra honores et nomen immortale consecutus est*, ita dici potest numerose: *frater tuus doctrinae elegantia et vitae integritate honorum amplitudinem et nominis immortalitatem consecutus est.* Sic millies Cicero et in Orationibus et alibi. V. c. Marcell. 2 *Soleo saepe ante oculos ponere, — omnes nostrorum imperatorum — res gestas cum tuis nec contentionum magnitudine, nec numero praeliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri.* Hic observes aequa-

aequalitatem: *contentionum magnitudine*, *numero praeliorum* etc. Egregie! — Sic Orat. I, 5 *quid tam admirabile, quam populi motus*, *judicum religiones*, *ſenatus auctoritatem*, *unius oratione converti*. Dicere poterat: *populum, judices, et ſenatum*; ſed, cum unum horum vocabulorum in duo convertiſſet, debebat cetera duo quoque eodem modo mutare. — Ibid. c. 9 *Cum civitatem vel paterno conſilio vel avitis armis florentiſſimam accepiſſet* etc.

3) *terna* vocabula *ternis* reſpondent. Cic. Orat. I, 9 *quis enim tibi hoc conceſſerit*, *aut initio genus hominum in montibus ac ſylvis diſſipatum*, *non prudentium conſiliis compulſum potius quam diſertorum oratione delinitum*, *ſe oppidis moenibusque ſepſiſſe?* Hic notes oppoſitionem: *prudentium conſiliis compulſum* et *diſertorum oratione delinitum*, ubi genitivus, ablativus, et participium genitivo, ablativo, et participio reſpondet. Quodſi Cicero omiſiſſet *compulſum*, debuiſſet quoque omittere *delinitum;* ſi dixiſſet: *a prudentibus* pro *prudentium conſilio*, debuiſſet quoque dicere: *a diſertis* pro *diſertorum oratione*. — Roſc. Com. 8 extr. *qui tantas et tam infinitas pecunias non propter inertiam laboris*, *ſed propter magnificentiam liberalitatis*, *repudiarit*. Hic notes: *propter inertiam laboris* et *propter magnificentiam liberalitatis*, ſibi reſpondere: vocabulum *laboris* plane abeſſe debebat, quia jam latet in *inertia:* et *inertia laboris* eſt dura locutio. Addidit tantum ob membrorum concinnitatem. — Marcell. 2 *Soleo ſaepe ante oculos ponere idque libenter crebris uſurpare ſermonibus*, *omnes noſtrorum imperatorum*, *omnes exterarum gentium potentiſſimorumque populorum*, *omnes clariſſimorum regum res geſtas cum tuis nec contentionum* etc., ubi notes: *omnes noſtrorum imperatorum*, *omnes exterarum gentium*, *omnes clariſſimorum regum*. Hinc intelligitur id, quod jam in praeced. monui, hanc aequalitatem vocabulorum ſ. numerum non modo in duabus enuntiationibus ſibi junctis vel oppoſitis, ſed etiam in una eademque enuntiatione, locum habere. — Claudat agmen locus ille nobiliſſimus Mil. 4 *Eſt haec non ſcripta ſed nata lex*, *quam non didicimus*, *accepimus*, *legimus; verum ex natura ipſa arripuimus*, *hauſimus*, *expreſſimus*, ubi notes: *didicimus*, *accepimus*, *legimus*, et contra: *arripuimus*, *hauſimus*, *expreſſimus*. Hunc locum Cicero ipſe Or. 49 nomine *concinnitatis* inſignivit: quamquam quaeri adhuc poſſit, quomodo *arripuimus*, *hauſimus*, *expreſſimus* differant, et annon concinnitatis iſtius ſtudio interdum verba pro rebus a Cicerone prolata ſint.

4) *plura*

4) *plura* etiam verba ſibi opponuntur interdum, ac vel totae enuntiationes: v. c. Cic. Verr. V, 6 *ut, quam damnatis ſervis crucem fixeras, hanc indemnatis civibus romanis reſervares?* Hic opponitur *quam* et *hanc*, *damnatis* et *indemnatis*, *ſervis* et *civibus*, *fixeras* et *reſervares.* — Addam tantum adhuc locum e Verrinis, quem Cicero ipſe Orat. 50 in. tanquam exemplum numeri memorat, ubi bina, terna, ac plura vocabula ſibi opponuntur: *conferte hanc pacem* (Verris) *cum illo bello* (Marcelli), *hujus praetoris adventum cum illius imperatoris victoria: hujus cohortem impuram cum illius exercitu invicto: hujus libidines cum illius continentia: ab illo, qui cepit, conditas, ab hoc, qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas.* Locus eſt Verr. IIII, 52.

Sed hic duo notanda:

a) iſta aequalitas ſ. numerus, ſuaviſſimus licet, non ubique affectandus eſt, ſed interdum tantum adhibendus, praeſertim in re gravi, ubi v. c. rem cum re comparamus, vel ubi aliquid refutamus, omninoque ubi materia ſuppeditatur: ſine qua numeroſe dicere ſtultitia et inſania eſt. Nec Cicero ubique iſtud numeri genus ſecutus eſt: imo ſaepe contra eum peccavit. V. c. Arch. 6 *quis mihi jure ſuccenſeat, ſi, quantum ceteris ad ſuas res obeundas, quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates et ad ipſam requiem animi et corporis conceditur temporum* etc. Hic non plane ſibi ſunt aequalia: *ad ſuas res obeundas, ad feſtos dies ludorum celebrandos, ad alias voluptates et ad ipſam requiem animi et corporis*: nam *ad ſuas res obeundas* ſunt quatuor verba ſine genitivo: ſed *ad feſtos dies ludorum celebrandos* ſunt quinque verba, et ineſt genitivus *ludorum*, cui in praecedenti membro nullus genitivus reſpondet. Quam inaequalia illis ſunt ſequentia: *ad alias voluptates et ad ipſam requiem animi et corporis!* — Ibid. c. 7 *haec ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant*, hactenus recte; at pergit: *ſecundas res ornant, adverſis perfugium ac ſolatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.* Quam inaequalia haec membra! — Ib. c. 8, ubi Archiam cum Roſcio Comoedo comparat: *Ergo ille corporis motu tantum amorem ſibi conciliarat a nobis omnibus: nos animorum incredibiles motus celeritatemque ingeniorum negligemus?* Ibid. extr. *Ergo illi alienum, quia poeta fuit, poſt mortem etiam expetunt; nos hunc vivum, qui et voluntate et legibus noſter eſt, repudiabimus?* — Manil. 3

ut

ut se non Ponto neque Cappadociae latebris occultare velit, sed emergere e patrio regno atque in vestris vectigalibus, hoc est, in Asiae luce versari. — Orat. I, 9 *Quis enim tibi hoc concesserit, — reliquas utilitates aut instituendis aut conservandis civitatibus non a sapientibus et fortibus viris, sed a disertis et ornate dicentibus, esse constitutas?* Hic opponitur *a sapientibus et fortibus viris* atque *a disertis et ornate dicentibus*, non satis accurate: at non aliter poterat. — Ibid. c. 10 in. *num aut inventa sunt aut cognita aut omnino ab oratorum genere tractata?* postremum membrum est nimis longum prae duobus antecedentibus *aut inventa aut cognita.* Peccavit ergo Cicero contra numerum; sed non in re peccavit: et melius est contra numerum quam contra rem peccare, si in alterutro peccandum est. — Add. Manil. c. 6 *tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio quiescit.* Recte; licet, si numerum spectes, non satis accurate. Vim itaque faciunt Ciceroni, qui sicubi hanc membrorum aequalitatem ab eo neglectam vident, statim corrigere conantur, v. c. Ernesti ap. Cic. Dejot. 6 in. τὰ *quis tectior* pro spuriis habet, cf. Ernesti Arch. 6 n. 20.

b) Quaeritur vero, unde materiam hujus aequalitatis numerique petamus. — In primis variatione et copia dicendi, de qua infra. Debemus rem, quam tractamus, omnibus ex partibus considerare ac videre, an et quot vocabula adhuc addi possint, v. c. *similitudo* quaedam, *contrarium* etc., et an istis totidem vocabula opponere possimus: interdum hic prodest phrasin pro uno verbo ponere, ex uno substantivo duo facere etc. Proponam hic exempla pauca, eaque faciliora, v. c. Quando dico: *nemo potest sine labore ad doctrinam accedere*, recte dico, quia *labore* et *doctrinam* sibi bene respondent. At, cum dico: *nemo sine laboris assiduitate ad doctrinam accedere* etc., vel: *nemo sine labore ad doctrinae suavitatem accedere potest*, pecco in utroque. At utrumque conjungatur: *nemo sine laboris assiduitate ad doctrinae suavitatem accedere potest.* Ita erit numerus. Possit et ita variari: *non otii studio sed laboris assiduitate ad doctrinae suavitatem accedere licet.* — Sic pecco quodam modo, cum dico: *quod Cajus propter amorem facere studuit, id Titius odio incitatus prohibuit*, quia *propter amorem* et *odio incitatus* non sibi satis bene respondent. Quare vel *propter amorem* et *propter odium* vel *amore ductus* et *odio incitatus* dicendum. Possis etiam, si tria verba tribus opponere velis, ita dicere: *quod*

quod Cajus amoris magnitudine ductus facere ſtuduit, id Titius odii vehementia incitatus prohibuit; vel, ſi quatuor opponere velis: *quod Cajus incredibili amoris magnitudine adductus facere ſtuduit, id Titius acri impetu odii inflammatus prohibuit;* vel, ſi quinque: *quod Cajus incredibili amoris acerrimi magnitudine inflammatus facere ſtuduit, id Titius acri impetu odii ſaeviſſimi abreptus prohibuit.* Poſſis adhuc addere adverbia, in priori *egregie*, in poſteriori *turpiter;* poſſis quoque pro *turpiter* ponere *cum turpitudine inſigni*, tum pro *egregie* ponendum *cum laude egregia.* Poſſis etiam pro *Cajus* dicere *Caji humanitas* et pro *Titius* ponere *Titii crudelitas.* Poſſis tandem, ut cuncta ſibi reſpondeant, pro *prohibuit* dicere *prohibere auſus eſt*, *prohibendum putavit* etc., ut ſic melius reſpondeat τῷ *facere ſtuduit:* atque ita totam ſententiam hac ratione formare: *quod Caji humanitas incredibili amoris acerrimi magnitudine inflammata cum laude egregia facere ſtuduit, hoc Titii crudelitas acerrimo impetu ſaeviſſimi odii abrepta cum inſigni turpitudine prohibere auſa eſt.* Poſſis adhuc verbis *Caji* et *Titii humanitas* et *crudelitas* addere epitheton: v. c. *quod Caji optimi* ſ. *liberaliſſimi ſumma humanitas* etc., *id Titii duriſſimi* ſ. *peſſimi crudelitas nefaria* etc. — Poſſint adhuc plura addi: ſed haec ſufficiant. Poſui vero iſta, non, ut tirones inepte cupideque imitarentur, ſed ut ostenderem, qua ratione ſibi facile poſſent viam ad iſtum numerum patefacere: quae ratio notior foret adoleſcentibus, ſi concinnitates iſtas apud Ciceronem obvias non tantum vertere ſed etiam reſolvere et in ſua elementa redigere mature diſcerent.

II) *Alterum* numeri genus eſt, quando pars poſterior diſſectae enuntiationis vel aequalis eſt inſertae enuntiationi, vel etiam, ſi id fieri nequit, major, vel ſaltem non nimis brevis prae illa. Nam hic non *aequalitas* ſubtiliter intelligenda, quaſi in utroque membro eadem multitudo et idem numerus ſyllabarum et literarum eſſe debeat. Quod quis mortalium efficere poſſit? Hinc concedendum eſt aliquid, ita, ut tamen *aliqua aequalitas* ſervetur. Tenendum tamen eſt, poſteriorem partem diſſectae enuntiationis, licet non nimis brevis prae inſerta eſſe debeat, tamen longiorem eſſe poſſe. Hoc ait Craſſus ap. Cic. Orat. III, 48 extr. his verbis: *quae* (membra) *ſi in extremo breviora ſunt, infringitur ille quaſi verborum ambitus: quare aut paria eſſe debent poſteriora ſuperioribus, extrema primis, aut, quod etiam melius eſt et jucundius, longiora.* Peccaret ergo, qui diceret: *pater,*

pater, postquam literas a te missas legerat, et se rescripturum esse promiserat, mortuus est; saltem debebat dici: *praeter omnium opinionem statim mortuus est*, vel simile quid. Sed ut, quid sentiam, aperte dicam, causam, cur posterius membrum longius quidem fieri possit, sed nunquam nimis breve fieri debeat, puto esse non tam suavitatem, ut Crassus, vel potius Cicero, delectandi auditores studio deditus, putavit, quam perspicuitatem. Audiuntur enim et attenduntur melius posteriora verba sententiae quam priora: praesertim cum vox in fine sententiae totius cadere et remissior fieri soleat, ut adeo paucula verba vel saltem syllabae in periculo semper sint, ut audiantur: propterea puto decere, posterius membrum reddere paulo longius.

Notandum hic:

a) pertinere huc non modo posteriorem partem enuntiationis dissectae, sed etiam omnem enuntiationem, quae alteram, cum qua conjuncta est, sequitur, licet non dissecta sit. Etiam hanc praecedenti, quantum fieri possit, aequalem fieri debere certum est. De utraque usurpari solet vocabulum *membri*, non satis perspicue, at usitate tamen: v. c. cum dicitur *membra paria* esse debere, s. *paria membra paribus* respondere debere.

b) sed quaeritur, si pars ista posterior enuntiationis dissectae, vel enuntiatio omnino consequens, brevior per se sit, quomodo longior reddi queat. — Haec est res non facillima. Variis tamen rebus illud effici potest, modo rem, quam tractes, et singula, quae dicas, satis intelligas. Fieri id in primis solet addendo vocabulo, v. c. substantivo, verbo, adverbio, adjectivo; it. per phrasin loco unius verbi, aliaque circumscriptione; v. c. pro: *quod tua crudelitas fecit, non ego faciam*, dici potest: *quod tua crudelitas fecit, id mea humanitas facere non sustineat;* pro: *olim vivebas cum laude, nunc non*, ita dicere licet: *olim vivebas cum laude, nunc cum ignominia*, vel: *nunc in ignominia versaris:* pro: *pater, ubi mortem filii audierat, flebat* etc., ita dicas: *pater, ubi filii mortem audierat, lacrymas tenere non potuit*, s. *lacrymis abstinere, lacrymis temperare, non valuit*, s. *lacrymis se dedere coepit* etc. — Sic pro: *Rex civibus, quia eos poenitere facti videbat, pepercit ac* etc., dici potest: *Rex civibus, quia poenitere eos facinoris vidit, parcendum esse putavit* s. *decrevit*, s. *Rex, cum cives facinoris poenitere vidisset, in eos clementia utendum esse statuit.* — Sic pro: *etsi ob multas, quibus premebar, occupationes parum otii ad colloquendum*

cum

cum amicis dabatur, hic consequens hoc membrum recte est longius; at si pergo: *tamen, quia te meae epistolae tanto desiderio affici videbam, ad te scripsi*, melius in posteriori dicitur: *ad te has literas dandas censui*, vel: *ad te scribere quamprimum meum esse existimavi.*

c) Non credendum est hoc genus numeri adhibendum esse ubique necessario. In rebus vulgaribus peccare contra eum licet; non item in gravibus et attentione maxima dignis. Hinc in Epistolis similibusque scriptis priscorum, itemque in Orationibus (v. paulo ante e Cic. n. I, 4, a) saepe neglectum reperitur.

III) In primis omnis verborum compages, sive sit pars dissectae enuntiationis posterior, sive per se enuntiationem efficiat, quando in fine ponitur sententiamque universam claudit, h. e. quando inter ultimum signum distinctionis minimae, quod *comma* vulgo vocatur, et inter signum distinctionis maximae, quod *puncti* nomen vulgo gerit, intercedit, debet praecedenti verborum compagi vel aequalis, vel potius, si fieri licet, paulo longior vel saltem non nimis brevis prae illa esse. Hoc exigit a) suavitas; quia omnis proportio placet: b) inprimis perspicuitas et gravitas, praesertim in orationibus: quia, quo propior clausulae suae sit sententia, eo gravior fit, eo magis sentitur et attenditur, eoque longior pars exspectatur: deinde in omni fine sententiae vox dicentis deficere et se remittere solet ac debet, ut facile una alterave syllaba excidat et ab auditoribus praetermittatur. Iam, quo brevius istud ultimum membrum est, eo minus tota ejus sententia percipitur; at, quo longior, eo facilius est sententiam percipere et ex auditis non audita assequi conjectura. — Dixi de hac re paulo ante, ubi de altero numeri genere locutus sum, dixique, posteriorem enuntiationis dissectae partem, omneque aliud membrum, licet non proxime ante interpunctionem maximam collocetur, sed, ut post se, ita ante se adhuc aliud membrum habeat, semper se longitudine quadam commendare atque ita perspicuitatem adjuvare debere. V. c. *tamen, quia te meae epistolae tanto desiderio flagrare videbam, ad te has literas dandas existimavi*, pro: *ad te scripsi.* — Forsan aliquis opinetur, me unam rem bis dicere, cum supra de posterioris membri longitudine dixerim, et hic de postremi membri longitudine loquar. Non plane res eadem est. Supra dixi de omni posteriore membro, quatenus *aliud prius* idque unum membrum praecedit, sed aliud adhuc sequitur vel sequi potest, quamquam et interdum sine sequente membro esse

esse potest. Hic vero loquor de omnium ultimo membro, sive unum sive plura membra praecesserint; sed inter utrumque aliquam intercedere similitudinem certum est. Ceterum non negari potest praeter perspicuitatem inesse suavitatis aliquid in ista longitudine, in primis, quando membrum aliquod longius praecesserit: tum enim auditor eandem fere longitudinem exspectat in posteriori. Qui dum attentionem omnem illuc convertit, aegre fert, si spes ipsum fefellit, putatque, vel aliquid omissum esse a dicente, vel se non recte attendisse. Omninoque omnis inaequalitas offendit, praesertim repentina, qualis hic est; ut contra omnis proportio s. aequalitas demensa placet ac pulchritudinis aliquid affert. Qua vero ratione longius effici possit aliquod membrum, paulo ante monui. V. c. pro: *qui ita de hac re loquitur*, *errat*, dici potest: *qui ita de hac re loquitur*, *is aperte errat* s. *eum errare manifestum est* etc. Faciunt hoc quoque longiora vocabula pro brevioribus usurpanda, v. c. *amandavit* pro *dimisit*, *amplificavit* pro *auxit*; de quibus infra dicetur.

At haec omnia nituntur ratione contextus atque judicii subtilitate: v. c. in oxymoris parum valeat ista regula. *Dum tacent*, *clamant*, rectius h. e. gravius est dictum, quam si dicas: *dum tacent*, *eos clamare quis non intelligit?* Duae ideae *tacere* et *clamare* hic sunt solae ideae, ad quas attendi simul debet: solae igitur sufficiunt arcte conjunctae.

Haec sufficere poterant ad cognoscendum numerum: at duo adhuc addenda sunt, quia auctore Cicerone huc referri solent:

I) Primum igitur, ultimum vocabulum totius periodi vel etiam omnis perfectae sententiae, post quam signum distinctionis maximae ponitur, debet, si fieri potest, a) paulo longius esse, et b) in primis paenultimam habere longam; et c) haec paenultima inter ceteras vocales τὸ *a* propter hujus sonum clariorem libentissime recipere solet. Permittuntur tamen et aliae vocales, v. c. *o* et *e*, rarius tamen *i* et *u*: v. c. *fatetur*, *fateretur*, *perterrefecit* pro *terruit*: in primisque ob τὸ *a* *fateatur*, *videatur*, *consequatur*, *amandavit* pro *dimisit*, *amplificavit* pro *auxit*: haec igitur libenter claudunt sententiam; contra *docuit*, *terruit*, *habuerit*, *sit*, *est* etc.

 non

non bene in fine ponuntur. — Hactenus recte, et millies ita Cicero, v. c. Manil. 1 *susceptae prohibuerunt*; deinde: *transmittendum putavi*; tum: *consecutus*; porro: *haberetis*, et statim: *censuerunt*. — Ex una Cluentiana c. 19 ecce has clausulas: *defuissem*; paulo post: *dicebat*; deinde: *ipse patronus*; tum: *venisset*; postea: *premebatur*; deinde: *dicebat*; tum iterum: *dicebat*; post: *sedebat*: tum: *faciebant* etc. — Et, ut tale verbum ultimo loco ponere posset, saepe Cicero (ut saltem videtur) verborum ordinem immutavit, v. c. Cluent. 47 *sibi dixerint non liquere* dicere maluit, quam: *sibi non liquere dixerint*. — Manil. 7 maluit dicere: *quorum vobis — habenda est ratio diligenter*, quam: *quorum vobis — ratio diligenter habenda est* vel *habenda est ratio*.

At hic observanda duo:

a) primum quaeritur, quaenam sit hujus clausulae caussa propria, quisnam usus? utrum *suavitas*, ut vulgo dicunt, an *perspicuitas?* Suavitas saepe pendet ab usu et consuetudine (hinc rustici delectantur sua symphonia, quae urbanis displicet ac molesta est), interdum a praejudicata quadam opinione. Ego, hanc rem diligentius considerans, totam puto proprie ad orationem in conventu aliquo recitandam pertinere, ubi propter perspicuitatem, ut membrum longius, ita maxime vocabulum longius necessarium est: ut itaque illa clausula magis sit res necessitatis et perspicuitatis quam suavitatis; nisi quod omnis perspicuitas simul suavis est. Nam, ut jam supra monui, in extrema sententia, ubi interquiescere orator debet, cadit vox fitque obscurior in ultimo vocabulo, ut auditor procul stans plerumque unam vel duas extremas illius syllabas non satis audire queat, si quidem a) vel sint breves pronuntiatione, v. c. in *docuit*, *exstitit*, *legerit* etc.: nam priscos syllabas breves celerrime i. e. ita, ut vix audirentur, pronuntiasse, supra in Cap. de Orthographia monuimus; b) vel paenultima hujus ultimi vocabuli, licet longa sit, careat vocali sonantiori, quales sunt *a* et *o*, v. c. in *dimisit*, *praevidit* etc. Quid demum fiet, si vocabulum ipsum est breve, et una, summum duabus syllabis, iisque brevibus constat et vocali *i* terminatur? At alia res est, si vocabulum est longum habetque, nisi omnes syllabas longas, tamen paenultimam

timam longam. Nam, ſi ipſum paulo longius eſt, v. c. quadriſyllabum, vel ſaltem triſyllabum, auditor omnis, etiamſi unam alteramve ſyllabam non diſtincte percepit, ex una tamen vel duabus ſyllabis recte auditis reliquam vocabuli partem, adjutus ſimul contextu orationis, colligere poteſt: id quod eo facilius fit, ſi paenultima longa eſt atque ita cum quadam vocis intenſione, ut Romani ſolebant, pronuntiatur, ſic, ut audiri eam neceſſe ſit. Tum enim non niſi ſyllaba extrema ad ſummum perire poteſt: quae quin ex praecedentibus ſyllabis, praeter orationis contextum, ſatis intelligi poſſit, quis dubitet? cum et hodie ſic fieri videamus in noſtris orationibus, ubi ultimam ſyllabam auditores non ſemper percipiunt, v. c. in *alle*, *ewiglich*, at ex praecedentibus vel praecedente colligunt. Quodſi praeterea illa paenultima ſyllaba clariore et ſonantiore vocali inſtructa eſt, eo minus praetermitti ab auditoribus negligique poteſt, ſed vere auditur atque ita intelligentiam ceterarum ſyllabarum faciliorem reddit. Rectiſſime igitur hanc clauſulam in orationibus et olim uſurpatam eſſe et a nobis uſurpari ob perſpicuitatem, cui omnis eloquentia maxime ſervit, manifeſtum eſt. An vero etiam illa clauſula numeroſa, ut appellatur, in iis, quae tantum legendi cauſa ſcribuntur, v. c. hiſtoria, epiſtolis etc. uſurpanda ſit, quaeri adhuc poſſit. Nam hic ſub oculis legentis verſatur totus contextus, apparent omnes ſyllabae, quas quisque legere poteſt, prout ipſe vult: nulla ſyllaba, nulla vocalis perit, licet breviſſima. Attamen, ſi ſupervacanea ex proverbio illo interdum nil nocent, hic certe uſus illius clauſulae in omnibus etiam, quae ſcribimus, nil nocere poteſt: praeſertim cum iis, qui iſti clauſulae legendo Cicerone aſſueti ſunt, illa ubivis ſuavis videatur: ut taceam, oratorem, qui ei aſſuetus eſt, deinde etiam in aliis, quae ſcribit, vix illa ſe abſtinere poſſe: ut Ciceronis exemplum docet.

b) clauſula illa non ubique cupide ac putide ſequenda eſt. Praecipit hoc Cicero Orat. 63 *ſed*, inquiens, *crebrius fieri non oportet: primum enim numerus agnoſcitur; deinde ſatiat; poſtea cognita facilitate contemnitur.* Hinc illum ipſum reperimus non ubique iſtam clauſulam numeroſam adhibuiſſe, ſed innumerabilibus locis intermiſiſſe. Sic v. c. Cluent. 19 claudit ſententiam: *accuſator extorquebat e manibus:* ubi tamen, ſi voluiſſet, facile dicere poterat: *e manibus extorquebat*, vel: *e manibus accuſator.* Ib. c. 20 *neque laudatoribus potuit;* et ſtatim: *impudentiae;* et mox: *ponerent;* c. 22 *nova quaedam vulnera.*

Phil. II, 13 *judicati ſunt*, et deinde: *mihi ſit turpiſſimum*, et paulo poſt: *cum laude non comparem*; c. 17 *nihil ſapere diſceres*; c. 20 *gratia*, et deinde; *gratiam*; c. 28 *ſusceptum opera tua eſt*: et ſic centies vel in una hac Philippica. — Docet nos Cicero ſuo exemplo, non ubique clauſula utendum; ſed ſaepe etiam alia vocabula adhibenda eſſe; tum vero illa maxime utendum, poſtquam de re gravi copioſe dictum ſit, ubi deceat gravem ſententiam gravitate vocabulorum veſtitam et ornatam cum quadam gravitate finire. Ciceronem autem, huic clauſulae aſſuetum, etiam ea in epiſtolis aliisque libris ſaepe uſum eſſe non mirabile eſt. Exempla ubivis obvia, v. c. ad Div. III, ep. 8 in prima periodo: *brevi reſponderem*, deinde; *potuiſſe*. Ib. V, ep. 12 §. 4 *vivi perfruamur*: at deinde: *ſejungeres*, poſt: *arripere* etc. — Recte: nam et in epiſtolis et alibi res graves tractantur ſubinde. Eſt itaque huic clauſulae ubique locus, eique, ut in omni ſtilo, ſi fieri poteſt, ita maxime in oratione, ubi perſpicuitati prodeſt, opera danda. Nec tamen ejus uſus nimis ac praeter rem quaerendus et ad puerilem affectationem extendendus. Materia ipſa dare debet clauſulae locum. Ceterum, quantam vim Cicero iſti clauſulae tribuat in libello, qui Orator inſcribitur, vix dici poteſt. Maxime in illo memorabile eſt id, quod cap. 63 de mira quadam vi talis clauſulae in Oratione Carboniana refert, populum, propter dichoreum ſ. ditrochaeum *comprobavit* exclamaſſe. Verba Carbonis fuerant: *patris dictum ſapiens temeritas filii comprobavit*. Hic Cicero ait: *hoc dichoreo* (comprobavit) *tantus clamor concionis excitatus eſt, ut admirabile eſſet. Quaero, nonne id numerus effecerit? verborum ordinem immuta: fac ſic:* comprobavit filii temeritas: *jam nihil erit*, *etſi* temeritas *ex tribus brevibus et longa eſt: quem et Ariſtoteles ut optimum probat, a quo disſentio. At eadem verba, eadem ſententia. Animo iſtud ſatis eſt, auribus non ſatis*. Haec Cicero. — Cujus judicium licet alioqui maximi facere ſoleam, tamen non temperare mihi poſſum, quin de vi iſta tanta, quam ditrochaeus ille exſeruerit, paulum dubitem. Non poſſum mihi perſuadere, eum fuiſſe cauſam clamoris illius a concione ſublati, licet Italorum animos maxime mobiles flexibileſque cogitem. Nam millies a Cicerone aliisque oratoribus tales ditrochaei recitati ſunt: nec tamen per eos tantum populi clamorem excitatum eſſe legimus. Unius rei plures poſſunt eſſe cauſae: ac, qui cauſam quaerit, facile cauſam invenit, et,

et, qui alicui rei magnam vim tribuere ſolet, hanc vim ubique reperit, et ubique locum habere putat. Quid mirum, Ciceronem, cui perſuaſum erat, efficaciam numeri eſſe longe maximam et certiſſimam, putaſſe, cum populum ob ſententiam illam Carbonis tantopere clamare vidiſſet, cauſam hujus clamoris in numero ſeu clauſula illa numeroſa quaerendam eſſe. Quodſi totam Carbonis orationem haberemus, melius cauſam indagare et invenire poſſemus. — Forſan oppoſitio vocabulorum *patris dictum ſapiens* et *temeritas filii*, praeſertim cum *ſapiens* et *temeritas* arcte juncta eſſent, in animis populi, qui illum *patrem* ſic laudatum et illum *filium* ſic vituperatum noſſent, tantam vim habuit, ut clamor iſte conſequeretur. — Forſan et Carbo clamore ſuo et vocis volubilitate, qua iſta verba ſingula ſingulasque ſyllabas cum apta quadam gravitate recitaret, potius, quam ditrochaeo illo iſtum clamorem effecit, praeſertim in re populo notiſſima. Plebem enim in judicanda aliqua oratione ac vel laudanda vel vituperanda ſaepe a vocis ſono, quo orator utitur, pendere, hodierna exempla docent. Nihil equidem definio. Nam cauſam, cur alii clament, nemo certo ſcit praeter eos ipſos, qui clamant. Quivis alius tantum poteſt opinari. Imo ne clamantes quidem omnes ipſi ſciunt ſemper, cur clament. Multi enim ſaepe tantum propterea clamant, quia alios, etiam paucos, quorum auctoritatem et exemplum libenter ſequi ſolent, clamare audiunt. — Ceterum Ciceroni in judicio ſuo de .i divina numeri idem accidiſſe videtur, quod aliis hominibus accidere ſolet, qui e nonnullis opinionibus, quibus inde a pueritia imbuti ſunt, quidlibet explicare cum magna animi perſuaſione ſuſtinent. Lectoribus hic facile in mentem venient non pauci et docti et indocti. Neque enim eſt aetas, in qua non ſingularis aliqua opinio regnet: et hanc amplecti, fovere, tueri putatur vulgo eſſe hominis intelligentis et elegantis. Poſt aliquod tempus evaneſcit iſta opinio, eique alia ſuccedit itidem fautores ſuos inveniens.

II) Cicero praeterea de poeticis numeris in tota oratione apte permiſcendis loquitur. At

a) non diſtincte de ea re agit, ut ipſe dubius fuiſſe videatur; vid. ejus Orat. c. 57 et ſeqq. Ait inter alia cap. 57 ita: *Iambus et dactylus in verſum cadunt maxime: itaque, ut verſum fugimus in oratione, ſic hi ſunt evitandi continuati*

 pedes.

pedes. — Paeon autem minime est aptus ad versum: quo libentius eum recepit oratio. Ephorus vero ne spondeum quidem, quem fugit, intelligit esse aequalem dactylo, quem probat. — Ego autem sentio, omnes in oratione esse quasi permistos et confusos pedes. — c. 58 *Iambus frequentissimus est in iis, quae demisso atque humili sermone dicuntur. Paeon autem in amplioribus: in utroque dactylus: ita in varia et perpetua oratione hi sunt inter se miscendi et temperandi. Sic minime animadvertetur delectationis aucupium —* c. 60 extr. *Ita, si numerus orationis quaeritur, qui sit, omnis est: sed alius alio melior et aptior. Si locus, in omni parte verborum: si, unde ortus sit, ex aurium voluptate, — si, ad quam rem adhibeatur, ad delectationem; si, quando, semper; si, quo loco, in tota continuatione verborum* — et c. 65 extr. *Multum interest, utrum numerosa sit, id est, similis numerorum, an plane e numeris constet, oratio. Alterum* (i. e. posterius) *si sit, intolerabile vitium est: alterum* (prius) *nisi sit, dissipata et inculta et fluens est oratio.*

b) nec ipse observavit istorum numerorum compositionem: quod lectio ejus orationum docet; nec observare potuit, si quidem rerum gravitati et verborum ad hanc declarandam aptorum delectui sapienter studuit: quam ad rem orator magis animum advertere debet, quam ad numeros poeticos: imo hoc obliviscitur, qui illam serio meditatur. Multo minus nos, etiamsi Cicero istam rem distincte explicasset et ipse ubique observasset, observare possumus, quia pristinam vocabula latina pronuntiandi rationem, nescio quo fato, amisimus. Prisci vocabula sua in communi etiam sermone eodem modo pronuntiabant, quo poetae in versibus usurparunt, h. e. e quantitate syllabarum; sicut et nos in vernacula lingua eandem cum poetis pronuntiationem vocabulorum servamus: hinc nostri poetae non quantitates syllabarum e regulis prosodiae demum operose discere coguntur. Prisci v. c. in *corporibus* syllabam *po*, in *morari*, *mora*, syllabam *mo* corripiebant, et *hominibus* haud dubie ita pronuntiabant, ut statim audiretur, istas quatuor syllabas esse breves: contra *amavisti* ita pronuntiabatur, ut appareret, syllabam *ma* esse longam. At nos in pronuntiatione vocabulorum latinorum non nisi paenultimae syllabae rationem habemus, si quidem vocabula pluribus quam duabus syllabis constant: v. c. in *corporibus*, *amavisti*, paenultimam recte pronuntiamus, in illo corripientes, in hoc producentes: sed non item antepaenultimam *po* et *ma* recte pronuntiamus: illam

enim

enim in pronuntiando producimus, hanc corripimus: utrumque perperam. Item in disſyllabis vocabulis ſemper ſyllabam priorem tanquam longam efferimus, licet brevis ſit, v. c. *malum das Böſe* pronuntiamus ut *malum der Apfel, bonis* ut *ponis*, quod ad quantitatem attinet, *levis* ut *laevis*: et ſic porro. Quomodo igitur nos, qui contra quantitatem ipſam pronuntiamus, numeros iſtos poeticos adhibere poſſumus? Ac, ſi adhibere poſſemus, quid prodeſſet? Quis enim vel lectorum vel auditorum ſentiret? Forſan nemo, niſi qui Ciceronis praecepta meminiſſet, ſuavitatem iſtam ſentiret.

c) denique puto, ſi iſtorum numerorum poeticorum permiſtione uti velimus ac poſſimus, orationem noſtram valde coactam et affectationis plenam fore. Nam, dum iſta numerorum lenocinia captarentur, interim ipſum ſententiarum robur effugeret, idemque nobis accideret, quod cani in fabula, qui, dum imaginem carnis in aqua conſpectae arripere ſtudet, carnem ipſam, quam ore ferebat, perdidit. Orationis gravitas pendet a permotione animi ſ. affectu: hic dictat graves ſententias et harum connexionem atque elocutionem gravitati aptam. Nonne ille frigeſceret, ſi iſtum numerorum permiſtorum tinnitum diu meditareris? Nam hic diu quaerendus foret, quia non ſtatim in mentem veniunt verba iſtis numeris accommodata. Nonne vero interea ignis in animo ardens ſenſim langueſceret? Ut taceam, ne reperiri quidem verba, quae aliis ſemper apte ſubſtitui poſſint: ut adeo permiſtio iſta numerorum apta ne accidere quidem poſſe videatur. — Idem fere dicendum de regula illa, qua volunt vocabula ita jungi, ut concurſus vel vocalium vel conſonantium evitetur; ſic loqui debemus v. c.: *quidquid in illa re dicitur, id eſſe debet* etc. Hic excipiunt ſe vocales et conſonantes. Cicero Orat. 44 talem compoſitionem commendat, et ait ibidem: *quod quidem Latina lingua ſic obſervat, nemo ut tam ruſticus ſit, quin vocales nolit conjungere.* At Cicero ipſe non obſervavit, niſi in pauciſſimis verbis, v. c. Roſc. Am. 24 *hae ſunt impiis aſſiduae domeſticaeque furiae, quae dies noctesque* etc. At aliis fere omnibus in locis hoc neglexit. — Conſideremus orationes ejus duas, diligentiſſime omnium elaboratas, Milonianam et Philippicam ſecundam. Mil. 1 ait: *Milo ipſe — me ad ejus cauſam parem — quocunque inciderint, veterem conſuetudinem fori et — ſine aliquo timore. — Quae ſi oppoſita — ſapientiſſimi et juſtiſſimi. — Quamobrem illa arma, centuriones, cohortes*

non periculum nobis sed praesidium denuntiant, neque — hortantur, neque auxilium — tota nostra est: neque eorum, quos undique intuentes — unde aliqua — judicii exspectantes non cum virtuti etc. Videas in uno capite multa vocabula vocali terminari et sequentia a vocali incipere, itemque multa consonante terminari et sequentia a consonante incipere. — Sic Phil. II, 3 *beneficium latronum, nisi ut — quodsi esset — quos tu ipse — an de interitu reipublicae queri non debui, ne in te ingratus viderer — quid non moderate — et de te et a te — cum auspicia augur* — et sic millies. Recte: nam suavitas vocabulorum maxime est in eorum notionibus; quae si suaves sunt, ipsa vocabula sunt suavia. Nec tamen negem, nimis asperum concursum consonantium, v. c. *arx structa*, posse interdum in dicendo perspicuitati nocere; et nimium concursum vocalium, per quem os fere semper apertum manet, injucundum esse, v. c. *ii ibi* etc., praesertim si eaedem vocales continuantur: v. c. *ii illi initii, sibi finis honorem reservarunt.* At raro hoc accidere potest.

Ceterum iis, quae de numero in universum in praecedd. diximus, haec addamus:

1) numerum nunquam coactum esse debere. Non debet videri quaesitus esse, sed sponte venisse. Hoc Cicero ipse praecipit Or. 65 in. Venit autem sponte a) e periodorum structura b) ex ipsis sententiis, si quidem eas recte intelligimus ac sentimus.

2) in omni numero inesse debere sententiam veram et aptam. Quid juvat omnis suavitas sine sententia? puerilis lusus foret et similis illi personae tragicae a vulpe inventae, pulcherrimae illius quidem sed cerebro carentis. Nam ne potest quidem sine sententia vera esse ulla suavitas vera. Cogitemus, quod Cic. ait Or. 71: *Res autem sic se habet, ut brevissime dicam, quod sentio, composite et apte, sine sententiis, dicere insania est: sententiose autem, sine verborum et ordine et modo, infantia: sed ejusmodi tamen infantia, ut, ea qui utantur, non stulti homines haberi possint, etiam plerumque prudentes.*

CAP. VII

De modis connectendi vocabula, enuntiationes aliasque verborum complexiones vel majores vel minores.

Ratio vocabula et omnia, quae vel ſcribis vel dicis, apte connectendi pertinet in primis ad ſcientiam bene latine ſcribendi. Nihil enim magis ab homine eloquente poſtulatur, quam apta connexio dictorum et ſcriptorum. Ac propterea illa ratio tironibus in primis tenenda eſt, praeſertim cum hic lingua latina a linguae vernaculae uſu ſaepe discrepet.

SECT. I

De connexione vocabulorum ſingulorum.

Singula vocabula *ejusdem generis*, v. c. nomen et nomen, verbum et verbum etc., arcte propter contextus rationem cohaerentia his modis fere connecti ſolent:

I) *Duo* (vel plura) *vocabula talia*, ſi eorum notiones, quodam modo inter ſe diverſae, inter ſe arcte cohaerent, h. e. ad idem vel ſubjectum vel praedicatum pertinent, ſolent, ut de *cum tum* ſ. *tum tum*, *non modo ſed etiam*, aliisque nimis notis conjungendi particulis nil dicam, in primis connecti per duplex *et*, per *ut* ſeq. *ita*, cet.

1) per duplex (vel triplex cet.) *et*; quod, etſi proprie eſt i. q. duplex *tum*, ſ. *non modo ſed etiam*, tamen innumerabilibus locis ponitur, ubi vernacula uno *et* contenta eſſe ſolet; v. c. Nos dicimus: *Vater und Mutter*; Latini libentius: *et pater et mater*; Nos: *meine Aeltern und Brüder ſind gekommen*; Latini libentius: *mei et parentes et fratres venere*; — ſic: *wir ſollen Gott lieben und ehren*, *debemus Deum et amare et colere*: ſic rectius, quam: *Pater et mater; parentes et fratres venere; debemus Deum amare et colere.* Priſci millies hoc *et* ita duplicant. Cic. ad Div. III, ep. 10 §. 5 *Omnia volo a*

me et postules et exspectes, i. e. *Ich bitte, alles von mir zu fordern und zu erwarten*, et §. 10 *si ita gesseris censuram, ut et debes et potes*, h. e. *wie du sollst und kannst*, vel dilucidius: *nach deiner Pflicht und nach deinem Vermögen* s. *nach Pflicht und Vermögen, Kräften.* Ad Div. V, ep. 5 §. 5 *Meus in te animus quam singulari officio fuerit, et senatus et populus romanus testis est*, i. e. *wie sehr ich dir gedienet habe, davon ist der Senat und das ganze Volk Zeuge.* Ad Div. XIII, ep. 8 §. 2 *Quanti autem facere debeam, et tu et omnes homines sciunt, das weist du und jedermann.* Agr. II, 6 *quam consul — et honeste et libenter posset defendere*, i. e. *daß ihn (den Vorschlag) ein Consul mit Ehren und Vergnügen vertheidigen könnte.* Caes. B. G. IIII, 13 *quod postridie ejus diei eadem et perfidia et simulatione usi Germani* etc. c. 16 *cum intelligerent, et posse et audere populi romani exercitum Rhenum transire.* In quibus locis omnibus unum *et* sufficere poterat; et in iis vernacule vertendis plerumque hanc rationem sequendam puto, ut, neglecto priore *et*, posterius *et* tantum per *und* vertatur: ut in superioribus exemplis feci. Nam si duplex *et* semper vertimus *so wohl als auch*, vel *nicht nur sondern auch:* tiro nunquam recte discet istum usum duplicis *et:* deinde etiam vis infertur vernaculae linguae, quae hic plerumque *und* tantum dicit, raro *so wohl als auch* etc., ut taceam, interdum ne sic quidem verti posse, nisi omnem perspicuitatem tollas. — Saepe etiam *et* ter ita ponitur: v. c. Cic. Manil. 24 in. *quae cum ita sint, primum istam tuam et legem et voluntatem et sententiam laudo*, i. e. *daher lobe ich erstlich deinen Vorschlag und* etc. — Imo *quater*, v. c. Cic. Mil. 11 *Sin hoc et ratio doctis et necessitas barbaris et mos gentibus et feris natura ipsa praescripsit, ut* etc., *wenn aber dieses die Vernunft den Gelehrten* etc.

Notanda hic duo:

a) istam rationem illud *et* duplicandi non usurpari posse, nisi duo vocabula, per duplex *et* copulanda, sint etiam diversae significationis: id quod ita se habet in exemplis allatis. Si ea sunt talia, ut alterum alterius sit tantum quaedam explicatio vel saltem ab altero parum aut nihil differat, abstinendum est geminatione particulae illius, v. c. Non dixerim: *Ego te et diligo et amo*: *cogebatur et discedere et sedem alibi sibi figere*: hic *figere sedem* est consequens et explicatio verbi *discedere.* Sic prisci semper, v. c. Cic. ad Div. III, ep. 9 §. 14 *Sed id feci adductus auctoritate et consilio tuo.* Hic *auctoritas* et *consilium* inter se

parum

parum differt. Ergo non dixerim: *et auctoritate et consilio.* — Ad Div. V, ep. 5 §. 1 *Pomponius, homo omnium meorum in te studiorum et officiorum maxime conscius.* — Agr. II, 5 de Rullo: *vestitu obsoletiore, corpore inculto et horrido* etc. Et statim: *ut oculis et adspectu denuntiare omnibus vim tribuniciam — videretur.* Recte: *horrido* et *inculto* parum inter se differunt; uti *oculis* et *adspectu.* Caes. B. G. III, 14 extr. *omnes enim colles et loca superiora* etc. IIII, 21 *Interim consilio ejus cognito et per mercatores perlato ad Britannos* etc. — Unde patet etiam, duplicationem illam ad perspicuitatem pertinere: indicat enim, duas ideas, licet diversas, conjungendas esse: prius *et* nempe admonet lectorem, aliud *et* mox secuturum esse, et utrumque docet, vocabula per *et* duplicatum juncta arcte cohaerere.

b) prisci tamen etiam non raro uno *et* seu *ac*, *atque*, contenti fuerunt, ubi τὸ *et* duplicare potuissent: v. c. Cic. ad Div. III, ep. 6 extr. — *constitues, quo loco id commodissime fieri possit, et quo die*, pro: *et quo loco — et quo die*: nam *dies* et *locus* sunt valde diversae notiones inter se. — Ib. ep. 10 §. 16 *sed tamen significatur in tuis literis suspicio quaedam et dubitatio tua* etc., pro: *et suspicio quaedam tua et dubitatio.* — Manil. 16 extr. *in rempublicam conservandam atque amplificandam conferatis*, pro: *in remp. et conserv. et amplif.* Caes. B. G. IIII, 1 *Suevorum gens est longe maxima et bellicosissima Germanorum omnium* etc. Ac sic saepius.

2) per repetitionem vocabuli praecedentis, v. c. *qui quae quod, si* etc. Cic. ad Div. V, ep. 5 §. 2 *omnia enim a me in te profecta sunt, quae ad tuum commodum, quae ad honorem, quae ad dignitatem pertinerent*, pro: *quae et ad tuum commodum et ad honorem et ad* etc. — Sic: *si Deum, si virtutem, si literas amas* etc., pro: *si et Deum et virtutem et* etc.; sic: *Deus necessitati, Deus commoditati nostrae, prospexit*, pro: *Deus et necessitati et comm.* etc. — Pertinet haec res ad gravitatem dicendi: hinc in orationibus saepe occurrere per se intelligitur, v. c. Cic. Verr. V, 58 in. *si quis rex, si qua civitas — si qua natio* etc. Sic in eod. cap. *non* repetitur.

3) per *ut* adverb. sequente *ita:* quae forma saepe pro *et duplicato* usurpari potest; saepe ita Cicero: v. c. Nat. D. II, 28 in. *ut cum Titanis, ita* (Ed. Ern. *ut*) *cum Gigantibus bella gesserunt.* Cass. in Cic. Epist. ad Div. XII, 13 *Dolabellam,*

lam, ut Tarſenſes, ita Laodiceni arceſſierunt. Dabo praeterea haec exempla: pro *patrem tuum et te amo* dici non ſolum poteſt: *et patrem tuum et te amo* ſed etiam: *ut patrem tuum, ita te amo.* Sic pro: *res et maximas et utiliſſimas geſſiſti*, dicere licet: *res, ut maximas, ita utiliſſimas.* Sic Cicero ſupra pro: *et tu et omnes homines ſciunt*, dicere poterat: *ut tu, ita omnes* etc.; ac pro ſuperiori Agr. II, 6 *et honeſte et libenter poſſet defendere*, licebat dicere: *ut honeſte, ita libenter.* Caeſar in loco ſuperiori IIII, 13 pro: *eadem et perfidia et ſimulatione uſi* etc., recte dicere poterat: *eadem, ut perfidia, ita ſimulatione* etc. — At notandum: a) haec forma non plane eandem vim habet, quam illud *duplex et.* Semper *ut* manet particula ſimilitudinis; ergo ubique comparationem quandam cum τῷ *ita* indicare debet; v. c. *ut patrem tuum, ita te amo* proprie eſt: *amo te ita, ut patrem tuum amo.* b) ordo verborum horum ſemper talis eſſe debet, ut *ita* ſequatur, *ut* praecedat. Cauſa ſupra c. 3 eſt memorata. c) abſtinendum eſt iſta forma, quando *ut* vel *ita* jam prope eſt, v. c. non dixerim: *Salmaſius tanto priſcos legendi ſtudio flagravit, ut, ut graecos, ita romanos brevi perlegeret*, pro: *ut et graecos et romanos* etc. Cic. ad Div. III, ep. 9 §. 5 quando dixit: *ego etſi et ipſe ita judicabam et fiebam — certior* etc., non bene pro eo dixiſſet: *ego etſi, ut ipſe ita judicabam, ita* etc. Repetitio vocabuli nimis propinqua, ut per ſe injucunda eſt, ita ſaepe perſpicuitati ſimul officit.

4) interdum apud priſcos uſurpatur, atque ita a nobis uſurpari poteſt *duplex vel* pro *partim, partim*, v. c. Cic. ad Div. III, ep. 10 §. 14 *illud vero mihi permirum accidit, tantam temeritatem fuiſſe in eo adoleſcente, — ut tuis inimicitiis ſuſcipiendis obliviſceretur patroni omnium fortunarum ac rationum ſuarum: praeſertim cum tu omnibus vel ornamentis vel praeſidiis redundares.* Et §. 27 — *quid commodis meis aptius, quam hominis nobiliſſimi atque honoratiſſimi conjunctio: cujus opes, ingenium, liberi, affines, propinqui mihi magno vel ornamento vel praeſidio eſſe poſſent.* Ib. II, 7 *vel adſpector vel particeps vel ſocius vel miniſter* etc. Brut. 69 *is omnibus exemplo debet eſſe, quantum in hac urbe polleat multorum obedire tempori, multorumque vel honori vel periculo ſervire.* In his omnibus melius τὸ *vel* per *partim* explicatur, quam per *aut.*

II) Duo vocabula ejuſdem generis (vel etiam plura), quorum notiones ſibi ita oppoſitae ſunt, ut alterutra tollatur ſ. negetur, junguntur per *duplex* (it. triplex etc.) *aut, vel*, interdum *ſive*, ubi vernacula lingua uno *vel, aut*, contenta plerum-

plerumque eſt; v. c. pro: *rogavi patrem, ut mihi iſtos libros aut pecuniam ad eos emendos mitteret*, rectius dicitur: *ut mihi aut libros iſtos aut* etc. ſ. *ut mihi vel libros vel* etc.: noſtri dicunt: *daß er mir die Bücher oder das Geld dazu ſchicken ſollte.* — Sic vernacule dictum: *ich werde morgen ſchreiben oder ſelbſt kommen*, latine vertitur: *cras vel* (ſ. *aut*) *ſcribam vel* (ſ. *aut*) *ipſe veniam.* Haec duplicatio perſpicuitati ſervit quodam modo. Cicero ſic millies aliique priſci. Cic. ad Div. III, ep. 10 §. 18 *tamen ea ſtultitia certe non fuiſſem, ut aut in obſcuro odio apertas inimicitias, aut, in quo tibi nihil nocerem, ſummam oſtenderem voluntatem nocendi*, i. e. *ſo wäre ich doch wenigſtens nicht ſo einfältig geweſen, daß ich bey einem geheimen Haſſe eine öffentliche Feindſchaft, oder in einer Sache, worin ich dir nicht ſchaden könnte, eine ſo große Neigung zu ſchaden geäußert hätte.* Ad Div. IIII, ep. 13 §. 10 *et qui antea aut obſcuris hominibus aut etiam ſontibus opitulari poteram, nunc* etc, *und ich, der ich ſonſt unbekannten, ſchlechten, Leuten oder auch Miſſethätern helfen konnte, kann nun nicht einmal* etc. Amic. 19 extr. *cum cogniti ſunt et aut deorum aut regum filii inventi ſunt*; i. e. *wann ſie erkannt und für Götter- oder Königsſöhne erfunden worden.* — Non impedio, quo minus etiam vertatur *entweder — oder*: modo hoc ne ſemper fiat: et ne fieri quidem ubique poteſt, v. c. Verr. IIII, 35 *quem tibi aut hominem — aut vero deum — auxilio futurum putas? welcher Menſch oder welcher Gott wird dir nun helfen?* quis vertat: *welcher entweder Menſch oder Gott* etc., ſi quidem interrogationem ipſam, ut debet, conſervare vult? Cic. Marc. 1 *intellectum eſt enim — commemoratis praeſertim offenſionibus, te auctoritatem hujus ordinis dignitatemque reipublicae tuis vel doloribus vel ſuſpicionibus anteferre*, i. e. *daß du das Verlangen des Senats und die Ehre des Staats deinem Schmerzen oder Verdachte vorzieheſt.* — Reperitur et ſaepe triplex *aut*, *vel*: v. c. Cic. Or. 1 *et, quantum mihi vel fraus inimicorum vel cauſae amicorum vel reſpublica tribuet otii, ad ſcribendum potiſſimum conferam, und will, ſo viel Zeit mir die Ränke der Feinde oder die Proceſſe der* etc. — Sed, ut iſta duplicatio perſpicuitatem adjuvat, ita non negandum eſt, ſaepe etiam unum *aut* ſ. *vel* poni a priſcis, ubi duplex poni poterat, v. c. Caeſ. B. G. III, 16 *omnes, in quibus aliquid conſilii aut dignitatis fuit.* — At ſi duae notiones, per *aut* ſ. *vel* copulandae, non valde inter ſe diverſae ſunt, vel poſterior eſt explicatio quaedam prioris, unum *aut* ſ. *vel* ſufficere debet. Sic priſci: v. c. Cic. Marc. 2 *quae quidem ego niſi ita magna eſſe fatear, ut ea vix cujusquam mens aut cogitatio capere poſſit, amens ſim:*

ſim: peccaſſet hic Cicero, ſi dixiſſet: *aut mens aut cogitatio:* quid enim aliud eſt *mens*, quam *vis cogitandi*, *cogitationes ipſae?* — Caeſ. B. G. III, 17 extr. *id ea de cauſa faciebat, quod* —, *niſi aequo loco aut opportunitate aliqua data*, *legato dimicandum non exiſtimabat.* Recte.

III) Duo vocabula (it. plura) diverſa, quorum notiones ambae tolluntur, jungi ſolent

1) per duplex (it. triplex etc.) *nec* ſ. *neque*, it. per *nec* — *neque*, ſ. *neque* — *nec*. Nam inter *nec* et *neque* nullum diſcrimen intercedit. Vernacula hic ſaepe abit, v. c. *Vater und Mutter iſt nicht zu Hauſe* latine recte dicitur: *nec pater nec mater domi eſt*; — *er hat ſeinen Vater nie geliebt noch geehrt*, *patrem ſuum nec amavit nec coluit unquam*; — *ich habe dieß in meinem Leben nicht geſehen noch gehört*, *hoc per omnem vitam nec vidi nec audivi.* Sic priſci fere ſemper: raro dicunt *non* ſeq. *nec* ſ. *neque*, more vernaculae. Cic. ad Div. IIII, ep. 4 §. 3 *illam partem excuſationis* — *nec noſco nec probo*, i. e. *den Theil der Entſchuldigung kenne und billige ich nicht.* Caeſ. B. G. IIII, 13 in. *Caeſar neque jam ſibi legatos audiendos neque conditiones accipiendas arbitrabatur* etc., i. e. *Caeſar hielt es nicht für thunlich*, *die Abgeordneten anzuhören*, *noch* etc. Quamquam et per *weder* — *noch* verti poteſt. — Ibid. c. 14 in. *qui* — *perterriti* — *neque conſilii habendi neque arma capiendi ſpatio dato perturbabantur*, *copiasne* etc., i. e. *da ſie keine Zeit hatten Ueberlegung anzuſtellen*, *noch die Waffen zu ergreifen*, *ſo geriethen ſie in Verlegenheit*, *ob ſie* etc.

2) per repetitionem praecedentis vocabuli negativi; quae in primis valet ad gravitatem dicendi, v. c. *nemo te amat*, *nemo te colit*, *niemand liebt noch ehret dich*; — ſic: *non pecunia*, *non libri*, *non magiſtri tibi defecere*, *es hat dir nicht an Geld*, *noch an Büchern*, *noch an Lehrern gefehlt;* — ſic: *ego nil audivi*, *nil vidi*, *ich habe nichts geſehen noch gehört.* — Nec tamen hinc ſequitur, non aeque poſſe verti: *niemand liebt dich*, *niemand ehret dich; es hat dir nicht an Büchern*, *nicht an* etc.; *ich habe nichts geſehen*, *nichts gehört.* Imo hoc gravius. Cic. Marc. 2 *nihil ſibi ex iſta laude centurio*, *nihil praefectus*, *nihil cohors*, *nihil turma decerpit.*

3) per *ne quidem* ſeq. *nedum*, ſi poſterior res eſt major priori, v. c. *ne legere quidem didicit*, *nedum ſcribere.* Res eſt nota. Interdum *ne quidem* deeſt.

4) per *non modo non*, *ſed ne quidem*, vel crebrius *non modo ſed ne quidem*, ſi poſterior res eſt minor priori. Formula

non

non modo sed ne quidem, ut notum, eſt proprie elliptica, pro: *non modo non ſed* etc.; v. c. *tu non modo ſcribere ſed ne legere quidem didiciſti.* Cic. Verr. III, 2 *etenim non modo accuſator ſed ne objurgator quidem ferendus eſt is, qui, quod in altero vitium reprehendit, in eo ipſe deprehenditur.*

IIII) Sunt et alii modi verba connectendi, quos breviter recenſebimus:

1) per *utrum* ſ. *ne* ſeq. *an:* ubi tamen *utrum* ſ. *ne* omitti poteſt: v. c. *quaeris, utrum Ciceronem an Livium legerim*; ſ. *quaeris, legerimne Ciceronem an* etc.; ſ. *quaeris, Ciceronem an Livium legerim.*

2) per *nec* ſ. *neque* pro *et non:* v. c. *habes paucos libros nec pulchros.* Sic ſemper dicendum. Cic. ad Attic. III, ep. 5 in. *de Quinto fratre nuntii nobis triſtes nec varii venerant.* Et ſic millies. — In primis huc pertinet, pro *et nunquam* dicendum ſemper *nec unquam;* pro *et nemo* dicendum *nec ullus*, *nec quisquam;* pro *et nihil* dicendum *nec quidquam*; pro *et nusquam* dicendum *nec usquam.* Nec tamen peccat, qui *et non, et nunquam*, *et nemo*, *et nihil* dicit: ſic enim etiam priſci.

3) nonnulla verba, quae neceſſariae explicationis vel etiam gravitatis cauſa aliis vocabulis adduntur, iis interdum junguntur per *et is*, *isque*, *idemque:* v. c. *habeo multos libros eosque pulchros* ſ. *et eos pulchros* ſ. *eosdemque pulchros*, i. e. *ich habe viele und zwar ſchöne Bücher.* Semper enim hoc additamentum augere et vernaculo *und zwar* reſpondere debet, v. c. Cic. Catil. IIII, 4 *vincula, et ea ſempiterna*, *certe ad ſingularem poenam nefarii ſceleris inventa ſunt, Gefängniß, und zwar immerwährendes* etc. Ad Div. II, ep. 1 §. 2 *a te vero bis terve ſummum, et eas perbreves, accepi, von dir aber habe ich zweymal, höchſtens dreymal, Briefe erhalten, und zwar ſehr kurze.* — Maxime tamen praecedente adjectivo, v. c. Cic. ad Div. VIIII, ep. 21 §. 3 *privatas cauſas, et eas tenues, agimus ſubtilius.* — Sic et *nec is* pro *et non is:* v. c. Cic. Brut. 76 *erant in eo plurimae literae, nec eae vulgares, ſed interiores quaedam et reconditae*, i. e. *es befand ſich in ihm viel Gelehrſamkeit, und zwar nicht etwa gemeine* etc., ſeu: *und das nicht etwa gemeine* etc. Nam et nos eodem modo loquimur hic, quo Latini.

SECT.

SECT. II

De connexione enuntiationum.

Enuntiationes variis inter ſe junguntur modis; nos hic eorum maxime rationem habemus, in quibus ratio latina a vernacula quodam modo diverſa eſt.

I) Duae enuntiationes, interdum plures, quarum notiones h. e. vel ſubjectum vel praedicatum inter ſe conſpirant, per *duplex et* (it. triplex et quadruplex) copulantur, ubi vernacula uno *et* ſaepe contenta eſſe ſolet, v. c. pro: *tu non habes, quod ſorte tua contentus non ſis: Deus enim tibi ingenium praeclarum dedit, et patria omnibus honoribus, quos dare poterat, te ornavit*, rectius dicitur: *tu non habes, quod — ſis: nam et Deus tibi* etc. — Sic vernaculum: *ich habe dich immer geliebt und werde dich ewig lieben*, vertitur: *te et amavi ſemper et per omnem aetatem amabo.* — Sic pro: *Deo habenda eſt gratia, quod nos mente inſtruxit, parentibus bonis donavit, et valitudine ſecunda exhilaravit*, dicere licet: *Deo habenda eſt gratia, quod nos et mente inſtruxit et parentibus* etc. Haec repetitio, de mea quidem ſententia, perſpicuitatem adjuvat. Hinc priſci ita millies. Cic. Amic. 20 extr. *atque in omni re conſiderandum eſt, et quid poſtules ab amico, et quid patiare a te impetrari*, i. e. *man muß bey jeder Sache überlegen, was man vom Freunde fordern und worin man ſich erbitten laſſen ſoll.* Ad Div. IIII, ep. 3 §. 4 *etſi enim abſui magnam partem conſulatus tui, tamen et abſens cognoſcebam, quae eſſet tua — ſententia, et ipſe adfui primis temporibus tui conſulatus*, i. e. *denn, ob ich gleich einen großen Theil deines Conſulats abweſend geweſen, ſo ſah ich doch abweſend, welches deine Meynung ſey — und ich bin auch perſönlich* etc. Ad Div. V, ep. 19 §. 2 *itaque me et ſuperiores literae tuae admodum delectaverunt, — et his proximis literis magnum cepi fructum et judicii et officii, daher hat mich dein ehemaliger Brief — und bey dem allerletzten Briefe habe ich* etc. Non impedio, quo minus etiam per *ſo wohl als auch* ſ. *nicht nur ſondern auch*, vertatur: modo ſaepe quoque, ut dixi, vertatur, quo tirones in conſuetudinem illius formulae adducantur. — Ac ne licet quidem ubique vertere *ſo wohl — als auch.* Caeſ. B. G. IIII, 1 *quae res et cibi genere et quotidiana exercitatione et libertate vitae — et vires alit et immani corporum magnitudine efficit.* Hic eſt duplex uſus repetitae particulae *et:* a) conjunguntur enuntiationes duae, *quae res et vires alit et immani corporum*

rum — efficit; b) copulantur vocabula *et cibi genere et quot. exercit. et libert. vitae.* Quis non haec vertat: *dieses nährt durch die Art der Speise und — das freye Leben die Kräfte und macht ungeheure Körper*, vel similiter? — Not. pertinet huc formula *neque* seq. *et;* quae tironem non movere debet, si cogitat, *neque* esse i. q. *et non:* unde videt duplex *et* hic proprie esse. Saepe ita prisci. Cic. ad Div. IIII, ep. 7 §. 3 *itaque neque tu multum interfuisti rebus gerendis, et ego id semper egi, ne interessem.* Ad Div. X, ep. 1 §. 7 *Furnium nostrum a te tanti fieri, quantum ipsius et humanitas et dignitas postulat, nec miror et gaudeo,* pro: *et non miror et gaudeo, darüber wundre ich mich nicht und freue mich* f. *darüber wundre ich mich nicht nur nicht, sondern freue mich auch.* Manil. 1 *ita neque hic locus vacuus unquam fuit ab iis, qui vestram causam defenderent, et meus labor — fructum est amplissimum consecutus, auf diese Art ist dieser Ort nie leer von denen gewesen* etc., seu: — *ist dieser Ort nicht nur nicht ledig gewesen — sondern auch* etc. — It. *neque* seq. *que* est in Cic. Catil. II, 13 e lectione Graeviana: *illud perfecto perficiam — ut neque quisquam bonorum intereat, paucorumque poena vos omnes salvi esse possitis:* quod inusitatum ac propterea non imitandum est. In Gronoviana et Ernest. est: *ut ne quis bonus.* — It. *neque* seq. *et non* est Offic. III, 1 *ut neque cessaret unquam* (Scipio) *et interdum colloquio non egeret:* ubi Cicero pro *et non* dicere poterat *neque.*

II) Duae enuntiationes (it. plures), quarum notiones sibi ita oppositae sunt, ut harum alterutra tantum affirmetur et concedatur, altera negetur et excludatur, copulantur per duplex *aut, vel* (it. triplex etc.): ubi vernacula saepe uno *aut* contenta foret. V. c. *er hat mir versprochen, daß er bald kommen oder doch bald schreiben würde* latine ita effertur: *promisit mihi, se aut mox venturum aut mox literas missurum esse;* — *das muß wahr seyn oder die Schrift hat gelogen: aut hoc verum sit necesse est, aut literae divinae mentitae sunt.* Sic prisci ubique fere. Cic. Verr. III, 6 in. *inter Siciliam ceterasque provincias in agrorum vectigalium ratione hoc interest, quod ceteris aut impositum est vectigal certum, — aut censoria locatio constituta est* etc., h. e. *ist der Unterschied, daß den andern eine gewisse Abgabe aufgelegt oder eine* etc. Ad Div. IIII, ep. 13 §. 6 *careo enim — familiarissimis multis, quos aut mors eripuit nobis, aut distraxit fuga* etc., *die mir der Tod entrissen oder die die Flucht zerstreuet hat.* Sic est etiam *vel:* de quo exempla commemorare non attinet. — At potest hoc *aut, vel,* ter, quater poni: imo quinquies est Cic. Or.

II, 4 *nam qui aut, tempus quid postulet, non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum, quibuscum est, vel dignitatis vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus aut multus est, is ineptus dicitur.* Inest quidem septies: sed *aut inconcinnus aut multus* non huc pertinent, quia in his *aut* duplex jungit duo vocabula, non enuntiationes: at praecedentia *quinque aut* copulabant enuntiationes. Peccavit autem Cicero, cum ista duo *aut* interposuit; debebat e praecepto perspicuitatis dicere *vel inconcinnus vel multus*, ne lectoris mens turbaretur.

III) Duae enuntiationes (saepe quoque plures) sibi ita oppositae, ut ambarum notiones tollantur, connecti solent per duplex *nec, neque:* ubi vernacula saepe uno *nec* contenta est vel *et non* ponit; v. c. *der Vater kömmt nicht, und wir bekommen auch keine Briefe von ihm* Latine ita efferri solet: *nec pater venit, nec literas ab eo accipimus.* Sic: *du hast das Buch nicht gelesen, noch willst du es lesen* s. *und willst es auch nicht lesen: nec librum legisti nec eum legere cupis*, vel brevius: *librum nec legisti nec legere cupis.* Sic millies, modo ne semper vertamus *weder — noch.* Caes. B. G. IIII, 17 in. *sed navibus transire neque satis tutum esse arbitrabatur, neque suae — dignitatis esse statuebat* etc.; quod vertere licet: *aber zu Schiffe hinüber zu gehen hielt er nicht für sicher genug, noch glaubte er, daß es seiner Ehre gemäß sey.* B. G. III, 17 in. *quibus rebus neque tum respondendum Caesar existimabat, neque nunc, ut memoriae prodatur, satis causae putamus*, pro: *Caesar non tum* etc. *Caesar hielt es nicht für thunlich, hierauf zu antworten, noch glauben wir jetzt Ursache genug zu haben, es aufzuzeichnen* s. *und wir glauben auch jetzt nicht hinlängliche Ursache zu haben* etc. — Ceterum *nec* s. *neque* etiam *ter quaterve* simul in conjungendis enuntiationibus occurrere notum est, et cuique id imitari licet. *Ter* v. c. occurrit Arch. 11 *certe, si animus nihil praesentiret in posterum — nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur, neque toties de vita ipsa dimicaret, so würde sie (die Seele) sich nicht durch so große Arbeiten schwächen, noch* etc. Nam utrum *nec* sumas an *neque*, atque ita, utrum *nec — neque*, an *neque — nec* ponas, nihil interest. — Prisci tamen quoque *non* seq. *neque* usurpant pro *neque — neque:* v. c. Cic. Or. II, 4 *sin tibi id minus libebit, non te urgebo, neque committam, ut, dum pereare, ne tu sis ineptus, me esse judices.* — Notandum hic est a) occurrere etiam *nec non* seq. *nec*, et *neque* seq. *et non.* Prius est Cic. ad Div. I, ep. 5 §. 7 *a*

nobis

nobis agentur omnia diligenter, ut nec, si quid obtineri poterit, non contendamus, nec, si quid non obtinuerimus, repulsi esse videamur: ubi *nec non* est pro *et*, ut saepe. Verte: *von uns soll alles sorgfältig betrieben werden, daß wir nämlich, wenn etwas wird können erhalten werden, uns alle Mühe geben, und* etc., vel sic: *daß wir weder die Mühe unterlassen* etc. Apparet hoc ex loco amor Ciceronis erga hanc particulam *neque.* Posterius est Offic. III, 1 *ut neque cessaret unquam, et interdum colloquio alterius non egeret.* Poterat hic dicere: *neque interdum — egeret.* b) Prisci τοῖς *nec* (*neque*) — *nec* (*neque*) praemittunt saepe vocabulum negans, v. c. *nullus, nihil, non* etc., ita, ut tunc prius *nec* (*neque*) redundet nec vernacule verti possit, v. c. *Quarum nulla neque tum* etc. Cic. Mil. 28. *Non possum reliqua nec cogitare nec scribere.* Cic. Att. VIIII, 12. *Nihil nec subterfugere nec* etc. Cic. Cluent. 1.

IIII) Duae enuntiationes, quarum posterior est consecutio prioris, connecti arctius possunt per *ut* pro τοῖς *quare, igitur, hinc* etc.; v. c. pro: *tu nunquam homines amasti: hinc non mirum est, te ab iis non redamatum esse*, dici potest: *tu nunquam homines amasti, ut non mirum sit, te ab iis non redamatum esse.* Sic prisci creberrime. Cic. Offic. I, 26 *itaque alter* (Philippus) *semper magnus, alter* (Alexander Magnus, illius filius) *saepe turpissimus fuit; ut recte praecipere videantur, qui monent, ut, quanto superiores sumus, tanto nos geramus submissius*, pro: *hinc recte praecipere videntur* etc. — *daher scheinen die Recht zu haben* etc.; proprie dictum est pro: *ut adeo recte* etc. *daß also die Recht zu haben scheinen* etc. Marc. 6 *quos amisimus cives, eos Martis vis perculit, non ira victoriae: ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Caesar ab inferis excitaret* etc., pro: *hinc* s. *itaque nemo dubitare debet*, seu: *ut itaque nemo dubitare debeat, daher darf niemand zweifeln* s. *daß also niemand zweifeln darf* etc. Sic ad Div. III, ep. 6 §. 7 *ut tuum factum* etc. Et VI, ep. 2 in. *quod absim ab urbe, ut, qui ad te proficiscantur, scire non possim, weil ich jetzt von Rom entfernt bin, folglich nicht wissen kann, wer zu dir reise.* Ac saepissime. Imitatione ergo digna est haec ratio.

V) Duae enuntiationes saepe per *ita ut* pro vulgari *et* copulari possunt; v. c. pro: *valde te amo, et in omnibus, quae cupis, tibi gratificabor*, dici potest: *amo te ita* s. *tantopere, ut, quaecunque cupias, in iis tibi gratificaturus sim.* Sic

 pro:

pro: *Deus est benignissimus, et quotidie nos jubet abundare rebus bonis,* dici potest: *Deus est tam benignus, ut nos jubeat* etc. Sic pro: *pater tuus est bonus, nec potes tibi meliorem patrem optare,* dicere licet: *pater tuus tam bonus est ut meliorem patrem tibi optare non possis.* — Docent exempla praeposita, hoc tantum licere, quando posterior enuntiatio e priori fluat, tanquam effectus e causa. Sed ad hunc usum discendum debemus multa loca Ciceronis interdum ita explicare, v. c. Ad Div. VII, ep. 26 in. *cum quidem biduum ita jejunus fuissem, ut ne aquam quidem gustarem;* quod explicari potest ita: *postquam valde jejunus fueram, et ne aquam quidem gustaveram.* Sic et hic locus Balb. 20, ubi *ita* deest, potest explicari: *potest igitur, judices, L. Cornelius condemnari, ut non C. Marii factum condemnetur? kann Cornelius verdammt werden, und die That des Marii nicht mit zugleich?*

VI) Duae enuntiationes per *ita ut* pro vulgari *quidem — sed* saepe jungi possunt, v. c. pro: *amo quidem te: sed vitiis tuis indulgere nequeo,* dici potest: *amo te ita, ut vitiis tuis indulgere nequeam,* s. ob perspicuitatem: *amo te ita, ut tamen vitiis* etc. Sic multa loca Ciceronis intelligere licet, v. c. Rosc. Am. 26 *ita vivunt — ut ducere animam de coelo nequeant; ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat; ita jactantur fluctibus, ut nunquam abluantur; ita postremo ejiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant,* pro *vivunt quidem, sed — nequeunt: moriuntur quidem, at eorum ossa terra non tangit: jactantur quidem fluctibus, at nunquam abluuntur: ejiciuntur quidem, at* etc., *sie leben zwar — aber sie können nicht* etc.; *sie sterben zwar, aber ihre Gebeine berühren die Erde nicht* etc. — Non propterea credendum est *ita ut* significare *quidem sed:* est tantum quaedam apta commutatio. Sic Rosc. Am. 20 *hoc ita est utile, ut ne plane illudamur ab accusatoribus,* i. e. *hoc est quidem utile, at nos non debemus plane illudi ab accusatoribus.* Cf. ad Div. XVI, ep. 9 med. Liv. XXII, 61 *est et alia de captivis fama, decem primos venisse: de eis cum dubitatum in senatu esset, admitterentur in urbem, nec ne, ita admissos esse, ne tamen iis senatus daretur,* i. e. *da man ihrentwegen im Senate überlegt hatte, ob man sie in die Stadt einlassen sollte, oder nicht, so wären sie zwar hereingelassen worden, aber ohne vor den Senat gelassen zu werden.*

VII) Duae enuntiationes saepe per *is* seq. *qui*, per *talis* seq. *qualis*, per *tantus* seq. *quantus*, per *tot* seq. *quot* etc. copulari possunt pro *is, talis, tantus, tot* etc. seq. *ut*, quemadmodum

modum vernacula suaserit dicere: v. c. *du bist nicht ein solcher Mann, daß du lügen solltest, tu non es is, qui mentiaris:* — *der Mann hat mir solche Wohlthaten erwiesen, daß ich dergleichen von niemanden erhalten habe, hic vir mihi talia beneficia tribuit, qualia a nemine acceperim*, pro: *talia beneficia mihi tribuit, ut talia a nemine acceperim.* Sic: *talem se praestitit pater, qualem si tu te praestares, pro magno viro habendus esses*, rectius dicitur, quam: *talem se praestitit pater, ut, si tu talem te praestares* etc., *dein Vater hat sich als einen solchen Mann bewiesen, daß du für einen großen Mann zu halten wärest, wenn du dich auch so bewiesest.* — Sic pro: *amor meus erga te tantus est, ut felicissimus essem, si tuus erga me etiam talis esset*, rectius dicitur: *amor tuus erga me tantus est, quantus si tuus erga me esset, felicissimus essem.* — Hujus egregii latinismi ob brevitatem dicendi, ad quam proprie pertinet, commendandi, exempla aliquot e Cicerone afferam. Phil. II, 4 *quid enim est minus, non dico oratoris, sed hominis, quam id objicere adversario, quod ille, si verbo negarit, longius progredi non possit, qui objecerit? was schickt sich wohl weniger, ich will nicht sagen für einen Redner, sondern nur für einen Menschen, als seinem Gegner so etwas vorzuwerfen, daß derjenige, der den Vorwurf gemacht hat, nicht weiter kann, wenn ihn jener nur mit einem Worte läugnet? quod ille si* est pro: *ut, si id ille* etc. Ad Div. VIIII, ep. 14 §. 6 *gratulor tibi, cum* (i. e. quod) *tantum vales apud Dolabellam, quantum si ego apud sororis filium valerem, jam salvi esse possemus*, ubi *quantum si* est pro: *ut, si ego tantum* etc. — Huc pertinet *eo quo* eodem modo usurpatum in Verr. V, 38 *Eone pirata penetravit, quo simul atque adisset, non modo a latere, sed etiam a tergo magnam partem urbis relinqueret?* ubi *quo simul atque adisset* est pro: *ut, simul eo* (i. e. tam longe) *adisset, non modo* etc.

VIII) Duae enuntiationes junguntur in duplici interrogatione interdum per *utrum* s. *ne* seq. *an*; ubi tamen *utrum* s. *ne* omitti quoque potest. V. c. *utrum hoc audisti an vidisti? audistine hoc an vidisti? audisti an vidisti?* — Sic et extra interrogationem praecedente verbo: v. c. *dic mihi, utrum hoc audiveris, an videris; dic mihi, audiverisne hoc an videris; dic mihi, hoc audiveris an videris.*

VIIII) Duae enuntiationes saepissime per *nec* pro *et non* jungi solent. Et nihil latinius est, quam creber isque rectus usus particulae *nec* s. *neque*. V. c. pro: *amo te, et non possum dicere, quare*, rectius dicitur: *amo te, nec possum* etc. — Huc pertinet *nec ullus* s. *nec quisquam* pro *et nemo: nec*

quidquam pro *nihil: nec unquam* pro *et nunquam: nec usquam* pro *et nusquam.* Sic semper dicendum v. c. pro: *omnes fatentur, et nemo negat,* rectius dicitur: *omnes fatentur, nec quisquam negat;* pro: *omnia perspexi, et nihil praetermisi,* rectius dicitur: *omnia perspexi, nec quidquam praetermisi;* sic rectius: *quaesivi patrem, nec usquam reperire potui,* pro: *et nusquam* etc.: sic rectius: *semper te amabo, nec unquam obliviscar* etc., quam: *et nunquam* etc. Sic Cicero, Caesar, Livius millies. Et imitanda est haec ratio, quia arctius conjungit, atque ita perspicuitatem adjuvat. Nec tamen negandum, priscos quoque dicere *et non.* Exempla ubivis obvia.

X) Duae enuntiationes connecti quoque possunt interdum per *quia, cum,* pro *hinc:* v. c. pro: *pater meus mortuus est: hinc tota nostra domus luget,* dici potest: *quia pater meus mortuus est, tota nostra* etc. Sic pro: *deus nobis quotidie bene facit; quis igitur eum non amet?* dici potest: *cum deus quotidie nobis bene faciat, quis eum non amet?* Haec ratio, cum arctiori conjunctioni serviat, valde commendanda est: adjuvat simul structuram periodi, v. c. pro: *pater est aegrotus: hinc venire non potest,* dicitur: *pater, quia aegrotus est, venire non potest.*

XI) Duae enuntiationes junguntur interdum per *tantum abest* sequente duplici *ut,* ubi vernacula utitur *an Statt daß* vel alia forma. V. c. *tantum abest, ut omnia didiceris, ut pauca adhuc scias, An Statt daß du alles solltest gelernet haben, so weist du noch wenig;* sic: *tantum abest, ut me ames, ut me potius oderis, statt daß du mich lieben solltest, so hassest du mich vielmehr.* Exempla in priscis ubique obvia: v. c. Cic. Manil. prope finem: *tantumque abest, ut aliquam bonam gratiam mihi quaesisse videar, ut multas etiam simultates partim obscuras partim apertas intelligam — suscepisse.* Amic. 14 *tantumque abest, ut amicitiae propter indigentiam colantur, ut ii, qui — minime alterius indigeant, liberalissimi sint et beneficentissimi.* Brut. in epp. Cic. ad Div. X, ep. 10 §. 10 *tantum abest, ut meae rei familiaris liberum sit quidquam, ut meos jam omnes amicos aere alieno obstrinxerim, statt daß s. weit gefehlt, daß etwas von meinem Vermögen schuldenfrey seyn sollte, so habe ich* etc. — Not. sequitur etiam *ne.* Cic. Or. 68 extr. *tantumque abest, ne — enervetur oratio compositione verborum, ut aliter in ea nec impetus ullus nec vis esse possit:* durum est hic *ne* pro *ut non* poni: et officit quodam modo perspicuitati, quia post *tantum* proprie *ut* debet et solet exspectari. Sed Ernesti pro *ne* in textum recepit *ut.*

XII)

XII) Duae enuntiationes interdum quoque junguntur per particulas comparativas *ut* ſ. *quemadmodum* ſeq. *ita* ſ. *ſic:* ubi interdum vernacula habet vel *und* vel *nicht nur — ſondern auch* etc. V. c. *ich habe dich immer geliebt, und werde dich auch mein ganzes Leben hindurch lieben,* ſ. *ich habe dich nicht nur immer geliebt, ſondern werde dich auch* etc. ita verti poſſit: *quemadmodum* ſ. *ut te ſemper amavi, ſic* ſ. *ita per omnem vitam te amabo,* ſeu periodice: *te, ut ſemper amavi, ita per omnem vitam amabo.* — It. pro *hinc,* v. c. *Gott hat uns viele Wohlthaten erwieſen: daher verdienet er unſere große Liebe, quemadmodum deus nobis multa beneficia tribuit, ita noſtro magno amore dignus eſt.*

XIII) Sunt plura enuntiationes arcte connectendi genera, v. c. per *etſi* pro *quidem, quia* pro *nam* etc., de quibus jam ſupra Cap. V Sect. 8, 3 dictum eſt, ubi monuimus, tali commutatione poſſe enuntiationes ita colligi, ut periodi inde fiant: quo lectorem reſpicere velim. Si quae omiſſa ſunt, lectio priſcorum ipſa ſupplebit.

SECT. III

De connexione complexionum verborum abſolutarum.

Complexiones verborum majores ſenſum abſolutum continentes, et inter duo ſigna diſtinctionis maximae (*puncta* vulgo) interjectae, connectuntur inter ſe variis modis:

I) per *qui quae quod* pro *hic, is,* abjectis particulis *et, vero, igitur,* interdum etiam *enim,* ſi quidem perſpicuitas hoc patitur. Ubi notandum, τὸ *qui* ſemper ad rem proxime praecedentem referri debere. V. c. *heri cum fratre tuo locutus ſum. Cui cum dixiſſem* etc. pro: *et cum ei* vel *cum igitur ei dixiſſem, da ich ihm nun geſagt hatte:* — it. *libenter cum fratre tuo locutus eſſem. Quem quia reperire non poteram* etc. pro: *quia vero eum* etc., *weil ich ihn aber nicht* etc. — Pertinet hoc *qui* etiam ad primam et ſecundam perſonam. V. c. *doleo me non adfuiſſe. Qui ſi adfuiſſem, te conſolatus eſſem* pro: *ſi ego* vel *ſi enim ego adfuiſſem, denn wäre ich da geweſen, ſo* etc. Sic: *Noli mirari, te reprehenſione dignum eſſe. Qui cum omnium amicitia indigeas, quomodo omnes laedere ſtudes?* pro: *nam cum tu omnium amicitia* cet. —

Attendendum eſt, ut, perſpicuitatis cauſa, ſubjectum, cui connecti *qui* debet, huic pronomini quam proximum ſit: v. c. ſi haec verba: *Alexander war der Sohn des Philippus. Da derſelbe vor Begierde brannte, die Perſer zu bekriegen* etc. vertere volo, ac pronomen *derſelbe* ad Alexandrum refertur, non dicere ita debeo: *Alexander erat filius Philippi. Qui cum flagraret* etc. Nam ita τὸ *qui* ad *Philippum* pertineret: ſed ordine converſo ita dicendum: *Philippi filius fuit Alexander. Qui cum cupiditate flagraret* etc. — De abjectione illarum particularum *enim*, *vero*, *igitur* notandum, eam neceſſariam eſſe. V. c. ſtulte dicatur: *heri apud me Cajus fuit. Cui igitur* ſ. *vero cum dixiſſem* etc. Non dici poteſt, quam frequenter priſci iſto pronomine uti ſoleant; nec quidquam eſt, quod tam deceat ſtudioſum rectae latinitatis, quam iſte uſus pronominis illius. Cic. ad Div. V, ep. 2 §. 2 *Quod cum dicerem, illud adjunxi* etc. i. e. *cum hoc dicerem* etc. §. 11 *Quae cum omnia collegeris, tu ipſe velim judices* etc. i. e. *cum igitur haec* etc., *Wenn du nun dieſes alles zuſammen nehmen wirſt, ſo bitte dich, ſelbſt zu urtheilen* etc. Ib. §. 15 *Satis habeas, nihil me etiam tecum de tui fratris injuria conqueri. Quem ego cum comperiſſem omnem ſui tribunatus conatum in meam perniciem parare* pro: *nam cum comperiſſem eum* etc. Ib. §. 18 *Hac accepta tanta injuria, tamen illo ipſo die miſi — communes amicos, qui cum eo agerent, ut de illa mente deſiſteret. Quibus ille reſpondit, ſibi non eſſe integrum* pro: *ſed iis reſpondit* etc., *Er antwortete ihnen aber, das ſtünde nicht mehr in ſeiner Gewalt* etc. Pertinet haec tota res ad Caput de *brevitate* it. de *perſpicuitate.* Nam utrique ſervit proprie.

II) per *neque* ſ. *nec:* idque dupliciter a) quando pro *et non* vel *etiam non* ponitur, b) quando ſimpliciter pro *non* ponitur.

a) quando *neque* ſ. *nec* ab initio ſententiae totius pro *et non*, *etiam non*, ponitur: de qua re jam ſupra in conjunctione et vocabulorum et enuntiationum diximus, unde apparet, quam late pateat hujus particulae uſus. Millies ita Caeſar, Livius, Cicero, v. c. Cic. ad Div. III, ep. 7 §. 15 *Nec mehercule aliter vidi exiſtimare — Pompejum* etc. pro: *et non* etc., *Und ich habe nicht anders urtheilen geſehen* etc. Res eſt nota. — Huc pertinet itidem *nec ullus* ſ. *nec quisquam* pro *nemo*, *nec quidquam* pro *et nihil*, *nec unquam* pro *et nunquam*, *nec usquam* pro

et

et nusquam. — Quam libenter prisci hac connectendi particula ab initio totius sententiae uti soleant, inde perspicere licet, quod adeo *nec non* s. *neque non* pro simplici *et* vel *etiam* sexcenties usurpant; v. c. Cic. Rosc. Am. 15 *Neque haec tu non intelligis* i. e. *et tu haec intelligis.* Non opus est hic regula: *duae negationes affirmant fortius:* nam non ubique hoc fit, ac, cum fit, tum est litotes, de qua supra. Catil. IIII, 2 *Neque meam mentem non domum saepe revocat exanimata uxor, abjecta metu filia* etc. pro: *ac mentem meam domum* etc., *Und oft ruft meine geängstete Frau meine Gedanken nach Hause* i. e. *saepe eam cogito.* Nep. Eum. 1 *Macedones — eum sibi anteponi indigne ferebant: neque tamen non patiebantur* i. e. *et tamen patiebantur:* unde patet, etiam in minoribus sententiis locum habere. — Sic et pro *etiam:* Cic. Rosc. 32 in. *Etenim in singulis rebus ejusmodi materies est, ut dies singulos possis consumere. Neque ego non possum;* pro: *etiam ego possum, Ich kanns auch.* — Neque tamen hac forma ita cum nonnullis abutendum est, ut in conjunctione paucorum vocabulorum eorumque vulgarium ubique pro *et* ponamus *nec non*, v. c. *vir praenobilissimus nec non doctissimus:* ubi male ponatur. Debet tantum poni ad connectenda membra majora et minora, in primisque sententias absolutas.

b) quando *neque* s. *nec* pro *non* simpliciter ponitur: v. c. *neque vero, neque enim, neque tamen*, ubi *et* cogitari non potest: v. c. *neque vero credibile est* etc. *Neque enim intelligere licet* etc. *Neque tamen negaverim* etc. Millies ita prisci incipiunt: et quia in primis notanda est haec forma, exempla subjiciam aliquot:

1) *neque vero* pro *non vero.* Cic. ad Div. I, ep. 9 §. 15 *Neque vero hac in causa modo, sed constanter saepe in senatu,* scil. *dixi*, pro *non vero*, ut per se patet. Or. I, 1 *Neque vero nobis cupientibus atque exoptantibus fructus otii datus est ad eas artes* etc. — Sic etiam *neque vero quisquam* pro *nemo vero* s. *non vero quisquam*; *neque vero quidquam* pro *nihil vero* s. *non vero quidquam; neque vero usquam* pro *nusquam vero*, et *neque vero unquam* pro *nunquam vero* millies apud priscos ab initio sententiae majoris occurrit, v. c. Cic. Or. I, 8 non procul ab initio: *neque vero mihi quidquam, inquit, praestabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere* etc. Ad Div. I, ep. 9 §. 4 *Neque vero ego mihi postea quidquam assumsi* pro *nihil vero ego mihi postea assumsi* etc. Ad Div. II, ep. 6 §. 7 *Neque vero cuiquam*

salutem ac fortunas suas tantae curae fuisse unquam puto etc. pro *nemini vero salutem* etc. Phil. II, 28 *Nec vero te unquam* etc. pro *nunquam vero te* etc. et sic in aliis. — At, licet prisci saepissime *neque vero quisquam*, *unquam* etc. pro *nemo vero*, *nunquam vero* etc. locuti sint, tamen non credendum est, eos plane non dixisse *nemo vero*, *nihil vero*, *nunquam vero:* occurrit haec ratio non raro, ut propterea non pro vitiosa habenda sit. — Huc vero pertinet quoque *neque vero non* pro *vero*, e nota illa ratione, qua duae negationes se invicem tollunt atque ita affirmant, v. c. Cic. Mil. 32 in. *Nec vero non eadem ira deorum hanc ejus satellitibus injecit amentiam*, *ut* etc. pro *sed eadem ira* s. *eadem vero ira* etc. Tusc. IIII, 2 *nec vero illud non eruditorum temporum argumentum est*, *quod et deorum pulvinaribus et epulis* — *fides praecinunt* etc. i. e. *Illud vero eruditorum temporum signum est* etc. Divin. II, 33 med. *Nec vero non omni supplicio digni P. Clodius*, *L. Iunius*, *consules*, *qui contra auspicia navigarunt:* ac saepius. — Quaeritur hic, an pro *neque vero* etiam dici possit *neque autem.* Ab initio sententiae absolutae, nec cum praecedente arcte cohaerentis s. periodi, ut loquuntur, non reperi quidem, quod sciam; at occurrit tamen praecedente *neque* ap. Cic. ad Div. V, ep. 12 §. 21 *Neque enim tu is es, qui, quid sis, nescias et qui — arbitrarere: neque autem ego sum ita demens, ut me sempiternae gloriae per eum commendari velim, qui non ipse quoque — propriam ingenii gloriam consequatur.* Unde certe patet, *neque autem* non inusitatum fuisse; at *neque vero* multo usitatius. Nisi forte dicas in Cicerone pro *autem* legendum esse *item:* et hoc sibi praeplacere significavit mihi per literas Cel. Ruhnkenius. Non male.

2) *neque enim* pro *non enim* longe saepissime, v. c. Cic. ad Div. II, ep. 6 §. 5 *Neque enim sum veritus, ne sustinere — non posses.* Ad Div. V, ep. 12 quater occurrit, §. 4 *Neque enim me solum commemoratio posteritatis ad spem quandam immortalitatis rapit* etc. §. 21 *Neque enim tu is es, qui, quid sis, nescias* etc. §. 22 *Neque enim Alexander ille gratiae causa ab Apelle potissimum pingi — volebat.* §. 26 *Neque enim fas esse arbitror quidquam me rogantem abs te non impetrare.* Ad Div. VI, ep. 1 §. 9 *Nec enim nos arbitror victoriae praemiis ductos patriam olim et liberos et fortunas reliquisse* etc. Sic ab initio sententiae non arcte cohaerentis cum praecedente pro: *nemo enim*, dicitur recte: *neque enim quisquam;* pro: *nihil enim*, dicitur: *neque enim quidquam*; pro: *nunquam enim*, dicitur: *neque enim unquam*; pro: *nusquam enim*, dicitur: *neque enim usquam* etc. — Huc pertinet etiam

neque

neque enim non pro *enim;* at not. ab initio tantum periodi, ut in superioribus: v. c. Cic. ad Div. VI, ep. 1 §. 5 *Nec enim is, qui in te adhuc injustior — fuit, non magna signa dedit animi erga te mitigati,* pro: *is enim, qui in te adhuc injustior — fuit, magna signa dedit* etc. — Sic: *neque enim quisquam non* pro *nam nemo non* s. *nam omnis.* Cic. Orat. III, 4 med. *Neque enim quisquam nostrum, cum libros Platonis mirabiliter scriptos legit, in quibus omnibus fere Socrates exprimitur, non, quamquam illa scripta sunt divinitus, tamen majus quiddam de illo, de quo scripta sunt, suspicatur.* — Non tamen credendum propterea, Ciceronem non item *non enim, nihil enim, nemo enim, nunquam enim* ab initio periodi dixisse. Imo dixit saepe, v. c. ad Div. V, ep. 12 §. 14 *Nihil est enim aptius ad* etc., ubi poterat dicere: *neque enim quidquam est aptius* etc. Orat. I, 13 extr. *Nunquam enim negabo, esse quasdam artes proprias eorum, qui* etc. Rosc. Am. 23 extr. *Nemo enim putabat, quemquam esse, qui* etc. Ibid. c. 38 extr. *Non enim possumus omnia per nos agere* etc. Ergo haec variationis causa usurpanda quoque sunt, in primis ubi *neque* praecessit, et possit repetendo *neque* ambiguitas vel injucunditas exsistere. V. c. recte Cicero dixit Rosc. Am. 32 in. *Non enim mihi tantum derogo,* quia praecesserat: *neque ego non possum.* Iam, si Cicero dixisset: *neque ego non possum, neque enim mihi tantum derogo,* nonne auditor hoc duplex *neque* jungere (*weder noch*) potuisset? Et lectori saltem ista repetitio non ubique jucunda est.

3) *neque tamen* pro *non tamen* ab initio sententiae millies. Cic. ad Div. VII, ep. 1 §. 3 *Neque tamen dubito, quin* etc. pro *non tamen dubito.* Sallust. Cat. 24 in. *Neque tamen Catilinae furor minuebatur.* — In primis huc pertinent *neque tamen ignoro, nescio, sum nescius* pro *scio tamen.* V. c. Cic. ad Div. V, ep. 12 §. 5 *Neque tamen, cum haec scribebam, eram nescius* etc. et §. 8 *Neque tamen ignoro, quam impudenter faciam* etc. — Huc pertinent quoque *neque tamen quisquam* (s. *ullus*) pro *nemo tamen*; *neque tamen quidquam* pro *attamen nihil; neque tamen unquam* pro *attamen nunquam; neque tamen usquam* pro *attamen nusquam* etc. — Huc pertinet quoque *neque tamen non* pro *attamen:* v. c. Cic. Or. II, 85 *Neque tamen illa non ornant, habiti honores, decreta virtutis praemia, res gestae, judiciis hominum comprobatae.* Simili modo pro *fatebor tamen rem omnem* dicere licet: *nec tamen rem omnem non fatebor.*

Ceterum ex his intelligitur, quam late pateat usus hujus particulae *neque* s. *nec:* ut vere dicere possimus, in recto usu

trium

trium horum vocabulorum *qui*, *ut*, et *neque*, magnam latinitatis scientiam cerni.

III) Sunt et alii connectendi majora membra sententiasque absolutas modi, quos strictim tantum recensebo:

1) per *nam cum*: sic enim in initio sententiarum libentius h. e. usitatius dicitur quam *cum enim*. V. c. Cic. ad Div. I, ep. 9 §. 56 *Nam cum mihi condixisset* etc. Ad Div. V, ep. 2 §. 17 *Nam cum ille mihi nihil* etc. — It. *Etenim cum*. Agr. II, 7 *Etenim cum omnes potestates* etc. — Attamen et *cum enim* rectum h. e. usitatum est.

2) per *quod attinet ad id, quod* etc., pro quo et brevius saepissime occurrit *quod:* v. c. *quod autem nonnulli putant, animum aliquando interiturum esse, haec sententia periculosa est* vel *in eo errant*, pro *quod autem attinet ad id, quod nonnulli putant* etc., *Was aber das anbelangt, daß einige glauben — so ist diese Meynung* etc. Nos etiam ita breviter loquimur: *daß aber einige glauben, die Seele werde untergehen* etc. Ceterum sexcenties ita Cicero in orationibus, epistolis, aliisque libris, v. c. ad Div. V, ep. 2 §. 5 *Quod autem ita scribis: pro mutuo inter nos animo, quid tu existimes esse in amicitia mutuum, nescio* etc., *Was das anbelangt, daß du schreibst — so weis ich nicht, was du bey der Freundschaft für wechselseitig hältst:* ibid. §. 12 *Quod scribis de reconciliata nostra gratia, non intelligo, cur* etc. et statim §. 13 *Quod scribis non oportuisse* etc. — Saepe sequitur *id*, *in eo*, v. c. *quod tu istam rem fecisti, id probare non possum* vel *in eo non recte fecisti*.

3) in objectionibus per formulas: *at objici possit*; *at objiciat quis*; *erunt, qui objiciant*; *si quis objiciat* etc. — Potest pro his solum *at* quoque adhiberi, v. c. postquam Homeri lectionem commendassem, vellemque eos, qui difficilem eam esse clamarent, refutare, ita incipere possem: *At difficilis est ejus lectio. Recte: at nihil difficile est conanti.* Nam responsio etiam per *at* potest incipere: possit et *recte* omitti, ac simpliciter objectio et responsio sic jungi: *at difficilis est ejus lectio. At nihil difficile* etc., *Aber, wird man sagen, es ist schwer ihn zu lesen* etc. Centies ita Cicero in orationibus, epistolis, aliisque libris, v. c. ad Div. VI, ep. 6 §. 20 *In quo admirari soleo — sapientiam Caesaris: nunquam nisi honorificentissime Pompejum appellat. At in ejus personam multa fecit asperius. Armorum* (haec est responsio) *ista et victoriae sunt facta, non Caesaris.* Ibid. VIIII, ep. 6 §. 9 *vel cum spe, si non optima, at aliqua tamen vivere. At in perturbata rep. vivimus. Quis hoc negat? sed hoc viderint ii* etc. — It. *At vero.* Sic Sulpic. in epp. Cic. ad Div. IIII, ep. 5 §. 7 *At vero malum*

malum est liberos amittere: malum (haec est responsio), *nisi hoc pejus sit, haec* (i. e. hunc statum reip.) *sufferre et perpeti.*

4) per *ita*, *atque ita*, *tali modo* etc., quando effectus rei narratur vel judicium de re acta additur, v. c. Cic. Verr. IIII, 26 *Ita literis istius patrifamilias L Titio cuidam, civi romano, annulus de digito detractus est.* Sulpic. in epp. Cic. ad Div. IIII, ep. 12, postquam caedem Marcelli narravit, addit: *ita vir clarissimus ab homine teterrimo* (s. *deterrimo*) *acerbissima morte est affectus, et cui* etc.

5) per *hic* adv. pro *hac in re* i. e. *da*, *hierbey*, *bey dieser Gelegenheit*: Sic saepissime Cicero, Caesar, Livius, Nepos. V. c. Cic. Verr. IIII, 27, postquam narraverat, Antiochum regem Syriae, multis vasis pretiosis instructum, in Siciliam Verre praetore venisse, ita pergit: *hic Verres hereditatem sibi venisse arbitratus est* etc., *Da glaubte nun Verres, es sey ihm eine Erbschaft aufgestoßen* etc. jocose dictum pro: *Verres arbitratus est, se posse Antiochum facile diripere. Venire* dicitur de rebus, quae nobis contingunt, inprimis casu, atque ita quasi sponte ad nos *veniunt* seque nobis offerunt.

6) in narrationibus, v. c. per *interea*, *inter haec*, *dum haec aguntur*, *geruntur* etc. It. *tum vero repente* etc. *Quo factum est, ut* etc. It. per *cum*, *ubi* etc. V. c. *quod cum audissent; ubi hostes adesse vidit* etc.; *qui ut rem accuratius considerare coepit* etc. Legantur hic in primis Caesar et Livius, it. Cicero v. c. in Verrinis etc. Nam formulae ejusmodi sunt innumerabiles.

7) in conclusionibus per has similesque formulas: *hinc apparet*, *intelligitur: hinc sequitur: qua ex re videre*, *perspicere, licet: unde fit perspicuum: hinc satis intelligi potest: quis non statim inde videt*, *intelligit? quis igitur adhuc dubitat, quin* etc.: *hinc non mirum est: neque ergo dubium esse potest, quin* etc., ut plura genera omittamus: addi nonnulla possunt, quae infra de connexione argumentorum et sectionum s. majorum partium orationis vel libelli dicentur.

SECT. IIII

De connexione argumentorum.

Haec variis modis fieri potest. Omnis res vertitur in oratoris ingenio. Paucissima tantum dicemus:

Argumenta non fere solent enumerari per *primo*, *secundo*, *tertio*, *quarto* etc., sed

1) si tria sunt: *primum*, *deinde*, *postremo* s. *tandem* s. *denique*. Si plura, multis modis variari potest, nisi quod ob per-

perſpicuitatem *primum* et *denique* ſ. *poſtremo* ſ. *tandem* ſuum locum occupant h. e. *primum* incipit, *poſtremo* (*denique*, *tandem*) claudit. V. c. ſi quatuor: *primum*, *deinde*, *tum*, *denique* ſ. *tandem* ſ. *poſtremo*. Si quinque: *primum*, *deinde*, *tum*, *praeterea*, *denique*, ſ. *poſtremo*. Ordinem particularum *deinde* et *tum* non eſſe conſtantem et certum inde patet, quod Cic. Fontej. 14 ita dixit: *primum*, *tum*, *deinde*, *poſtremo*. — Additur etiam, ſi quando numerus argumentorum creſcit, *poſtea*, *inſuper*: poteſt etiam *tum*, *deinde*, repeti: v. c. in octo argumentis: *primum*, *deinde*, *tum*, *praeterea*, *inſuper*, *tum*, *poſtea*, *denique*, vel: *primum*, *deinde*, *tum*, *praeterea*, *deinde*, *tum*, *inſuper*, *denique*. Haec omnia recte. — Quaeritur tamen, annon propter perſpicuitatem melius ſit, argumenta, praeſertim plura, enumerare per *primum*, *alterum*, *tertium*, *quartum* etc.: in primis ſi ſingula iterum disſecta ſint in partes minores, itidem per *primum*, *deinde*, *tum* incipientes. Hac certe re confuſio impediatur: et hanc impedire eſt officium oratoris. Auditor enim, aliquoties audiens *deinde*, *tum* etc., incertus eſt, utrum hae particulae ad argumenta ipſa, an ad eorum cauſas et partes pertineant.

2) pro iſtis particulis *tum*, *praeterea* etc., poſſunt aliae formulae uſurpari, v. c. *Accedit*, *quod*, it., ſi argumentum eſt levius: *ut taceam*, *omittam*, *praeteream illud* etc.; *ne dicam de eo* etc. Sin gravius: *quid dicamus de eo*, *quod* etc. *Quomodo vero tacere* ſ. *praeterire poſſim*, ſ. *Nullo modo praetermittere poſſum*. It. *Reſtat aliquid*, *quod propter gravitatem* etc. It. *Venio nunc ad rem maxime gravem*, vel *ad id*, *quod in primis valeat* etc. Sic Cic. Roſc. Am. 43 in. *Venio nunc ad nomen aureum Chryſogoni* etc. It. *Dicendum mihi etiam eſt de* etc. It. *Neque vero ſufficit hoc vel illud dixiſſe*, *confirmaſſe* etc.

SECT. V

De connexione ſectionum ſ. majorum partium.

Partes orationis libellique majores iisdem plerumque modis connectuntur, quibus vel ſententiae abſolutae vel argumenta conjungi ſolent. Poteſt tamen hic quoque pro cujusque ingenio ſaepiſſime variari: v. c. *Quaeritur hic primum. Dicendum mihi primum videtur* etc. *Ante omnia explicandum eſt* etc. *Alterum*, *quod quaerebamus*,

bamus, erat etc. *Veniendum mihi nunc est ad* etc. *Nunc consideretis* s. *consideremus* etc. *Video duo mihi in primis demonstranda esse. Nulla vero major quaestio unquam eruditos exercuit, quam haec* etc. *Dicendum mihi restat* etc. *Unum etiam superest* etc. *Neque tamen negari ullo modo potest* etc. *Quid censendum est* s. *censetis de eo, quod* etc. *Nulla vero utilitas hujus rei major esse potest, quam* etc. Et sic millies variare licet. Nec in *libris, dissertationibus, prolusionibus* etc. dedecet majores partes enumerare, v. c. *primum, secundum, tertium* etc. *prima, altera, tertia res* etc., praesertim si illae iterum in partes minores dissecentur per *primum, deinde, tum* etc., ut perspicuitati, ornamento stili praecipuo, consulatur. Nam in libris didacticis non tam refert exarcte quam perspicue scribere; non tam venustatis et suavitatis quam perspicuitatis ratio habenda est. Idem fere in orationibus, si quidem in partes plures modo majores modo minores divisae sunt, faciendum esse censuerim, praesertim in iis, quae pro concione indocta vernacule habentur. Nam capita orationis facilius illa enumeratione percipiuntur, quam si partes orationis et majores et minores ubique per *primum, deinde, tum, postea, praeterea* etc. vel vernacule: *ferner, überdieß* etc. enumerantur more Ciceroniano. Imitantur quidem hanc Ciceronianam rationem nonnulli vernaculi oratores: at, an a plebe satis intelligantur, ipsi viderint. Haec hactenus. — Ceterum tota illa res de partibus orationis vel libri cujusdam apte varieque conjungendis nititur maxime ingenio auctorum felici: nec facile regulis comprehendi potest, eoque minus hic late tractari debet, cum ii, qui talem laborem aggrediuntur, jam viri esse soleant, ipsique, ut ajunt, sine cortice natare sciant, neque nostris praeceptis indigeant. Nos tantum de ista re propterea pauca dicenda putavimus, ne quis aliquid hic deesse arbitraretur.

CAP.

CAP. VIII

De variatione vocabulorum universa s. simplice.

Vocabula inter se variantur duplicem maxime ob causam: 1) quia plane idem notant: v. c. *habeo librum* et *est mihi liber: haec res mihi magnam laetitiam attulit* et *fuit mihi magnae laetitiae.* — Huc pertinent, quae non valde inter se differunt, ac propterea in certo contextu commutari possunt, v. c. *auctoritas* et *consilium*, *uti* et *habere* etc. Haec *variatio* dici potest *simplex* vel *universa*, estque per se quodam modo suavis occurritque taedio lectorum, ac propterea necessaria est tum ubivis, tum in primis in eadem verborum complexione; v. c. *studia literarum tantam voluptatem afferunt, ut fere nesciam aliquid, quod similiter delectet.* Hic si dicerem: *quod similem voluptatem afferat*, injucunde loquerer, quia omnis repetitio, nisi gravitatem rei adjuvat, injucunda est et paupertatem quandam indicat, quae, ut in pecunia, ita in vocabulis solet esse injucunda. Sic: *dum haec dicebat*, *loqui coepimus* suavius est quam *dicere coepimus.* — Sic *sed*, *autem*, *vero* etc., *etsi*, *quamquam* etc., *et*, *que*, *ac* etc. inter se commutantur. Cicero hoc diligenter observat: at peccavit tamen, nescio quo casu, ad Div. VI, ep. 1, ubi inde ab initio epistolae hujus quatuor continuas verborum complexiones absolutas (vulgo *periodos* nominant) per *etsi* incipit; it. ad Div. V, ep. 12 §. 14, 15, 16 ter *enim* posuit, et §. 21 §. 22 §. 23 quater. 2) in primis ob majorem *perspicuitatem*, ubi contextus ratio habenda, vel ob *suaviorem ideam*, v. c. *ver aetatis*, *laeta seges* etc., vel ob *graviorem*, ubi contextus consulendus. Hanc variationem vocare possis *ornatam*, quia ornatur oratio accessione melioris h. e. dilucidioris, suavioris, vel gravioris notionis. Efficitur illa inter alia tropis et figuris.

Nos

Nos hic maxime de variatione ſimplice loquemur: ornatam ad caput de perſpicuitate, ſuavitate, et gravitate referemus: quamquam vix fieri poterit, ut non hic ſimul aliquot exempla ex ornata variatione inſeramus. Dicemus primum de variatione vocabulorum inter ſe, ubi vulgarem ordinem ſequemur, 1) *nominis* 2) *pronominis* 3) *verbi* etc. Deinde aliquot fontes commutationis iſtius indicabimus et paucula de commutatione rectionis ſ. conſtructionis grammaticae addemus.

SECT. I

De commutatione nominum ſubſtantivorum.

Nomina ſubſtantiva varie commutantur:

I) Subſtantivum cum ſubſtantivo interdum commutari poteſt: ubi tamen propria vis et contextus ratio ſemper attendenda eſt. Commutari v. c. poſſunt

1) *notitia*, *cognitio*, *ſcientia*; haec vere ſynonyma ſunt, v. c. *notitia rei muſicae*, *cognitio rei muſicae*, *ſcientia rei muſicae*, idem notant.

2) *eruditio* et *doctrina*, it. interdum *ſcientia* v. c. *multarum rerum accurata.* At *eruditio* eſt interdum quoque i. q. *inſtitutio:* hinc contextus ratio habenda, ne v. c. ubique dicamus: *ſine eruditione hoc factum eſt* etc.

3) *abſtracta* ſaepe pro *concretis* ponuntur, v. c. *adoleſcentia*, *juventus*, *ſenectus* pro *adoleſcentibus*, *juvenibus*, *ſenibus*, v. c. *adoleſcentia* eſt *audacior* etc. Sic noſtri: *die Jugend* etc. it. *das Alter iſt furchtſam.* Sic *audacia* pro *audacibus* Cic. Roſc. 20 *ut metu contineatur audacia* i. e. *audaces:* at ſimul ad ipſam audaciam reſpicitur. Sic *ſcelus* pro *ſceleſto*, *conjuratio* pro *conjuratis*, ubi tamen contextus conſiderandus.

4) *conſilium* (*Entſchluß*), *ratio* et *ſententia*, ſaepe commutantur; v. c. *hoc conſilium ſecutus eſt*, *hac in ſententia fuit*, *hanc rationem iniit* etc.

5) *familiaritas* et *conſuetudo der Umgang;* at *conſuetudo* tum demum admitti poteſt, ſi contextus docet, non poſſe explicari *Gewohnheit;* v. c. *propter amorem et conſuetudinem, quae inter nos interceſſit.* Hic planum eſt, ſermonem eſſe de familiaritate.

6) *anni hominis* et *aetas:* v. c. *aetate me inferior est, an Iahren ist er unter mir* i. e. *ist jünger als ich: per aetatem facere potuisset* i. e. *per annos, den Iahren nach hätte ers thun können.*

7) *auctoritas* pro *consilio Rath* poni potest, si contextus admittit, h. e. si sermo est de *consilio hominis prudentis, magni,* vel si respondet vernaculo *Vorstellung, Zureden,* v. c. *auctoritatem patris facile sequor.*

8) *cogitationes, sensa animi, sententia, mens,* v. c. *intelligo tuas cogitationes* etc.

9) *facies, os, vultus;* at paulum differunt: *vultus,* maxime si lineamenta oris (*des Gesichts*) respicis, vel tristitiae, laetitiae, modestiae etc. rationem habes: v. c. *hilari vultu mit freundlichem, muntrem, Gesichte: facies* etiam *totam corporis speciem* indicare potest.

10) *vitium, peccatum, error, culpa.* At differunt proprie. *Vitium* est genus, et notat nostrum *Fehler,* sive sit *naturae* seu *culpae* seu alius causae, v. c. *vitium domus, vestis* (*wenns nicht recht gemacht ist*), *hominis* etc.; *peccatum* est *das Vergehen, Versehen,* quocunque modo fiat; *error der Irrthum* est peccatum mentis *des Verstandes; culpa* est peccatum, quod nobis tanquam auctoribus tribuitur, *die Schuld. Vitium* differt a *sceleribus,* haec sunt omnium gravissima peccata, v. c. *caedes, adulterium, sacrilegium, grobe Laster, Bosheiten:* et a *flagitiis* h. e. factis turpibus, *Schandthaten, schändliche Dinge.*

11) *opinio, existimatio, sententia, judicium de re aliqua. Opinio* tamen est levior *die Vermuthung,* et *judicium* a caussis gravibus pendet, *Urtheil.*

12) *verba* et *oratio,* v. c. *ex oratione fratris tui perspexi,* i. e. *ex iis, quae frater mecum locutus est, aus den Worten* s. *aus dem Reden* etc.

13) *cupiditas, cupido, aviditas, studium.*

14) *providentia, diligentia.*

15) *studium, industria, assiduitas, opera, labor.* At proprie differunt: *studium* est *voluntas ardens* s. *impetus animi der Trieb: industria der Fleiß, die Beschäftigung: industria acris* et *assidua* est *assiduitas;* si cum quadam intensione corporis fit, est *opera:* ac, si molesta nobis est industria, dicitur *labor.*

16) *pulchritudo rei, venustas, dignitas,* interdum etiam *praestantia, excellentia.*

17) *dulcedo, suavitas.*

18) *turpitudo* et *foeditas.*

19) *stul-*

19) *ſtultitia* et *ſtoliditas*, interdum augendi cauſa *dementia*, *amentia*, *furor*.

20) *calliditas*, *aſtutia*, interdum etiam *conſilium*.

21) *humanitas*, *facilitas*, *liberalitas*, *comitas*.

22) *inhumanitas*, *crudelitas* et *immanitas*: duo poſteriora ſunt graviora.

23) *laetitia*, *gaudium*. Diſtinguit quidem has notiones Cic. Tuſc. IIII, 6 et 31: at nec ipſe nec alius priſcorum hoc discrimen obſervavit.

24) *dolor*, *triſtitia*, *animi moleſtia*, interdum *moeror*; proprie *moeror* eſt *triſtitia intus in pectore incluſa*, *der Gram*: *luctus* vero eſt ſaepiſſime *moeror* vel *triſtitia* ob *mortuum*, cerniturque plerumque veſtibus atris, *die Trauer*.

25) *cura Sorge*, *Kummer*, et *moeror Gram*: hic eſt gravior illa.

26) *caſus* et *fortuna Schickſal*.

27) *vita* et *ſalus*: proprie tamen *ſalus* eſt *ſtatus*, *qui reddit nos tutos a vitae periculo*: non igitur plane eſt *vita*.

28) *incolumitas die Unverletztheit*, et *ſalus* i. e. quando in priſtino bono ſtatu manemus.

29) *mors*, *obitus*, *finis vitae*.

30) *multitudo*, *copia*, *magna pars*, *magnus numerus*.

31) *paucitas*, *exigua pars*, *exiguus numerus*.

32) *probitas vitae*, *ſanctitas*, *integritas*.

33) *virtus*, *honeſtas*: quamquam forſan multi Chriſtiani dubitabunt *honeſtatem* pro *virtute* ponere.

34) *exiſtimatio Ehre* ſ. *Reputation*, et *dignitas Anſehen*, *Ehre*.

35) *merita* et *dignitas die Verdienſte*.

36) *fama* et *rumor*: hic eſt minor illa; eſt nempe *fama obſcurior* et *incertae originis*: pro *fama* interdum ponitur *celebritas nominis* et *gloria*; ſed haec eſt proprie *fama vulgatiſſima*.

37) *praeſtantia*, *excellentia*.

38) *dubitatio*, *haeſitatio*.

39) *gravitas* et *pondus*, v. c. *oneris*, *argumentorum*.

40) *improbitas*, *malitia*, quae proprie eſt, cum quis de induſtria malus eſt.

41) *decus*, *ornamentum*.

42) *honor*, *cultus*, interdum *obſervantia*; at *dignitas* eſt *honor internus*.

43) *paupertas*, *egeſtas*; at haec eſt major, *die Dürftigkeit*.

44) *conſtantia*, *gravitas*, it. interdum *fortitudo*.

45) *inconſtantia*, *levitas*.

46) *magnitudo rei*, *gravitas* v. c. *mali*, *morbi*.

 47) *fe-*

47) *felicitas*, *beatitudo.*

48) *dignitas der Anstand*, *decor.* Plura lector ipse inveniat.

II) *Substantivum* pro *adjectivo*, v. c. 1) *victor exercitus*, *die siegende*, *siegreiche*, *Armee.* Cic. Manil. 21 *victorem exercitum deportavit.* conf. Liv. V, 19 etc. At hic postulat necessitas: neque enim adjectivum exstat. Et hoc saepe accidit, ut adjectiva vernacula vel per substantiva vel per verba exprimere cogamur, v. c. *tugendhaft*, *möglich*, *unmöglich*, *sinnlich*, *verständlich*, *begreiflich* etc. 2) *nihil rei* et *nulla res.* 3) In primis huc pertinet mutatio adjectivi in substantivum, quando adjectivum notionem primariam vel graviorem continet, quam additum substantivum, v. c. *major erat copia virorum* Cic. ad Div. V, ep. 21 §. 2 pro *plures erant viri*; ibid. ep. 2 §. 22 *hujus temeritati si — non restitissem* etc. pro *huic temerario homini.* Rosc. Am. 17 extr. *si in hanc calamitatem venit propter praediorum bonitatem et multitudinem* i. e. *propter praedia bona et multa.* Phaedr. I, 12, 6 *crurum nimiam tenuitatem vituperat* i. e. *crura nimis tenuia:* et I, 14, 14 *quantae putatis esse vos dementiae* i. e. *quam dementes vos esse putatis?* Cic. Phil. II, 3 *cujus temperantiae fuit de M. Antonio querentem abstinere maledicto* etc. pro *quis tam temperans esse potuit*, *ut abstineret* etc.? Quae omnia imitanda sunt. — Huc pertinent breves hi loquendi modi: *mirabatur paucitatem auditorum* i. e. *quod tam pauci essent auditores: noli mirari librorum multitudinem*, i. e. *quod tot libri sunt: laudavit tuam humanitatem*, *doctrinam* etc., pro *laudavit te*, *quod tam humanus*, *doctus*, *esses*: *ignovit ejus pueritiae* pro *ignovit ei*, *quod adhuc puer esset.* Pertinent haec proprie ad brevitatem.

III) *Substantivum* pro *pronomine* ob gravitatem dicendi: v. c. Cic. Catil. I, 1 *o tempora! o mores! Senatus haec intelligit*, *consul videt*, *hic tamen vivit* pro *ego video;* ib. c. 6 extr. *quod eam* (sicam) *necesse putas esse consulis in corpore defigere*, pro *meo in corpore:* at *consulis* erat gravius et aptius dictum. Sic frater fratri dicere potest: *noli repudiare fratris preces*, pro *meas.* Est proprie brevitas, pro: *meas preces*, *quae a fratre veniunt.* Sic pater filio: *ne aspernere patris consilium*, i. e. *meum.*

IIII) *Nomen proprium*, at notum satis, et notae virtutis cujusdam vel etiam vitii, poni interdum potest 1) pro *substantivo*, v. c. *Achilles*, *Hector*, pro *fortissimo: Cicero* pro *oratore magno: Nestor* pro *prudente sene*, v. c. Cic. ad Div. VIIII, ep. 14

ep. 14 §. 5 *habere aliquem in consiliis capiundis Nestorem:* respicitur ibi quidem proprie ad Nestorem illum, quia de Agamemnone sermo est; at ex vocabulo *aliquem* intelligitur, Ciceronem cogitasse in universum *senem prudentem.* Sulpic. in nobili illa epistola consolatoria in Cic. Epp. ad Div. IIII, 5 §. 13 ait: *noli oblivisci, te Ciceronem esse,* h. e. virum egregie sapientem, qui aliis praeclara consilia dare queat etc. 2) Interdum etiam *nomen proprium* pro *pronomine* dicitur gravitatis causa, v. c. Cicero Ligar. 2 ait Caesari: *M. Cicero apud te defendit, alium in ea voluntate non fuisse, in qua se ipsum confitetur fuisse,* pro: *ego defendo — in qua me ipsum confiteor* etc. At illud gravius dictum erat, quia nomen Ciceronis admonet, eum fuisse notissimum illum Pompejanum etc. Totus locus legi debet. Ac saepius Cicero nominibus propriis pro pronominibus utitur ob gravitatem, h. e. ob majorem laudem vel vituperationem alicui conciliandam.

V) In primis *duo substantiva* pro *uno* ponuntur, ita tamen, ut neutrum vi sua careat. Neque enim credendum, priscos duo vocabula pro uno simpliciter posuisse. Imo fecerunt hoc, ut accuratius atque ita magis perspicue et gravius loquerentur: v. c. 1) *corpus hominis* pro *homine*, v. c. *vulnerare corpus hominis* pro *hominem:* at illud rectius, quia non totus homo, i. e. corpus et animus simul, vulneratur, sed tantum corpus. Sic rectius *ulcus latere dicitur in corpore hominis,* quam *in homine.* 2) *animus hominis* pro *homine,* v. c. *offendere animum hominis* rectius dicitur, quam *hominem:* nam non totus homo offenditur, sed ejus animus. Dici quidem potest pars poni pro toto, at hoc est *Synecdoche* h. e. *non accurate dictum.* Deinde postulat perspicuitas: *offendere hominem* potest quoque significare *invenire hominem.* Sic prisci non dicunt *uti homine sich eines Menschen bedienen, ihn zu etwas gebrauchen,* quia hoc significaret quoque *mit einem Menschen umgehen:* semper igitur pro illo dicunt *uti opera hominis,* ad dilogiam evitandam. 3) *mucrone gladii ictus* rectius, quam *gladio ictus.* 4) *puppes navium appulsae litori* rectius, quam *naves* etc. 5) *maris saevitia* pro *mari,* quando scilicet saevit: ergo pro *mari saevo.* 6) *ratio senatus est mutata* Cic. ad Div. I, ep. 8 §. 8 i. e. *senatus est mutatus:* at proprie est *conditio senatus* etc. 7) *spe praemiorum incitatus* pro *praemiis incitatus;* at illud rectius: non enim tam praemia futura quam eorum spes incitat. — Hinc patet, illam commutationem non ita intelligendam, ut ubivis duobus substantivis pro uno uti liceat, nulla idearum habita ratione: quo nil stultius foret. Sed subtilitas idearum, atque

 ita

ita perſpicuitas ac ſimul gravitas, interdum adjuvatur illa additione: v. c. *animum offendere hominis*, *corpus hominis vulnerare*, *puppes navium appulſae* etc., accuratius dicta ſunt, quam *hominem*, *naves* etc. — *Ratio ſenatus eſt mutata* Cicero dicere cogebatur. Nam, ſi dixiſſet: *ſenatus eſt commutatus*, ſenſus eſſe poterat, ſenatum aliam mentem induiſſe, vel alios in ſenatum receptos eſſe, ſuperioribus ejectis: cum tamen Cicero dicere vellet, ſenatus rationem (i. e. *Verfaſſung*) mutatam eſſe h. e. non eandem amplius eſſe, quae olim fuiſſet, ubi quisque ſenatorum ea, quae ſentiret, libere dicere poſſet. — Deinde *ſpe praemiorum incitatus* non plane eſt idem, quod *praemiis incitatus*. Hoc enim indicat vel indicare poteſt, aliquem jam praemia accepiſſe atque ita his jam acceptis incitatum eſſe: at *ſpe praemiorum incitatus* eſt, qui nihildum praemii accepit, ſed tantum ſperat, ſe, ſi quam rem peregerit, praemia laturum. — Sic eſt in omnibus aliis exemplis. V. c. Cic. Or. I, 9 *quis tibi hoc conceſſerit*, — *genus hominum non prudentium conſiliis compulſum potius quam diſertorum oratione delinitum ſe oppidis ſepſiſſe?* Hic ſingulis vocabulis ſua ſententia conſtat: nec ſimpliciter dictum eſt pro *per prudentes*, *per diſertos: conſiliis* adeſſe debet, ne videatur genus humanum vi compulſum eſſe. Vertendum: *wer wird dir das zugeſtehen*, *daß das menſchliche Geſchlecht nicht vielmehr durch den Rath* ſ. *die Räthe kluger Männer gedrungen; als durch das Reden beredter Leute gelockt* ſ. *geſchmeichelt*, *ſich* etc.

Nunquam Cicero, qui ipſe dixit, verba ſine ſententiis ponere inſaniam eſſe, nec alius ſcriptor prudens, ſimpliciter ac ſine juſta cauſa pro uno vocabulo duo poſuit. Semper ambobus vis quaedam continetur. Non igitur, ſi quando accidit, ut duo ſubſtantiva occurrant, quorum unum explicare ſatis commode neſciamus, propterea dicendum eſt, hoc redundare (quaſi nos omnia ſatis intelligamus), et tantum periphraſi cuidam ſervire, v. c. *vis Herculis* poſitum eſſe pro *Hercule*, *vis deorum* pro *diis*, *vis canum odora* ap. Virgil. pro *canibus* etc. Id quod nonnulli Philologi perperam, de mea quidem ſententia, faciunt, atque hanc deinde interpretandi rationem, minus accuratam et violentam, in libros divinos invehunt, et ubique clamant: *hoc vocabulum per hebraiſmum redundat.* Quod quid aliud eſt, quam dicere: *hoc vocabulum caret omni ſenſu ſeu notione?* Male. Nam, etſi multa vocabula priſcarum linguarum, quia et ratio multarum rerum et cogitatio hominum inde a priſca aetate ad noſtra usque tempora paulum immutata eſt, in vertendo non apte reddi ver-

vernacule possunt, quod experientia satis docet: tamen hinc non continuo sequitur, ea carere sententia et tantum periphrasi jejunae h. e. redundantiae cuidam servire. Imo, si ea certo intelligimus, debemus ea, nisi vernacule vertere, tamen explicare eorumque notiones indicare posse; nisi velimus omnem interpretationem incertam reddere et cuilibet potestatem facere, ubicunque vult, dicendi: *hoc redundat, illud item;* ubi tamen alius notionem inesse imo gravitatem quandam certo credit. Si igitur prisci, ut de his nunc solis loquar, duo vocabula pro uno temere seu ex usu quodam dicendi posuissent, stultissimos esse dixerim. Cur non potius Socratem imitamur, ac, si e duobus vocabulis unum tantum explicare valemus, de altero nostram inscitiam fatemur? Et dicere, scriptorem aliquid frustra ponere, est eum manifeste vituperare ac de ejus mente ac doctrina non optime sentire. Ac miror, Celeb. Ernestium, qui in graecis scriptoribus particulas illas γὲ, δὴ etc., nunquam redundare toties confirmavit ac monuit (vid. v. c. ejus Xenoph. memor. et Homer.), tamen in Cicerone quasdam periphrases seu redundantias unius vocabuli conjuncti cum altero tam liberaliter admittere. Vid. v. c. Clavis Cic. in vocabb. *vis*, *natura*, *ratio*, *necessitas*, *res*. In *vis* ait: „servit etiam periphrasi, ut *vis deorum* pro *diis*, loco non laudato. Forsan in mente habuit locum Cic. Nat. D. III, 36 extr. *vim omnem deorum ac potestatem*. At hic *vis* est *Wirkung*, *Kraft*, *Einfluss*. In *natura* ait: „*est etiam in periphrasi* Nat. D. II, 54 *natura alvi* pro *alvus*". Gesnerus in Chrestom. Cic. rectius explicat *naturam* hic per *substantiam* s. *essentiam*. In *ratio* dicit: „*ponitur et pro re ipsa:* v. c. *ratio ipsa* Inv. I, 1; *per fiduciae rationem fraudare* Caecin. 3; *veritatis ratio* Verr. I, 2". Ergo *ratio ipsa* pro *re*, *fiduciae ratio* pro *fiducia*, *veritatis ratio* pro *veritate* ei positum est: at cur non *ratio ipsa* explicetur *die Vernunft selbst*, *fiduciae ratio* per *causam fiduciae*, *veritatis ratio die Rücksicht der Wahrheit?* Locorum ipsa inspectio docebit, hoc ita fieri posse vel potius debere. In *necessitas* ait: „*necessitas* de *natura*, *ordine naturae* etc., additque Catil. IIII, 4 *mors aut necessitas naturae* etc.", ubi *necessitas* non potest *natura* esse, quia *naturae* additur, neque *necessitas naturae* pro *natura* dicere potuit Cicero, nisi tavtologiae vitium committere voluit. Alibi etiam distinguit Cicero *necessitatem* a *natura*, v. c. Verr. IIII, 14 *ipsi naturae ac necessitati*, unde patet, duo haec verba non plane idem notare. Et cur *necessitas* non ubique esse possit *immutabilitas quaedam*, *Unveränderlichkeit*, vel etiam *Unvermeidlichkeit*, *Nothwendigkeit*,

Nothdurft, nothwendige Folge cet.? Tandem in *res*: „Verr. I, 14 *res rationum* pro *rationes*". Imo, ut loci inſpectio docet, quamquam Cicero non totum verborum contextum poſuit, *res rationum* ſunt *res*, *quae in rationes Verris ſimul relatae erant, berechnete und in ein Verzeichniß gebrachte Dinge*, non ipſae *rationes*.

Priſci ſemper credendi ſunt cauſas habuiſſe, cur duo ſubſtantiva pro uno ponerent. *Prima* eſt ea, quam ſupra memoravi, quia iſta additione vocabuli elocutio *accuratior*, magis *definita*, atque ita *dilucidior*, *ſuavior*, et *gravior* redditur. *Altera* eſt *concinnitas*. Hujus ſtudio forſan nimio ductus Cicero, praeſertim in adoleſcentia, quae, quidquid ſcit, exponere et omnia ornare cupit, interdum duo vocabula pro uno poſuit, ubi alterum abeſſe poterat. At tamen interdum tantum, vel rariſſime, vel potius nunquam. Neque enim vocabulum ornatus cauſa additum ſenſu omni caret. V. c. Roſc. Com. 8 dixit: *inertia laboris*, quia ſequitur *magnificentia liberalitatis*. Propter hanc oppoſitionem ac concinnitatis ſ. aequalitatis verborum ſtudium poſſit Cicero, homo tum 26 annorum, vocabulum *laboris* ſine ulla ſententia videri poſuiſſe: quia *inertia* ſignificat *die Trägheit*, ubi notio *laboris* non neceſſaria eſſe videatur. At non ita ſe res habet. Nam *inertia* eſt etiam *die Ungeſchicklichkeit*, idque proprie. Ad hanc igitur ambiguitatem evitandam Cicero addidit et addere coactus eſt *laboris*, ut quisque videret, inertiam hic eſſe *Trägheit*. Debebat quidem, fateor, proprie dicere *inertia in labore*: durum eſt enim dicere *inertia laboris*: ut itaque Cicero, ſi vituperandus eſt, propterea tantum vituperari debeat, quod concinnitatis ſtudio abreptus *laboris* pro *in labore* dixit. At quis neſcit, plures ſimiles genitivos, per praepoſitionem explicandos, atque adeo interdum duriores apud priſcos occurrere? — Ceterum, ſi hic mos invaleſcat, ut duo vocabula, ſi ita lubet h. e. ſi ita melius videtur, per unum explicare liceat, quid arti interpretandi tandem fiat? quam incerta ipſa reddatur? Equidem, quotiescunque ejusmodi conjunctionem duorum vocabulorum reperio, utrumque auditoribus meis explicare ſtudeo: et pauca reperi, quae non explicari liceret, quamquam non ſemper apte verti. Si quando tamen accidit, ut alterutrum vocabulum explicare nequeam, quod accidiſſe mihi non nego, aperte dico atque profiteor, me id non intelligere. Cujus profeſſionis me non tam pudet, quam dicere, vocabulum redundare et efficere inanem periphraſin vel ob meram concinnitatem poſitum eſſe. Tanta cum religione veneror priſcorum ſcriptorum prudentiam.

VI) *Sub-*

VI) *Substantivum* pro *adverbio*, sed plerumque conjunctum cum praepositione vel adjectivo vel cum utroque, v. c. *praeter opinionem* pro *repente; per insidias aliquem interficere* i. e. *insidiose; singulis diebus* pro *quotidie*; *singulis annis* pro *quotannis*; *omni studio* i. e. *studiosissime; summa celeritate* i. e. *celerrime*; *summa cum diligentia rem perfecit* i. e. *diligentissime.* — Huc pertinent multa adverbia vernacula, quae vel per substantiva vel per verba, de qua re infra, circumscribuntur: *schriftlich per literas*, *stündlich singulis horis*, *monathlich mensibus singulis*, *per singulos menses*, *bedingungsweise sub conditione* s. *ea conditione*, *ut* etc.

Haec hactenus. Contra substantiva saepe per verba circumscribi possunt, v, c. *qui genuerunt* pro *parentibus: quod natum est* i. e. *infans: qui judicant* i. e. *judices: quod accidit* i. e. *casus;* sic et *quae facta sunt* pro *casibus* Cic. ad Div. VI, ep. 1 §. 15 *Neque ego ea*, *quae facta sunt*, *fore cum dicebam*, *divinabam*, i. e. *da ich die Zufälle voraussagte*, *so prophezeyte ich sie nicht.* Sic *cum taces* pro *silentio tuo* Cic. Rosc. Am. 19 *Verum concedo tibi, ut ea praetereas, quae, cum taces, nulla esse concedis* h. e. *aber ich erlaube dir diejenigen Dinge zu übergehen*, *deren Nichtigkeit* (quae nulla esse) *du durch dein Stillschweigen* (cum taces) *zugestehst.* Sic gerundia et participia saepe pro substantivis adhibentur, v. c. *eundo defatigatus sum* i. e. *itione*: *narranda ista re me terruisti* i. e. *narratione rei* etc. Sic: *silentes* s. *silendo interdum plus proficimus quam loquentes* s. *loquendo*, pro: *silentio — quam verbis*, *durchs Schweigen richten wir zuweilen mehr aus, als durchs Reden, durch Worte.*

SECT. II

De commutatione adjectivorum.

Adjectiva varie commutantur:

I) *Adjectivum* ponitur pro *adjectivo* vel idem vel e contextus ratione fere idem significante, v. c. *fessus et lassus: indubitatum, certum, exploratum*; *praeclarus, egregius, eximius,*

mius, *praestans*, *excellens*, interdum *insignis*, *singularis*: *turpis*, *foedus*, interdum augendi causa *abominandus*, *detestandus*, *aversandus*: *pulcher*, *formosus* (hoc plerumque de corporis forma), interdum *venustus*, *praeclarus*, *egregius*, *praestans* etc.; *callidus*, *astutus*, *versutus* malo sensu, interdum *sagax*, *prudens*: *difficilis*, *arduus* (propr. *hoch zu ersteigen*, *zu erreichen*), v. c. *res ardua*: *humanus*, *facilis* (proprie qui, quae alii volunt, facile agit), *comis freundlich*: *inhumanus*, *expers humanitatis*, *ferreus unempfindlich*, et in majori re *crudelis*, *immanis*: *aequum billig*, interdum *justum*, *verum* eodem sensu: *suavis*, *jucundus*, *gratus*, *dulcis* (proprie est *jucundum*, quod delectat, *gratum*, quod *gratiam Dank* meretnr; sic differunt ap. Ciceronem): *hilaris*, *laetus*, v. c. *frons laeta*, *hilaris*: *stultus*, *stolidus*, interdum *imprudens*, *ineptus*, *ridiculus*, *insulsus*: *altus*, *excelsus*, *arduus*: *profundus*, *altus*: *continuus an einander hängend*, *perpetuus*, v. c. *montes continui*, *perpetui*: *cupidus*, *avidus*, *studiosus*: *insignis sich auszeichnend*, *singularis außerordentlich*, bono et malo sensu; it. *praestans*, *eximius*, *egregius* etc. bono sensu: *malus*, *pravus*, *improbus* de homine: *rectus*, *honestus*, interd. *justus* de re: *probus* (homo), *sanctus*, *integer*: *plenus*, *refertus* (propr. *voll gestopft*, ergo majus illo): *injucundus*, *molestus*, *ingratus*, *gravis*, interdum *acerbus empfindlich*: *tenuis*, *exilis*; *parvus* de re, interdum *fragilis* et *caducus hinfällig*, *vergänglich*: *magnus*, *gravis* de re mala, v. c. *morbus gravis*, et augendi causa *vehemens*, *acer*: *imperitus*, *rudis*, *inscius*, interdum *stultus* etc.: *sedulus*, *assiduus*: *diligens*, *accuratus*: *perniciosus*, *periculosus*, *capitalis*, interdum *inutilis* (litotes), v. c. *civis inutilis*, ut nos *ein unnützer Mensch*: *salvus unverletzt*, *incolumis*, *integer* sunt synonyma: *felix*, *beatus*, *fortunatus*: *inanis*, *vacuus*: *notus*, *cognitus*, et augendi causa *clarus*, *celeber* de homine ac re, et *manifestus*, *apertus*, *perspicuus* de rebus: *occultus*, *tectus*, *absconditus*: *inauditum*, *novum*: *proprium* h. e. non commune cum aliis, *praecipuum* eodem sensu, *was man vor andern zum voraus hat*, *vorzüglich*: *aptus*, *idoneus*, *accommodatus* ad rem, interd. *dignus* i. e. *anständig*, *sich schickend*: *probus ächt*, *verus*, *spectatus*, v. c. *aurum probum*, *verum* etc., *amicus probus* etc.: *attentus*, *diligens* in audiendo: *constans*, *gravis*, it. *fortis*: *inconstans*, *levis*; et innumera alia. Hic notandum adhuc:

a) pro *omnis* antecedente *sine* dici debet *ullus*; v. c. *sine ulla dubitatione*, male *sine omni* etc. Subtilitas notionum hoc exigit

exigit et usus loquendi. Prisci enim plerumque v. c. *sine ulla dubitatione* etc. At occurrit quoque *sine omni*, v. c. *sine omni periculo* Terent. And. II, 3, 17. *sine omni malitia* Plaut. Bacch. V, 2, 13. *sine omni sapientia* Cic. Or. II, 1 extr.

b) superlativus libenter mutatur in comparativum; v. c. pro: *omnium doctissimus est* dicere licet: *nemo eo est doctior*; sic: *nihil est humanius illo* pro *ille est humanissimus*: — in primis placent isti comparativi pronomini relativo juncti, v. c. *locutus sum cum homine, quo nemo doctior esse potest, quo nihil suavius, humanius, novi*; pro: *qui est omnium doctissimus, suavissimus.*

c) *quot* mutari potest in *quantum*, v. c. *quantum librorum habes* i. e. *quot libros?* it. *tot* in *tantum*, v. c. *tantum librorum emi.* Interdum vernaculum *wie viel, so viel*, non potest reddi per *quot tot*, sed per *quantum tantum*, quando scilicet non tam multitudo quam magnitudo indicatur, v. c. *so viel Verstand; wie viel Gelehrsamkeit! tantum ingenii; quantum doctrinae!* etc.: — it. *quot* mutari solet in *quotusquisque*, si non tam directe interrogatur, quam cum querela quadam exclamatur, atque omnino *paucitas* tecte indicatur: v. c. *wie viel glauben dieses?* i. e. pauci; *wie viel gibts, die ihr Leben gern einbüßen?* h. e. pauci. Hae duae formae reddi debent: *quotusquisque hoc credit? quotusquisque est, qui vitam libenter ponat?*

II) *Adjectivum* pro *substantivo*: v. c. *senex* pro *in senectute*; sic *adolescens, puer, vivus* pro *in adolescentia, in pueritia, in vita. Cato literas graecas senex didicit* i. e. *in senectute: feci hoc adolescens* i. e. *in adolescentia: cognovi eum puerum, ich habe ihn in seiner Kindheit kennen gelernt: dixit hoc vivus* i. e. *bey seinem Leben:* — sic et participia, v. c. *dixit moriens, proficiscens, rediens*, i. e. *bey seinem Tode, bey seiner Abreise, Rückkunft: profectum illum nemo amplius vidit, nach seiner Abreise hat ihn weiter niemand gesehen.* Sic semper dicendum. Pertinent huc formulae *salvis legibus* i. e. *sine laesione legum: salvo jure* Cic. ad Div. XIII, 77 in. i. e. *sine laesione juris* etc.: semper ita dicendum. Sic *poculum aureum, argenteum*, i. e. *ex auro, argento; pyxis eburnea* i. e. *ex ebore*: it. *Civis Lipsiensis, Berolinensis, Atheniensis*, pro *e Lipsia, Berolino, Athenis*; illud semper melius, licet Livius I, 50 dixerit *Turnus Herdonius ab Aricia* pro *Aricinus* et XXXVII, 22 *tredecim a Rhodo naves* pro *Rhodiae*, ut nos vernacule dicimus: *ein Bürger aus Leipzig, Schiffe von Rhodus* etc. Hinc

ap.

ap. Nepot. v. c. *Themiſtocles Athenienſis*, *Epaminondas Thebanus* etc. non verti debet *ein Athenienſer*, *Thebaner*, ſed *von Athen*, *Theben*, ut tirones aſſueſiant tali dicendi rationi, nec poſtea vernacula *ein Mann aus Wien* etc. vertant *e Vienna*, ſed *Viennenſis*. — Pertinent huc multa alia vernacula ſubſtantiva, quae latine debent per adjectiva verti, quia ſubſtantiva vel deſunt vel dubiae ſunt auctoritatis: v. c. *rectitudo*, *certitudo*, *pernicioſitas*, *aptitudo*, *ridiculitas* etc. Hic v. c. dicendum: *quis non videt*, *hoc eſſe rectum*, *certum*, *pernicioſum*, *aptum*, *ridiculum* etc., *wer ſieht nicht die Richtigkeit*, *Gewiſsheit*, *Schädlichkeit*, *Schicklichkeit*, *Lächerlichkeit* etc. Huc pertinet *verum* pro *veritas*: ut fere ſemper pro vernaculo *Wahrheit*, niſi virtus illa proprie in abstracto indicatur, dici debet, v. c. *Si verum ſcire vis*, i. e. *wenn du die Wahrheit wiſſen willſt*. Sic Cic. ad Div. V, ep. 20 §. 12, non *veritatem*, quod falsum fuiſſet. — Et alibi adjectiva poſſunt poni pro verbo conjuncto cum ſubſtantivo, v. c. *hoc ſuſpicioſum eſt* pro *ſuſpicionem movet erregt Verdacht* Cic. Roſc. Am. 23.

III) *Adjectivum* interdum pro *adverbio*: nota hic ſunt *nullus dubito* pro *non dubito*; *primus* pro *primum*; *ſolus*, *unus* pro *tantum*, *ſolum*, v. c. *Cicero hoc primus dixit*, *Neutonus primus invenit*, i. e. *hat es zuerſt geſagt*, *zuerſt erfunden*; *mihi ſoli non dixit*, *mir allein hat ers nicht geſagt*; *mater ſola adeſt*, *iſt allein da*; *pater unus dixit*, *hats allein geſagt*; *ſola doctrina nititur*, *er verläſst ſich bloſs auf die Gelehrſamkeit*. Millies ita Cicero, v. c. Verr. I, 1 *Sicilia — prima omnium — provincia eſt appellata*: *prima docuit majores noſtros* — *ſola fuit ea fide* etc., *iſt zu allererſt eine Provinz genannt worden*, *hat zuerſt gelehrt* — *iſt allein ſo treu geweſen* etc. et paulo ante pro *prima* eodem ſenſu dixit *princeps*: *omnium nationum* — *princeps Sicilia ſe ad amicitiam fidemque populi rom. applicuit*, i. e. *hat ſich zu allererſt — begeben* etc. Ad Div. V, ep. 20 §. 12 *et*, *ſi verum ſcire vis*, *hoc uni ſcribae meo intellexi non nimium placere* pro *hoc tantummodo ſcribae* etc. Huc pertinent alia, v. c. Cic. Agr. II, 2 *verſantur enim in animo meo multae et graves cogitationes*, *quae mihi nullam partem neque diurnae neque nocturnae quietis impertiunt*, ubi dicere poterat: *quae mihi nullam quietem neque noctu neque die* etc. Roſc. Am. 7 *decem horis nocturnis ſex et quinquaginta millia paſſuum ciſiis pervolavit* pro *noctu decem horis* etc. Ad Div. VI, ep. 2 §. 4 *neceſſe eſt enim aut armis urgeri rempublicam ſempiternis aut* etc. pro *ſemper*. Ad Attic. XI, ep. 24 med. *Philotimus non modo nullus venit*, *ſed ne per literas quidem aut per nuntium certiorem facit*

facit me, quid egerit pro *non modo non venit*, ut noſtri: *es kam kein Philotimus.* Tuſc. I, 38 — *cum mors nec ad vivos pertineat, nec ad mortuos? Alteri nulli ſunt, alteros non attinget*, pro *alteri* (i. e. *mortui*) *non ſunt, exiſtiren nicht mehr.* Roſc. Am. 6 *erat ille Romae frequens* i. e. *frequenter.*

SECT. III

De commutatione numeralium.

Numeralia interdum etiam permutantur:

I) *inter ſe*, v. c. *octodecim*, *decem et octo*, atque *duodeviginti*, hoc ubique rectius putatur, ſed *decem et octo* ap. Livium legitur, ergo recte ita dicitur; omninoque de *octodecim* plane dubitatur, an ſic dici debeat, quia praeter Frontinum non alius ſcriptor eo uſus videtur. Sic et *duodeviceſimus* dicendum: ſic et *undeviginti* pro *novemdecim* rectius dicitur, et *undeviceſimus* pro *decimus nonus:* ſic et in reliquis, v. c. *undetriginta*, *duodetriginta*, *undequadraginta*, *duodequadraginta*, et ſic porro pro *novem et viginti*, *octo et viginti*, *novem et triginta*, *octo et triginta* etc., atque ita ubique etiam *undetriceſimus*, *duodetriceſimus*, *undequadrageſimus*, *duodequadrageſimus* etc. dicendum. — De *millia* notandum, non poſſe poni pro *mille* h. e. pro *uno mille;* ſed ſemper de pluribus dicendum, v. c. *duo*, *tria*, *millia.* Vidi tirones interdum hic peccaſſe, quia nos in vernacula de utroque, et de uno et de pluribus millibus, dicimus *tauſend*, v. c. *drey tauſend;* at forſan tantum in ſingulari dicere debebamus *tauſend*, et in plurali *tauſende.* Sed quis uſum loquendi v. c. *drey tauſend Mann* mutet?

II) *Numeralia* pro *adjectivis* copiam vel paucitatem indicantibus interdum ponuntur, v. c. *ſexcenti*, *centum*, *mille* pro *permultis:* ſic *ſexcenties*, *millies*, *centies* pro *ſaepiſſime:* ubi tamen judicio opus, ne de rebus, quae, licet crebro, tamen v. c. vix vicies factae ſunt vel fieri potuerunt, dicamus *millies*, *ſexcenties*, v. c. ſi quis dicere velit, ſe ſuum diem natalem millies ſexcentiesve celebraſſe, ridiculus fiat. Sic et *tria verba* pro *paucis*, it. *ut unum verbum addam*, *uno verbo dicam* etc. Sic et noſtri *tauſendmal*, *hundertmal*, pro *ſehr oft: nur auf zwey Worte, mit zwey Worten, mit einem Worte, ſagen*, ubi *pauciſſima verba* intelliguntur.

SECT.

SECT. IIII

De variatione pronominum.

Pronomina commutantur:

I) *inter se*, v. c.

1) *nos* pro *ego* ſaepe dixit Cicero in orationibus aliisque libris, ut hodierni oratores et ſcriptores: dixit adeo *nobis conſulibus* pro *me conſule.* — Quaerunt eruditi, an hoc modeſtiae cauſa Cicero, Virgilius, aliique fecerint. Hoc Buchnerus de commut. orat. p. 88, Servii ad Virg. Aen. II, 89 auctoritatem ſecutus, affirmat, ex eoque Heineccius in fundam. repetit. — At hoc non ubique certe locum habere putaverim. Credo, ex orationibus, in quibus oratores multa cum auditoribus communicant vel communicare ſimulant (et hoc modeſtiae nomen hactenus mereatur), deinde in libros fluxiſſe, ac Ciceronem, illi de ſe in plurali dicendi rationi aſſuetum, deinde et alibi, ubi de ſe ſolo loquitur, iſtum pluralem adhibuiſſe. Nam non ubique iſtum pluralem poſſe modeſtiam indicare clarum eſt. Et quis v. c. hodie legens ſcriptores recentiores de ſe ita loquentes: *Nos librum edidimus, ſupra de hac re diximus, vide nos ſupra vel noſtram diſſertationem, Cajus nos refutare voluit* etc. hoc pro ſigno certo modeſtiae habere, nec potius conſuetudini dudum receptae tribuere, velit?

2) *id quod* ſaepiſſime pro *quod*, ſi non ad unum certum ſubſtantivum, ſed ad totam praecedentem ſententiam, refertur, v. c. *Amas virtutem: id quod laudo.*

3) *neſcio quis* pro *quidam*, ſi de homine obſcuro atque contemto vel vili ſermo eſt: indicatque proprie, nos neſcire, quis iſte homo ſit, vel ſaltem neſcire ſimulare. At *neſcio quid* non modo minuendi cauſa dicitur, v. c. *ingenii mei neſcio quid* h. e. *meum exiguum ingenium*, ſed etiam augendi cauſa. Cic. Arch. 7 *Atque* (ſic Editt.; forſan leg. *Atqui*) *idem ego contendo, cum ad naturam* (i. e. ingenium) *eximiam atque illuſtrem acceſſerit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud neſcio quid praeclarum ac ſingulare ſolere exſiſtere* h. e. *illud praeclarum et ſingulare, quod explicare, quod verbis exprimere, nequeo.* Sic et noſtri: *der Mann hat etwas, ich weis nicht was groſſes in ſeinen Mienen.*

4) *ipſe* pro *ille* dici debet de perſona primaria, cum de ejus rebus vel comitibus ante dictum eſt: v. c. *Caeſar miſit legatum*

legatum cum tribus cohortibus — ipſe ſecutus eſt cum etc., *er aber folgte* etc.: ubi *ille vero* falſum eſt.

5) in primis *qui quae quod* notandum, quod pro *is, ille, ego, tu, nos, vos* ſaepiſſime connexionis cauſa dicitur, abjectis particulis connectendi *et, vero, enim:* v. c. *Cajus mihi librum miſit: quem cur non legam, nullam cauſam video* pro *et cur eum non legam* etc. *Amicos tibi comparabo: quibus ut familiariſſime utaris, rogo* pro *ut vero iis famil.* etc. *Doleo me non adfuiſſe. Qui ſi adfuiſſem* etc. pro *nam ſi ego adfuiſſem* etc. *Vellem, te vocaſſem. Qui ſi adfuiſſes* etc. pro *ſi tu* vel *ſi enim tu adfuiſſes* etc. *Nihil de re comperimus. Quibus ſi nuntiatum erit* etc. pro *ſi vero nobis* vel *ſi nobis nuntiatum* etc. De hac re jam ſupra dictum eſt. — Pertinet huc quoque *qui* pro *cum, ut* etc., v. c. *ego, qui ſcirem* etc., *da ich wußte: Caeſar, qui ſciret* etc., *da er wußte: dignus es, quem laudem* i. e. *ut te laudem: digna eſt virtus, quam amemus* etc., quia in *qui quae quod*, ſi ita cum conjunctivo conſociatur, ſemper pronomen aliquod v. c. *ego, tu, is* etc. latet. Attamen de iis infra dicemus.

Not. *haec* et *hoc* a tironibus vidi temere commutari, deceptis per vernaculam, ubi utrumque vertitur *dieſes*, ſive de una re ſive de pluribus ſermo ſit. — Male. *Hoc* ſemper de *una re, haec* de pluribus, dicendum, v. c. quando dixi: *tu amas virtutem*, recte adjicio: *hoc mihi placet*, et perperam: *haec mihi placent, dieſes gefällt mir.* At, quando dixi: *tu non amas amicos, inſidiaris parentibus, perſequeris inimicos*, tum recte ſubjicio: *haec mihi non placent.* Sic eſt quoque de *quod* et *quae.*

II) *Pronomen* pro *adjectivo*, v. c.

1) *ipſe* pro *integer, totus*, in accurate definiendo numero ac temporis ſpatio, v. c. *tres ipſos dies abfui* i. e. *tres totos dies, gerade (juſt) drey Tage.*

2) *is* pro *talis* ſaepiſſime, ſequente vel *ut* vel *qualis*, v. c. *ea es doctrina, ut paucos habeas pares* pro *tali es* etc. *An putas me eum eſſe, qui mentiar?* pro *me talem eſſe, ut* etc. *Cicero ſe praeſtitit eum, quem eſſe decuit* pro *talem, qualem;* nil frequentius.

3) *hic* pro *praeſens* i. e. *gegenwärtig, jetzig*, ſaepiſſime, v. c. *haec tempora die gegenwärtigen Zeiten; hi mores die jetzigen Gebräuche;* ſic plerumque dicendum, ſi ſermo eſt de *rebus;* nec fere *praeſens* uſurpandum, licet vernacula dicat *der gegenwärtige Krieg, das gegenwärtige Uebel*, quod vertendum *hoc bellum, hoc malum;* nam *praeſens* de perſonis fere dicitur: quamquam et de rebus interdum, v. c. *praeſens tempus*

Cic.

Cic. Catil. I, 9. At etiam de *perſonis* ſaepe Cicero *hic* uſurpat, v. c. Roſc. Am. 20 *ſed ſi ego hos bene novi*, h. e. *wenn ich die Herren hier recht kenne*, intelligit *judices*. Offic. III, 16 *M. Cato ſententiam dixit, hujus noſtri Catonis pater* etc., h. e. *unſers jetzt lebenden Catons Vater*: ut contra *ille* de eo, qui non amplius praeſens eſt ſ. vivit, dicitur, v. c. Verr. II, 2 *ita ille M. Cato ſapiens* i. e. *der ehemalige Cato* etc. — Ceterum de *hic*, ubi de rebus dicitur, exempla in Cicerone ubivis obvia: item in aliis ſcriptoribus, v. c. Liv. VI, 4 extr. *eodem anno — Capitolium quoque ſaxo quadrato ſubſtructum eſt, opus vel in hac magnificentia urbis conſpiciendum*, i. e. *ein Werk* ſ. *Gebäude, das ſich auch bey jetziger* ſ. *gegenwärtiger Pracht der Stadt ſehen läßt.*

4) *hic* interdum pro *proximus*, ſ. *proxime elapſus*, dicitur, ergo de tempore, v. c. *his diebus accidit*, ut nos: *was in dieſen Tagen ſich zugetragen hat*, i. e. *proximis, modo elapſis.*

5) *ille* pro *prior* ſeq. *hic* pro *poſterior* libenter utuntur priſci, v. c. *et Cicero et Livius legendus: ille ob eloquentiam, hic ob hiſtoriam, der erſtre wegen — der letztre wegen der Geſchichte.* Male hic dicatur: *prior, poſterior.* Sic: *Cicero et frater ejus occiſi ſunt: hic Romae, ille in fuga*, h. e. *der letztre in Rom, der erſtre* etc. Sic ubique dicendum, ita, ut *hic* ad *poſteriorem*, *ille* ad *priorem* referatur, v. c. *virtus et amicitia colenda: illa* i. e. *virtus — haec* i. e. *amicitia* etc.: quamquam non negandum, priſcos quoque non raro hic peccaſſe et τὸ *hic* ad remotius, τὸ *ille* ad propius retuliſſe: de qua re vid. infra P. II, c. 1 ſect. XX, n. 1.

6) in primis *quicunque* et *quisquis* pro *omnis qui* dicendum ſaepe eſt: v. c. pro *omnia tibi dabo, quae volueris; laudo omnes, quos tu laudas*, dici poteſt brevius: *quaecunque volueris, ea tibi dabo; quoscunque laudas, eos laudo.* Poteſt etiam, ut ſponte patet, *ea* et *eos* omitti. — Sic *quidquid* pro *omnia quae*, v. c. *quidquid ſtatueris, id probabo*, i. e. *omnia, quae* etc. Exempla ſupra (c. 4. ſect. 1 VIII, c. 5 ſect. 6 VIII) allata ſunt, nec quidquam frequentius eſt: unum laudabo, Cic. ad Div. XIII, ep. 72 extr. *velim exiſtimes, quibuscunque rebus Cerelliae bene feceris, mihi te gratiſſimum eſſe facturum*, pro *in omnibus rebus, in quibus* Cerelliae etc. Hoc in primis imitandum.

III) *Pronomen* pro *adverbio*, v. c.

1) *quid* pro *cur?* millies; v. c. *quid fles?* it. *quid eſt quod* etc., ſi gravior eſt interrogatio.

2) *ipſe*

2) *ipſe* pro *adeo*, v. c. *ipſe Cicero, licet inimicus, hoc laudis Caeſari tribuit*, h. e. *ſo gar Cicero* etc. Noſtri etiam dicunt: *ſelbſt Cicero* pro *ſo gar Cicero* etc. Nihil frequentius, v. c. Cic. Verr. IIII, 14 extr. *in his ipſis rebus* etc. Sic et *ipſe* pro *ſponte*, v. c. *ipſe fecit* h. e. *nullo impellente*, ut nos: *von ſelbſt:* ſaepiſſime ita priſci, etiam de *rebus*. Cic. Divin. I, 34 *valvae clauſae repagulis ſubito ſe ipſae aperuerunt* i. e. *haben ſich von ſelbſt geöffnet.* — Not. *ipſe* etiam reſpondet ſaepe noſtro *eben*, *juſt*, v. c. *juſt*, (*eben*, *gerade*) *das ſuche ich, hoc ipſum quaerò:* diverſum eſt ab *idem*, v. c. cum de homine loquimur, et hic repente advenit, dicimus: *da kommt er eben, da kommt er juſt* ſ. *gerade*. Hoc non aliter verti poteſt, quam: *hic venit ipſe*. Saepe ita priſci, v. c. Cic. Offic. I, 22 *quin etiam ob has ipſas cauſas et parentiores habuerunt exercitus et fortiores*, et paulo poſt: *ſed tamen id ipſum geſtum eſt conſilio urbano, ſine exercitu*, h. e. *ja wegen der nämlichen Urſachen* ſ. *wegen dieſer Urſachen eben haben ſie auch gehorſamere — Heere gehabt.*

3) *idem* ſaepiſſime pro *item* (*ebenfalls*) ſ. *porro*, *etiam*, v. c. *Cicero multas orationes ſcripſit: idem libros philoſophicos edidit*, i. e. *er hat auch philoſophiſche Schriften herausgegeben*, pro *edidit item, porro, etiam;* ſic: *dedi fratri librum, eundemque monui, ut mox redderet*, i. e. *und habe ihn auch erinnert*; ſic: *tu non ſolus Homerum legiſti: ego eundem legi*, pro *ego eum etiam legi.* Sic Cicero ſexcenties. Arch. 7 *atque idem ego contendo* etc., *ich behaupte aber auch* etc., pro *atqui* (ſic forſan leg.) *ego item* ſ. *etiam contendo*. Solet etiam *idem* bis ponere pro *ſimul* ſ. *tum tum*, v. c. Orat. 7 in. *videmus enim fuiſſe quosdam, qui iidem ornate ac graviter, iidem verſute et ſubtiliter dicerent*, h. e. *welche zugleich mit Schmuck und Nachdruck, und zugleich* etc. ſ. *welche nicht nur mit Schmuck — ſondern auch* ſ. *welche ſo wohl mit Schmuck — als auch* etc. Ad Div. VIIII, ep. 2 in. *Caninius idem tuus et idem noſter*, i. e. *ſo wohl dein als mein Freund, zugleich dein und* etc. Phil. II, 16 *quod autem idem moeſtitiam meam reprehendit, idem jocum, magno argumento eſt, me in utroque fuiſſe moderatum.* Semel ita eſt *idem* Fin. II, 20 de L. Thorio Balbo quodam: *utebatur eo* (i. e. tali) *cibo, qui et ſuaviſſimus eſſet, et idem facillimus ad concoquendum.* Mur. 9 *Aſiam iſtam refertam et eandem delicatam ſic obiit, ut in ea neque avaritiae neque luxuriae veſtigium reliquerit, das ſo reiche* ſ. *mit allen Dingen überflüßig verſehene, und zugleich wollüſtige, Aſien bereiſete er ſo, daß er* etc., ac ſaepius.

IIII) *Pronomen* pro *praepositione*, v. c. *quae tua est humanitas*, *qui tuus est erga me amor*, h. e. *pro tua humanitate*, *pro tuo erga me amore*. Sic Cicero ad Div. VII, ep. 2 §. 2 *quod si mihi permisisses*, *qui meus amor in te est*, *confecissem cum coheredibus*, i. e. *hättest du es mir überlassen*, *so hätte ich vermöge meiner Liebe zu dir*, s. brevius *als ein guter Freund von dir*, *es mit den Miterben abgethan*. Sulpic. in Epp. Cic. IIII, ep. 5 §. 15 *quod si quis etiam inferis sensus est*, *qui illius* (filiae) *in te amor fuit*, — *hoc certe illa te facere non vult*, i. e. *wofern die Verstorbenen noch Empfindung haben*, *so will sie vermöge der Liebe*, *die sie zu dir gehabt hat*, *gewiß nicht*, *daß du das thust*. Sic dici potest: *scripsit*, *quae illius doctrina fuit*, *egregie*, h. e. *pro sua doctrina*.

V) *Pronomen* pro *conjunctione*. Pertinet huc e superioribus (v. n. III) *idem* pro *etiam* s. *porro*, v. c. *ego omnia promisi*: *idem omnia feci*, *quae potui*, i. e. *ich habe auch alles gethan* etc.; it. *isque* pro *et quidem*, v. c. *habes libros multos eosque praeclaros*, i. e. *und zwar vortreffliche*. In primis huc pertinet *qui quae quod*, de cujus usu non nimis saepe dici potest; ponitur

1) pro *ut* cum *pronomine*, v. c. *dignus sum*, *qui amer*, *quem ames*, pro *ut ego amer*, *ut me ames*: *digna est virtus*, *quae ametur*, *quam amemus*, pro *ut* (ea) *ametur*, *ut eam amemus*. It. in aliis, v. c. *misi tibi librum*, *quem legeres*, pro *ut eum legeres*, *um es zu lesen*: ut Caesar B. G. IIII, 16 *cum Caesar misisset nuntios*, *qui postularent*, i. e. *ut postularent*, *daß sie fordern sollten* s. *die da fordern sollten* etc. Cic. ad Div. IIII, ep. 3 §. 2 *etsi nemini concedo*, *qui majorem ex pernicie — reipublicae molestiam traxerit*, pro *ut is majorem* etc., *ob ich gleich niemand zugestehe*, *daß er mehr Betrübniß über den Untergang des Staats empfunden hätte* etc.; it. VI, ep. 1 extr. *nemo est tam afflictus*, *qui — non possit navare aliquid et efficere* pro *ut is non* etc.; ibid. ep. 6 §. 7 *nolo enim hunc — existimare*, *me ea suasisse Pompejo*, *quibus ille si paruisset*, *esset hic quidem clarus* etc., pro *me ea* (i. e. talia) *suasisse Pompejo*, *ut*, *si iis ille paruisset* etc. Qui locus in primis tenendus et imitandus. Nihil enim latinius esse potest.

2) pro *quod daß*, *cum da*. Cic. ad Div. I, ep. 9 §. 31 *illud — nostrum consilium jure laudandum est*, *qui meos cives*, *a me conservatos*, — *servis armatis objici noluerim*, pro *quod* s. *cum ego meos* etc., *mein Verfahren ist zu loben*, *daß ich nämlich*

nicht gewollt habe etc.: VII, ep. 28 §. 2 *et hoc tempore (videris esse) non solum sapiens, qui hinc absis, sed etiam beatus*, i. e. *daß du von hier entfernt bist*: ep. 30 §. 2 *incredibile est, quam turpiter mihi facere videar, qui his rebus intersim*, i. e. *quod* s. *cum intersim, daß ich Antheil nehme* etc. — Saepe etiam *qui* pro *cum* in narrationibus. Sic Caesar centies, item Cicero Rosc. Am. 9 *homines antiqui, qui ex sua natura ceteros fingerent* etc., pro *cum ex sua* etc. In primis in Verrinis, v. c. Verr. I, 26 *homo* (Philodamus), *qui et summa gravitate et jam id aetatis et parens esset, obstupuit hominis improbi dicto*, scil. quod Verres dixerat: *cur ad nos filiam tuam non intro vocari jubes? der Mann, weil, da er ein sehr ernsthafter Mann war* etc. Potest et verti: *welcher*, at tamen proprie *cum* in eo latet, quod ex conjunctivo perspicitur.

3) pro *enim, vero, et*: de qua re supra (c. 7 sect. III) v. c. Cic. ad Div. V, ep. 21 §. 6 *Ego is sum, — qui nihil unquam mea causa fecerim: cui nisi invidisset is, — et ipse esset beatus* etc. Hic *cui nisi* est pro *nisi enim mihi*, quamquam et per *et nisi mihi* explicari potest: ib. ep. 12 §. 14 *Nihil est enim aptius ad delectationem lectoris, quam temporum varietas fortunaeque vicissitudines: quae etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt jucundae*, pro *nam etsi eae nobis*, vel *et quamquam eae nobis* etc.

Ceterum in his omnibus, etsi *qui* pro *ut, cum, quod, enim, vero, et* videtur poni, tamen latet in eo ubique aliquod pronomen *is, ego, tu* etc., et v. c. *dignus sum qui lauder* est pro *ut ego lauder*, non pro *ut* simpliciter: ut adeo tantum pronomen pro pronomine positum sit et tantum ratione vernaculae dici possit *qui* pro illis particulis poni.

SECT. V

De variatione verborum proprie ita dictorum.

Verba in primis saepe commutari solent:

I) *inter se*: ubi tamen contextus propriaeque significationis ratio diligenter habenda. Non enim ubique verbum cum verbo commutandum. Pertinent huc quoque phrases, quae interdum pro verbis singulis poni possunt, maxime a) quando adjectivum adest vel pronomen, v. c. *hoc amore* vel *magno amore me complexus est*, pro *ita* vel *valde me amavit*; *magnam* vel *hanc utilitatem affert ista res* pro *valde*

vel

vel *ita prodest:* sed non simpliciter ubique *complecti amore* pro *amare*, *utilitatem afferre* pro *prodesse*, dixerim, quia affectatum videatur. Cogitationi simplici non convenit pompa verborum. b) ob concinnitatem, ut membra aequalia fiant: v. c. *Antonius reipublicae plus damni quam utilitatis attulit: Cajus suos parentes omni molestia vexare potius quam beneficiis recreare studuit.* — Praemonendum hoc duxi, quia ipse experientia edoctus scio, magistros nonnullos discipulis suis ubique phrasin pro verbo simplici, tanquam pulchriorem, seu, ex ipsorum sermone, ornatiorem (*zierlicher*) commendare. Commutari itaque haec fere possunt:

1) *Pati, ferre, sinere;* interdum *permittere*, propr. *überlassen, die Gewalt geben.* It. *potestatem alicui facere* v. c. *discedendi.* Sic Caesar B. G. III, 15. It. *veniam dare:* haec omnia notant nostrum *zulassen, erlauben.*

2) *Tolerare, perpeti, perferre, sustinere, subire, erdulden, ertragen*, v. c. *onus, malum, fortunam.*

3) *Suadere, consilium dare, auctorem esse, censere*, v. c. *censeo tibi esse faciendum, literas scribendas esse.* — Male huc refertur *consulere alicui:* hoc non est *rathen* sc. verbis, sed *prospicere sorgen.* Decipiuntur hic tirones eo, quod *consulere aliquem* est *in consilium adhibere, um Rath fragen:* hinc putant *consulere alicui* esse *consilium dare.* Male.

4) *Habeo, mihi est, sum praeditus, instructus, ornatus,* it. *utor, non careo, non sum expers rei.* — At haec non promiscue usurpanda. *Est mihi* (vel de pluribus *sunt mihi* etc.), *habeo, non careo, praeditus sum* ubique licet, si de possessione sermo, v. c. *habeo libros*, *sunt mihi libri*, *agri* etc. quamquam et de aliis rebus, v. c. *habere amorem*, *febrem* etc. Nec tamen dixerim: *haec mulier habet pulchritudinem magnam* s. *faciem pulchram*, sed *praedita est: mulieri est facies pulchra* etc. *Utor*, quia proprie est *usurpo*, tantum de iis dicitur, quae, dum habemus, etiam usurpamus. V. c. *utor patre liberali*, *libris praeclaris*, recte dicitur: at de eo, qui libros pulchros habet, quos nec legit, nec intelligit, vix dixerim: *utitur libris pulchris:* et ridiculus sim, si de eo dicam: *utitur quidem pulchris libris*, *sed iis uti nescit* pro *habet quidem pulchros* etc. *Ornatus sum* de iis dicimus, quae nobis ornamento sunt: v. c. *ornatum esse doctrina*, *virtute* etc. Potest interdum pro *habere* dici *esse* cum genitivo et ablativo, v. c. *mulier est pulchrae formae*, *pulchra forma* intell. *praedita.*

5) *Careo,*

5) *Careo, non habeo, expers ſum, mihi non eſt, mihi deeſt, me deficit.* Interdum conſequens *deſidero* proprie *vermiſſen, ſich ſehnen.*—Differt *deſtitui, deſtitutum eſſe*, quod non ubique pro *carere* dici poteſt, ſed tantum, ubi ſermo eſt de rebus vel perſonis, quibus v. c. *nitebamur.* Nam proprie *deſtitui* eſt *deſeri, relinqui ab eo, cui confidebas.* Male ergo dicatur: *Socrates divitiis deſtituebatur.* Non enim iis confiſus eſt.

6) Pro *eſſe* ſaepe poni poteſt *reperiri* ſ. *inveniri*: v. c. *ſunt, qui dicant*, et *reperiuntur, inveniuntur, qui dicant.* At non ubique: v. c. *doctum eſſe* et *doctum inveniri* differunt, illud eſt *gelehrt ſeyn*, hoc *für gelehrt befunden werden:* ſic *Socrates innocens fuit*, at non a judicibus *inventus eſt innocens.* Ergo *reperiri, inveniri*, ſeq. praedicato dicitur de *re certa et manifeſta.* — Etiam *verſari* pro *eſſe* interdum poni poteſt: v. c. *quamdiu verſatus es in hac urbe?* At proprie eſt *circumagi ſich herumdrehen;* ut ſupra monitum eſt: hinc non ſimpliciter eſt *eſſe*, ſed *paulo diutius alicubi eſſe*, h. e. *morari in loco:* qui enim ſe alicubi *verſat* proprie, is paulum *moratur;* ſic noſtri de hominibus ſubroſtranis h. e. *in foro otioſe ambulantibus* dicunt: *er dreht ſich auf dem Markte herum.* Recte ergo *verſari* pro *morari* ſeu *eſſe aliquamdiu in loco*, it. *in re*, v. c. *verſari in arte diſcenda* i. e. *occupari.* Tirones etiam ita teneant: *verſari*, ſi cum *eſſe* (*ſeyn*) commutare volunt, debet reſpondere noſtro *ſich befinden.* — Pro *eſſe ſeyn* nonnulli uſurpant quoque *exſiſtere:* at plerumque hoc apud priſcos notat *oriri, fieri, apparere, ſe oſtendere:* nec facile apud priſcos pro ſimplice *eſſe* occurret; ſed ubi pro *eſſe* poſitum videtur, ibi poterit verti *ſich zeigen.*

7) *Dicere ſagen* et *loqui reden* ſunt plerumque ſynonyma: pro iis etiam dici poteſt *oſtendere* ſ. *demonſtrare* i. e. *vorſtellen, zeigen, darthun*, v. c. *oſtendit, demonſtravit ei, rem fieri non poſſe, rem eſſe praeclaram, facilem* etc. — It. *docere*, ſi de iis ſermo eſt, quae, qui audit, nondum norat: v. c. *docere cauſam einem ſeine Sache ſagen*, de clientibus, i. e. *dicere, qua re conſiſtat.* Cic. Verr. II, 15 *tum eum docet Heraclius, non poſſe eo die ſortiri*, i. e. *tum ei dicit* etc. — It. *cedo* pro *dic*, Terent. Hec. IIII, 4, 32 *Reduc uxorem, aut, quam ob rem non opus ſit, cedo.* — It. *dare* interdum pro *dicere.* Terent. Heavt. prol. 10 *Nunc quamobrem has partes didicerim, paucis dabo* i. e. *dicam.* — It. interdum *verba facere*; at tantum, quando de pluribus, v. c. *conceptis et ſolennibus verbis* ſermo eſt. Ciceroni dicitur fere tantum de oratione, quae v. c. ad populum habetur, de relatione ad ſenatum, et de recitanda formula in dedicatione v. c. aedis. Hic ſunt verba con-

cepta et solennia. Non igitur pro *dicere* simpliciter adhibendum.

8) *Narrare, memorare, commemorare, docere, tradere, memoriae prodere, referre, ostendere, demonstrare;* interdum *certiorem facere, mentionem facere,* sunt fere synonyma. At a) *tradere* propr. *überliefern*, *memoriae prodere* propr. *dem Andenken hinterlassen*, de historicis solis aliisque dici potest, qui rem literis consignant. b) *Certiorem facere* est *certam rem nuntiare: mentionem facere Erwähnung thun* s. *erwähnen* est *rem tantum breviter attingere*: ac falso dicas: *Xenophon rerum gestarum Cyri mentionem fecit*, imo *memoriae prodidit, retulit* etc.

9) *Promittere, polliceri,* it. *ostendere* s. *demonstrare* saepe occurrit seq. accusativo cum infinitivo, v. c. *Frater ostendit, demonstravit, se mox libros esse missurum.* Cic. ad Div. V, ep. 12 §. 30 *cum mihi saepe ostenderis, te accuratissime nostrorum temporum consilia atque eventus literis mandaturum* etc., *da du mir oft versprochen hast*, recte. At tamen proprie est *geäußert hast.* Differunt ab iis gradu *spondeo, recipio, praesto* seq. accusativo cum infinitivo: quae tria sunt synonyma et indicant *ita promittere, ut id, quod promiseris, certo futurum sit:* proprie enim *spondere* est *Bürge seyn, recipere es auf sich nehmen* sc. *rem actum iri, praestare die Gewähr leisten, gut dafür seyn.* Cicero etiam: *in me recipio* etc.

10) *Docere, erudire, instituere aliquem literis*, it. *imbuere literis,* it. *tradere alicui vortragen:* sic Graeci παραδιδόναι pro *erudire*, quia, qui erudit, dat discentibus aliquid h. e. cognitionem rerum: sic *accipere* in seq.

11) Pro *discere* poni potest saepe *doceri*, *institui*, *erudiri*, it. *accipere*, v. c. *haec accepi a magistro meo* i. e. *didici: hanc artem a fratre accepit* i. e. *didicit.* Sic Graec. παραλαμβάνειν. Nam quemadmodum, qui docet, proprie aliquid *tradit* s. *dat*, ita discens proprie aliquid *accipit.* Interdum et *haurire* usurpare licet, quia discentes e fonte quodam *haurimus.* V. c. *ex natura hausimus legem,* de defensione nostri, Cic. Mil. 4.

12) *Audire, accipere, cognoscere* sunt synonyma; it. dici potest *discere:* v. c. *cum audissem, accepissem, cognovissem, didicissem, regem esse venturum* etc. — It. *nuntium accipere Nachricht erhalten*, *certiorem fieri* de nuntio certo. Sic et *comperire* h. e. *nuntium certissimum accipere erfahren.* It. *auribus percipere*, rarius *auribus usurpare.* At aliud est *experiri* h. e. *tentare* s. *periculo facto et experientia discere*, v. c. *Qui*

Qui liberos ſuos amiſit, is expertus eſt, quantopere obitus eorum parentibus doleat.

13) *Curo rem, curam ago* ſ. *gero rei, proſpicio, conſulo rei, rationem rei habeo, curae mihi res eſt.* Interdum *caveo alicui,* ſi quidem cura in malo avertendo conſiſtit, v. c. Patronus cauſae *cavet* iis, quorum cauſas agit.

14) *Spectare aliquid in re auf etwas bey einer Sache ſehen, ſeine Abſicht richten*: pro eo ſaepe dicitur *id agere, hoc ſequi, hoc conſilium ſequi,* ſequente *ut*, v. c. *Cajus in omnibus rebus laudem ſpectat* ſ. *id ſpectat, ut laudetur; id agit* ſ. *hoc conſilium ſequitur, ut laudem conſequatur.* It. *rationem habere*, ſequente vel genitivo vel etiam *ut, quid* etc. v. c. *commodi ſui*, Cic. ad Div. VII, 17. *Te habuiſſe rationem, ut conſuleres*, Cic. ad Div. III, 5. *Habeo rationem, quid acceperim*, Cic. Verr. V, 14. *Hanc rationem habere coepit, cauſam ſibi dicendam eſſe*, Ib. 39.

15) Pro *homines ita ſolent agere* dici poteſt: *eſt mos, eſt moris* int. negotium, *mos obtinet, mos* ſ. *conſuetudo ita fert, eſt hoc in more poſitum* Cic. Agr. II, 1 in. Pro eo Cicero et dixit Roſc. Am. 36: *more majorum comparatum eſt.* Item de ſingulis hominibus occurrit *habere* Cic. Phil. II, 28 *habebat hoc Caeſar* h. e. *hic mos erat Caeſaris;* ut noſtri dicunt: *Caeſar hatte das an ſich.* — Recentiores interdum pro *ſoleo* uſurpant *amo*, v. c. *Cicero amat ita ponere*: eſt loquendi ratio e Graeco petita, ſed Ciceroni ſimilibusque, ut videtur, ignota, ac fere nonniſi poetis uſitata, v. c. *Horat.* Od. III, 16, 9 *Aurum perrumpere amat ſaxa* etc.

16) Pro *eſſe* ſequ. *inter* poni quoque poteſt *intercedere*, v. c. *Inter hanc et illam rem hoc discrimen intercedit* pro *eſt*, *iſt dieſer Unterſchied: inter me et patrem tuum familiaritas intercesſit* pro *fuit*. It. ſi *inter* tantummodo cogitatur, vel relatio inter duos homines exprimitur. Sic ſaepiſſime Cicero. It. Caeſ. B. G. I, 34 *quamque juſtae cauſae neceſſitudinis ipſis cum Aeduis intercederent* pro *eſſent*.

17) Pro *vereor, timeo, metuo* interdum *vide ne*, i. e. proprie *cura, conſidera, cave, ne*, uſurpari ſolet, ſi quem alloquimur. Nam praeterquam in allocutionibus uſurpari non poſſe per ſe patet: et ſemper iſta forma propriam vim quodam modo retinet. V. c. Cic. ad Div. IIII, ep. 9 §. 13 *Vide, ne ſuperbi ſit, aſpernari ejus* (Caeſaris) *liberalitatem* pro *timeo, ne*: at illud gravius dictum eſt; ſic noſtri: *ſieh ja zu, daß es nicht Stolz ſey* ſ. *daß kein Stolz heraus komme.* Ad Div. V, ep. 4 extr., ubi Cicero a Metello petit, ut ipſius reditum ex exſilio adjuvet, additque curandum eſſe, ne forte iſta res nimis ſero fiat, his verbis: *vide, ne, cum velis revocare —,*

cum, qui ſervetur, non erit, non poſſis; verba: *vide, ne non poſſis*, conjungenda, et explicanda *timeo ne non poſſis*, *ich fürchte du möchteſt hernach nicht können.* At proprie quoque: *ſieh nur zu, daß du nicht am Ende unvermögend ſeyſt.* Sic venuſtius quam *timeo, ne.* Verr. IIII, 44 extr. *Vide, ne ille non ſolum temperantia ſed etiam intelligentia te atque iſtos, qui ſe intelligentes dici volunt, vicerit*, i. e. *timeo, ne — vicerit.* Sic et noſtri: *ſieh zu, daß er dich — nicht etwa mag übertroffen haben.* Neque ergo *vide ne* pro *timeo ne* facile uſurpandum, niſi ſimul proprie quodam modo explicari poſſit. Et ſic aperte eſt Roſc. Am. 36 *ecquid habes, quod dicas? mihi auſculta: vide, ne tibi deſis: tua quoque magna res agitur:* hic proprie explicandum *ſieh zu, nimm dich in Acht, daß du dir nicht ſelbſt ſchadeſt:* nam per *timeo ne* explicari ob contextum nequit, ſaltem non neceſſe eſt. — Duo tantum loca ſunt, ubi *vide ne* aptius per *timeo ne* explicandum ſit, Cic. Tuſc. II, 18 *Vide, ne, cum omnes rectae animi affectiones virtutes appellentur, non ſit hoc proprium omnium.* Divin. II, 4 extr. *Vide igitur, ne nulla ſit divinatio.* Attamen propria vis in iis quodam modo latet. Proprie enim eſt: *ſieh zu, ſorge alſo, damit einige Weißagung ſey* ſ. *damit es eine gebe: — ne nulla* i. e. *ut ulla*, h. e. *ich fürchte, daß es keine geben mag.* — Referuntur huc ab Erneſtio in Clave Cic. haec quoque loca: a) Brut. in epp. Cic. ad Div. XI, ep. 20 §. 5 *Illud vide, ne timendo magis timere cogaris:* ubi tamen proprie explicari debet, *ſieh zu, daß du nicht* etc. b) Q. Cic. ad Cic. in epp. ad Div. XVI, ep. 26 *Vide, ut probare poſſit, te non peccaſſe.* Nec hic opus eſt per *timeo ne* explicari: imo *ut* hic ſignificat *wie*: *ſieh zu, wie ers beweiſen* ſ. *glaublich machen könne* etc. Refert Erneſti huc quoque *videndum eſt*, Cic. ad Div. XIIII, ep. 14 §. 2 *Videndum eſt, ut honeſte vos eſſe poſſitis:* hic proprie explicari poteſt per *curandum eſt, ut* etc. Idem refert huc Roſc. Am. 48 *Videant, ne ſit* etc., quod explicandum putat per *timeo ne* etc. At, totus locus ſi inſpicitur, apparet, hoc non quadrare; verba ſunt: *quapropter deſinant aliquando dicere, male aliquem locutum eſſe, ſi quis vere ac libere locutus ſit: deſinant ſuam cauſam cum Chryſogono communicare: deſinant, ſi ille laeſus ſit, de ſe aliquid detractum arbitrari: videant, ne turpe miſerumque ſit, eos, qui equeſtrem ſplendorem pati non potuerunt, ſervi nequiſſimi dominationem ferre poſſe.* Cohaerent hic *deſinant, videant*: utrumque eodem modo explicandum eſſe patet: et cur non proprie explicandum per *caveant? ſie mögen ſich in Acht nehmen, daß mans nicht für etwas ſchändliches*

liches und betrübtes halte etc. Et tota orationis gravitas enervetur, si explicetur per *timeo ne.* Hinc patet, ubique propriae notionis vocabulorum rationem habendam. — Sic etiam pro *vide ne* occurrit *provide ne* Cic. Acad. IIII, 19 *provide etiam, ne uni tibi istam sententiam minime liceat defendere:* — it. *considera ne* ad Div. XV, ep. 14 §. 7 *sin minus, considera, ne in alienissimum tempus cadat adventus meus;* quae singula per *timeo ne* explicari, at vero etiam proprie intelligi, possunt. Sic et nostri v. c. *sieh nur zu, daß du nicht vor zu großer Klugheit fehlest*, quod fere idem est quod *ich fürchte, du möchtest* etc.

18) *Declarare, profiteri, prae se ferre, indicare* sunt synonyma: it. *significare:* hoc tamen fit *signis* quibuscunque sive apertis seu obscuris, estque nostrum *zu verstehn geben, anzeigen*, v. c. *oculis, vultu*, vel verbis. — Pro iis etiam dici potest *efficere, ut aliquis intelligat:* sic Cic. Phil. II, 4 *perficiam, ut intelligat* etc. it. *aperire* v. c. *mentem suam:* it. *volo intelligi* saepe Cicero utitur, v. c. *per ista verba intelligi voluit, nihil esse* etc. i. e. *indicavit, hat zu verstehn gegeben, daß* etc., et cum accusativo: *hoc voluit intelligi* i. e. *er gab dieses zu verstehn.* — Huc pertinent quoque *enuntiare* et *prodere:* illud est *heraus sagen, bekannt machen, ausschwatzen*, hoc *bekannt machen, verrathen:* posterius libenter de malis rebus dicitur, v. c. non dixerim: *Caji liber prodit magnam doctrinam, verräth viel Gelehrsamkeit, Belesenheit*, sed *indicat, declarat, spirat* etc.

19) *Affirmo rem, pono rem*, sunt synonyma i. e. *bejahen:* it. *dico, rem ita esse:* it. *ajo* seq. accusativo cum infinitivo. Interdum *confirmo*, quod proprie est *bestärken, versichern* h. e. *dicere, rem ita esse.*

20) *Negare* est 1) *läugnen;* pro eo dicitur *tollere* quoque, v. c. *tollere deum Gott läugnen*, cui opponitur *ponere deum:* quia, qui aliquid negat, is, quantum in ipso est, illud removet vel removere saltem e rerum natura studet. 2) *abschlagen;* pro eo interdum *recusare verweigern*, it. *respondere tristius.* Sic Cic. ad Div. IIII, ep. 13 §. 15 *Quo facilius, quibus est iratior, respondere tristius possit, hoc est adhuc tardior ad te molestia liberandum* i. e. *damit er es denen desto leichter abschlagen könne* etc. Est litotes.

21) *Praedico vorher sagen;* pro eo dici potest *fore dico.* Sic Cic. ad Div. VI, ep. 1 §. 15 *Neque ego ea, quae facta sunt, fore cum dicebam, divinabam futura* pro *cum ea praedicebam, da ich das Geschehene vorher sagte, so weißagte ich*

 nicht.

nicht. Differt *divinare* h. e. praedicere rem ita, ut ejus caussam nullam scias, *prophezeyen*, *weißagen*, cum contra *praedicere* sit omnino dicere, rem fore.

22) *Credo*, *puto*, *arbitror*, *reor*, *existimo*, *statuo* seq. accus. cum inf. (nam *statuo* seq. infinitivo est *consilium capio ich entschließe mich*) sunt synonyma, et notant nostrum *ich glaube*, *meyne*, *halte dafür.* It. *videtur mihi res esse pulchra* i. e. *credo rem esse* etc. *Tu videris mihi esse sapiens* i. e. *credo te esse* etc. *Videor tibi*, *patri*, *esse doctus* i. e. *tu credis*, *pater credit*, *me esse doctum* etc. It. Cicero in epistolis saepe *sic habeto* i. e. *crede;* v. c. ad Div. XVI, ep. 4 §. 8. — *Opinor* est *ich vermuthe* h. e. *credo aliquid sine causa idonea. Persuadeo mihi* est plus quam *putare*, *credere* etc.: indicat enim, nos credere aliquid certissimis de *causis*, *sich überzeugen*, *gewiß glauben. Iudicare* est etiam credere certas ob causas, *mit Grunde glauben.* Honorificentius ergo est dicere: *homines judicant*, *persuadent sibi*, *te doctum esse*, quam: *homines credunt*, *putant*, *arbitrantur*, *rentur*, *statuunt*, et, quod omnium levissimum est, *opinantur:* postremum est nostrum vulgare *denken:* v. c. *er denkt*, *ich sey* etc.; nos dicimus vulgo: *Narren denken* i. e. *opinantur.*

23) *Orare*, *rogare*, *precari*, *petere ab aliquo*, sunt synonyma, it. *quaeso*, it. *contendere* ab aliquo, si acrius sit. Sic et *poscere*, proprie *verlangen.*

24) *Poscere* et *postulare*, *fordern*, *verlangen: flagitare* est *vehementer et cum quadam animi impatientia poscere: desiderare* est *poscere aliquid*, *quod abest*, *sich sehnen.*

25) *Debeo facere ich bin es zu thun schuldig*, *es ist meine Pflicht* etc.; pro eo dici potest *meum officium est*, vel *meum est* simpliciter. V. c. *patris est alere liberos*, *pater debet alere* etc., *liberorum est (officium) colere parentes*, *liberi debent* etc. Pro his ubique licet uti gerundio necessitatis vel participio fut. passivi, v. c. *patri sunt liberi alendi: liberis colendi sunt parentes;* it. *scribendum est mihi* etc. — Differunt ab illis duobus *oportet*, *necesse est*, *cogor*, *non possum non* s. *non possum facere quin:* a) *oportet* indicat fieri rem debere ob utilitatem, vel alia de causa, *es ist nöthig*, *dienlich*, *billig*, cet. v. c. *oportet me librum legere*, *oportet tuos hortos inspiciam*, i. e. *ich muß doch das Buch lesen*, *ich muß doch deinen Garten besehen.* Sic: *oportet adolescentes mature sapientiae assuefieri* h. e. *utile est.* b) *necesse est* significat rem ita fieri debere, ut contrarium ejus ne cogitari quidem possit, *es ist schlechterdings nöthig*, *es ist natürlich*, *unvermeidlich* cet. v. c. *Necesse est moriamur*, *edamus*, *bibamus*, *dormiamus.* Sic: *necesse*

necesse est, eum esse stultum, qui deum neget. Cum hoc convenit quodam modo c) *non possum non* seq. infin. seu *non fieri potest quin* etc., quod proprie est: *via alia non iniri potest, ut non hoc vel illud fiat, es kann nicht anders kommen* s. *gemacht werden, daß nicht* etc. seu *ich kann nicht anders, nicht umhin.* V. c. *quamquam otium mihi non suppetebat, tamen facere non poteram* s. *fieri non poterat, quin scriberem* i. e. *ich konnte es nicht Umgang haben, mich dessen nicht entschlagen, es wollte nicht anders angehen* etc. d) *cogor* est *gezwungen werden:* ergo usus per se patet. Sed pro his omnibus poni potest gerundium necessitatis, vel, si substantivum adest, participium fut. pass. — Ceterum non negandum est, priscos interdum *debere* ponere, ubi debebant *necesse est* dicere, it. *oportet* pro *necesse est, debeo.*

26) Pro *non opus est* s. *non oportet*, si est i. q. *non est causa*, dici debet *non est quod*, v. c. *Non est, quod rideas, fleas, du hast nicht Ursache, nicht nöthig, zu lachen, zu weinen.* Sic dicendum, nec: *non habes causam ridendi* etc. Sic enim prisci non fere loquuntur. Sic: *non est quod speres, du darfst nicht hoffen*, pro *non habes causam sperandi.* Sic et affirmative: *est quod rideamus* pro *habemus causam ridendi: habes, quod speres.* Cic. ad Div. VI, ep. 2 §. 7 *intelliges, te habere aliquid, quod speres.*

27) *Utile est, prodest mihi, in rem meam* s. *e re mea est*, sunt synonyma. *Res* hic est *commodum:* hinc *e republica* est *e commodo publico zum Nutzen des Staats.* It. phrases: *mihi affert utilitatem, est mihi utilitati, commodo* etc. inprimis si adjectiva vel pronomina adduntur, v. c. *magnae utilitati fuit ista res, hanc mihi utilitatem attulit* vel *magnam* etc. It. *fructus magnus ex ista re in me redundat: redundare* propr. *überlaufen, überfließen.*

28) *Volo ich will, cupio ich bin begierig, desidero rem ich sehne mich darnach* possunt interdum commutari. *Cupio* plus est quam *volo:* et *desidero* plus quam *cupio*, indicat nempe *cupere rem absentem, quam valde amas.*

29) *Non accipere nicht annehmen*, v. c. *munus, rem* etc., commutari potest interdum cum *recusare, negligere, contemnere, praetermittere:* v. c. *praetermittere provinciam ausschlagen*, de eo, qui praeses provinciae fieri non vult, Cic. ad Div. V, ep. 2 §. 6 *Ego si hoc dicam, me tua causa praetermisisse provinciam* etc. et statim deinde de eadem re dicitur *deponere provinciam*, eodem sensu, *die Provinz ausschlagen, abgeben* etc.

30) *Nolo*

30) *Nolo ich will nicht* commutari ſubinde poteſt cum *non curo* i. e. proprie *non magni aeſtimo*, *mache mir nichts daraus*, ſeq. infinitivo. V. c. *Perſium non curo legere* Cic. Or. II, 6 i. e. *ich mag den Perſius nicht leſen*, *mache mir nichts daraus.* Sic de re, quam cernere nolumus, quia parvi facimus, dicere licet: *cernere hanc rem non curo.* At in aliis non licet: v. c. *ne cures ſcribere* pro *noli ſcribere* etc. falſum et ineptum foret.

31) *Vincere* eſt 1) *ſiegen:* pro eo ubique dici poteſt *ſuperare*, ſi quidem accuſativus perſonae aut rei additur: it. *fundere*, *fugare*, *profligare*, *proſternere.* — Notandum tamen, *fundere* et *fugare* proprie inter ſe differre. *Fundere hoſtes* eſt *proſternere* i. e. *humi ſternere*, *caedere hoſtes* h. e. partem eorum magnam, unde fieri ſolet, ut ceteri fugiant. At *fugare* eſt *in fugam conjicere:* hinc *fundere* et *fugare*, *fuſi fugatique*, tanquam antecedens et conſequens apud hiſtoricos ſaepe conjunguntur, idque recte. 2) *übertreffen*, commutatur cum *ſuperare*, *excellere*, *antecellere*, *antecedere*, *anteire*, *praeſtare*, *ſuperiorem eſſe*, *poſt ſe relinquere* etc.

32) *Confugere ad* etc. *ſeine Zuflucht nehmen* et *ſe recipere ad aliquem* vel *in locum* ſunt plane ſynonyma, notantque *fugere in locum* vel *ad aliquem*, *ut ibi tutus ſis.* Differunt ergo a *fugere* h. e. *celeriter currere* v. c. ob metum cet.

33) *Ire*, *proficiſci*, *contendere in locum*, *petere locum*, *urbem*, et *iter facere* ſunt ſynonyma. *Petere* eſt proprie *auf etwas zugehen* ſ. *reiſen.* *Proficiſci* non modo eſt *reiſen*, ſed etiam *wohin gehen*, v. c. *e domo in forum aliumve locum propiorem:* v. c. *in piſtrinum* (e domo) Terent. And. III, 4, 21. *domum* (e foro) Terent. Phorm. V, 6, 20. *Ad eam domum* (in ipſa urbe) Cic. Verr. I, 27. Et ſic ſaepius de brevi itione. *Incedere* eſt tum *aliquo ire*, tum exprimit ſaepe noſtrum *einher gehen*, ſi nonniſi itionis ratio habetur, nec locus ſpectatur, e quo vel in quem itur, v. c. *exercitus incedit.* *Migrare* eſt *ziehen* h. e. *ire aliquo ita*, *ut non redeas*, *ſed ibi maneas domiciliumque ponas.* Sic et *demigrare wegziehen.*

34) Pro *hinc ſequitur* ſ. *conſequitur*, *conſequens eſt*, dici poteſt *hinc intelligitur daher ſieht man*, *hinc fit daher kömmts*, *hinc colligitur daher ſchließt man*, *hinc planum fit daraus erhellet*, ſ. *hinc apparet*, *videre*, *intelligere*, *colligere licet daraus kann man ſehen*, *ſchließen* etc.

35) *Punire* et *animadvertere in aliquem* (quae eſt litotes) commutari poteſt cum *poena afficere*, adjecto vel adjectivo vel pronomine, v. c. *poena graviſſima afficere*, *hac poena affectus eſt.* — Subinde etiam *ulciſci aliquem* uſurpari poteſt, ſi con-

ſi contextus admittit. Habet enim duplicem vim a) *alicujus cauſa alterum punire* h. e. *rächen.* Sic *Oreſtes ultus eſt patrem occidenda matre.* b) *aliquem punire.* Pro *puniri* poni quoque poteſt *poenas dare* cum dativo.

36) *Exemplum afferre ein Beyſpiel anführen, vorbringen, proferre, memorare, commemorare,* it. *uti exemplo:* it. *laudare* uſurpari poteſt, ſi contextus eſt talis, ut non poſſit de *laude* accipi, v. c. *ad oſtendendam hujus vocabuli vim laudabo Ciceronem, Livium:* recte: i. e. *commemorabo.* Item *ſumere aliquem* dixit Cic. Roſc. Am. 16 med. *Verum notos homines ſumere odioſum eſt* i. e. *bekannte Leute anzuführen iſt* etc. ſic et Cic. Sext. 12 *quid — poteſt ſumere illuſtrius* cet. ubi Erneſti ſine cauſa haeſitat. Sic et noſtri: *wir wollen einmal den nehmen* i. e. *anführen,* ſaepius dicunt.

37) *Dico* ſeq. *non* brevitatis cauſa mutatur in *nego:* v. c. *pater negavit, ſe ante novi anni initium rediturum, der Vater ſagte, er würde nicht vor dem neuen Iahre wieder kommen,* pro *dixit, ſe non* etc. Sic priſci millies.

38) *Fateor, profiteor, confiteor* interdum commutari poſſunt; modo diſcrimen teneatur. *Fateor* et *confiteor* eſt genus *ich bekenne, non nego,* ſive hoc fiat libere ac libenter ſive non: *profiteor* eſt *fateor aliquid ſponte, declaro, prae me fero* i. e. *mache kein Geheimniß daraus, declarire öffentlich;* v. c. *Cajus profeſſus eſt, ſe librum eſſe editurum* i. e. *hat bekannt gemacht; Socrates profeſſus eſt, ſe nihil ſcire* i. e. *hats öffentlich frey heraus geſagt, ohne allen Zwang.* Pro *fateor* interdum *non nego, non infitior,* it. *concedo, ich räume es ein* etc. uſurpari poteſt.

39) *Contemnere, ſich nichts aus einem machen, nicht fürchten, nicht achten,* ſ. *contemtui habere, deſpicere* propr. *verächtlich auf etwas herab ſehen, parvi aeſtimare* ſ. *facere* ſunt ſynonyma: it. *negligere rem,* interdum *abjicere. Non liberum putare aliquem* graviter dictum eſt a Cicerone Roſc. Am. 46 pro *valde contemnere,* cui ſimile eſt *non hominem putare,* quod alibi occurrit, eſtque noſtrum *jemand für einen ſchlechten Menſchen, für einen Schurken, halten.* It. *ſusque deque habere,* quod tamen rarius eſt.

40) *Contentus ſum* et *ſatis habeo* ſunt eadem. Cic. ad Div. V, ep. 2 §. 14 *Satis habeas, nihil — me conqueri* i. e. *ſis contentus ſey zufrieden, ſey froh, daß ich nicht klage.* Sic Nep. *ſatis habere coegit* etc. Poteſt et ſaepe dici *non poenitet:* v. c. *me non poenitet fortunae meae,* i. e. *ich bin mit meinem Schickſale zufrieden.* It. *placet, probatur mihi res:* contra *diſplicet mihi res* i. e. *non ſum eo contentus.* Sic de

homine

homine maxime difficili et morofo: *displicet fibi ipfe* h. e. *er ift mit fich felbft nicht zufrieden.* Sic dici debet. Equidem non dixerim: *contentus non eft fe ipfo.*

41) *Fieri*, fi adjectivum praedicati loco additur, mutari folet in *reddi*, ut *reddere* tum, cum adjectivum tanquam praedicatum adjicitur, faepe occurrit pro *facere*; v. c. *redditus eft doctus*, *fapiens*, pro *factus eft.* Sic *reddere aliquem doctum*, *fapientem*, pro *facere.* Item interdum *evadere* pro *fieri* occurrit: at non fimpliciter eft *fieri*, fed *fieri* poft adhibitam operam, et nominativus praedicati addi debet, v. c. *Epicureus evaferat*, Cic. Brut. 35. *Ex fucofis firmi evadant*, Q. Cic. Petit. Conf. 9. *Inane coeptum evafit*, Liv. XXXV, 47. *Non poffe oratores evadere*, Cic. Or. I, 28. *Evadere* vero, cum notat vel *adfcendere*, v. c. *evadere in muros*, vel *evenire*, *eventum habere*, non huc pertinet. Conjungit haec nefcio qua fortuna Heineccius p. 49 et tirones confundit.

42) *Studere* et *operam dare rei* funt fynonyma. Si verbum addendum eft, debet poft *ftudeo infinitivus* femper et poft *operam dare* debet *ut* poni. V. c. *Cicero ftuduit magnam laudem confequi; Cicero operam dedit, ut magnam laudem confequeretur.* Sic dicendum, et nec *ftudeo ut res fiat* nec *operam do rem fieri* dicendum: non, quod non ita occurrat: quid enim non occurrit in prifcis? fed quia raro: et omnia rara funt fufpecta. — Poteft et dici *operam navare rei:* at hoc videtur plus dicere, quam *operam dare*, quia eft a *navus* f. *gnavus*, ut *navare operam* videatur proprie effe *gnavam operam dare* f. *operam contendere*, *intendere*, vel fimile quid. Cic. ad Div. VI, ep. 1 extr. *Nemo eft tam afflictus, qui non aliquid navare et efficere poffit:* hic eft fine *operam.* Quidquid eft de vi propria, *navare operam* eft *accuratam, magnam, operam dare.* — Dici quoque poteft *incumbere ad* f. *in rem* v. c. *ad difcendum, ad literas, ad aliquid confequendum* etc. Eft grave verbum: indicatque *omnes vires intendere propter aliquid*, *fich zu etwas anftrengen.* Neque ergo *ad* f. *in* ab *incumbere* regitur, ut tirones putant, fed v. c. *incumbere ad difcendum*, *ad rem recte perficiendam* eft *fich anftemmen*, *angreifen*, *um zu lernen*, *um die Sache gehörig zu vollenden*; et *incumbere in* f. *ad literas* eft proprie *fich anftemmen*, *angreifen*, *in Anfehung der Gelehrfamkeit*, *der Wiffenfchaften.* Sed *ad* pro *ratione* f. *quod attinet in Anfehung* faepiffime occurrit: v. c. *hoc eft ad fructum uberrimum* h. e. *hoc eft uberrimum ratione fructus*, *dieß ift fehr reichlich in Anfehung des Nutzens* i. e. *verfchafft reichen überflüßigen Nutzen* (aliter explicat Ernefti ad Cic. Nat. Deor. I, 1. at hic vir

pretium

pretium nescio quod statuebat in recedendo a verbis, ubi nulla necessitas erat.). Pro *incumbere*, quod proprie de remigibus dictum est *incumbentibus ad remos*, dici posse *omnes vires intendere* per se patet. Sed intelligitur, illud *incumbere* non nisi de *maximo labore operaque* dici posse: et falso omnes, qui literarum studiosorum nomina gerunt, dicuntur *incumbentes ad literas*. Hoc assidue discentibus solis convenit.

43) *Video*, *cerno*, *conspicio* sunt fere synonyma. *Cerno* et *video* de *oculis* et *mente; conspicio* est nostrum *erblicken*, h. e. ita videre, ut, simulac hominem cernimus, statim animadvertamus, quis sit. Differt ergo paulum: *vidi hominem* et *conspexi te*. Hinc dicitur hoc verbum de iis, qui vestibus insignibus, equo insigni, aliave insigni re se venditare vulgo student, et animadverti cupiunt. Prisci dicunt de iis v. c. *dant se conspiciendos, sie lassen sich sehen*, ut nos *der läßt sich doch sehen*, et de rebus: *das läßt sich sehen*, non: *dant se videndos* etc. it. *conspiciendus in equo* ap. Tibullum, *regali conspectus in auro* apud Horatium etc. — *Intueri ansehen, anschauen*, est *oculos aliquo convertere*, *contemplari*, *considerare*, sic et *inspicere ansehen*, *besichtigen*, *besehen*, *beschauen*, v. c. domum ante inspicere, quam emas.

44) *Sentire*, *intelligere*, *cognoscere* s. *noscere*, *videre* saepe commutari possunt. At differunt ita. *Sentire* est *obscure intelligere*, *empfinden*, *fühlen*, *merken*, et ab *opinari* non valde differt hac significatione (aliud enim est *in senatu sentire* pro *sententiam dicere*), v. c. *sentio*, *quid per jocum istum intelligas*, *ich merke*, *was du* etc. *Sentio*, *quomodo res eventura sit*, *ich merke*, *wie die Sache ablaufen werde*. *Animadvertere* proprie *die Gedanken auf etwas richten*, est nostrum *wahrnehmen*, *bemerken*, et illi fere simile. *Cognoscere* est *kennen lernen*, *Kenntniß erlangen*, *Nachricht bekommen*, it. *Kenntniß haben:* ergo *cognovi*, ut *novi*, est *ich kenne ihn*. *Intelligere sehen*, *einsehen*, *verstehen*. Haec duo de majori perspicuitate dicuntur. Ab his differt interdum *agnoscere* estque *aliquem* (aliquid), *quem* (quod) jam olim cognovimus (*kennen gelernt haben*), *iterum cognoscere*, *atque pro eo ipso habere*, *einen für den erkennen*, *für den man ihn sonst gehalten*, uno verbo *anerkennen*, v. c. Cum Cajum, quem olim cognitum diu non vidi, repente conspicio ac dico: hic est Cajus, tum *agnovisse* Cajum dicor. Plerumque tamen τὸ *agnoscere* respondet vernaculo *erkennen*. Hinc *recognoscere aliquid etwas von neuem überdenken*, *in Gedanken durchgehen* ap. Ciceron. Saepe *cognoscere* et *agnoscere* apud priscos idem notant.

45) *Posse*,

45) *Posse, valere*, sunt fere synonyma: *valere* tantum de re difficiliori, *vermögen, im Stande seyn*, v. c. *non longius ire valebat ob corporis imbecillitatem*, ubi tamen et *poterat* dici licebat: imo pro *valeo* seq. infinit. usitatius est *possum*. Pro *posse* interdum *scire* et *sustinere* dici potest: at differunt proprie. *Posse* de viribus et mentis et corporis dicitur; v. c. *Saxum hoc tollere possum. Scire* de *mente tantum*; v. c. *latine scit scribere* rectius dicitur quam *potest*, licet nostri: *er kann lateinisch schreiben. Sustinere* est *posse cum quadam audacia, sich unterfangen*, v. c. *Quis talia dicere sustineat?* pro *possit*, gravius dictum: *wer könnte so etwas sagen? Tu hoc negare sustines? Das kannst du noch läugnen?* i. e. *unterstehst dich?*

46) Pro *vivere* dici potest *vitam vivere, degere, ducere, trahere, agere:* at non sine adjectivo vel pronomine, v. c. *vitam talem* s. *hanc vivo, dego, ago, duco* etc. Deinde *agere, vivere, degere* de omni vita dicitur *jucunda, molesta*, v. c. *Ego vitam tristem, tu suavem vivis, agis, degis. Ducere* de *tranquilliori* et *laetiori; trahere* fere de *molesta, misera, inquieta.*

47) *Mori, decedere, vita excedere, mortem cum vita commutare, diem obire, diem suum* vel *supremum obire, desinere esse in vivis, animam efflare* cet. sunt synonyma: it. *vitam ponere, animam deponere.* It. *mortem oppetere*, quod forsan de morte violenta tantum dicitur. Dico forsan; quis enim certo scit? sic *animam deponere* Nep. Hann. 1 et *vitam ponere* Cic. ad Div. VIIII, 24 extr. de morte violenta dicuntur; quamquam inde non continuo sequitur, ut non de morte naturali dici possint; nam in τοῖς *ponere* et *deponere* nihil violentiae per se inest. Sic *mori* dici potest de morte vel naturali vel violenta.

48) *Aliquem juvare, adjuvare, alicui auxiliari, adesse, praesto esse, opem ferre, adjumento esse* etc. sunt synonyma. *Suppetias ferre* est rarum. *Subsidio venire zu Hülfe kommen in der Noth*, v. c. *exercitui laboranti ac fugam meditanti* etc. It. *prodesse alicui, utile esse, utilitatem afferre* etc. pro *juvare* dici potest: in primis de rebus, v. c. *medicina valde profuit* seu *salutaris fuit* etc. *hat sehr geholfen. Promovere befördern*, v. c. *alicujus felicitatem*, non bene dicitur: imo *adjuvare.* Nam *promovere* est proprie *fortrücken.* Ergo *felicitatem promovere das Glück fortrücken*, non est *es befördern*, sed *impedire* vel *adimere, eripere*, potius. Nec prisci ita loquuntur.

49) *Mederi, sanare, occurrere*, v. c. *morbo, malo:* it. *tollere*, si effectus consideratur, et similia, v. c. *liberare morbo, pellere, removere*, interdum *corpore ejicere* etc.

50) *Im-*

50) *Impedire* s. *impedimento esse*, *obstare*, *officere*, *prohibere* etc. sunt synonyma. Notetur etiam *per me stetit*, *quo minus istud fieret*, *es hat an mir gelegen*, *daß das nicht geschehen ist*, pro *impedivi rem.*

51) *Vituperare* et *reprehendere* sunt eadem: *invehi in aliquem* est acrius, *auf einen losziehen. Notare* est *beschimpfen*, *tadeln*, proprie de censoribus dictum.

52) *Ignoscere* et *veniam dare* synonyma. It. *parcere*, si perspicuitas admittit. — Quaeritur, an pro *ignoscas mihi* dici possit *velis in bonam partem accipere.* Non ubique. Est enim proprie *auf der guten Seite auslegen.* Non igitur usurpari potest nisi de re, quae et in bonam et in malam partem accipi potest: v. c. Quando pauper diviti munusculum mittit, hoc potest a divite et in bonam et in malam partem accipi, prout hic vel humanus vel superbus est. Hic igitur pauper pro *ignoscas mihi* dicere potest: *velis in bonam partem* s., quod idem est, *noli in malam partem accipere, quod tale munusculum*, *quo carere poteras*, *tibi mittere ausus sum.* Sic, si inferior superiori consilium dat, potest ille dicere: *accipias in bonam partem* h. e. *legen Sie es ja gut aus, quod ego*, *qui inferior sum*, *tibi*, *qui majori es sapientia*, *consilium dare audeo.* Hic poterat item dici negative *ne accipias in malam partem*, *ne vitio vertas;* item *ignoscas mihi.* At de rebus, quae semper in malam partem accipi debent, quia nunquam per se bonae sunt, ista formula non convenit: v. c. quando quis alterum laesit, v. c. verberavit, male de eo locutus est, is deinde, sui excusandi causa, non dicere potest: *accipias in bonam partem*, *quod te verberavi* etc. *Ne accipias in malam partem*, *ne vitio vertas*, sed *ignoscas. veniam da* etc. Conf. sequ.

53) *Aegre ferre*, *moleste ferre aliquid*, *übel nehmen*, *sich ärgern*, *misvergnügt seyn*, sunt synonyma. Pro eo et dici potest interdum *in malam partem accipere*, h. e. *es auf der bösen Seite aufnehmen*, si quidem de re sermo est, quae in utramque partem accipi potest. Stultum foret dicere: *pater filii ignaviam in malam partem accipere debet*: quia ignaviam nemo in bonam partem accipere potest. Sic et *vitio vertere* est non *aegre ferre* sed proprie *etwas als einen Fehler auslegen.* Ergo non potest dici nisi de rebus, quae et vitio et laudi verti possunt. Conf. praeced.

54) *Imperare befehlen*, *praecipere Regeln vorschreiben*, *jubere heißen* et *mandare auftragen* possunt commutari. At differunt. — *Imperare* est gravissimum et nostrum *befehlen*,

Ordre geben, diciturque de iis, qui aliis praepoſiti ſunt, v. c. *dux belli imperat militibus*, *rex civibus* etc. — *Iubere* dicuntur omnes, qui ab aliquo aliquid vel imperio vel precibus vel conſilio poſtulant. Ergo etiam de inferioribus vel hominibus ejusdem ordinis dicitur, eſtque fere i. q. *velle*, *rogare*; reſpondetque noſtro *einem ſagen*, *daß er etwas thun ſolle:* v. c. dicere poſſum: *frater juſſit me ad ſe venire* i. e. *voluit*, *rogavit*, *hat mirs geheißen*, *hat geſagt*, *daß ich zu ihm kommen ſolle.* Apud Terentium eſt adeo *jubeo te ſalvere* i. e. *ſaluto te* ſ. *ſalve;* ubi *jubeo* eſt *opto.* At, ſi de imperantibus dicitur, eſt i. q. *imperare befehlen.* Ergo ubique videndum, de quali homine ſermo ſit. — *Praecipere* proprie *Regeln geben*, *vorſchreiben*, recte poteſt de *imperante* dici: hic eſt *befehlen.* At ſaepiſſime dicitur de *docentibus*, v. c. *praecipere alicui vitae rationem* h. e. *vorſchreiben* ſ. *lehren*, *wie man leben ſoll:* eſtque fere *docere*, *tradere: Philoſophi egregie praecipiunt* i. e. *geben vortreffliche Regeln*, *Lehren*, ſ. *lehren vortrefflich.* Hinc *praeceptor* eſt magiſter, quia *praecepta dat* i. e. *Lehren.* — *Mandare* ſemper eſt nihil aliud quam *committere*, *auftragen*, h. e. rogare aliquem ſ. *velle*, ut aliquid faciat. Sic filius poteſt patri ad nundinas proficiſcenti mandare, ut quosdam libros ſibi emat. Dux belli etiam poteſt mandare v. c. *legatis*, *tribunis*, *centurionibus*, ut hoc vel illud agant: tum *mandare* nihil aliud eſt quam *committere.* Si quis tamen hic velit vertere *befehlen*, non impedio, praeſertim cum et noſtri *befehlen* pro *auftragen* dicant: v. c. qui in nundinis verſantur, mandatorum a ſuis amicis acceptorum memores dicunt ſaepe: *er hat mir auch befohlen*, *das mit zu bringen.* *Mandare rem* eſt etiam *credere*, quod tamen fere eodem redit, v. c. *mandamus terrae ſemina*, *Deo noſtram felicitatem.* — Ceterum pro *imperare*, *jubere* etc., Cicero ſaepe dicit *velle* ſeq. accuſ. cum infinitivo, v. c. *voluit hoc fieri*, *voluit illum venire*, pro *juſſit hoc fieri*, *illum venire.* Roſc. Am. 25 extr. de majoribus loquens: *inſui voluerunt* (parricidas) *in culeum vivos atque ita in flumen dejici*, h. e. *ſie haben verordnet*, *daß ſie ſollten lebendig in einen* etc. Quae ratio in primis imitanda. Ceterum eſt litotes.

55) *Defendere*, *tueri*, *cauſam alicujus agere*, *patrocinari* ſunt ſynonyma. Interdum *cavere alicui* h. e. *avertere ab aliquo malum aliquod.* It. *proſpicere*, *conſulere*, *rationem habere* et ſimilia, ſi in univerſum loqui lubet nec genus curae definite exprimere.

56) *Felix*

56) *Felix ſum, felicitate fruor, bene mecum agitur*, vel negative *non male mecum agitur* (*ich bin nicht übel dran*): it. *utor fortuna ſecunda.* — In primis, ſi *ut* ſequitur, uſurpandum eſt *contingit:* v. c. *non omnibus contingit, ut tali magiſtro utantur*, h. e. *non omnes ſunt tam felices, ut talem magiſtrum habeant. Contigit tibi, ut ab omnibus laudem conſequereris*, i. e. *tam felix fuiſti, ut* etc., *du haſt das Glück gehabt, biſt ſo glücklich geweſen, von allen gelobt zu werden.* Sic priſci fere ſemper.

57) *Recordari, meminiſſe, reminiſci, in memoriam revocare* ſynonyma. It. *memoria tenere* h. e. *im Gedächtniſſe noch haben;* it. negative *non oblitum eſſe.* Huc pertinet formula: *res, dies, venit mihi in mentem*, pro quo et dicitur *rei, diei, venit mihi in mentem:* poſterius nonnulli vocant elegantius, haud dubie, quia difficilius eſt explicatu et paulo durius. Genitivus iſte fortaſſe non pendet a *venit mihi in mentem*, ſed eſt pro *nominativo* poſitus, quia verus nominativus deeſt: *diei venit mihi in mentem* eſt fortaſſe (certo enim adfirmari nequit) pro *negotium diei* i. e. *dies venit* etc., ut adeo formula *diei, rei, venit* etc. proprie ſit vitioſa; niſi uſus loquendi hoc vitium excuſaret. At pro praecipua elegantia habere eſt hominis inſani, non elegantis.

58) *Oblivisci, oblivioni tradere* (qui mirus eſt loquendi modus), *non meminiſſe* ſunt eadem; it. *res effluxit ex animo, ex memoria mea*, h. e. *oblitus ſum.*

59) *Conſtituere ſich vornehmen, entſchließen; ſtatuere, decernere, in animo habere:* quae ſingula ſequitur infinitivus: it. *conſilium capere:* it. *cogitare*, v. c. *cogitabat proficiſci*, ut noſtri: *er gedachte zu verreiſen*; interdum *id agere* ſ. *ſpectare, ut* etc.

60) *Celare rem, diſſimulare, tegere, non aperire, non dicere, non enuntiare*; it. *ſilere, tacere* etc. ſunt ſynonyma.

61) *Parare anſchaffen, verſchaffen, erwerben; comparare, acquirere, parere, conciliare.* Item *efficere* v. c. amicos ſibi: it. *invenire* interdum occurrit, v. c. *cognomen Africani invenit* i. e. *hat den Zunamen erhalten, ſich erworben* — Not. *Conciliare* libenter de re ſuavi dicitur, v. c. *amicos, amicitiam, pecuniam* cet.: *pario* nonnullis videtur *cum labore* fieri, *parare* ſine eo: at utrumque eſt *erwerben, anſchaffen*, et ad utrumque requiritur opera ſive magna ſive parva.

62) *Accipere bekommen, adipiſci, nanciſci*, quomodocunque fiat, etiam *caſu* ac ſine labore. V. c. *Nactus eſt praeclarum ingenium.* At *conſequi, aſſequi*, proprie *erreichen*, eſt *accipere* per *laborem: impetrare* eſt accipere quacunque ra-

 tione,

tione, v. c. *opera*, inprimis *precibus*. V. c. *Cicero meritis ſuis conſecutus eſt ſummos honores: filius a patre veniam peccatorum impetravit*, ſed hic et dici poteſt *accepit*, *adeptus eſt:* it. *conſecutus eſt*, quia *preces* ſunt inſtar laboris, quo veniam conſequitur.

63) *Dubito de re*, *dubium mihi eſt*, *in dubium voco*, *ſum dubius* etc., *haereo*, *non liquet*, *haeſito quid faciam* etc.

64) *Certus ſum*, *certum eſt mihi*, *perſuaſum eſt mihi*, *non dubito*, ſunt eadem: ſic et *certum eſt*, *nemo dubitat*, *inter omnes conſtat* ſ. *convenit*. — Not. *conſtat* tirones eſſe putant i. q. *notum eſt:* male; eſt i. q. *convenit:* v. c. *conſtant rationes* i. e. *conveniunt treffen*, *kommen*, *überein*. Ergo *conſtat inter omnes* eſt i. q. *omnes conſentiunt* ſ. *idem ſentiunt: inter paucos conſtat* eſt *wenige kommen darin überein; conſtat inter eruditos* eſt *es iſt unter den Gelehrten ausgemacht, die Gelehrten kommen darin überein.* Verum quidem eſt, inter quos de re conſtet, iis hanc eſſe notam: at propterea *conſtat* non eſt i. q. *notum eſt;* ſed potius *certum eſt*. At non omnia certa ſolent ubique nota eſſe.

65) *Spero*, *ſpes mihi eſt*, *in ſpe ſum*, *ſpe teneor*, *ſpes me tenet*, *ſpes mihi injecta eſt*, *in ſpem veni*, *ſpem concepi* ſunt ſynonyma. *In ſpem venio* ſ. *ſpem concipio* indicat *initium* ſperandi: contra *deſpero*, *ſpem abjeci*, *depoſui*. Atque ita pro *ſpero* dici poteſt *non deſpero*, *non ſpem abjeci* ſ. *depoſui* etc.

66) *Suſcipere rem* et *recipere etwas über ſich nehmen:* quae etſi a nonnullis (v. c. Erneſtio in Clave Cic.) proprie differre inter ſe dicuntur ita, ut illud ſponte hoc ob preces fiat, tamen hoc diſcrimen a priſcis non ſervatur: ergo eſt fictum: vid. v. c. Cic. Att. XII, 10 *obſecro te*, *ſuſcipe*: Cic. ad Div. V, 12 §. 11 *ſi te adducemus*, *ut hoc ſuſcipias:* et plura in Lexico noſtro majori. It. *ſubire rem*, ſi eſt *res moleſta*, ac per metonym. *ſuſtinere:* it. *deſcendere ad rem*, ſi inviti ſuſcipimus, ac ſi res eſt dura, moleſta. Poteſt et *aggredi* ubique dici etc.

67) *Vertere überſetzen* et *interpretari:* quia tamen hoc etiam per *erklären* explicatur, hinc perſpicuitatis cauſa *vertere* plerique praeoptant; non male. Item *transferre* v. c. *e latina in vernaculam linguam.*

68) *Habitare locum* et *in loco*, *colere locum*, *incolere locum* et *in loco* ſunt ſynonyma: interdum etiam *civem eſſe alicujus urbis.*

69) *Ridere aliquem;* it. *deridere*, *irridere*, *habere deridiculo:* interdum *riſu excipere*, *mit Lachen empfangen*, *aufnehmen*, v. c. *verba alicujus riſu excipere über jemandes Worte*

lachen:

lachen: it. interdum metonym. *risu dignum judicare* etc. Notetur et jocosa illa locutio *propinare aliquem deridendum*, quae cum judicio et cogitatione propriae significationis adhibenda est. Proprie enim est *jemand dem andern gleichsam zutrinken, um ihn zum besten zu haben.*

70) Pro *respondere* dici et potest *alicujus verba excipere* h. e. proprie *loqui post alium, reden, nachdem der andere geredet hatte:* ergo de pluribus verbis usurpandum, nec de uno vel duobus. Pro *sic respondit* saepe dicitur quoque: *ad haec Cajus ita: tum Cajus ita dicere coepit*, vel *inquit:* v. c. *Cajus vero: nolo, inquit, hoc facere.*

71) Pro *convenire übereinkommen* etiam *respondere* dicitur, v. c. *spei non exitus respondit, der Ausgang kam nicht mit der Hoffnung überein, entsprach nicht der Hoffnung.* Sic ubique dicere licet.

72) *Gaudere, laetari, laetitia affici, laetitia efferri* in majori re; it. *exsultare laetitia* i. e. *vor Freuden springen; delectari* i. e. *sich ergötzen; voluptatem capere ex re* i. e. *ein Vergnügen an etwas haben.* Ciceronis discrimen, quod inter *gaudium* et *laetitiam* esse statuit Tusc. IIII, 6 et 7, non attendendum, quia nec ipse nec alii prisci in usu id attenderunt.

73) *Angi* et *pavere* sunt synonyma: sic et *angor* et *pavor. Angor* est *Angst: pavor* est *trepidatio cordis Herzklopfen, Angst, Scheu*, ergo non de *metu*, sed de *metu gravissimo* s. *angore*, dicendum est: hinc *pavidae matres* sunt *die ängstlichen, vor Angst zitternden, Frauen.* Vir fortis nunquam *pavet*, nunquam *pavorem* sentit. Cicero Tusc. IIII, 8 *pavorem* explicat per *metum mentem loco moventem*, non male: at nostra explicatio est forsan accuratior. *Aegritudo* est *Gram, Kummer.*

74) *Dolere, tristem esse, tristitia affici, aegre ferre, moleste ferre;* it. *non laetum esse aliqua re:* quae est litotes.

75) Pro *incipere anfangen* dici potest *instituere, ordiri, initium capere* s. *sumere* s. *facere* etc.; it. *coepit*; it. *aggredi*, v. c. *aggressus est dicere* pro *coepit.*

76) *Occidere, interficere, vita privare, vitam eripere, vim inferre, de medio tollere;* et interdum, si contextus fert, simpliciter *tollere* etc., sunt synonyma. It. *caedere* et *obtruncare*; at haec indicant magnam vim, respondentque nostro *niederhauen*, quod gladio fit similive instrumento.

77) Pro *minari* etiam *denuntiare* dici potest, v. c. *denuntiare mortem*; proprie *denuntiare* est *ankündigen*, scil. aliquid mali. Ergo contextus consulendus.

78) *Erro*, *fallor*, *res me fallit* f. *fefellit*, ſunt ſynonyma. Et rectius dicimus *res*, *ſpes*, *me fefellit*, quam *ego me fefelli in re*, *ſpe*. Sic etiam priſci nunquam. It. *decipior* v. c. *ſpecie recti*, *in errorem inducor*; it. *inducor* interdum ſimpliciter.

79) *Fugere* et *vitare:* hoc eſt non modo *zu vermeiden ſuchen;* ſed etiam i. q. *effugere wirklich vermeiden.*

80) *Perſuadere alicui aliquid* et *probare alicui aliquid* ſunt ſynonyma. It. *efficere*, *ut aliquis rem credat*, *rem probabilem reddere*. At aliud eſt *convincere* v. c. *aliquem* vel *aliquid*, quod eſt *efficere* (v. c. teſtibus, argumentis, cet.) *ut appareat aliquem aliquid* (mali) *feciſſe*, vel *aliquid* (mali) *commiſſum eſſe;* ergo ſemper dicitur in rebus malis, v. c. *furem*, *homicidam*, *convincere;* it. *convincere errorem*. Cic. Roſc. Am. 24 dixit *convincere facinus*, de parricidio, h. e. certiſſimum reddere v. c. teſtibus. De bonis rebus non dici poteſt *convincere*, v. c. *de tua doctrina*, *induſtria*, *convictus ſum* male diceretur pro *de tua doctrina*, *induſtria*, *mihi perſuaſum eſt* h. e. *ich bin von deiner Gelehrſamkeit*, *deinem Fleiße*, *überzeugt.*

81) *Monere* f. *admonere* et *hortari* ita differunt: *monere* eſt *in memoriam revocare alicui erinnern an etwas*; deinde *monendo aliquem impellere ad rem*, ut noſtrum *erinnern*, v. c. *erinnere ihn doch*, *daß ers thue* cet. at *hortari* eſt *ermahnen*, quod fit *auctoritate*, *praeceptis* etc. Mollius eſt *monere* quam *hortari: hortamur* eos, qui v. c. nolunt aliquid agere. Non decet hominem inferiorem dicere ſuperiori: *hortor te*, ſed *moneo:* ut et in vernacula. *Inſtare* eſt acrius, *einem zuſetzen.*

82) *Amare*, *amore afficere* f. *complecti*, ſunt ſynonyma. An etiam *diligere?* Non plane. Nam hoc proprie eſt *magni facere*, et ſic, ni fallor, fere ubique explicari poteſt, ut non opus ſit explicare per *amare*. Et hinc intelligi poteſt ille locus Ciceronis notiſſimus ad Div. VIIII, ep. 14 §. 11 *quis erat*, *qui putaret*, *ad eum amorem*, *quem erga te habebam*, *poſſe aliquid accedere? tantum acceſſit*, *ut mihi nunc denique amare videar*, *antea dilexiſſe*, h. e. *daß ich dich jezt erſt zu lieben*, *vorher nur hochgeſchätzt zu haben*, *glaube*. Ad Div. XIII, ep. 47 §. 1 *ut ſcires* (legendum haud dubie *ſcias*) *eum non a me diligi ſolum*, *verum etiam amari*, *ob eam rem tibi haec ſcribo*, i. e. *daß er von mir nicht nur hochgeſchätzt*, *ſondern* etc. Ex hac noſtra explicatione apparet ſatis diſcrimen iſtorum duorum vocabulorum, quod e grammaticorum aliorumque interpretum explicatione non poteſt intelligi, qui ambo hactenus differre dicunt, ut *amare* ſit *gravius*, *diligere levius*. Iam conetur aliquis hac re interpretari loca illa Tullii.

Ceterum

Ceterum non negandum, esse loca, ubi per *favere geneigt seyn, günstig seyn*, vel etiam *amare lieben, werth halten*, explicandum videatur, v. c. Cic. Or. II, 40 *ferae partus suos diligunt*. Cic. Fin. V, 9 *Omne animal se ipsum diligit*, i. e. *ist sich gewogen* vel *schätzt, liebt, sich*. Haec sufficiant.

II) Partes verbi, v. c. modi, numeri, tempora etc., inter se non raro quoque commutari possunt.

A) *Modus* pro *modo*: v. c.

1) *Indicativus fut.* pro *imperativo*, v. c. *non scribes* pro *ne scribe: non venies, nisi scripsero, du wirst nicht kommen* i. e. *ne veni* s. *venias*. Est humanius dictum. Sic nostri *Sie werden heute bey mir bleiben*, i. e. *maneas mecum hodie*: et servis adeo dicunt: *ihr werdet auf die Post gehen, ihr werdet das, ihr jenes, machen*. Est humanius dictum pro *gehet, machet*.

2) *Conjunctivus* pro *imperativo*, v. c. *ne facias, ne scribas*, quod modestius et humanius dictum est pro *ne fac, ne scribe*. Proprie enim notat: *du möchtest das wohl nicht thun, nicht schreiben*. Sic *dicas, des* pro *dic, da*: proprie *du möchtest es doch sagen, geben*, ut magis optantis quam imperantis esse videatur.

3) *Conjunctivus*, intercedente *cum*, pro *infinitivo* in hac formula: *Audivi ab* s. *ex eo* (v. c. *patre* cet.), *cum diceret* pro *audivi eum dicere, ich habe ihn sagen hören*. Cic. ad Div. III, ep. 7 §. 7 *a Pausania — audivi, cum diceret, te secum esse* etc. Or. II, 33 med. *jam id quidem saepe, inquit, Catule, ex eo audivi, cum diceret, sibi certum esse* etc. Sic et Brut. 22 in. *memoria teneo, me ex Rufo audisse, cum diceret* etc. Sic et nostri: *ich habe von ihm gehört, da er sagte* etc. At ista ratio non satis accurata esse sed aliquid negligentiae spirare videtur. Quia tamen in usu fuit, eam rejicere non debemus; tantum abest, ut pro egregia habeamus, ut faciunt ii, qui, ut quidque est maxime singulare, ita maxime eo delectentur, id admirentur et pro pulchro habeant.

4) *Infinitivus* pro *indicativo* in narrationibus, v. c. *Caesar proficisci, dicere*, pro *Caesar proficiscebatur, dicebat*, vel *profectus est, dixit*. Nil frequentius apud Livium et Caesarem, aliosque. Vocatur vulgo *infinitivus historicus*, et a Servio ad Virgil. Aen. VIII, 493 *stilus historicus*; melius forsan *infinitivus narratorius*, ne tirones putent, eum historicorum esse proprium, ut Servius ait ad Virgil. Aen. II, 683, quia

omnibus narrantibus communis eſt, centiesque occurrit, non modo apud Caeſarem et Livium, v. c. Caeſ. B. G. I, 16 *Interim Caeſar — flagitare:* Liv. I, 4 extr. *ita geniti — peragrare circa ſaltus;* ſed etiam apud Ciceronem in orationibus, ubi narratur, in primis Verrinis, v. c. Verr. II, 76 *haerere homo, verſari, rubere* pro *haerebat, verſabatur, rubebat, er ſtockte, drehte ſich, ward roth;* c. 77 *Clamare omnes ex conventu, neminem unquam ex Sicilia fuiſſe Verrutium. Ego inſtare, ut mihi reſponderet* etc. pro *clamabant, inſtabam.* Sic et Poetae: v. c. Virgil. Aen. II, 685, VIII, 493. — Reperitur adeo iſte infinitivus ante *cum,* v. c. Salluſt. Iug. 98 *Dies conſumtus erat, cum tamen barbari nihil remittere atque — inſtare,* ubi vid. Cortius; add. Tac. III, 71 in. — Mirabile utique eſt, modum infinitum pro finito poni. Hinc eruditi cauſam interdum indagare conati ſunt. Plerique dicunt, intelligendum eſſe *coepit, coeperunt,* praeſertim cum alibi hoc verbum addatur, v. c. *dicere coepit, coeperunt* pro *dixit, dixerunt,* ſaepe occurrit. Cortio ad Sall. Cat. 6 hoc ſupplementum non videtur placere, ipſe tamen aliud non ſuppeditat. Ac profecto *coepit, coeperunt,* non ubique quadrat, v. c. Salluſt. Iug. 92 extr. *milites neque pro opere conſiſtere propter iniquitatem loci neque inter vineas ſine periculo adminiſtrare.* Quis hic *coeperunt* intelligat? Nonne potius *poterant* intelligere debeat? At forſan nihil intelligendum eſt. Clar. *Niclas* ad Heinecc. fund. ſtili I, 2, 57 ** p. 245 affert cauſam ingenioſam ſane. Ait: „*Rationem, cur haec enallage propria ſit hiſtoricorum et poetarum* (rectius, narrationum omnis generis), *invenire mihi videor hanc, quia carmina et hiſtoriae primum ſunt et antiquiſſimum ſcripturae genus. Fuiſſe autem omnino tempus videtur, ubi praeter* infinitum modum *de verbis nihil fuerit in uſu, ut adeo nomen ſuum ipſa re tuitus ſit, quod indicat, non ſignificari certam aliquam perſonam aut tempus certum. Nimirum ab initio linguas non fuiſſe verboſas, ſed inopes valde et compendiarias, hominesque ſatis habuiſſe animi ſenſa utcunque explicare, vix poteſt dubitari. Docent nos hoc parvi. Infans quum verba tentat et loqui incipit, in grammatica ſua non agnoſcit niſi* infinitivum; *hic ei eſſe ſolet pro omnibus modis, temporibus, numerisque, hunc, prout opus habet, applicat perſonis,* ich trinken, du trinken etc. *Hic* infinitivus *illi inſtar omnium eſt, quae nos in verborum flexione ſolemus obſervare. Hoc itaque, quod enallagen aut ellipſin vocant grammatici, potius eſſe archaiſmus videtur. Et hae reliquiae conſuetudinis antiquiſſimae, quae in linguis ab initio obtinuit,*

in

in plerisque, orientalibus in primis, adhuc ſervantur, ubi haec priſcae linguarum paupertatis veſtigia admodum exſtant frequenter." Docta et ingenioſa conjectura: et quis in tali re, quae vere hiſtorica res eſt, ultra conjecturam adſcendere certive aliquid pronuntiare poſſit? — Attamen hic *primum* quaeritur, quatenus exempla infantum huc referri poſſint. — Infantes tantum imitantur et repetunt viſa et audita: nihil agunt, quod non alios egiſſe viderint, nihil loquuntur, quod non alios dixiſſe audiverint. Hi igitur propterea pro *finito* verbo *infinitivum* adhibere ſolent, quia hunc centies a parentibus, nutricibus, aliisque audiverunt, interrogantibus ipſos, *willſt du trinken, eſſen, ſchlafen, ſtehen?* etc. Repetunt igitur poſteriorem partem harum interrogationum: *trinken, eſſen* etc., deinde, ubi *τὸ ich* didicerunt, quod ſero interdum fit, dicunt: *ich trinken, eſſen* etc. Vidi etiam infantes ab initio dicere *du willſt trinken, du willſt eſſen* etc. pro *ich will* etc., quod ſigno manifeſto eſt, eos tantum repetere; ut itaque exemplo infantum vix hac in re utendum videatur. *Deinde* mirabile eſt, iſtum *infinitivum* tantum de rebus praeteritis uſurpari; v. c. *frater dicere* ſemper eſt *dicebat, dixit,* nunquam *dicit, dicet. Tum* notandum eſt, hiſtoricos, itemque oratores, in narrando multo crebrius verbo finito quam infinito uti. *Tandem* ſaepe additur *coepit*, it. *inſtituit*, ita, ut haec verba fere fruſtra adſint: *dicere inſtituit, coepit*, eſt *dixit.* Hinc ellipſis verbi *coepit, inſtituit*, vel alius verbi non plane rejicienda videtur, quod forſan primum per negligentiam vel feſtinationem dicentis ac poſtea ſcribentis omiſſum eſt; ac deinde homines, cum ſermonem ſuum tamen ſic intelligi vidiſſent, de induſtria omittere coeperunt. Negligentia vel feſtinatio eſt mater plerarumque, niſi forſan omnium, figurarum grammaticarum, in primis ellipſeos. V. c. in hac forma: *non modo ſed ne quidem* pro *non modo non* etc., priſci alterum *non* omiſerunt, nonne per negligentiam ac contra legem ſubtilitatis? At omiſerunt, quia alios intelligere tamen videbant: et ſunt hodie, qui iſtam formam adeo pro pulchra habeant, et iſtam ellipſin elegantiae nomine ornent: ſic *haud ſcio an* pro *annon: nihil aliud, quam riſit*, omiſſo *fecit* etc. Quis neſcit, fieri ſaepe ſolere, ut, quod initio vitium fuerit, poſtea, ubi conſuetudinis auctoritate receptum et a plerisque uſurpatum eſt, nomen rei bonae, imo virtutis elegantiaeque, adipiſcatur. Mihi non incredibile eſt, Romanos in iſtis infinitivis narratoriis nullam ellipſin cogitaſſe, atque hunc dicendi modum, a majoribus

 accep-

acceptum, temere, ut fit, retinuisse. — Quaeritur vero, cur recentiores Romani, ut *Cicero*, *Caesar*, *Livius*, cum tamen alios archaismos tollere studuerint, istum *infinitivum narratorium* conservarint. — Ob *variationem* puto, qua nihil suavius: ergo ob *suavitatem*. Et in nulla re tam difficile est variare, quam in narratione, ubi res, prout actae sunt, simpliciter narrari, non dilatatione, figuris tropisve, ornari debent. Quam injucundum est dicere: v. c. *homines advenerunt*, *deinde dixerunt*, *et statim abierunt*: propter repetitionem syllabae *runt?* Pro quo suavius est: *homines advenerunt*, *deinde dicere atque abire*; vel *advenire*, *dixerunt*, *abire*. Quod hic dixi, pro mera opinione haberi velim. Quis enim in hisce rebus decernere aliquid audeat? Ceterum priscos miscuisse ita, ut dixi, *infinitivos illos* et *indicativos*, quemque docebit inspectio illorum ipsa.

5) *Infinitivus* cum *accusativo* pro *verbo finito*, v. c. *gaudeo te vivere*, *doleo te aegrotare*, pro *quod vivis*, *aegrotas*: sic *necesse est hominem mori* pro *ut homo moriatur*; *oportet me ire* pro *ut eam*: *aequum est nos facere* pro *ut faciamus* etc.

B) *Numerus* pro *numero*: v. c. *cogita, quid dignitas et officium postulet* vel *postulent*: utrumque recte. Posterius, quia duo nominativi verbum in plurali postulant, prius, quia hi res vita carentes signant. — Huc pertinet *multitudo caesi*, *pars vulnerati*, *capti*, *sunt* apud historicos pro *caesa*, *vulnerata*, *capta*: quia nominativi isti multitudinem notant. Forma haec per *negligentiam* orta, quia subtilius est singularem nominis jungere singulari verbi; at propter usum excusanda, ac, si cui lubet, usurpari recte potest.

C) *Tempus* pro *tempore*:

1) *Praesens conjunct.* pro *imperfecto conjunctivi* in his formis: *dicat aliquis*, *es möchte jemand sagen*: *si quis dicat*, *objiciat*, *wenn iemand sagen*, *einwenden*, *sollte*: *hoc non negem*, *affirmem*, *das möchte ich nicht läugnen*, *bejahen* etc., rectius (quia de praesenti tempore sermo) et usitatius dicitur, quam *diceret*, *objiceret*, *negarem*, *affirmarem*, licet vernacula imperfecto utatur: nisi praeterita adjuncta sint, v. c. *credidi*, *si quis ita diceret*, *eum errare*, *wenn jemand so reden sollte* etc.: hic *errare* est *imperfectum*: vel si perspicuitas aliqua imperfectum magis desideret. At, si praesentia circumstant, praesens manet; v. c. *credo*, *si quis ita dicat*, *eum errare*: non *diceret*, *wenn jemand so reden sollte*. Hinc Terentius in illo:

tu

tu si hic sis, aliter sentias, wenn du hier i. e. *an meiner Stelle wärest, so würdest du anders denken,* non poterat dicere: *aliter sentires.* At, si dixisset: *tu si hic esses,* ut quoque dicere poterat, tum dicere debuisset: *aliter sentires.* Sic enim quoque prisci.

2) *Praesens* pro *perfecto* in narrationibus valde usitatum est, et haec ratio reddit narrationem vividam, subjiciens quasi res oculis nostris. V. c. *Caesar tum proficiscitur, ducit secum, loquitur, convocat,* pro *profectus est, duxit, locutus est, convocavit*: sic millies Caesar, Livius, Cicero: at in narrando tantum: sic et nostri: *endlich erscheint der Feind, die Unsrigen rücken vor, fechten* etc.; *da ich das höre, so schreibe ich den Augenblick, erhalte aber keine Antwort* etc., pro *erschien, rückten, fochten, hörte, schrieb, erhielt* etc. cf. supra c. 2 sect. XVII n. XX, b, p. 177. Not. ad hanc commutationem praesentis cum perfecto non pertinere illam formam: *memini me legere* pro *legisse,* jam supra c. 2 sect. XVII n. XX, e, p. 178 monui. *Legere* enim hic est *imperfectum*: memoria enim non ad praesentia sed ad praeterita respicit. Hinc dicitur quoque: *audivi hominem dicere et dixisse,* ubi nemo putat *dicere* esse praesens, nec esse posse inde patet, quia pro eo etiam dicitur: *audivi ex eo* s. *ab eo, cum diceret,* non *cum dicat.*

3) *Praesens* pro *futuro* varie usurpatur et usurpari potest:

a) Quando de re futura illa quidem sed certo eventura atque ita quasi jam praesente et ob oculos nostros versante loquimur, v. c. *cras sum apud te; brevi tempore infelix es; tum omnes te contemnunt; die mundi extremo mortui in vitam redeunt* pro *ero, eris, contemnent, redibunt.* Sic et nos loqui notum est: v. c. *morgen komme ich zu dir* etc.

b) Quando futurum deest, v. c. *spero, ista brevi abs te disci* s. *posse disci.* Sic saepius prisci. At rectius tamen est ob perspicuitatem ponere *fore ut,* v. c. *spero fore, ut ista brevi abs te discantur.* — Reperiuntur apud priscos interdum talia praesentia pro futuris, ubi futura tamen in usu sunt: v. c. Cic. Verr. V, 25 *appellitur navis Syracusas: exspectatur ab omnibus: supplicium sumi de captivis putatur,* pro *sumtum iri:* nisi forsan Cicero hoc fecit ad narrationem vividam reddendam, de qua re ante dictum est. Forsan Cicero temere et de more ita locutus est. Frustra sint, qui forsan putent, *sumtum iri* non bene sonuisse Ciceroni propter duplex *i.* Omnia bene sonant, quae recta sunt. Sic Cic. Att. I, 1 *spero nobis profici.* Terent. Eun. III, 3, 14 *sperat a me avellere.* Sic *spero me accipere, consequi,*

ſequi, pro *accepturum*, *conſecuturum eſſe*, quod non imitandum puto, licet vernacule ita loquamur.

c) In primis priſci, accurate loquentes, praeſenti utuntur, ubi vernacula (de re praeſenti) futurum habet: v. c. *das wird jeder einſehen; wer will das läugnen? niemand wird läugnen*: *jeder wird wiſſen* etc.: hic recte, quia de praeſenti re proprie ſermo eſt, dicitur: *quisque intelligit* vel *intelligat; quis hoc negat* vel *neget? nemo negat* vel *neget*. Sic priſci millies, nec *intelliget*, *negabit*. Scio quidem etiam priſcos interdum hic futuro uti; at illud tamen et ob ideae rationem rectius et frequentius.

4) *Imperfectum* pro *perfecto*, v. c. *memini me dicere* pro *dixiſſe*. It. ſaepe narrant priſci in imperfecto, ut nos, ubi proprie perfecto uti debebant. In primis in epiſtolis, ubi res narrantur, quae ante, quam literae redditae fuerint, praeterire vel mutari poſſunt, *imperfectum* pro *praeſente vernaculo* adhiberi debet. V. c. *Ich höre*, *man ſagt mir*, *ich bin krank*, *audiebam*, *dicebatur mihi*, *aegrotabam* etc. De hac re ſupra c. 2 ſect. 17 n. 20 p. 176 a) dictum eſt.

5) *Perfectum conjunctivi* ſaepiſſime pro *praeſente* ejus dicitur in his formulis: *ne dixeris*, *ſage es nicht*, pro *ne dicas: dixerit*, *objecerit*, *aliquis*, *es möchte jemand ſagen*, *einwenden*, pro *dicat*, *objiciat: ſi quis crediderit*, *dixerit*, *negaverit* etc., *wenn jemand glauben*, *ſagen*, *läugnen ſollte*, pro *credat*, *dicat*, *neget: hoc non dixerim*, *crediderim*, *das möchte ich nicht ſagen*, *glauben*, pro *dicam*, *credam*. Hoc imitandum eſt. Sed de eo jam ſupra p. 178 d) et p. 190 b).

6) *Futurum indicativi* pro *praeſente imperativi* vel *conjunctivi*, de quo jam ſupra p. 343 1) et 2), v. c. *non ſcribes*, *non facies*, pro *ne ſcribe* ſ. *ſcribas*, *ne fac* ſ. *facias*.

Not. Hic tantum de iis permutationibus temporum locutus ſum ac loqui debui, quas imitari nobis licet. Vitioſae non huc pertinent, niſi interdum hactenus, ut vitentur. Sic occurrit v. c. *praeſens* pro *imperfecto* in epiſt. Lentuli ad Cic. in hujus Epp. ad Div. XII, ep. 14 §. 11 *Cum conſulibus decreta eſt Aſia*, *et permiſſum eſt iis*, *ut*, *dum ipſi venirent*, *darent negotium*, *qui Aſiam obtineant* pro *obtinerent*. Eſt vitium vel ſcriptoris vel librarii. Miror Erneſtium, qui ſeveram temporum in Cicerone egerit cenſuram, hic nihil monuiſſe.

D) *Perſonales terminationes* ſeu, ut vulgo, ſed male, vocantur, *perſonae* (ſubjectum praecedens Verbo eſt perſona, non particula Verbi) commutantur in exprimenda enuntiatione generali, h. e. quae ad omnes homines pertinet, ubi vernacula

cula utitur *man*, v. c. *dicitur* et *dicunt man ſagt: cupere ea, quae aſſequi non poſſis* ſ. *non poſſimus, ſtultum eſt*, i. e. *was man nicht erlangen kann.* — At 1) in terminatione Verbi perſonali incepta pergere debemus; v. c. *cupere ea, quae aſſequi non poſſis, ſtultum eſt, quia timendum eſt, ne derideare.* Si dixeris *non poſſimus*, debet ſequi *derideamur.* Hoc per ſe patet, quia ſemper ejus perſonae, quae adhibetur, proprie ratio habetur. 2) Non ubique iſtas terminationes perſonales (ſ. perſonas vulgo) promiſcue uſurpare licet: a) *Tertia paſſivi* ubique fere convenit, v. c. *dicitur, invenitur* etc.; it. *homines inveniuntur man findet Leute* etc.; *dicuntur homines eſſe; inventus eſt homo, inventi ſunt multi, man hat einen Menſchen, man hat viele, gefunden.* Et hic nominativus attendendus, v. c. *ego dicor, tu diceris, pater dicitur, nos dicimur*, i. e. *man ſagt von mir, dir, ihm, uns* etc.: ſic *ego laudor, tu laudaris, pater laudatur, nos laudamur* etc. *man lobt mich, dich, ihn, uns* etc. Si nominativus nec adeſt nec cogitari poteſt, manet tertia terminatio perſonalis ſingul., v. c. *creditur man glaubt* etc. b) Tertia pluralis activi deponentisque tantum in certis verbis, ubi conſuetudo jam invaluit, uſurpatur, intellecto *homines*: haec ſunt fere verba *dicendi* et *putandi*, v. c. *ajunt, ſtatuunt* etc. alia Verba vix, ob perſpicuitatem, ita uſurpare licet, niſi *vulgo* addatur, unde intelligatur de hominibus univerſis ſermonem eſſe. Ineptum foret dicere: *reperiunt multos, man findet viele:* quia lector in praecedentibus quaereret ſubjectum ſ. perſonam ad *reperiunt.* c) *Prima pluralis* activi et deponentis ubique quadrat, ſi res, quae enuntiatur, de nobis apte dici poteſt, ac ſi ejus rei participes ſumus vel eſſe volumus, v. c. rectum eſt: *ea, quae aſſequi non poſſimus, cupere ſtultum eſt: non fieri poteſt, ut, quae neſciamus, ea aliis explicare poſſimus*; ſive enim vertas: *es iſt einfältig, das zu begehren, was man nicht erreichen kann; es iſt nicht möglich, daß man das, was man nicht weis, andern erklären könnte*, ſeu: *es iſt einfältig, wenn wir das begehren, was wir nicht erreichen können; es iſt nicht möglich, daß wir das, was wir nicht wiſſen, andern erklären könnten*, ſenſus eodem redit. At ſtultum foret dicere: *Vituperamus nos, quod iſtud egimus, man tadelt uns* etc. Nam hic non ſumus inter eos, nec eſſe volumus, qui nos vituperant. Hic poſſit dici: *vituperamur, quod*, ſ. *vituperant nos homines.* d) *Secunda ſingularis* pertinet ad lectorem proprie, eumque in univerſum, i. e. non *certum* quendam, ſed omnem. Hinc in libris admittitur, quia hic lector in genere cogitatur: nec ſinguli lectores aliquid ad ſe proprie referre poſſunt: v. c. *non fieri poteſt, ut, quae neſcias, aliis tradas; ſtultum*

tum eſt ea cupere, quae non poſſis conſequi, i. e. *was man nicht weis, nicht erlangen kann.* At in epiſtolis, ubi unus certusque lector eſt, qui, ſimul atque hanc terminationem Verbi perſonalem ſecundam ſingularis numeri reperit, hanc ad ſe pertinere putat vel putare poteſt, parce iſta terminatione perſonali ſecunda utendum eſt: v. c. non dixerim in epiſtola facile: *non mirandum eſt* ſ. *ne mireris, te ab omnibus contemni, cum nihil didiceris, man darf ſich nicht wundern, daſs man von allen verachtet wird, wenn man nichts gelernet hat.* Humanitas hanc exceptionem poſtulat: omninoque hic et perſpicuitatis et uſus dicendi, ut in omnibus, ratio eſt habenda. At ſi res vel contextus eſt talis, ut lector epiſtolae facile videat, ea, quae in illa dicantur, ad univerſos homines pertinere, illa terminatione ſecunda uti licet. Hinc patet, judicio opus eſſe.

E) *Genus* pro *genere*, v. c.

1) *Paſſiva* et *activa* ſaepe inter ſe permutantur, v. c. *amo te*, et *amaris a me* etc.; *ſcio te haec dixiſſe*, et *haec a te dicta eſſe.* Et haec permutatio eſt neceſſaria, quando accuſativus duplex perſonas indicans cum infinitivo adeſt, ad ambiguitatem evitandam, v. c. *patrem te amare dicunt* poteſt duplicem vim habere, et *patrem amare te*, et *te amare patrem.* Huc pertinet illud: *ajo te, Aeacida, Romanos vincere poſſe*, ubi oraculum peccavit vel peccare voluit contra perſpicuitatem, quod ordo verborum eſſe poteſt *te poſſe vincere Romanos* et *Romanos poſſe vincere te.* Talibus accuſativis cum infinitivo abſtinendum eſt. Huic igitur ambiguitati medetur mutatio activi in paſſivum, v. c. *te dicunt a patre amari* vel *patrem a te* etc. — Hac permutatione opus quoque eſt in participiis ponendis (ſi quidem iis uti cupimus), v. c. *hominem a te diu cultum tandem deſeruiſti* pro *quem diu colueras.* — Sunt deinde multa verba activa, quae pro paſſivis vel pro reciprocis uſurpantur, v. c. *vertere* pro *verti* vel *vertere ſe*, v. c. Liv. II, 52 *omnis ira belli ad populationem vertit* pro *ſe vertit*, et V, 59 *jam verterat fortuna*, i. e. *ſe* ſeu *verſa erat*, ac ſic ſaepiſſime; it. Caeſ. B. Civ. III, 25 *hyems jam praecipitaverat*, int. *ſe.*

2) *Deponentia* ajunt pro *paſſivis* poni: at hoc tantum in participiis nonnullorum verborum temporis perfecti locum habet, v. c. *expertus*, quod ſaepiſſime paſſive occurrit; it. *pactus, teſtatus.*

III) *Verbum* pro *nomine ſubſtantivo:*

1) *Infinitivus*, quando ſubjecti vim habet. V. c. *errare humanum eſt*, i. e. *error*: *amare deum eſt homine dignum*, i. e. *amor dei.* Haec mutatio neceſſaria eſt interdum, ubi nomen non exſtat, v. c. *virtutem magni facere reddit hominem felicem*, i. e. *die Hochſchätzung der Tugend macht* etc.: ſic *didiciſſe multa non ſemper reddit homines ſapientes*, i. e. *die Erlernung vieler Dinge macht nicht immer weiſe*: ſic *didiciſſe fideliter artes emollit mores* etc.

2) *Participia* ſaepe pro *nomine ſubſtantivo:* v. c. *crede mihi affirmanti*, i. e. *glaube mir auf meine Verſicherung, auf mein Wort*, pro *crede mihi propter meam affirmationem* ſ. *cum confirmo:* ſic Cic. ad Div. XIII, 7 med. *mihi adfirmanti credas velim*: ſic Cic. Agr. II, 2. extr. *non dubitanti fidele conſilium, non laboranti certum ſubſidium, ostenditur*, h. e. *bey meinem Zweifel habe ich keinen treuen Rath, bey meiner Noth keine Hülfe, zu erwarten*, pro *non in dubitatione mea*, *non in labore* ſ. *periculo meo* etc. — Sic poſſum dicere *deſeruit me laborantem, aegrotantem*, *Er hat mich bey meiner Noth, Krankheit, verlaſſen.* Sic *diffiſus* pro *ob diffidentiam* Caeſ. B. G. VI, 38 *hic diffiſus ſuae atque omnium ſaluti inermis e tabernaculo prodit*, i. e. *aus Mistrauen zu ſeiner und der Seinigen Sicherheit ging er* etc. Sic *defatigatus* pro *ob defatigationem;* Cic. Acad. IIII, 3 *neque nos ſtudium exquirendi defatigati relinquemus* etc. Sic *timens* pro *ob timorem:* v. c. *timens periculum aufugit*, *aus Furcht vor der Gefahr entfloh er*: *proficiſcens*, i. e. *in itinere* vel *ante iter*, v. c. *proficiſcens per Poloniam* etc., *auf ſeiner Reiſe durch* etc.: *proficiſcens mandabat mihi*, *bey* ſ. *vor ſeiner Reiſe trug er mir auf*: *moriens dicebat*, i. e. *bey ſeinem Tode ſagte er*: *mortuus*, i. e. *poſt mortem*: *ſepultus*, i. e. *poſt ſepulturam ejus;* v. c. *mortuo et ſepulto patre abii*, i. e. *poſt patris mortem et ſepulturam.* — Sic innumera alia: it. *diſcendo durch das Lernen*; *docendo durch die Unterweiſung*; *narranda re iſta gravem timorem injecit omnibus*, i. e. *narratione rei iſtius*; *in audienda re*, i. e. *in auditione rei.* Sic *cunctando vicit*, *ſperando vitam conſumſit* pro *cunctatione*, *ſpe*: add. *puto* pro *de mea ſententia*, v. c. *patrem puto eſſe doctum*, i. e. *der Vater iſt nach meiner Meynung gelehrt.* — Tandem huc pertinet *medens* i. e. *medicus*, ap. *Ovid.* et *Plin.* Paneg. it. *natantes* i. e. *piſces* ap. *Virgil.* etc. Attamen his vix uterer praeterquam in carmine.

IIII) *Verbum* pro *adjectivo* interdum usurpari potest: v. c. *vix dici potest* s. *vix credi potest* pro *incredibile est*. *Omnes sciunt*, s. *nemo est quin sciat* s. *qui nesciat*, *ignoret* pro *omnibus notum est*: *inter omnes constat* pro *omnibus certum est* s. *nemini est dubium*: et sic porro. — Haec variatio saepe necessaria est, vel quia lingua latina multis caret nominibus adjectivis, vel quia nonnullis vocabulis alias ob causas uti nolumus, v. c. *fieri potest* pro *possibile est*: *fieri non potest* pro *est impossibile*: *corrigi homo non potest* pro *est incorrigibilis*; *deus videri* s. *cerni nequit* pro *invisibilis est*: *non vinci potest* pro *est invincibilis*: *non possumus mente complecti naturam dei* pro *natura dei est nobis incomprehensibilis* etc.

V) *Verba* pro *adverbiis*: v. c. *quid quaeris?* i. e. *kurz*. In primis huc pertinent haec: *necesse est hominem mori* pro *homo necessario moritur* s. *mori debet*: *manifestum est te errare* pro *manifesto erras*: *certum est*, *nil melius esse virtute* pro *nihil est profecto* s. *certo melius virtute*: *Ciceronem fuisse magnum oratorem non dubium est* s. *nemo dubitat* pro *Cicero haud dubie fuit magnus orator*: *parum abest*, *quin illud credam*, pro *credo illud propemodum*. Sic *parum aberat*, *quin cecidissem*, pro *fere cecidissem bald* s. *beynahe wäre ich gefallen*: *tu saepius ad me literas mittis quam solebas* pro *quam antea als sonst*. Sic Cic. ad Div. VI, ep. 2 in. *ne putes me rarius scribere quam solebam*, i. e. *daß ich seltner schreibe, als sonst*. — In primis notanda est haec variatio ob adverbia multa in lingua vernacula obvia, quibus in latina nulla respondent, v. c. *unmöglich*, *hoffentlich*, *vermuthlich*, *billig* etc.; v. c. *ich kann das Buch unmöglich lesen*, *non fieri potest*, *ut istum librum legam*: *vermuthlich ist er gestorben*, *mortuum esse opinor*: in primis cum *qui*, v. c. *hier ist das Buch*, *das du vermuthlich nicht gelesen hast*, verti debet *hic est liber*, *quem a te nondum lectum esse opinor*; *hoffentlich wird er morgen wieder kommen*, *cras eum reversurum esse spero*, *speramus*; *das Geld muß ich ihm billig geben*, *pecuniam illi me dare aequum est*: et sic in aliis. Et in primis haec ratio tenenda et imitanda est.

VI) *Verba*, et quidem *participia*, pro *praepositionibus* saepe adhiberi possunt:

1) Pro *sine*, v. c. *homo carens libris pauca discit* i. e. *homo sine libris*: potest quoque dici interdum *privatus*, *non instructus*, *non ornatus* etc., v. c. *quomodo amicis privatus potes vitam suavem degere* pro *sine amicis* etc.

2) Pro

2) Pro *cum*, v. c. *venit instructus magna militum multitudine* pro *venit cum magna* etc.; *duxisti uxorem*, *magnis praeditam* s. *instructam divitiis*, *et singulari prudentia et virtute ornatam*, h. e. *du hast eine Frau genommen mit großem Reichthume und mit* s. *von außerordentlicher Klugheit und Tugend* etc.

3) Pro *ob*, *propter*: hic millies *ductus*, *adductus*, *impulsus*, *permotus*, *motus*, *incitatus*, *inflammatus*, *impeditus*, *prohibitus*, *exclusus*, *perterritus*, *coactus* etc. ap. Ciceron. dicitur pro *ob*, v. c. *gloriae cupiditate ductus*, *adductus* etc. *fecit*, h. e. *ob cupiditatem gloriae fecit*. Cic. Verr. II, 62 *quemquam — putas dubitaturum, quin — pecuniam statuae nomine dederit vi atque imperio adductus, non officio ac voluntate?* i. e. *propter vim atque imperium, non officium ac voluntatem*. Verr. III, 1 in. *omnes, qui alterum nullis impulsi inimicitiis, nulla privatim laesi injuria, nullo praemio adducti in judicium vocant* etc., ubi *impulsi*, *laesi*, *adducti* pro *ob* posita dici possunt, *nullis impulsi inimicitiis* est *propter nullas inimicitias*, *nulla laesi injuria* est *propter nullam injuriam*, *nullo praemio adducti* est *propter nullum praemium*. Caes. B. G. I, 3 *his rebus adducti et auctoritate Orgetorigis permoti constituerunt*, h. e. *propter has res et propter auctoritatem Orgetorigis constituerunt* etc. Sulpic. ad Cic. in epp. ad Div. IIII, ep. 12 §. 7 *reliquos ajebant profugisse metu perterritos*, h. e. *profugisse ob metum* s. *metu*. Caes. B. G. VII, 26 extr. *quo timore perterriti Galli — destiterunt* etc., h. e. *dieser Furcht wegen* etc. ibid. c. 28 in. *hostes nova re perterriti* etc. — Sic *exclusus*, *impeditus*, *prohibitus* pro *propter*, si sermo est de *rebus*, *quae impedimento esse possint*, v. c. Cic. Verr. IIII, 27 *hi ipsi posteaquam temporibus reipublicae exclusi per senatum agere, quae voluerunt, non potuerunt* etc., i. e. *ob tempora reipublicae*, *da sie wegen der unglücklichen Umstände des Staats ihr Suchen nicht durch den Senat durchsetzen konnten*. Sic saepe *exclusus* s. *impeditus temporis angustia*, i. e. *wegen Mangel der Zeit;* it. *occupationibus multis prohibitus*, *impeditus*, *districtus*, *scribere non potui*, *wegen der vielen Geschäfte konnte ich nicht schreiben*. Sic *coactus*: v. c. *egestate coactus alio se contulit*, i. e. *propter egestatem*, *wegen Dürftigkeit begab er sich anders wohin*. — Huc pertinent et praesentia vel imperfecta participiorum, v. c. *timens fugiebat*, i. e. *propter timorem fugiebat; timens deum nil mali committis*, *aus Furcht vor Gott thust du nichts Böses. Carens magistro discere nil possum*, *wegen Mangel eines Lehrers kann ich* etc.; *feci hoc confidens tuae humanitati*, i. e. *propter confidentiam*, *aus Zutrauen zu deiner* etc.; *diffidens*

meis viribus, i. e. *ob diffidentiam* etc., *aus Mistrauen* etc. Hunc ufum in primis ftudiofis bonae latinitatis commendaverim propter brevitatem: nec tamen poftulo, ut ubique haec participia per *propter* explicentur, fed tamen faepiffime id fieri debet, ut ifti orationi affuefiant ubique tirones.

4) Pro *poft*, v. c. *coenatus cubitum ivit*, i. e. *poft coenam: fic pranfus*, i. e. *poft prandium: mortuo tibi etiam gratiam habebo*, i. e. *poft mortem tuam*, *ich werde dir es noch nach deinem Tode Dank wiffen: veritas diu oppreffa tandem emergit*, i. e. *nach langer Unterdrückung* — Huc pertinent ablativi confequentiae, v. c. *his literis acceptis dixi*, *nach Erhaltung diefes Briefes* etc.; *hac pugna pugnata*, i. e. *poft hanc pugnam*: *mortuo patre hoc factum eft*, i. e. *poft mortem patris hoc* etc.; *quibus dictis abiit*, i. e. *poft haec verba abiit*: et fic in aliis.

5) Pro *in*, v. c. *iter faciens per Franciam fcripfit*, i. e. *in itinere* etc., *auf der Reife fcrieb er: fcribens mortuus eft*, *er ftarb beym Schreiben*, pro *in fcribendo: moriens mihi dicebat*, i. e. *in moriendo*, *beym Sterben*. *Coenans dicebat*, i. e. *in coena* f. *inter coenandum*, *bey der Tafel fprach er*. Et fic in pluribus. At ifte ufus in primis commendandus. Sic *indutus tunica fedebat* dixerim, non *in tunica*, *er faß in der Wefte:* Cicero ait etiam *cum tunica*, Verr. IIII, 24. *cum toga*, Vatin. 13. *cum ftola*, Verr. IIII, 34.

6) Pro *ex* interdum, v. c. pro *fcio hoc ex experientia* rectius dico: *fcio hoc expertus* f. *experientia edoctus*.

7) Pro *praeter* dici poteft particip. *exceptus*, v. c. *libri tui, exceptis paucis*, *funt praeclari*, i. e. *praeter paucos*.

8) Pro *apud*, *juxta*, v. c. *libris affidens moriebatur*, *er ftarb bey den Büchern*.

VII) *Verbum* pro *conjunctione*, v. c. *dum*, *cum*, *poftquam*, *quia*, *et* etc. Fit haec commutatio per participia, de quibus fupra dictum eft, v. c. *fecit hoc timens*, h. e. *quia timebat*: *mortuo patre*, i. e. *poftquam pater mortuus eft*: *coenans dicebat*, i. e. *dicebat*, *dum coenabat*, i. e. *während daß er fpeifete*. *His dictis abiit*, i. e. *haec dixit et abiit*: et fic in aliis.

SECT. VI

De commutatione adverbiorum.

Adverbia commutantur

I) *Inter fe*, v. c.

1) *Ita*,

1) *Ita, ſic, tam* ſunt ſynonyma: modo teneamus *tam* plerumque ante adjectiva et adverbia poni; v. c. *tam bene, tam bonus:* rarius ante *Verba*, niſi ſequatur *quam*, v. c. *tam te amo, quam fratrem.* *Ita* et *ſic* ubique ponuntur; v. c. *ita bonus, ita bene, ita amo*, ſeq. *ut* etc.

2) *Adeo*, quod majus eſt quam *ſic*, cum *usque eo*, proprie *ſo weit hin, bis dahin*, et *usque adeo* interdum commutari poteſt.

3) *Rurſus, denuo* et *iterum:* duo priora ubique conveniunt; *iterum* eſt *ſecundum, zum zweytenmal*: male *altera vice* vel *adhuc ſemel.*

4) *Praeclare, eximie, egregie, excellenter* etc., ſunt ſynonyma.

5) *Stolide* et *ſtulte, temere*, ſunt eadem.

6) *Alias* i. e. *ſonſt, ehemals*, v. c. *ſonſt wars nicht ſo:* pro eo et dici poteſt *olim, antea, antehac:* non item *alioqui* ſ. *alioquin*, quod eſt *ſonſt* i. e. *in andern Stücken, aus andern Urſachen, widrigenfalls.*

7) *Quamdiu, quousque, quem in finem, wie lange?* ſunt eadem.

8) *Tantum, tantummodo, ſolum, modo, duntaxat* ſunt ſynonyma; it. *non niſi*, v. c. *legi non niſi tres libros, ich habe nur drey Bücher geleſen*, eſt proprie *nichts als, weiter nichts als.* *Solummodo* non occurrit ap. Ciceronem, neque omnino in aetate aurea: at ap. Plin. H. Nat. etc. Ceterum plane reſpondet τῷ *tantummodo*: nam ut hoc ex *tantum* et *modo*, ſic illud ex *ſolum* et *modo* conflatum eſt: utrumque per pleonaſmum.

9) *Saltem, duntaxat, wenigſtens* ſemper commutari poſſunt; v. c. *da mihi libros ſaltem* ſ. *duntaxat tres.* — Interdum et *certe:* at hoc proprie eſt i. q. *certo gewiſs:* ergo non pro *ſaltem* poni poteſt, niſi ſimul per *certo* explicari queat; v. c. *ſi non hodie, certe cras redibo*, i. e. *ſo werde ich wenigſtens morgen zurück kommen*, ſ. *ſo werde ich morgen gewiſs zurück kommen.* Dicitur pro eo et *at certe*, praecedente *ſi non* ſ. *niſi;* it. *at* ſine *certe:* v. c. *dabo tibi, niſi omnes, at certe multos libros* ſ. *at multos libros.* Saepiſſime utraque ratio occurrit: v. c. Cic. Quint. 31 *ſi non propinquitatis, at aetatis ſuae.* Cic. Verr. III, 85 *ſi non bonam, at aliquam* etc. v. Gron. ad Liv. XXIIII, 37.

10) *Fere, paene, propemodum, tantum non*, v. c. *dedi ei libros fere omnes* ſ. *tantum non omnes.*

11) *Cum primum, ut primum, ſimul* ſeq. *ac, atque, ut*, vel etiam ſine his particulis, *ſo bald als*, ſunt eadem, v. c. *cum*

primum potero, ut primum potero, ſimulac potero, ſimul potero, veniam, i. e. *ich werde kommen, ſo bald ich können werde.* — Not. *quamprimum* interdum tirones cum *ſimulac* ſ. *cum primum* cummutant. Male: *quamprimum* eſt *primo quoque tempore, eheſtens, ſo bald als möglich.* Occurrit tamen *quam primum* pro *cum primum*, ſed tantum ſequente verbo *poſſe*, v. c. *quam primum poſſis* Plaut. Capt. II, 3, 88. Legitur quidem Cic. Mil. 34 *quam primum tetigero*, ſed Erneſti recepit *primam* pro *primum*.

12) *Saepe, ſaepenumero, crebro, non raro* ſunt eadem: it. *centies, ſexcenties, millies*; at hoc eſt *longe ſaepiſſime*, nec v. c. de iis rebus, quae vix *decies, vicies* etc. factae ſunt, dici poteſt; v. c. *millies nundinas Lipſienſes obiit pater meus* ridicule dicatur.

13) *Aeque* ſeq. *ac* ſ. *atque*, et *non minus quam eben ſo wohl als* ſunt eadem, ac ſaepe occurrunt, v. c. *amo te non minus quam patrem:* ſic pro *aeque parum ac* rectius dicitur *non magis quam eben ſo wenig als:* ſic enim priſci, v. c. *amas me non magis quam fratrem, du liebeſt mich eben ſo wenig als* etc.

14) *Utrum* ſ. *ne* ſeq. *an:* vel omiſſo *utrum* ſ. *ne:* v. c. *utrum pater* ſ. *paterne fecit an frater?* et *pater an frater fecit?* ſic *neſcio, utrum pater* ſ. *paterne an frater fecerit*, et *neſcio, pater fecerit an frater.*

15) Pro *primo, ſecundo, tertio* etc., quae vulgo (ſed male, ſunt enim Ablativi) pro adverbiis habentur et per ſe non male uſurpari poſſunt, uſitatius dici *primum, deinde, tum*, ac, ſi ulterius numerus progreditur, *praeterea, inſuper, tum, deinde* etc., et ultimum numerum per *tandem, poſtremo, denique* exprimi jam ſupra c. 7 ſect. 4 p. 301 1) dictum eſt.

II) *Adverbium* pro *nomine ſubſtantivo* conjuncto cum praepoſitione vel adjectivo. V. c.

1) *Prudenter, ſapienter, ſtulte rem geſſit* pro *cum prudentia, ſapientia, ſtultitia.* At illud, ut brevius, ita uſitatius. Sic *ſtudioſe* ſ. *cupide librum legere, mit Eifer, Begierde, ein Buch leſen*, eſt uſitatius quam *cum ſtudio, cum cupiditate.* Sic *ſtudioſiſſime mit dem größten Eifer, diligentiſſime mit größter Sorgfalt*, pro *ſummo* ſ. *omni ſtudio, ſumma* ſ. *omni diligentia*, quod aeque recte dicitur. Sic *aliter* pro *alio modo; ita, ſic*, pro *tali modo*: v. c. *rem aliter egit ac* etc., *er hat die Sache auf eine andre Art* etc.: *ita vir clariſſimus a teterrimo homine acerbiſſima morte eſt affectus*, Sulp. in Cic. Epp. ad Div. IIII, 12, *auf dieſe Art iſt der große Mann — auf eine erbämliche*

Art umgebracht worden. — Pertinent huc plura, quae vernacule per ſubſtantiva vulgo explicantur, v. c. *vere dicere poſſum, ich kann in Wahrheit* ſ. *mit Grunde der Wahrheit ſagen: liquido jurare, confirmare mit gutem Gewiſſen ſchwören, verſichern: conſiderate aliquid agere, etwas mit Ueberlegung thun;* ſic *callide mit Liſt: miſere perire auf eine klägliche Art umkommen: male ſedulus auf unrechte Art ämſig: liber ſubtiliter ſcriptus, ein mit Gründlichkeit geſcriebenes Buch,* et ſic porro.

2) Notentur *hic, iſtic, illic* pro *hoc in loco, iſto in loco, illo in loco; huc, iſtuc, illuc* pro *in locum hunc, iſtum, illum; hinc, iſtinc, illinc* pro *ex loco hoc, iſto, illo.* Hae particulae in epiſtolis Ciceronis ita uſurpantur, ut *hic, huc, hinc* de *loco eo, ubi ſcribens epiſtolam degit,* ponatur; *iſtic, iſtuc, iſtinc* de *loco eo, ubi amicus eſt, ad quem epiſtola mittitur;* et *illic, illuc, illinc* de tertio quodam loco. Quando v. c. Briga Lipſiam ſcribo, poſſum ita loqui: *quid hic agatur, alio tempore tibi ſcribam, nunc velim ſcire, quid iſtic actum ſit;* ubi *hic* eſt *Brigae, iſtic* eſt *Lipſiae:* porro: *nuper iſtinc* (i. e. Lipſia) *huc* (i. e. Brigam) *venit homo quidam, ſed mox hinc* (i. e. Briga) *iſtuc* (i. e. Lipſiam) *rediit.* At, ſi *Dresdae* mentionem in eadem epiſtola injicio, ita loqui debeo: *ſi ſcripſeris Dresdam, ſcribas mihi, quid illic,* i. e. Dresdae, *fiat et an illuc,* i. e. *Dresdam, profecturus et quando illinc,* i. e. Dresda, *iſtuc,* i. e. Lipſiam, *rediturus ſis.* Sic Cicero ſemper, v. c. ad Div. III, ep. 10 §. 11 e Cilicia provincia Romam ad Appium ita ſcribit: *illud pugna et enitere, ut, cum hic tibi ſatisfecerimus, iſtic quoque noſtram in te benevolentiam navare poſſimus: hic* i. e. *in provincia mea, iſtic* i. e. *Romae:* ad Div. VI, ep. 16 extr. *prius hic* (Romae) *te nos, quam iſtic tu nos videbis: iſtic* i. e. *in tuo loco in deiner Gegend:* ad Div. XIIII, ep. 14 extr. Cicero Romam ſcribens: *ſcribite et vos, quid agatis, et quid iſtic* (Romae) *agatur:* ſic *iſto* i. e. *ad te,* ad Div. VIIII, ep. 16 §. 22 *licet modo iſto venire.* Sic et *iſte* ſaepe de rebus, quae *iſtic* i. e. in loco amici ſunt vel fiunt: v. c. *iſtae res* etc. Cic. ad Div. VIIII, ep. 17 in. *Non tu homo ridiculus es, qui — ex me quaeris, quid de iſtis municipiis et agris futurum putem* h. e. *municipiis et agris,* qui ſunt in ea regione, *ubi tu es, was mit den Municipien und Ländereyen in deiner Gegend werden wird.* XIII, ep. 65 extr. *ex tota tua provincia omnique iſto imperio* etc.

3) In primis huc pertinet *ita,* quod poni ſaepe poteſt a) pro *hac conditione,* ſeq. *ſi* vel *ut,* v. c. Cic. ad Div. XV, ep. 20 §. 2 *Crebris nos literis appellato, atque ita, ſi idem fiat a nobis*

bis h. e. *ſchreibe öfters an mich, und zwar unter der Bedingung, wenn ichs auch thue.* Offic. I, 9 *Nam hoc ipſum ita juſtum eſt, quod recte fit, ſi eſt voluntarium.* Ad Div. XIIII, ep. 9 §. 5 *Scio te omnia facturum, ut nobiscum quamprimum ſis. Sed tamen ita velim, ut ne quid properes* h. e. *hac conditione, doch wünſchte ichs, ſähe ichs gern, unter der Bedingung, daß du nicht eileſt.* Sic dicere poſſum: *dabo tibi librum ita, ut mihi mox reddas* ſ. *ſi mihi mox* etc. b) pro *hoc exitu*, Cic. ad Div. I, ep. 2 §. 7 *ita ſum cum illo locutus, ut mihi viderer animum hominis ab omni alia cogitatione ad tuam dignitatem traducere*, i. e. *habe mit ihm mit ſolchem Erfolge geredet* ſ. *mit der Wirkung* etc. Manil. 3 *Etenim adhuc ita veſtri cum illo rege contenderunt imperatores, ut ab illo inſignia victoriae, non victoriam, reportarent*, h. e. *hoc exitu*: et ſtatim ibid. *Triumphavit Sulla — Murena — ſed ita triumpharunt, ut ille pulſus ſuperatusque regnaret.* c) pro *hac reſtrictione*, ut loquuntur, ſeu *hactenus, mit der Einſchränkung, in ſo fern:* Cic. Roſc. Am. 20 in. *Accuſatores multos eſſe in civitate utile eſt, ut metu contineatur audacia. Verumtamen hoc ita eſt utile, ut ne plane illudamur ab accuſatoribus* h. e. *allein das iſt mit der Einſchränkung* ſ. *in ſo weit nützlich, daß wir auch dabey nicht gänzlich* etc. Supra c. 7 ſect. 2 n. VI, p. 292 diximus hoc *ita ut* quoque per *quidem ſed* explicari poſſe. Recte. Nam varie commutare licet.

III) *Adverbium* pro *adjectivo* ſolo. V. c.

1) *breviter* pro *paucis*: v. c. *breviter rem dicere:* ſic *late* ſ. *fuſe rem explicare* i. e. *multis.*

2) *ita* et *ſic* pro *talis.* V. c. Cic. Roſc. Am. 30 *Sic vita hominum eſt, ut ad maleficium nemo conetur ſine ſpe atque emolumento accedere*, i. e. *ſo iſt das menſchliche Leben beſchaffen*, i. e. *ſo geht es in der Welt: niemand thut etwas Böſes, ohne einen Vortheil* etc. Sic et Terent. Andr. I, 1, 35 *ſic vita erat.* Cic. ad Attic. IIII, ep. 1 non proc. a fine: *ita ſunt res noſtrae.*

3) *heri ſemper lenitas* apud Terent. pro *ſempiterna* pertinet quoque huc; at non imitandum, quia perraro ita priſci; atque ita, ſi recte judicamus, eo abſtinendum eſt.

IIII) *Adverbium* pro *pronomine*, v. c.

1) *cum* pro *quo, qua, quibus*, de *tempore;* v. c. *illo tempore, cum nemo aderat* pro *quo: temporibus iis, cum talia credebantur,*

debantur, in den Zeiten, da man ſolche Dinge glaubte pro *quibus.* Sic ſaepe priſci. Cic. ad Div. X, ep. 3 §. 6 *Scis profecto — fuiſſe quoddam tempus, cum homines exiſtimarent, te nimis* etc. pro *quo homines* etc. Ib. XV, ep. 14 in. *Multi enim anni ſunt, cum ille in aere meo eſt, es ſind ſchon viele Jahre, daß er in meiner Schuld iſt,* pro *ex quibus,* et ſic ſaepius. Utraque ratio bona eſt.

2) *unde* i. e. *a quo, a qua, quibus, e quo, e qua, e quibus,* millies dicitur. Dicere v. c. poſſum: *unde venis? von wem kömmſt du? Homo, unde veniſti* etc. i. e. *der Mann, von dem du gekommen biſt;* ſic *femina, unde veniſti* pro *a qua;* ſic *domus, unde egreſſus ſum;* ſic *res, unde orſi ſumus, die Sache, von der wir angefangen haben;* ſic *unde ſequitur* i. e. *qua ex re ſequitur.* Sic priſcis is, in quem agebatur lege in cauſa privata, dicebatur *unde petitur* h. e. *a quo petitur* ſcil. res poſſeſſa, *an dem man Anſpruch macht wegen etwas, von dem man etwas (gerichtlich) fordert.*

3) *hic* i. e. *hac in re* ſaepiſſime. *Hic videre licet, hierbey kann man ſehen* i. e. *hac in re; hic admonendum puto, bey dieſer Gelegenheit muß ich erinnern;* — ſic et *ubi* i. e. *qua in re;* v. c. *Cajus multa ſcripſit; ubi tamen notandum eſt* etc., *wobey doch zu bemerken iſt* etc.

4) *hinc* i. e. *hac ex parte,* cui reſpondet *illinc* i. e. *ex illa parte.* V. c. Cic. Catil. II, 11 *Ex hac parte pugnat pudor, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc ſtuprum; hinc fides, illinc fraudatio* etc., ubi *hinc* eſt *auf dieſer Seite, illinc auf jener Seite* i. e. ex parte Catilinariorum. *Hinc* et *illinc* arctius junguntur. Liv. XXXII, 10 extr. *Multis hinc atque illinc vulneribus acceptis nox pugnae finem fecit;* ubi *hinc atque illinc* eſt proprie *ex hac atque illa parte* i. e. *ex utraque parte, nachdem man auf beyden Theilen viel Wunden empfangen, ſo machte die Nacht dem Fechten ein Ende.* — Sic pro *illinc* in illa forma repetit ſaepe Livius *hinc,* v. c. I, 13 in. *Tum Sabinae matres — dirimere infeſtas acies, dirimere iras; hinc patres, hinc viros orantes* i. e. *ex hac parte viros, ex illa patres* etc. poſſit et verti: *indem ſie bald ihre Väter bald ihre Männer bathen.* At illud tamen accuratius. III, 23 extr. *Ita bifariam conſules ingreſſi hoſtium fines, ingenti certamine hinc Volſcos, hinc Aequos populantur* h. e. *auf einer Seite die Volsker, auf der andern* etc. ſ. *auf der Seite die Volsker, auf jener die Aequer.*

5) *hinc* pro *ex hac re* ſ. *ex hoc* millies Cicero et alii: v. c. *hinc intelligitur* i. e. *hac ex re, hieraus ſieht man;* pro eo et

inde dicitur ſaepiſſime: *inde ſequitur*, *intelligitur*, *daraus folgt*, *ſieht man.*

6) *ut wie* pro *quo je*, cum ſuperlativo, v. c. in illa formula: *ut quisque eſt doctiſſimus*, *ita ſolet eſſe modeſtiſſimus*, pro *quo quis eſt doctior*, *eo ſolet eſſe modeſtior*, ad verbum eſt: *ſo wie ein jeder ſehr gelehrt iſt*, *ſo pflegt er auch ſehr beſcheiden zu ſeyn.* Formula iſta valde uſitata et ob variationem commendanda eſt.

V) *Adverbium* pro *verbo* interdum. Huc pertinet *ecce*, *en* pro *vide*, *adſpice*, *videte*, *adſpicite*; v. c. *ecce me*, *ecce patrem* i. e. *vide me*, *patrem*; vel etiam *hic ego ſum*, *hic eſt pater* *ſiehe*, *da bin ich*, *ſiehe*, *da iſt der Vater!* Cic. Verr. IIII, 66 *Ecce autem nova turba atque rixa* i. e. *videte autem novam* etc. *da ſehet einmal* etc. Verr. V, 47 *En quod Tyndaritani libenter praedicent* etc. i. e. *videte*, *da ſehet einmal*, *was ſie ſo gern von ſich ſagen.* Sext. 27 extr. *En*, *cur ceteri reges ſtabilem eſſe ſuam fortunam arbitrentur* etc. i. e. *da ſehet ihr*, *warum die übrigen* etc. Dejot. 6 med. *En crimen*, *en cauſa*, *cur regem fugitivus*, *dominum ſervus*, *accuſet* i. e. *da ſiehſt du die Beſchuldigung*, *da ſiehſt du die Urſache*, *warum* etc. Sic ſaepe in epiſtolis. — It. *ecce tibi:* v. c. Cic. Offic. III, 21 *Ecce tibi*, *qui rex populi romani dominusque omnium gentium eſſe concupierit idque perfecerit* i. e. *da ſiehſt du nun einen*, *der* etc. ſ. *da ſiehſt du nun*, *wie er* etc. Sermo eſt de Caeſare. — Poteſt et *ecce*, *en*, uſurpari pro *hic habeo*, *hic eſt*, v. c. alicui quaerenti de libro quodam reſpondere poſſum: *ecce librum iſtum*, *hier habe ich das Buch*, *hier iſt das Buch*; ut Francicum *voici.*

VI) *Adverbium* pro *conjunctione.* Exempla jam ſupra allata ſunt, v. c.

1) *ita* ſeq. *ut* pro *quidem zwar*, v. c. *amo priſcos ita*, *ut recentiores non ſpernam* i. e. *amo quidem priſcos*: *attamen recentiores non ſperno.* Sic ſaepe priſci, v. c. Cic. Catil. IIII, 7 med. *qui* (equites) *vobis ita ſummam* (*den Vorzug*) *ordinis conſiliique concedunt*, *ut vobiscum de amore reipublicae certent* h. e. *qui vobis quidem* — *concedunt*, *attamen vobiscum certant* etc. Poterat perſpicuitatis cauſa *tamen* addi, ut ad Div. V, ep. 21 in. *quod ego ita libenter accipio*, *ut tamen tibi non concedam* h. e. *das ſehe ich nun wohl gern*, *nehme es zwar mit Vergnügen an*, *aber ich gebe dir nichts darin nach.* Cf. c. 7 ſect. 2 n. VI, p. 292.

2) *ut*

2) *ut* adverb. ſeq. *ita* pro *et et*, *tum tum*, *non ſolum ſed etiam*; v. c. Cic. ad Div. XII, ep. 13 §. 10 *Dolabellam, ut Tarſenſes, ita Laodiceni ultro arceſſierunt* i. e. *non ſolum Tarſenſes, ſed etiam* etc. ſ. *et Tarſenſes et Laodiceni.* Sic creberrime. At not. ſemper ſimilitudo vel comparatio debet cogitari poſſe.

SECT. VII

De commutatione praepoſitionum.

Praepoſitiones commutantur:

I) *Inter ſe.* V. c.

1) pro *apud* ſaepe ponitur *juxta, ad, propter*, ſi ſignificat *bey*, i. e. *neben, dabey:* v. c. *eſſe ad urbem bey der Stadt ſeyn, juxta* ſ. *propter viam beym* ſ. *am Wege. Penes bey* indicat ſaepius vel aliquam rei *poſſeſſionem* vel *poteſtatem*, v. c. *penes me eſt* i. e. *in poteſtate mea eſt, es ſteht bey mir.* Cic. Agr. II, 19 extr. *eos agros, quorum adhuc penes Cn. Pompejum omne judicium et poteſtas, more majorum debet eſſe* etc. Or. 41 extr. *ſin ea* (eloquentia) *non modo eos ornat, penes quos eſt* etc. h. e. *qui eam tenent.* Add. Verr. IIII, 29 *quae ſua penes illum* i. e. *Verrem eſſent, die beym Verres von ihm wären*, h. e. *quae Verres ipſi abstuliſſet.* — Pro *apud* uſurpatur *cum*, ſi rei praeſentia propior indicatur, v. c. *habitat mecum* i. e. *er wohnt bey mir* h. e. *in eadem domo. Habeo pecuniam mecum, ich habe Geld bey mir* h. e. *in mea veſte.* Sic ſemper dicendum.

2) pro *ante* poni poteſt quoque a) *ob;* v. c. *ob oculos verſari* i. e. *ante oculos.* Sic *ob oculos ponere, vor Augen ſtellen.* b) *prae*, v. c. *prae ſe ferre, vor ſich hertragen*, hinc eſt *declarare, aperte profiteri*; it. *prae ſe agere* v. c. *armentum*, Liv. I, 7 *qua prae ſe armentum agens nando trajecerat* etc. i. e. *ante ſe.* c) *pro*, v. c. Cic. Phil. III, 11 *ſedens pro aede Caſtoris dixit* i. e. *ante aedem.* Caeſ. B. G. VII, 70 *legionesque pro caſtris conſtituit* i. e. *ante caſtra*; et ſtatim *legiones Caeſar, quas pro vallo conſtituerat* etc. et c. 71 in. *copias ſuas, ut pro caſtris collocaverat;* unde intelligitur, Romanis in hac commutatione fere idem accidiſſe, quod nobis in uſu particularum *vor* et *für* accidit: hae duae particulae, ut priſca monimenta teſtantur, proprie eaedem ſunt atque a majoribus pro iisdem habitae, donec recentiores, diſtinguendi

 cupidi,

cupidi, ob majorem, ut putabant, perſpicuitatem *vor* et *für* vocabula a ſe diverſa eſſe edixerint et ſtatuerint.

3) pro *circiter* in numeris incertis ſaepe ponitur *ad*, ut nobis *bey*, v. c. *ad duo millia* i. e. *circiter duo millia bey* ſ. *an zweytauſend.* Saepe ita *Cicero*, *Caeſar*, *Livius.* Cicero ad Qu. fratr. II, ep. 1 non proc. ab in. *Sane frequentes fuimus: omnino ad ducentos* h. e. *gegen zweyhundert.* Ad Attic. I, 14 med. *homines ad quindecim Curioni nullum ſenatus conſultum facienti aſſenſerunt*, *gegen funfzehn* etc. Cluent. 40 in. *cum annos ad quinquaginta natus eſſet.* Liv. X, 17 *ad duo millia et trecenti occiſi* etc. Caeſ. B. G. II, 33 *Occiſis ad hominum millibus quatuor* etc. ac ſaepius; ubi notes, *ad* ſine ſuo caſu poni tanquam adverbium.

4) pro *contra* poni poteſt non modo *adverſus*, ſed etiam ſaepe *in.* Cic. Offic. I, 9 in. *quod apud Platonem eſt in philoſophos dictum* etc. i. e. *contra*, ſic ſaepius, v. c. *odium in aliquem* recte dicitur. — Interdum et pro *contra* dici poteſt *praeter*, v. c. *praeter conſuetudinem*, *wider Gewohnheit*; *praeter ſpem*, *opinionem*, *wider Hoffen*, *Vermuthen:* ſic ſexcenties. It. *praeter voluntatem*, *wider ſeinen Willen.* Cic. Catil. II, 7 extr. *Cum ei nihil adhuc praeter ipſius voluntatem cogitationemque acciderit* etc. It. *praeter naturam et fatum.* Cic. Phil. I, 4 *Multa autem impendere* (mihi) *videntur praeter naturam praeterque fatum.*

5) pro *erga gegen* poni poſſe *in*, *adverſus*, vel pueris notum eſt. V. c. *amor erga te, in te, adverſus te.* Haec eadem ſunt.

6) pro *ex* interdum *de*; v. c. *unus ex civibus* et *de civibus*; *homo ex plebe* et *de plebe* etc. Sic ſaepiſſime occurrit.

7) pro *de* interdum *ſuper*; v. c. *ſuper hac re multa ſcripta ſunt* h. e. *de hac re*, ut noſtri: *hierüber iſt viel geſchrieben worden.* Sic ſaepe dicitur.

8) pro *inter* poni poteſt *in*; v. c. *in doctis numerari* h. e. *inter doctos*; *in diis referri* i. e. *inter deos;* — it. *de* et *ex*, v. c. *e graecis doctiſſimus* ſ. *de graecis* etc. h. e. *inter graecos* ſ. *graecorum.* Haec omnia recte dicuntur.

9) pro *poſt nach* poni poteſt a) *ex;* v. c. *ex hoc tempore*, *nach dieſer Zeit*; *ex quo ſeit dem*, ſaepiſſime. Cic. Mur. 7 *Cum ampliſſime atque honorificentiſſime ex praetura triumphaſſet*, h. e. *poſt praeturam.* Sic ſaepius. b) *a*; notum eſt *a meridie* i. e. *poſt meridiem.* Cic. Senect. 6 *Cujus a morte hic tertius et triceſimus eſt annus*, *dieſes iſt nach* ſ. *ſeit ſeinem Tode das drey und dreyßigſte Iahr*; poteſt tamen et verti *von ſeinem Tode an zu rechnen.* Sic Phil. II, 41 in. *Ab hora tertia*

tia bibebatur, ludebatur, vomebatur, nach drey Uhr, s. *von drey Uhr an, wurde getrunken* etc. Liv. XLIIII, 34 *Ab his praeceptis concionem dimisit* i. e. *post haec praecepta, quae dederat concioni.* Ib. c. 45 extr. *Ab hac direptione cum per tumultum naves conscenderent* etc. i. e. *post hanc direptionem.* Sic et nos interdum: *vom Essen geht er ins Bette* etc. i. e. *alsbald nach dem Essen.* c) *secundum.* Sic saepe Cicero, Livius; v. c. Cic. Act. I in Verr. 10 *Secundum Kalendas Ianuar.* i. e. *post*; ibid. *secundum quos* (ludos) *aut nulli aut pauci dies ad agendum futuri sunt* i. e. *post quos.* Sic ib. c. 11 *tua ratio est, ut secundum binos ludos mihi respondere incipias,* h. e. *post binos ludos*, s. *binis ludis interjectis*, ut Verr. I, 11 de eadem re dixit. Et sic saepius.

10) pro *pone* saepissime *post;* v. c. Sall. Iug. 19 *Post eos* (Gaetulos) *Aethiopes esse, hinter ihnen wohnen die* etc. — It. *secundum*, ut per se intelligitur, v. c. Sulpic. ad Cic. in epp. ad Div. IIII, ep. 12 *Duo vulnera accepisse — alterum in capite secundum aurem* i. e. *hinter dem Ohre.*

11) pro *secundum nach* dici potest a) *pro;* v. c. *pro dignitate nach Verdienst, pro tua prudentia nach deiner Klugheit;* b) *de*; v. c. *de mea sententia nach meiner Meynung;* c) *ex;* v. c. *ex aequo nach der Billigkeit; ex lege fecit, vixit, nach dem Gesetze, nach der Vorschrift* etc. d) *ad;* v. c. *ad nutum alicujus se fingere et accommodare.* Sic Cic. Or. 8. It. *Loqui ad voluntatem, reden, wie es der andre haben will, nach seinem Willen.* Sic Cic. Amic. 25 in. *Hominum — ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem*, i. e. *secundum voluntatem, secundum veritatem.* Add. ibid. c. 5 med. *Nunquam ego dicam, Fabricium, Curium — ad istorum normam fuisse sapientes.* Ac saepius.

12) pro *ob* s. *propter* poni potest a) *per* in precibus; v. c. *rogo te per deum.* Sic semper dicendum. b) *pro vermöge, nach;* v. c. *pro amicitia nostra illud facias, rogo* i. e. *propter amicitiam, um unserer Freundschaft willen.* Sic *pro tuo in me amore* etc. Sic saepissime. c) interdum *prae;* v. c. *prae gaudio, prae lacrymis, loqui non possum, ich kann vor Freude, vor Thränen, nicht reden.* Sic saepissime. d) interdum *ad;* v. c. Liv. I, 7 *Inde cum actae boves quaedam ad desiderium, ut fit, relictarum mugissent* etc. i. e. *ob desiderium, aus Sehnsucht nach den hinterlassenen* etc. VI, 27 *Et ad Praenestini famam belli novas legiones scribendas patres censuerant* i. e. *propter Praenestini belli famam* etc., potest tamen et esse *post, auf das Gerücht;* Caes. B. Civ. II, 31 extr. *Vobis beneficium remitto, — ne ad contumeliam honorem dedisse videamini*

deamini i. e. *propter contumeliam*; ut noſtri *zur Beſchimpfung*, *zur Schmach*. Ib. III, 11 *Atque mutatis ad celeritatem jumentis ad Pompejum contendit* h. e. *ob celeritatem*, *ut celeriter proficiſci poſſet*. Sic ſaepius.

13) pro *ſuper über* in his formis *per* dici debet: *per campum fugere übers Feld fliehen*, *per agros currere über die Aecker laufen*. Sic *per montes iter facere*, *per medios montes ducere die Armee über die Gebirge führen*, *per forum ferre über den Markt tragen* etc. Sic ubique dicendum. — Not. etiam *per gradus dejicere*, *über die Treppe* ſ. *die Treppe hinab werfen*, eſt Liv. I, 48. Nec aliter dici poteſt. — Etiam pro *ſuper auf* debet *per* dici in hac ſimilique forma: *auf den Feldern herum laufen*, *per agros diſcurſare*, *per agros vagari*; poſterius eſt v. c. Liv. XXXI, 21.

14) pro *verſus gegen* (an praepoſitionis nomen mereatur, hic non quaeritur) poteſt ſaepe *ad* dici; v. c. *tendere*, *proficiſci*, *urbem verſus* et *ad urbem*. — Not. tirones: *ad urbem ire*, ergo et *ad Romam ire* ſ. *contendere*, non eſſe *in urbem ire*, ſed *urbem verſus auf die Stadt zu gehen*. *Romam ire* eſt *nach Rom gehen* h. e. velle intrare Romam: *ad Romam ire auf Rom zu gehen*, licet non velis intrare: ut adeo praepoſitio *ad* non fruſtra ponatur.

II) *Praepoſitiones* poni poſſunt pro *ſubſtantivis nonnullis*:

1) *a* ponitur ſaepe a) pro *a parte* ſ. *a partibus auf der Seite*, *Partey*; v. c. *ſtare ab aliquo es mit jemanden halten*, *auf ſeiner Seite ſeyn*, eſt pro *ſtare a partibus alicujus*. Sic *a fronte von vornen*, *a tergo von hinten* etc., pro *a parte frontis*, *tergi*, *auf der Seite der Stirn*, *des Rückens*, proprie. Sic in aliis. b) pro *ratione in Anſehung*; v. c. *firmus a peditatu*, *ſtark in Anſehung des Fußvolks*; *ab omni re paratus* i. e. *bereit*, *in Anſehung eines jeden Dinges*, brevius *mit allem verſehen* Et ſic in aliis.

2) *ad* ponitur a) pro *in comparatione*, ut vulgo loquuntur; v. c. *nihil ad Perſium* Cic. Or. II, 6 i. e. *er iſt nichts in Vergleichung mit dem Perſius*. Sic rectius quam: *in comparatione*, quod dicendum non eſt. b) pro *ratione in Anſehung*; v. c. Cic. Catil. I, 5 *Faciam id, quod eſt ad ſeveritatem lenius et ad communem ſalutem utilius* h. e. *ratione ſeveritatis*, *ratione communis ſalutis*; et ſic *ad* puto in omnibus locis, ubi poſt adjectivum ponitur, explicandum eſſe, v. c. *hoc eſt ad fructum uberrimum*, *ad conſtantiam firmiſſimum*, *ad poenitentiam ſtabile*, h. e. *hoc eſt uberrimum ratione fructus*, *firmiſſimum ratione conſtantiae*, *ſtabile ratione poenitentiae*. Imo in

illa formula: *nihil ad Perſium*, ſic quoque explicari poteſt: *nichts in Anſehung des Perſius* h. e. *in Vergleichung* ſ. *gegen den* etc. Item in aliis, ut forſan ita notiones illius particulae paulo pauciores reddi poſſint. Et philologorum officium eſſe puto notiones vocabulorum potius pauciores reddere quam multiplicare.

3) *contra gegen über* pro *e regione*; v. c. *contra Italiam, contra Africam*, *Italien gegen über* etc.

4) *de* pro *ratione* ſ. *quod attinet*; v. c. *de libro*, *quem a me poſcis*, *ſcito*, *me illum a te non accepiſſe*, *in Anſehung des Buchs* ſ. *was das Buch anbelangt* etc. Sic ſaepiſſime priſci; v. c. Cic. ad Div. I, ep. 1 §. 6 *Hortenſii et mea et Luculli ſententia cedit religioni de exercitu* i. e. *ratione exercitus;* II, ep. 17 §. 3 *De rationibus referendis*, *non erat incommodum, te nullam referre*, h. e. *quod ad rationes attinet* etc. III, ep. 12 §. 3 *De me autem ſuscipe paulisper meas partes*, *et eum te eſſe finge*, *qui ſum ego*, h. e. *in Anſehung meiner* ſ. *was mich aber betrifft* etc. IIII, ep. 15 extr. *Quod de te ſperare*, *de me praeſtare*, *poſſum; de te*, *de me* i. e. *ratione mei*, *tui*. Nos vero etiam hic dicimus: *und das kann ich von dir hoffen, von mir gewiß verſichern.*

5) *ex* pro *per occaſionem*, *nach Masgebung*, *auf Veranlaſſung*; v. c. Cic. ad Div. II, ep. 15 §. 2 *Quid ſi meam* (epiſtolam) *legas*, *quam ego tum ex tuis literis miſi ad Appium? welchen ich auf Veranlaſſung deines Briefs an den Appius geſchrieben habe.* Planc. ep. ad Cic. in Epp. ad Div. X, ep. 4 in. *Gratiſſimae mihi tuae literae fuerunt*, *quas ex Furnii ſermone te ſcripſiſſe animadverto* i. e. *auf Veranlaſſung der Worte des Furn.* Explicant alii *ſecundum;* quod fere eodem redit: at illud dilucidius puto.

6) *pro* ponitur a) pro *loco anſtatt*, quod notum eſt ſatis; v. c. *miſit mihi Homerum pro Virgilio ſtatt des Virgils;* b) pro *ad defenſionem;* v. c. *dicere pro aliquo* eſt *dicere in defenſionem alicujus*, *defendere oratione.* Nil notius. V. c. Cicero dixit *pro Roſcio* etc. *Oratio habita pro Murena* etc. Et ipſae hae orationes ſic inſcribuntur: *oratio pro Roſcio, Cluentio*, *Archia*, *Milone* i. e. *Rede zur Vertheidigung des Roſcius*, *Cluentius*, *Archias* etc.

7) *prae* ponitur libenter pro vulgari *in comparatione;* v. c. *licet ſis miſer*, *tamen prae me felix es*, *ſo biſt du doch glücklich gegen mich* ſ. *in Vergleichung mit mir.* Conf. ſequ.

III) *Praepoſitio* pro *verbo* et quidem fere participio, vel etiam adjectivo. V. c. *clam patre* i. e. *patre ignorante* ſ. *inſcio;*

ſcio; *coram rege hoc dixit* i. e. *rege praeſente* ſ. *cum rex aderat*; *profectus ſum Berolinum cum multis amicis*, *in Begleitung vieler Freunde* pro *comitantibus multis amicis*. *Amiſi omnia*, *praeter libros* i. e. *libris exceptis*; *ſum felix prae te* i. e. *ſum felix*, *tecum comparatus* ſ. *ſi me tecum comparo*, *in Vergleichung mit dir*, *wenn ich mich mit dir vergleiche*. — Cicero etiam *cum* poſuit pro *indutus*. Verr. IIII, 24 *In hac officina — cum tunica pulla ſedere ſolebat et pallio*, *ſaß in der Werkſtatt in einer ſchwarzen Weſte*. Ibid. c. 34 *Erat admodum amplum et excelſum ſignum* (Dianae) *cum ſtolā*. Sic *cum toga pulla*, Cic. Vat. 13. — Add. *per id bellum*, *per iſtas inducias* pro *dum bellum id gerebatur*, *dum iſtae induciae erant*, *während daß dieſer Krieg geführet wurde*, *durante illo bello*, *währendes Waffenſtillſtandes*. Sic ſexcenties. Noſtri tamen itidem: *dieſen Krieg hindurch* etc.

IIII) *Praepoſitio* pro *conjunctione*. Hic notabo, *cum* ſaepe pro *et* poni poſſe; v. c. *pater cum matre profectus eſt* pro *et mater*; *ego cum fratre id egi* pro *ego et frater*. Haec commutatio interdum neceſſaria eſt, ut nimia frequentia particulae *et* vitetur; quae perſpicuitati officere poteſt, ac ſimul ſuavitati.

SECT. VIII

De commutatione conjunctionum.

Conjunctiones commutari ſaepe ſolent:

I) *Inter ſe*; ubi haec dabo exempla:

1) *Et*, *ac*, *que*, *atque* inter ſe commutari poſſunt ac ſaepe debent perſpicuitatis et ſuavitatis cauſa. V. c. *et* non repeti debet, niſi arctiſſime cohaeret cum priori *et* poteſtque utrumque explicari per *non ſolum ſed etiam* ſ. *aeque ac*, *ſowohl als auch*. Recte hinc dixit Cic. Roſc. Am. 8 in. *Cum jam proſcriptionis mentio nulla fieret*, *et cum etiam*, *qui antea metuerant*, *redirent*, *ac jam defunctos ſeſe periculis arbitrarentur* etc. Recte pro *et jam defunctos* etc. Sic nolim dicere: *pater et mater et vivunt adhuc et recte valent*, ſed *pater ac mater* etc., quia primum illud *et* cum ſequentibus duobus non cohaeret; atque ita lectoris animum turbare poſſit. Omninoque omnis nimia frequentia iſtius particulae, ut omnium vocabulorum, vitanda eſt; v. c. non dixerim:

rim: *hanc rem et omnes et docti et indocti et laudant et admirantur;* nec ita: *cum et cum viro et claro et docto locutus essem et vidissem, eum et mecum sentire et me amare, et gavisus sum valde et ei gaudium meum declaravi;* nec ita: *cum hanc egregiam rem et vidissem et pro dignitate laudassem, et miratus sum et alios posse eam improbare et te maxime, et valde dolui.* Omnia per se recta: sed omne nimium vertitur in vitium; nec fieri potest, quin aliqua confusio oriatur. Hic itaque *ac*, *atque*, it. *que* immiscendum, vel alia mutatione utendum, v. c. *cum hanc egregiam rem et vidissem et pro dignitate laudassem, tum miratus sum — tum valde dolui.* — Prisci interdum peccant in nimis multiplicando *τῷ et;* sed hoc imitandum non est. — Notandum quoque *ac* non debere poni ante vocalem, v. c. *ac ille, ac ego;* pro quibus v. c. dicendum *atque ille, egoque* etc.

2) *At, verum, vero, autem* sunt synonyma. *At* in primis usurpatur de re graviori, vel praecedentibus opposita: hinc in objectionibus: v. c. *at hoc est fictum*, pro *objici possit, hoc fictum esse.* — Notandum etiam *neque vero* libentius dici quam *neque autem.*

3) *Aut* et *vel* sunt eadem et usurpantur de diversis rebus, v. c. *Pallas aut Iuno; penna vel mensa;* — *sive seu* de eadem re diversi tantum nominis, v. c. *Pallas seu Minerva, Apollo sive Phoebus.*

4) *Ut ne* saepe pro *ut non*, v. c. Cic. Rosc. Am. 20 *Verumtamen hoc ita necessarium est, ut ne plane illudamur ab accusatoribus.*

5) Pro *et*, enuntiationi consecutionem effectumve praecedentium indicanti praefixa, saepe dici potest *ut* praecedente *tam, ita;* v. c. pro *deus est valde benignus, et dat nobis beneficia quotidie* etc. rectius dicitur: *deus est tam benignus, ut nobis det* etc. Sic vernacula: *wie könnte ich so unhöflich seyn, und dir das abschlagen? Du bist so gütig gewesen, und hast mir das Buch geschickt: sey so gütig und hilf mir,* ita verti debent: *quomodo possim ita inhumanus esse, ut tibi hoc denegem? Tu tam benignus fuisti, ut mihi librum mitteres; sis tam benignus, ut opem mihi feras.* Perperam hic dicatur: *quomodo possim ita inhumanus esse et denegare* etc. *Tu fuisti tam benignus et misisti mihi* etc. *Sis tam benignus et feras* etc. Hoc est theodisce, non latine, loqui.

6) Pro *nam* poni interdum potest *ut*, ad enuntiationes arctius copulandas, praecedente *tantus, ita* etc.; v. c. pro *in magna versor perturbatione: nam nescio, quid faciam, quo confugiam* etc. ita dici possit: *in tanta perturbatione versor,*

ut,

ut, quid faciam, quo confugiam, nesciam. Multa loca priscorum, in quibus *ut* est, per *nam* explicari possunt, v. c. Caes. B. G. II, 27 in. *Horum adventu tanta rerum commutatio est facta, ut nostri etiam, qui vulneribus confecti procubuissent, scutis innixi, praelium redintegrarent,* pro *horum adventu magna rerum commutatio est facta: nam nostri — redintegrabant.* — At haec mutatio τȣ *nam* in *ut* tum demum fieri potest, cum aliquid indicatur, quod e praecedenti ortum sit. Neque ergo negandum, hoc posse quoque per *et* explicari, ut in praecedenti observatione: *horum adventu magna commutatio est facta, et nostri — redintegrabant;* ut vel hinc appareat, quam variis ex partibus locus aliquis considerari quamque varie, salvo tamen sensu, explicari vertique possit.

7) Pro *itaque* s. *ergo* poni potest interdum *ut;* v. c. *tam parum me amas, ut non mirari debeas, te* etc. pro *amas me parum: itaque non mirari debes;* — ac sine *tam*, *ita:* v. c. *Egregie rem egisti, ut facile appareat, quantum sapientia efficere possit* pro *itaque apparet* etc.: add. quae de commutatione τȣ *ut* cum *hinc* paulo post n. III, p. 370 3) dicentur.

8) Pro *quidem* saepissime vel potius fere semper dicitur *etsi, quamquam, licet* etc.; v. c. pro *non possumus quidem omnia efficere; attamen omnes mentis nervos intendere debemus,* ita dicitur: *quamquam non omnia efficere possumus, tamen* etc. Sic millies Cicero, et omnes prisci; v. c. Cic. ad Div. V, ep. 16 in. *Etsi unus ex omnibus minime sum ad te consolandum accommodatus, quod tantum ex tuis molestiis cepi doloris, ut consolatione ipse egerem: tamen, cum longius a summi luctus acerbitate meus abesset dolor quam tuus, statui nostrae necessitudinis esse meaeque in te benevolentiae, non tacere tanto in tuo moerore tamdiu* etc. pro *sum quidem* etc., *ich bin zwar unter allen am wenigsten geschickt, dich zu trösten, weil ich mich über dein Unglück so sehr betrübe, daß ich selbst Trost nöthig habe. Allein, da meine Betrübniß doch nicht so sehr heftig, als deine* etc. Sic ib. ep. 18 in. *Etsi egomet, qui te consolari cupio, consolandus ipse sum, propterea, quod nullam rem gravius jam diu tuli, quam incommodum tuum: tamen* etc. pro *egomet quidem — incommodum tuum; attamen* etc. Sic VI, ep. 1 est quater §. 1, 2, 3 et 4, ut appareat, quam studiose Cicero *etsi* pro vulgari *quidem* ponere soleat. Nec quidquam est, quod magis tironibus, quam haec commutatio, commendandum videatur. Hinc saepissime *etsi, licet* etc. per *zwar* verti debet; et, quamquam interdum per *obschon* verti potest, tamen sunt loca,

ubi

ubi perſpicuitas et ordo enuntiationum laeditur, niſi per *zwar* vertas; in primis ubi *poſtquam*, *cum*, aliave particula temporis vel etiam cauſalis praeceſſit, v. c. Cic. ad Div. III, ep. 6 in. *Cum meum factum cum tuo comparo, etſi non magis mihi faveo in noſtra amicitia tuenda quam tibi: tamen multo magis meo facto delector quam tuo*, h. e. *wann ich mein Betragen mit deinem vergleiche, ſo begünſtige ich zwar bey Unterhaltung unſerer Freundſchaft mich nicht mehr als dich* ſ. *dich eben ſo wohl als mich* (h. e. *ich ſuche dich und mich ſo gut als möglich zu entſchuldigen*): *aber ich muß doch bekennen, daß mir mein Betragen mehr gefällt als deines.* Cicero, qui habebat, quod valde cum Appio conquereretur, humaniſſime ibi loquitur, illiusque factum inhumaniſſimum tecte carpit. — Ibid. §. 2 *Cum ille mihi reſpondiſſet, nihil me tibi gratius facere poſſe, quam ſi ad Sidam navigaſſem; etſi minus dignitatis habebat ille adventus et ad multas res mihi minus erat aptus: tamen ita me dixi eſſe facturum.* Nec hic *etſi* verti poteſt *obgleich*, *obſchon*, niſi omnia vis perturbare; ſed ſic vertendum: *da er mir geantwortet hatte, daß ich dir keinen größern Gefallen thun könnte, als wenn ich nach Sida zu ſchiffete: ſo war zwar eine ſolche Ankunft* (in die Provinz) *mit nicht ſonderlichem Anſehen verbunden, und paßte zu vielen Dingen nicht ſonderlich; ich ſagte aber deſſen ungeachtet, daß ichs thun wollte.*

9) *Etſi*, *tametſi*, *quamquam*, *quamvis*, *licet*, ſunt ſynonyma; interdum et pro iis *cum da* uſurpari poteſt, in primis ſequente *tamen.* V. c. *cum librum acceperit, tamen negat ſe accepiſſe.* Hic ſive vertas *da* ſive *ob er gleich das Buch* etc., res eodem redit. Cic. Roſc. Am. 22 *Haec cum ſint omnia, tamen exſtent oportet expreſſa ſceleris veſtigia* etc. i. e. *obgleich dieß alles ſo iſt* ſ. *obgleich alle dieſe Umſtände vorhanden ſind, ſo müſſen doch deutliche Spuren des Vatermordes ſichtbar ſeyn* etc. Poteſt tamen etiam *cum* ibi verti *wenn*, ut contextus docet: *wenn das auch alles ſo wäre* ſ. *wenn auch alle dieſe Umſtände da wären* etc., et forſan ita rectius. — *Etiamſi* non eſt i. q. *quamquam*, ſed eſt pro *ſi etiam wenn auch*; v. c. *facerem hoc, etiamſi ſcirem cum periculo conjunctum eſſe, ich würde es thun, wenn ich auch wüßte, daß Gefahr dabey wäre.* Priſci non facile dicunt *ſi etiam.* — Huc pertinet *ut*, quod ſupra c. 2 ſect. 17 B, 1 p. 157 diximus eſſe non i. q. *etſi obgleich*, ſed *geſetzt daß.* Interdum tamen *ut* et *etiamſi* cum *etſi*, *quamquam*, commutari poſſe patet, quia *geſetzt daß*, *wenn auch*, interdum eſt idem quod *obgleich.*

10) *Quodsi* pro *si* poni poteſt: at 1) requirit tum ante ſe interpunctionem maximam; 2) debet aliquid praecedere, cum quo quodam modo cohaereat. Sic et *quod nisi* saepe pro *nisi* ab initio periodi, praecedente ſententia aliqua, cum qua cohaeret. Ergo vel ab initio libri, epiſtolae etc. vel in media ſententia ſ. enuntiatione ponere ſtultum foret. Cf. ſupra p. 58 f) inprimis infra c. 9 ſect. 4 n. II.

II) *Conjunctio* pro *verbo*: 1) *nisi*, praecedente vocabulo negativo, v. c. *nihil habes, nisi domum, du haſt weiter nichts als das Haus*, pro *excepta domo. Nemo hoc efficere potuit, nisi pater, als der Vater*, pro *excepto patre* ſ. *si patrem excipis, si a patre discesseris.* 2) *ut* pro *fac, pone, finge, faciamus, ponamus, fingamus*, i. e. *geſetzt* ſ. *wir wollen einmal ſetzen*, v. c. *ut iſtud ſe habeat, tamen pauci erunt, qui credant, geſetzt, dieß verhielte ſich auch ſo, ſo werden es doch wenige glauben: ut habeas omnes divitias terrae, tamen per eas neque ingenium neque doctrinam tibi comparare poſſis, geſetzt, du hätteſt alle Reichthümer der Welt, ſo würdeſt du dir doch nicht durch ſie können* etc.

III) *Conjunctio* pro *adverbio.* V. c.

1) *Neque* pro *non*, ab initio totius ſententiae; de quo ſupra c. 7 ſect. 3 n. II p. 297 b): v. c. *neque vero, neque enim, neque tamen.*

2) *Et duplicatum* pro *non ſolum ſed etiam;* it. *cum tum* ſ. *tum tum.* Cf. c. 7 ſect. 1 n. I, p. 281 1).

3) In primis huc pertinet *ut* pro *hinc, unde, inde*, v. c. verba haec: *frater tuus felici eſt ingenio: hinc non mirum, eum alios doctrina ſuperaſſe*, ita commutantur: *frater tuus eſt felici ingenio, ut non mirum ſit* etc., vel addito *tam: eſt tam felici ingenio, ut* etc. Hic uſus eſt apud priſcos frequentiſſimus, vel praecedente *ita, tantus, talis*, vel ſine his vocabulis. V. c. a) praecedentibus iis, Caeſ. B. G. II, 6 *tanta multitudo lapides — jaciebant, ut in muro conſiſtendi poteſtas eſſet nulli*, pro *magna multitudo lapides jaciebant: hinc in muro conſiſtendi poteſtas erat nulli, daher konnte man nicht mehr auf der Mauer ſtehen bleiben.* Ibid. c. 35 in. *His rebus geſtis, omni Gallia pacata, tanta hujus belli ad barbaros opinio perlata eſt, ut ab nationibus, quae trans Rhenum incolerent, mitterentur legati ad Caeſarem* etc., pro *magna — opinio perlata eſt: hinc* ſ. *unde ab nationibus — mittebantur legati* etc. It. VI, 41 in. *ac tantus fuit etiam poſt diſceſſum hoſtium terror, ut ea nocte, cum C. Voluſenus miſſus cum*

equi-

equitatu ad castra venisset, fidem non faceret, adesse cum incolumi Caesarem exercitu, pro *ac magnus fuit — terror: hinc — fidem non faciebat* etc. At in omnibus his locis *ut* melius est quam istud *hinc*, quia connexio arctior fit. b) sine *ita*, *tantus* etc. Cic. ad Div. III, ep. 6 §. 7 *Considera nunc vicissim tuum* (factum). *Non modo ibi non fuisti, ubi me quam primum videre posses, sed eo discessisti, quo ego te ne persequi quidem possem triginta diebus, qui tibi — constituti essent: ut tuum factum, qui, quo animo inter nos simus, ignorant, alieni hominis, ut levissime dicam, et fugientis congressum, meum vero conjunctissimi et amicissimi esse videatur*, pro *hinc tuum factum* etc., *daher dein Betragen denen, die unsere Gesinnung gegen einander nicht kennen, als ein Betragen eines unfreundschaftlichen und unsere Zusammenkunft fliehenden Mannes — vorkommen möchte.* Marcell. 6 *quos cives amisimus, eos Martis vis perculit, non ira victoriae: ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Caesar ab inferis excitaret*, pro *hinc*, *unde* s. *quare, dubitare debet nemo* etc., *daher darf niemand zweifeln* etc. Offic. I, 26 *itaque alter* (Philippus rex Maced.) *semper magnus, alter* (Alexander filius) *saepe turpissimus fuit: ut recte praecipere videantur, qui monent, ut, quanto superiores simus* (sic Edit. Ern., Aliae *sumus*), *tanto nos geramus submissius*, pro *hinc recte praecipere videntur, daher scheint die Regel derer richtig zu seyn, daher scheinen diejenigen Recht zu haben* etc. Vident hic tirones, quam multiplex usus particulae *ut* esse possit, et quam praeclare serviat arctiori connexioni: hinc jam supra c. 7 sect. 2 n. IIII, p. 291 de ea dictum est.

SECT. VIIII

De commutatione interjectionum.

Interjectiones etiam, ut vulgo saltem vocantur (vulgaria enim nomina hic servanda sunt), interdum pro aliis vocabulis poni possunt. V. c. *o me miserum!* pro *quam miser ego sum!* s. *nonne sum miser? O hominem crudelem!* pro *quam crudelis homo hic est!* Et vernacula *wie gütig ist Gott! wie schrecklich den Menschen der Tod!* gravius ita vertuntur: *o deum benignum, benignissimum! o mortem hominibus terribilem!* sic *o hominem in ultimas terras deportandum!* est graviter dictum pro: *nonne hic*

homo dignus eſt, *qui deportetur in* etc. — Add. *heus* pro *audi;* quod eſt noſtrum *he* ſ. *heh;* hinc et apparet, priſcos non pronuntiaſſe *hais*, ut nos, ſed ita, ut *e* audiretur.

Haec hactenus. Plures commutationes vocabulorum lector in priſcis ipſe inveſtigabit et facile deprehendet.

SECT. X

De fontibus quibusdam commutationis vocabulorum.

Addam aliquot genera ſ. fontes iſtius commutationis, ut, ſi forte vocabulum aliquod non ſtatim in mentem veniat, aliud, et interdum aptius, ſumere queamus. Numerus iſtorum fontium, ut puto, facile augeri a quolibet poterit:

I) Saepe poni poteſt *duplex negatio* pro *vocabulo affirmante:* v. c. *non indoctus* pro *doctus: non inferior* pro *par* vel etiam *ſuperior: non par* pro *inferior* vel *ſuperior: non obſcurus* pro *clarus*, *celeber: non contemnendus* pro *magni faciendus*, *praeclarus: non eſt obſcurum* pro *eſt manifeſtum*, *apertum: non neſcio* ſ. *non ignoro* pro *ſcio: non nemo* pro *aliquis jemand* vel *aliquot*, *mancher: nemo non* pro *omnes: nonnulli* pro *aliquot: nonnunquam* pro *interdum: nunquam non* pro *ſemper*: *non nihil* pro *aliquid: nihil non* pro *omne: non ſemel* pro *ſaepe: nusquam non* pro *ubique: haud ſcio an* ſ. *neſcio an* pro *puto: non dubito quin* pro *certo credo* ſ. *mihi perſuadeo*: *non oblitus ſum* pro *recordor: non recordor* pro *oblitus ſum: haud immemor* pro *memor*: *haud ingratus* pro *gratus: non pauci* pro *multi: non multi* pro *pauci: non veto* ſ. *prohibeo* etc. pro *concedo*, *patior: non concedo* ſ. *patior* pro *veto*, *impedio* etc.: *non perdidi rem* pro *conſervavi: non ſperno* pro *amo*, *cupio*, *accipio*, v. c. munus etc.: *non odi* pro *amo: non amo* pro *odi: non parco vitae alicujus* pro *interficio: non negligo officium* pro *ſatisfacio officio: non prodeo in forum* pro *contineo me domi: non difficile eſt* pro *facile eſt: non inhumanus eſt* pro *humanus eſt: non poenitet me ſortis meae* pro *contentus ſum ſorte mea: non diſplicet* pro *placet: non ſine* pro *cum* ſaepiſſime dicitur, v. c. *non ſine laude rem geſſit* pro *cum laude*, et notandum ſaepe

cum

cum non poni posse, at semper *non sine*, v. c. non dixerim: *haec res cum prudentia gesta est*, sed potius: *non sine prudentia* vel *prudenter* etc.

Notandum hic:

a) Interdum negative dicta plus valere affirmative dictis, quod e contextu solo dijudicandum, v. c. *non inferior* potest etiam *superior* esse, *non indoctus* pro *valde docto* poni, quae litotes vocatur. V. c. Livius vocat Polybium *non spernendum auctorem* h. e. *maximae fidei et gravitatis*. Sulpic. ad Cic. in Epp. ad Div. IIII, ep. 12 in. *etsi scio non jucundissimum nuntium me allaturum*, h. e. *tristem*, ut nostri: *nicht die angenehmste Nachricht:* sic *homo non beatissimus*, *nicht der glücklichste*, *wohlhabendste*, *reichste Mann*, i. e. *pauper:* sic Nep. Ages. 8. Verba sunt: *ut hominis non beatissimi suspicionem praeberet.* — At in his omnibus equidem puto semper esse ad verba vertendum: *kein zu verachtender Schriftsteller*, *Erzähler*, *Gewährmann*, *nicht die angenehmste Nachricht*; *nicht der wohlhabendste*, *reichste*: ut ironia vel litotes sentiatur. Nam quisque sentit, non idem plane esse, sive negative sive affirmative exprimas: et multum suavitatis et gravitatis peribit, si omnia negative dicta affirmative explicemus ac vertamus. Cui bono est litotes, si eam non servamus et vernacule reddimus? Nam, si vere judicamus, nihil verborum ita commutari potest, ut non simul notiones ipsae paululum permutentur. Ergo in omni commutatione opus est judicio. Et omnes istas commutationes, quae hoc toto capite continentur, non posui hoc consilio, ut statim arripiantur et ubique usurpentur, sed ut, si opus sit, in mentem facilius veniant.

b) Interdum verecundiae causa, ubi de nobismet ipsis loquimur, negative loqui potius solemus, quam affirmative: v. c. *non equidem sum stultissimus*, *indoctissimus* pro *sum sapiens*, *doctus*. At quisque videt illud minus dicere, ac minus simul intelligi velle, quam hoc. Sic Corydon pastor ille ap. Virg. Ecl. II, 25 ad se Alexidi puero, cujus amore flagrabat, commendandum cum magna venustate (i. e. *Artigkeit*, *Galanterie*) et modestia dicit: *non sum adeo informis* i. e. *ich bin eben nicht so gar ungestaltet*. Quis hic dicat dictum esse pro *formosus?* — Interdum ad modestiam augendam additur *fortasse*, v. c. Cic. ad Div. I, ep. 9 §. 4 *Sed certe et ego te auctore amicissimo ac sapientissimo, et tu me consiliario for-*

tasse non imperitissimo, fideli quidem et benevolo certe usus esses. Modestius *non imperitissimo* pro *prudenti.*

c) Interdum negative loqui cogimur, quia affirmative loqui non possumus, h. e. quia vocabulum affirmativum deest, vel non usitatum est, vel confusionem parit: v. c. *non facile* adverb. pro *difficulter* dici debet, quia hoc non in usu est: v. c. *non facile istud impetrabis a patre, du wirst es schwerlich vom Vater erlangen* s. *erbitten.* Sic *non sine* pro *cum* saepe dici debere, ante monitum est. Hoc fit ob perspicuitatem: v. c. *non sine causa hoc dico, ich sage das mit Grund* s. *Ursache*, rectius quam *cum causa: non sine voluntate patris id egit, er hat es mit Willen des Vaters gethan*; hic male dicatur: *cum voluntate. Rem non sine prudentia, calliditate, egit er hat die Sache mit Klugheit, List, betrieben, gethan.* Hinc in fronte librorum, qui *cum privilegio quodam regis* eduntur, rectius inscribatur: *non sine privilegio* (si hoc vocabulum retineri debet) quam *cum privilegio.* Illud rationi priscorum convenientius quam hoc.

II) Saepe poni potest *antecedens* pro *consequente*: v. c. *subire* i. e. *sich unterziehen* saepissime pro *suscipere, sustinere, perferre*, quia, qui onus subit, is illud quoque suscipit et perfert, sic et nos *sich unterziehen einer Sache* pro *über sich nehmen: clavum tenere das Steuerruder halten* pro *regere*, de republica dictum Cic. ad Div. VIIII, ep. 15 §. 10: *pendere wägen* pro *judicare beurtheilen* saepissime, ut nos *erwägen.* Sic et *metiri* pro eodem, ut nos *ermessen, abmessen*, v. c. *omnia quaestu*, Cic. Phil. II, 43. Sic *petasatus den Reisehut aufhabend* pro *paratus ad iter, reisefertig.* Cic. ad Div. XV, ep. 17 in.: *vixit* pro *mortuus est: alicui vale dicere* seu *jubere aliquem valere* pro *discedere.* Cic. ad Attic. V, ep. 2 *illum — salutavi, postea jam jussi valere, machte ihm mein Compliment und ging von ihm fort*, sic nostri *Abschied nehmen, sich empfehlen* pro *fortgehen von jemand: occurrere entgegen gehen* saepe pro *mederi* v. c. *satietati*, Cic. Verr. IIII, 47. it. pro *juvare sponte*, v. c. *supplicibus*, Cic. Dejot. 14: *patere offen stehen* pro *parata esse ad usum zu Diensten stehen* saepe, v. c. Cic. ad Div. VI, ep. 10 §. 9 *ut intelligant, omnia Ciceronis* (i. e. mea) *patere Trebiano*: *mittere* int. *nuntium* pro *nuntiare, certiorem facere*, saepe, v. c. Cic. ad Div. XI, ep. 8 in. *Polla tua misit, ut ad te — darem* etc. *Iudicium principis* saepe potest dici pro *munere* s. *honoribus*, v. c. *gratulor tibi de judicio regis* pro *de munere a rege accepto*; sic et in verbis, v. c. *gratulor mihi, quod tam honorifice de me sentire* s. *judicare voluisti,*

voluisti, h. e. *istud munus mihi offerre voluisti.* Sic apud priscos de exercitu dicitur, *conferre signa* pro *pugnare*, *ein förmliches Treffen halten* s. *liefern*, proprie *die Fahnen zusammen stoßen lassen; signa inferre*, proprie *die Fahnen hinein* (scil. *ins feindliche Heer*) *tragen*, pro *invadere, angreifen; signa convellere*, proprie *die Fahnen herausreißen* scil. e terra, pro *abire*; *castra movere*; *signa convertere* pro *in aliam partem tendere*, *eine Wendung nehmen, den Marsch anders wohin richten.*

III) In primis *consequens* saepe ponitur pro *antecedente*, v. c. *beati* apud nos dici possunt pro *mortui: redemtus ausgelöset* pro *captus, captivus.* Sic Cic. Manil. 12 *Qui ad vos ab exteris nationibus venirent, captos querar, cum legati populi romani redemti sint?* quod gravius dictum: indicat non modo captos sed etiam coactos esse se redimere: quod majori dedecori est populo romano: poterant enim per errorem capi, at ob reverentiam a praedonibus dimitti. Nep. de Attico ait c. 17 *eum nunquam cum matre in gratiam rediisse* pro *nunquam offendisse matrem, nunquam inimicitiam cum matre habuisse.* At hoc paulo obscurius dictum est, et ob ambiguitatem non ubique quadrat, sed tantum, ubi contextus permittit. Plaut. Capt. III, 4, 14 *hic — me nunquam irridebit* pro *non me decipiet*, quia homines pravi eum, quem decepere, solent irridere. Cic. ad Div. XV, ep. 17 extr. *ego nunquam quemquam ad te, cum sciam, sine meis literis ire patiar* pro *ego omni occasione ad te scribam.* Sic plura commutari queunt, v. c. *audivi* dici potest pro *narratum mihi est*. *magnam tibi habeo gratiam* pro *multa* vel *magna beneficia mihi tribuisti* vel *accepi abs te.* Sic de magno viro: *ornat nostram urbem* s. *ornamento est nostrae urbi* pro *habitat in nostra urbe.* Sic: *nondum adspectu patris tui me exhilarare* vel *frui potui*, *nondum libri lectione frui potui*, pro *nondum vidi patrem tuum*, *nondum librum legi.* Sic: *careo facultate aliis bene faciendi*, *de aliis bene merendi*, pro *sum pauper, careo divitiis:* it. *non careo facultate multorum felicitatis adjuvandae* pro *sum dives.* Sic: *Cajus donavit nos* vel *eruditos libro egregio* pro *scripsit librum egregium.* Et sic centies. — In primis pro *mori* variis commutationibus uti licet, v. c. a) de amico: *ereptus nobis est*, *caremus ejus adspectu*, *amplexu*, *consuetudine* etc., *desiit nos dulci sermone recreare* etc., *abiit in locum melioris conditionis* etc. b) de viro erudito: *non amplius ornat hanc academiam*, *urbem* etc. s. *desiit ornare hanc urbem* etc., *magnam jacturam fecit respublica literaria*, *grave vulnus nobis inflixit mors ejus*, *omnes*

sentimus istam calamitatem. c) de improbo: *liberati sumus hac peste, hoc homine capitali* s. *pernicioso: desinit nostram quietem turbare: non amplius est, quod illum timeamus: abiit ad sui similes* etc. In quibus omnibus consequens notio pro antecedente ponitur.

IIII) *Causa* pro *effectu.* V. c. *Mars* pro *bello* interdum dici potest, v. c. *vis Martis, saevitia Martis, perculit* etc. *Venus* pro *gratia, venustate,* it. pro *concubitu* per modestiam saepe dici potest: interdum *ferrum* pro *gladio, aurum* pro *aureis numis* vel *vasis,* ut et *argentum.* — *Ingenium* pro *cogitationibus acutis witzige Einfälle* saepe dicitur, v. c. *admirabantur ejus ingenium sie bewunderten seine witzigen Einfälle, delector tuo ingenio* etc. — Sic *mens* pro *cogitationibus* millies dicitur: v. c. *mentem meam tibi declarabo ich will dir meine Gedanken sagen* etc. *Anima* pro *vita, scriptor* pro *ejus scriptis, poeta* pro *carminibus ejus,* v. c. *legi Hagedornium. Mobilis, levis,* saepe pro *inconstans.* — *Antiquus* pro *praecipuus,* v. c. *nihil mihi est antiquius tua amicitia nichts ist mir vorzüglicher, schätzbarer, als deine Freundschaft.* Sic. Cic. ad Div. XI, ep. 2 §. 2 *nec habui quidquam antiquius, quam ut Pansam convenirem* h. e. *Ich hielt nichts für wichtiger, als den Pansa zu sprechen, meine erste Sache war mit ihm zu reden.* Lepid. ad Cic. in Epp. Cic. ad Div. X, ep. 35 *testor deos, quam nihil antiquius communi salute ac libertate judicarim* i. e. *daß ich nichts für wichtiger gehalten, nichts mehr geschätzt habe, als* etc. — *Proprium* interdum pro *constans dauerhaft,* quia, quae nobis propria sunt, ea constanter nobis manent, vid. Cic. Manil. 16, ubi jungitur *proprium* et *perpetuum.* Verba sunt: *quod* (loquitur de Pompeji fortuna) *ut illi proprium ac perpetuum sit,* — *velle et optare debetis:* proprie est *eigenthümlich.* Pertinet huc *meminisse* pro *gratum esse,* it. pro *gratificari alicui omni ratione,* v. c. Civ. ad Div. XV, ep. 17 extr. est pro *epistolam mittere alicui.* Verba sunt: *et amabo* (h. e. *sey so gut*) *cum dabis posthac aliquid domum literarum, mei memineris, denke an mich* h. e. *schreibe mir.* Ac sic plura.

V) *Effectus* pro *causa* saepe poni potest, v. c. *cadere* pro *interfici in praelio:* sic *condemnare* de accusatore dicitur, quia condemnatio est effectus accusationis legitimae: sic *ejicere urbe* de accusatore itidem ap. Ciceronem dicitur pro *efficere, ut aliquis ejiciatur:* sic *necessitas die Unvermeidlichkeit, Unveränderlichkeit,* potest interdum pro *natura* poni, quia est hujus effectus; at propterea non per se notat *naturam,* et contextus debet esse accommodatus: sic et *necesse*

est

est es ist natürlich: sic *vide, ne lacrymae tuo nomini, tuae dignitati, officiant* pro *noli flere:* sic *parcere* pro *ignoscere*: nam, qui *ignovit inimico*, is huic deinde *parcit*.

VI) Pertinent huc aliae locutiones *metonymicae*, v. c. a) *continens* pro *contento: urbs laetatur* pro *homines: domus* pro *familia: domum curavit sie hat das Haus besorgt* i. e. *res domesticas:* sic *literae* proprie *Buchstaben* pro *doctrina*, quia olim omnis doctrina romana, h. e. philosophia, e *libris philosophorum* discebatur, iisque continebatur; ob eandemque caussam *literae* pro *epistola.* b) *signum* pro *signato*, v. c. *sceptrum* pro *regno:* ap. Romanos *toga* pro *pace*, *fasces* pro *imperio* etc., quae hodie de nostris rebus usurpare non licet. Sic et *laurea* de *victoria*, quia apud priscos usus *laureae* proprie erat, qui nunc non amplius est.

VII) Pertinent huc *synecdochicae* locutiones, ut dicamus, v. c. modo *pater est sepultus*, modo *patris corpus est sepultum*, *offendere alicujus animum* et *aliquem.* Nam variatio est suavis.

VIII) Pertinent huc *metaphoricae* locutiones, v. c. *ignis* de *amore magno*, *fons* pro *causa*, *malum serpit breitet sich aus*, it. *manat*, ut Cic. ad Div. XII, ep. 1 §. 2 *Manabat enim illud malum urbanum et ita corroborabatur* etc. *Projicere wegwerfen* pro *vili pretio res vendere* Cic. ad Div. XIIII, ep. 2 §. 8 *etiamne reliquias tuas misera projicies?* nostri dicunt *verschleudern*, *wegwerfen*, v. c. *es ist ordentlich weggeworfen*, *weggeschmissen;* eodem tropo. *Abstergere metum* pro *demere plane*, Cic. ad Div. VIIII, ep. 16 §. 22 *volo enim abstergere animi tui metum, ich will dir nur deine Furcht benehmen.* Sic saepius: it. *abstergere molestias*, Cic. Senect. 1 *ut non modo omnes absterserit senectutis molestias* etc. De hoc ceterisque tropis jam supra dictum.

VIIII) *Genus* pro *specie* millies, ut in omnibus linguis, ita in latina poni solet. Qua de re etsi inter tropos dici solet et supra dictum est, tamen hic repeti ac simul exemplis illustrari meretur. Inter alia notabo tantum haec:

1) *Commodare* pro *leihen* notum est: at proprie est *gratificari gefällig seyn, jemand einen Gefallen thun, dienen,* quocunque modo fiat; ac saepe sic occurrit, v. c. Cic. ad Div. III, ep. 3 §. 3 *velim tibi curae sit, ut, quae successori — commodare potest is, qui provinciam tradit, ea* etc., h. e. *was einem Nachfolger derjenige zu Gefallen thun kann, welcher die Provinz* etc. XIII, ep. 41 in. *Quae fecisti Lucceji causa, scire te plane volo, te homini gratissimo commodasse,* ac saepius.

 2) *Vivere*

2) *Vivere cum aliquo* pro *uti aliquo*, *mit einem umgehen*, ſaepe dicitur.

3) *Appellare debitorem* pro *poſcere debitum mahnen:* proprie enim eſt in univerſum *anreden*, quacunque de cauſa fiat.

4) *Dicere ſagen*, *reden*, millies pro *orationem habere* v. c. ad populum.

5 *Accipere empfangen* pro *diſcere*, quia in diſcendo aliquid accipimus a magiſtro. Sic *tradere übergeben* pro *docere*.

6) *Adeſſe alicui*, *einem gegenwärtig ſeyn*, ſaepiſſime pro *opem ferre*, *adjuvare*, *dienen*, ut *deeſſe nicht dienen*.

7) *Afferre* pro *nuntiare:* ſic Cic. ad Div. X, ep. 20 in. *Ita erant omnia*, *quae iſtinc afferebantur*, *incerta* i. e. *alle Nachrichten aus deiner Gegend ſind ſo ungewiß* etc.

8) *Curare* propr. *beſorgen* pro *ſanare* notum eſt.

9) *Decedere fortgehen* pro *mori* ſaepiſſime.

10) *Satisfacere* propr. *facere tantum*, *quantum alter jure poſtulare poteſt*, *jemand befriedigen*, *Genüge leiſten;* ſaepiſſime pro *ſolvere debitum bezahlen*; it. pro *ſe defendere*, *excuſare alicui*. Hae tres notiones fluunt e priori, vel ſunt potius tantum quaſi applicationes ejus ad certa genera ſatisfaciendi. Noſtri etiam vocabulo generis utentes dicunt *jemand befriedigen* pro *bezahlen*.

11) *Quieſcere ruhen* pro *dormire* notum, ſic et in vernacula de dormiente dicitur: *er ruhet*.

12) *Honorem habere alicui* propr. *eine Ehre anthun*, *erweiſen*, pro *praemiis aliquem afficere*: omne enim praemium eſt ſpecies honoris. Sic Cic. ad Div. XVI, ep. 9 §. 6 *Curio miſi* (i. e. ſcripſi), *ut medico honos haberetur* i. e. *ut ei praemium daretur*. Sic et *commoda* pro *praemiis*.

13) *Otium Ruhe* pro *pace:* ſic et nos: *es iſt nun Ruhe im Lande* i. e. *Friede*. Hinc *otioſi* ap. Ciceronem pro iis ponuntur, *qui neutrarum partium ſunt*, *welche neutral ſind:* quia hi in *otio* i. e. in pace *vivunt*.

14) *Tempus* ſaepe pro *occaſione* ſ. *tempore opportuno*, *apto*, v. c. ad Div. X, ep. 5 §. 9 *cujus — gratiae gloriaeque cave tempus amittas* h. e. *occaſionem:* ſic et nos; — it. pro *incommodis*, *laboribus*, *Noth*, v. c. *Proceſſe:* ſic Cic. Manil. 1.

15) *Honores* proprie *alle Art von Ehren* ſaepiſſime pro *munere honorifico*, *Ehrenamt*.

16) *Fabula*, propr. *Erzählung* ſ. *eine Geſchichte* ſive vera ſive ficta, pro *tragoedia* et *comoedia*, quae duae ſunt ſpecies *fabulae*.

17) *Mortales* pro *hominibus*. Et innumera alia, ſi quis attendere et ſingula e ſuis fontibus derivare volet.

X)

X) In primis huc pertinet converſio relationis notionum, v. c. *filii* pro *patre* et *patris* pro *filio*, *dare* pro *accipere* et contra etc. Hic fons eſt longe uberrimus. Exempla pauca dabo. Commutari inter ſe poſſunt

1) *Tu es meus filius* et *ego ſum tuus pater*; *velim tuus filius eſſe* et *velim te patre uti;* it. *tu inſtar patris mihi fuiſti* et *me pro filio habuiſti, tractaſti ut filium* etc.

2) *Moleſtum eſt tali ſervo uti* et *moleſtum eſt talis hominis herum eſſe.*

3) *Donaſti me libro* et *accepi abs te librum* ſ. *donatus ſum abs te libro.*

4) *Tu mihi non ſcripſiſti* et *nihil literarum a te accepi*, it. *nullam literam* etc., at hoc gravius: ſic Cic. ad Div. XV, ep. 16 in. *Puto te jam ſuppudere, cum haec tertia jam epiſtola ante te oppreſſit, quam tu ſcidulam* (h. e. fere *Billet*) *aut literam:* et ad Attic. XIII, 39 *neque diu abfuit, neque ullam literam ad me*, intell. *ſcripſit* ſ. *dedit:* ſic et nos: *er hat nicht einen Buchſtaben an mich geſchrieben*, quod gravius eſt quam *er hat keinen Brief geſchrieben.*

5) *Servire* et *dominum* ſ. *herum habere.* Sic Cic. ad Div. XV, ep. 18 §. 2 *Mea* (int. philoſophia) *moleſta eſt: pudet enim ſervire* h. e. *dominum habere.* Nil aliud intelligitur. Romani tum, in primis Pompejani, nolêbant Caeſarem dominum habere, ſed cupiebant aequo jure uti.

6) *Cajus mihi vendidit domum* et *emi domum a Cajo* ſ. *Caji.*

7) *Fui ejus diſcipulus* et *ille fuit meus magiſter* ſ. *erudiit me* etc.

8) *Lauto convivio vos excepit* et *laute epulati eſtis apud eum.*

9) *Magnis beneficiis me ornaſti, affeciſti*, et *ego magna beneficia abs te accepi, ornatus ſum magnis* etc.

10) *Paucas abs te epiſtolas accepi* et *tu paucas epiſtolas ad me miſiſti, dediſti.*

11) *Tu es me ſuperior* et *ego te ſum inferior.* Sic *omnes homines ſunt longe inferiores deo* et *deus eſt omnibus hominibus longe ſuperior.* Ac ſic millies variari poteſt: tenendum tamen, interdum hanc interdum illam relationem magis contextui convenire etc.

XI) Eſt et aliud genus commutationis perſpicuitati et gravitati valde ſerviens, quando pro vocabulo, quo dicitur res facta eſſe, aliud ponitur vocabulum, quo ſimul *modus, forma*, et *qualitas* rei indicatur: v. c. *puteum deprimere* pro *facere* ſ. *fodere*, quaſi *deprimendo facere:* ſic *contorquere haſtam*

haſtam pro *vi conjicere*, quaſi *torquendo jacere.* Rarius tamen proſaici: at ſaepiſſime poetae. — Loquor hic etiam tantum de ſingulis verbis, non de copioſa rei deſcriptione: haec enim ad copiam dicendi referenda. — Pertinet tamen iſtuc Cic. in Piſon. 6 — *reſpondes, altero ad frontem ſublato, altero ad mentum depreſſo ſupercilio:* ubi *ſublato* et *depreſſo* accuratius dicta pro vulgari: *tracto, vergente, extenſo* vel ſimili.

XII) Eſt etiam variatio per deminutiva, v. c. *literulae* pro *literae* ap. Cic. ad Div. V, ep. 21 §. 5 *Itaque utor eodem perfugio, quo tibi utendum cenſeo, literulis noſtris* pro *literis*, per modeſtiam: ſic XVI, ep. 10 §. 3 *Literulae meae ſive noſtrae* (loquitur cum Tirone) *tui deſiderio oblanguerunt*, i. e. *Literae noſtrae Unſer Studiren* etc. Sic *ingeniolum meum* ob modeſtiam dicimus etc.

XIII) Eſt et variatio per proverbia: v. c. *oleum et operam perdere* pro *fruſtra laborem impendere*: *homo non ſemiſſis* pro *homo vilis contemtuque dignus: Andabatarum more pugnare* etc. — Sed quaeritur, quatenus priſcorum proverbia hodie uſurpare liceat. Proverbia ſunt certarum plerumque tantum nationum; ſingulae habent ſua. Hinc uſum proverbiorum romanorum apud nos Germanos rarum eſſe debere crediderim; et non niſi in maxime notis concedendum.

XIIII) Eſt et variatio per *pleonaſmum*, ſed *verum* h. e. ubi vere vocabulum redundat et aeque recte ſine iſto pleonaſmo dici poterat, v. c. *interea temporis* pro *interea*, et per *ellipſin veram* h. e. ubi vere vocabulum deeſt, v. c. *paucis dicam*, int. *verbis*, ut nos *ich wills mit wenigen ſagen*, int. *Worten.* — De utraque re infra dicetur; de *pleonaſmo* in capite de *copia*, et de *ellipſi* in cap. de *brevitate dicendi.* Alius eſt pleonaſmus vel ellipſis ex animi permotione oriens atque hanc indicans.

XV) In primis huc pertinet variatio per *circumſcriptionem* pro *uno* vocabulo, v. c. *qui audiunt* pro *auditores: qui nos genuerunt* pro *noſtri parentes*, quae ſaepe etiam neceſſaria eſt, quia Latini ſaepe non habent unum vocabulum, quo exprimere poſſint unum vocabulum Germanorum, atque ita pluribus reddere coguntur, vel id vocabulum tale eſt, ut, quia non eſt aureae aetatis, eo nolimus uti, v. c. *vernünftig rationi conſentaneus, unmöglich quod fieri non poteſt*, ſic *thunlich, faßlich, vernehmlich, unwiderſtehlich* etc. De hac circumſcriptione infra in Cap. de *copia dicendi* loquemur.

SECT.

SECT. XI

De variatione conſtructionis grammaticae.

Eſt etiam variatio vocabulorum in conſtructione grammatica. V. c.

1) *Sum doctior patre* et *quam pater*, utrumque recte: neutrum elegantius, prius tantum eſt brevius dictum.

2) *Dignus qui laudetur, laude et laudis*, poſterius eſt paulo rarius.

3) *Egeo* et *indigeo* cum ablat. et genitivo.

4) *Opus eſt mihi libro* et *liber.* Sic *opus eſt mihi libris* et *opus ſunt mihi libri.* De ea re ſupra p. 144, 2 eſt dictum.

5) *Referre in deos, inter deos* et *in diis*, recte dicuntur.

6) *Poenitet me facti* et *feciſſe.*

7) *Donare alicui librum* et *donare aliquem libro*, ut nos: *einem ein Buch ſchenken, einen beſchenken mit* etc.

8) *Praeire verba* et *verbis vorbethen, vorſagen*, ut alter repetat, illud eſt frequentius.

9) *Ea res* et *id rei* etc. Sic *multum tempus* et *temporis*, hoc eſt uſitatius.

10) *Adire patrem* et *ad patrem* etc.

11) *Antecedere alicui* et *aliquem* etc.

12) *Sequitur ut*, et ſeq. accuſ. c. infin. Sic *oportet diſcas* et *te diſcere* etc.

13) *Venit, ut te videret, te viſurus, tui* ſ. *te videndi cauſa, ad te videndum.* Haec plane eadem ſunt; it. *te viſum:* at ſupinis rarius utuntur priſci.

14) *Habere aliquem pro docto* et *doctum.*

15) *Inter Graecos doctiſſimus, in Graecis, Graecorum doctiſſimus.*

16) *Spero patrem venturum* et *fore ut pater veniat.* Haec ſunt eadem. Neque enim tantum haec periphraſis in verbis carentibus ſupino ſed et in aliis ſaepiſſime uſurpatur, v. c. Cic. ad Div. VI, ep. 13 §. 2 *Poſtea vero quam magnam ſpem habere coepi fore, ut te brevi tempore incolumem haberemus:* ubi dicere pari jure poterat *nos te — habituros eſſe.* Ac ſic ſaepius. Haec hactenus.

At tirones ad hanc variationem nonnulla referunt, quae eo non pertinent, v. c.

1) *Pridie Kalendas, Nonas, Idus* et *pridie Kalendarum, Nonarum, Iduum.* At prius magis probant eruditi. Deinde alii dicunt *Kalendae, Nonae, Idus Maji, Novembris;* alii *Kalendae,*

Kalendae, *Nonae*, *Idus Majae*, *Novembres* etc.: posterius praeferendum putant eruditiores, quia nomina mensium adjectiva proprie sunt, v. c. *Ianuarius*, *a*, *um*, *Aprilis*, *e*: hinc dicendum v. c. *Pridie Kalendas Majas*, *Iunias*, *Apriles*, *Novembres*: *pridie Nonas*, *Idus*, *Martias*, *Septembres* etc.

2) *Potiri* cum genitivo, accusativo et ablativo. At semper ablativus praeferendus praeter hanc formam *potiri rerum*, h. e. *imperium consequi die Oberherrschaft* s. *die höchste Gewalt erlangen* vel *haben*, hic *res* notant *rempublicam* vel *summam potestatem*, *imperium*. — At si *res* vulgarem notionem habet, *Dinge*, *Sachen*, perspicuitatis causa malim ablativum ponere; v. c. hoc: *ich habe mich meiner Sachen*, *die mir genommen waren*, *bemächtiget*, verterim: *potitus sum rebus*, non *rerum*: quamquam nec hoc per se falsum foret. Nam, si verterem *potitus sum rerum*, posset aliquis lectorum de *summa potestate* intelligere.

CAP. VIIII

De copia dicendi s. verborum.

Copia *dicendi* s. *verborum*, si recte omnibusque ex partibus consideratur, nititur fere omnis eloquentia Ciceronis. Sed quia hic non oratorem proprie, nedum romanum, fingimus, sed ad omne genus bene latine scribendi dicendique respicimus: arctioribus nos limitibus includemus ac non nisi tantum, quantum in universum prodesse possit, atque ita de *copia verborum universa* dicemus.

SECT. I

Quid sit copia verborum ista?

Copia verborum s. *copia dicendi*, ut Cicer. Or. II, 25 prope fin. vocatur, it. *ubertas in dicendo*, ut dicitur ibid. I, 12 in. (nos possimus vocare *die Ausführlichkeit*, interdum *Weitläuftigkeit*, it. *Reichthum in der Ausführung und im Ausdrucke*), cernitur, si summatim loqui volumus,

lumus, *duabus* in *rebus*, 1) *in eo, ut pro uno vocabulo duo vel plura ponantur*, 2) *in eo, ut pro una enuntiatione* ſ. *propoſitione* (*Satz*) *duae vel plures adhibeantur.* — Not. Ad enuntiationes referri poſſunt quoque ac debent argumenta, et argumentationes, ſimilitudines, teſtimonia, exempla: quae omnia ſi late copioſeque enuntiantur, ac multis interjectis aliis enuntiationibus, quarum altera ex altera fluit, ita illuſtrantur et explicantur, ut illorum v. c. argumentorum etc. natura, utilitas, magnitudo ac pondus non modo plane perſpiciatur ſed etiam recte ſentiatur, nonne hinc copia dicendi poteſt dici eloquentia univerſa cerni vel ipſa eloquentia eſſe?

At haec commutatio verborum copioſa ſ. copia dicendi non ubique eſt adhibenda: inepta enim ac frigida ſaepiſſime foret, ſed tantum, quando contextus idearumque ratio poſtulat: hoc eſt 1) *primum*, quando notio aliqua, verbis explicanda, eſt ejusmodi, ut in ea paulo diutius verſari deceat, atque ita uno verbo, una enuntiatione, contentus eſſe nequeas, ſi quidem cupis, ut vel lector vel auditor illam notionem ideamque recte percipiat eaque rite moveatur. Ergo, ut ubique, ita et hic perſpicuitatis et gravitatis ac ſimul contextus ratio habetur. Iam, ſi unumquodque vocabulum ſemper ideam continet, ſequitur, ut, ſi pro uno verbo plura adhiberi debent, etiam plures ideae pro una ponantur atque ita oratio et ſtilus non tam verboſior quam plenior idearum fiat. 2) *deinde* ob numerum ſ. concinnitatem et aequalitatem membrorum: quae poſtulat, ut, quando praecedens membrum vel enuntiatio pluribus verbis conſtet, ſequens quoque vel totidem vel ſaltem non multo pauciora vocabula complectatur. Sed et hic idearum ratio habenda eſt diligenter, et nil ponendum, quod aptis ideis careat. *Quid eſt enim tam furioſum, quam verborum vel optimorum vel ornatiſſimorum ſonitus inanes nulla ſubjecta ſententia* h. e. *idea* ſ. *notione?* ut Cicero recte ait Orat. I, 12. Ergo omnis copia

pia dicendi, omnis dilatatio, eſt ſtulta, niſi per eam ideae vere augentur atque ita contextus verborum dilucidior, ſuavior, gravior fortiorque redditur. Eadem, recte adhibita, eſt praeclara, imo pars eloquentiae neceſſaria. Auditor enim ac lector ideam gravem uno verbo expreſſam ſaepe negligit et praeterlabi ſinit, putans, quidquid breviter ac celeriter dictum et ſcriptum ſit, non grave eſſe: hinc illam non ſatis capit, ac ſaepe ne animadvertit quidem, nedum ſentit pondus illius ideae. Solent enim homines, ut a veſtium magnificentia ad hominis illa induti dignitatem, ſic a verborum pompa ac magnificentia ad rei dignitatem et magnitudinem vulgo concludere. — Hinc ſecus eſt, ſi idea copioſius et latius exprimitur. Nam *primum* verba plura de una re ſ. idea recitata efficiunt, ut auditor attentus fiat eamque pro magna gravique habere incipiat; *deinde*, ſi auditor eandem ideam aliis verbis ſaepius repeti audit, recognoſcere eam ſaepius cogitur, atque ita ejus veram naturam et gravitatem tandem intelligit et ſentit. Quae omnia in lectorem quoque cadere apertum eſt. — Quomodo itaque iſta copia verborum ſ. dicendi recte inſtituitur? Diximus, eam et ad ſingula verba h. e. *ideas* ſingulas, et ad enuntiationes h. e. judicia, concluſiones, argumenta, teſtimonia, exempla etc. pertinere. — De utraque re dicendum mihi eſt. Sed, quia in univerſum tantum loquor, nil hic de argumentorum, teſtimoniorum etc., tractatione dici poteſt: haec enim res ad perſpicuitatem pertinet, de qua ſeparatim agetur.

SECT. II

De copia dicendi in verbis ſingulis.

Copia dicendi ſ. *verborum*, quatenus in ſingulis tantum vocabulis (ideis) conſideratur, cernitur in conjungendis *vocabulis pluribus*, ubi *unum* per ſe ſufficiebat vel ſaltem ſufficere prima ſpecie videbatur. Sed nun-

quam

quam oblivifcendum, quotiescunque vocabula augeantur, toties augeri ideas, nec ullum vocabulum fua notione eaque apta carere debere. Eft igitur non tam copia verborum quam idearum. Fit ea variis modis: hos praecipuos effe putem:

I) Uni vocabulo, five fit nomen five verbum five adverbium, quod per fe fufficere poterat, additur interveniente particula *et* f. *ac, atque, que,* aliud ejusdem generis (v. c. fubftantivum fubftantivo etc. interdum etiam plura). At inter fe differre fingula debent, faltem quodam modo. Alioquin foret inanis copia verborum, non copia idearum. Neque ergo vocabula ejusdem plane notionis, v. c. *edere* et *vefci, ire* et *proficifci* etc., jungi poffunt. Videndum vero eft omnino, ut pofterius priori fit gravius et fortius, faltem clarius, ita ut prioris fit quaedam explicatio vel confirmatio. Hoc ordo rerum poftulat. Conjunguntur itaque a prifcis et conjungi poffunt fequentia:

A) *Caufa* et *effectus*, ubi alterutrum fufficiebat, v. c.

1) *Liberalitas* et *beneficentia;* it. *liberalitas* et *benignitas.* Nam et *beneficentia die Gutthätigkeit* et *benignitas die Gütigkeit* eft effectus *liberalitatis* h. e. *einer edlen Gefinnung, Wohlgezogenheit, Freygebigkeit.* V. c. pro *magna eft patris in me beneficentia* dicere poffum: *magna eft patris in me liberalitas ac beneficentia*; fic pro *tuae liberalitati omnia debeo* dicere poffum: *tuae liberalitati et beneficentiae omnia* etc. Sic jungi poffunt *liberalitas* et *clementia* h. e. *Gnade, Sanftmuth, gegen die Beleidiger*, quia haec eft effectus liberalitatis.

2) *Humanitas die Menfchenliebe* et *facilitas die Gefälligkeit,* quia haec eft effectus illius; v. c. *hominis humanitas et facilitas eft magna* pro *hominis facilitas eft* etc. Sic *humanitas* et *clementia; humanitas* et *beneficentia*; *humanitas* et *benignitas:* quia humanitas eft fons clementiae, beneficentiae et benignitatis. Sic *humanus* et *benignus*, *humanus* et *beneficus*, *humanus* et *comis.* Sic *humanitas* et *mifericordia* junguntur ap. Cic. Catil. IIII, 6. Ait: — *non atrocitate animi moveor*, — *fed fingulari quadam humanitate et mifericordia.*

3) *Lex* et *conditio*, quia haec eft effectus illius: Cic. Agr. II, 3 *quod non eadem, qua fuperioribus confulibus, lege et conditione utendum effe decrevi.* In univerfum Cicero

vult dicere, ſe non conſuetudinem conſulum ſuperiorum imitaturum eſſe, qui coram populo non dixiſſent. Ergo proprie dicere debebat *eadem conſuetudine;* pro eo dicit *conditione*, quia iſti conſules ſibi conſuetudinem iſtam quaſi conditionem aliquam praeſcripſerant. At, ubi dixerat *conditione*, facile ei in mentem veniebat *lege* ob connexionem idearum dictam.

4) *Ordo rerum* et *neceſſitudo* junguntur ap. Cicer. Haruſp. 9 *quis eſt tam vecors, ut — deos eſſe non ſentiat, et ea, quae tanta mente fiunt, ut vix quisquam arte ulla ordinem rerum ac neceſſitudinem perſequi poſſit, caſu fieri putet? ordo rerum die Ordnung der Dinge in der Welt* et *neceſſitudo rerum die Verbindung der Dinge* hic junguntur; quia *ordo* eſt effectus *neceſſitudinis*: nam *neceſſitudo* efficit quendam certum ordinem. Sufficere poterat *ordinem rerum.*

5) *Ingenioſiſſimus*, proprie *der ein ſehr gut Genie hat, ſehr witzig iſt*, et *eloquentiſſimus ſehr beredt* junguntur Cic. Font. 13. Ait: *exſtat oratio hominum longe ingenioſiſſimi atque eloquentiſſimi C. Gracchi* etc. i. e. *des allerwitzigſten und beredteſten Mannes.* Nam ab ingenio pendet eloquentia, tanquam effectus a cauſa. — Eadem de cauſa jungitur et jungi poteſt *ingenioſiſſimus* et *ſuaviſſimus homo:* nam *ſuavitas hominis* pendet ab ejus ingenio, *von ſeinem Witze*, quo alios delectare poteſt. Sic et *ingenioſiſſime* et *ſuaviſſime.*

6) *Sapientia* et *conſtantia* ſ. *fortitudo* jungi poſſunt, quia ſapientia efficit conſtantiam et fortitudinem. Sapientia autem hic cernitur in eo, ſi quis rerum omnium verum pretium novit, ac ſcit v. c. res multas, in his contemtum, mortem, et alias hujus generis neceſſarias contemnendas eſſe. Sic *ſapiens et fortis* ſ. *conſtans;* hinc *ſapienter et fortiter* ſ. *conſtanter ferre fortunam, caſum* etc. ſaepiſſime occurrit. Sic *ſapientia et magnitudo animi*, quae eſt illius effectus, junguntur Cic. ad Div. I, ep. 9 §. 8. Sic *gravitas* proprie *die Schwere* et *conſtantia die Standhaftigkeit*, quae eſt effectus illius, junguntur ſaepe, v. c. Cic. Sull. 30.

7) *Statae ac ſolennes caerimoniae* occurrunt ap. Cic. Haruſp. 9: quia, quod *ſtatum eſt* i. e. *feſtgeſetzt iſt*, deinde et ſolenne eſt i. e. *ſolet* certis diebus anni fieri ac celebrari.

8) *In lucem adſpectumque proferre, ans Licht bringen*, rectius dicitur, ubi alterutrum vel *lucem* vel *adſpectum* abeſſe poterat: *lux* eſt cauſa *adſpectus.* Cicero ordinem invertit Arch. 6 *Si qui ita ſe literis abdiderunt, ut nihil poſſint — in adſpectum lucemque proferre.* Debebat cauſa praeponi et effectus

effectus ſequi, natura utriusque rei ita poſtulante. At ſaepe hic priſci parum ſunt diligentes.

9) *Permiſcere* et *perturbare* junguntur ap. priſcos et recte jungi poſſunt: *permiſcere vermiſchen* eſt cauſa et *perturbare trübe machen* eſt effectus. Cic. Verr. I, 15 in. *Etenim, ſi haec perturbare omnia et permiſcere volumus* etc. i. e. *denn, wenn wir in ſolchen Sachen eine Unordnung machen wollen* etc., ubi *perturbare* ſufficiebat. Notandum, hic ordinem idearum naturalem perturbatum itidem eſſe.

B) *Antecedens* et *conſequens* notio jungitur, ubi alterutra ſufficere poterat. V. c.

1) Cic. Roſc. Am. 24 in. *Videtisne, — ut eos* (ſcil. parricidas) *agitent furiae neque conſiſtere usquam patiantur?* Sufficere poterat *agitent* i. e. *herumtreiben, verfolgen*; ſed additur gravitatis cauſa conſequens *conſiſtere nusquam patiantur* i. e. *laſſen ſie nirgends Fuß faſſen, ſtille ſtehen*. Recte.

2) *Factum* et *conſilium der Entſchluß* junguntur, quia in homine, prudente certe, ſemper *conſilium* antecedere et *factum* ipſum deinde ſequi ſolet, v. c. Cic. Agr. II, 3 in. *quam non ita gerendum conſulatum, ut in omnibus meis factis atque conſiliis veſtrum de me factum conſiliumque laudetur. Omnia mea facta et conſilia* ſunt *omnia, quae facio.* Ergo *in factis* ſufficiebat: per *conſilium et factum veſtrum* intelligitur hoc, quod Cicero ab iis conſul creatus eſt. Senſus ergo univerſus eſt: *ut in omnibus, quae ago, veſtra electio laudetur, damit ihr von eurer Wahl Ehre haben möget.*

3) Cic. Agr. II, 3 *Qui aditum hujus loci conſpectumque veſtrum magnopere fugerunt;* ubi *conſpectumque veſtrum* abeſſe poterat; eſt conſequens illius aditus: nam, qui *adit* ſuggeſtum illum, ut pro roſtris dicat, is prodit in conſpectum populi.

4) Cic. Fin. I, 7 *Ad majora enim quaedam nos natura genuit et conformavit,* ubi *genuit* eſt antecedens τȢ *conformavit gebildet.*

5) Cic. Fin. I, 10 *Blanditiis praeſentium voluptatum deliniti atque corrupti* etc. *deliniti* eſt antecedens, *corrupti* conſequens.

C) *Totum* cum *parte* vel *partibus* interdum jungitur, it. *genus* cum *ſpecie* vel *ſpeciebus*. V. c. Cic. Haruſc. 11 Lentulum ita alloquitur: *te, nomen, imperium, vocem, adſpectum, impetum tuum ſtans ſenatus equitesque romani et omnes boni*

boni ſequebantur; ubi *te* eſt totum, et *nomen Lentuli*, *imperium*, *vocem*, *adſpectum*, *impetum* quaſi Lentuli partes vel attributa. Dicere poterat tantum: *te ſtans ſenatus — ſequebantur.* At gravius dictum eſt per copiam iſtam. — Sic *gentes* et *nationes* ſaepe conjunguntur, v. c. Cic. Sext. 23 in. *regum, gentium*, *nationum* etc., et inverſo ordine Font. 11 extr. *Exteris nationibus et gentibus ostendere.* Videtur *gens* eſſe totum, et *nationes* ejus partes; ut *populus* eſt pars gentis, complectentis plures populos. Sic jungitur *virtus* et *integritas*, ſpecies virtutis, v. c. Cic. Fontej. 13 *Qui tanta virtute et integritate fuit, ut* etc. Sic noſtri: *ſo tugendhaft und rechtſchaffen.*

D) Iunguntur ſaepe duo vocabula, quorum poſterius eſt fortius priori. Quae ratio in primis eſt tenenda et imitanda, v. c. *puto et mihi perſuadeo; velim credas tibique perſuadeas*; *qui cum credidiſſet ſibique perſuaſiſſet nil eſſe* etc.: *perſuadere ſibi* eſt *ob certas cauſas credere*, *ſich überzeugen*, *überzeugt ſeyn.* Sic *ſpero* et *confido* libenter jungitur *ich hoffe und habe das feſte Vertrauen;* hic *ſpero* abeſſe poterat, quia in *confido* jam latet. Sic in prioribus *credo*, *puto*, abeſſe poterat, quia ineſt jam in *perſuadere ſibi.* At melius eſt per gradus incedere, quia, ſi ita praecedens per conſequens quaſi corrigitur, gravitas conſequentis ſimul adjuvatur. Sic pro *ſpondeo* ſ. *recipio* poſſum dicere *polliceor et ſpondeo*, *polliceor et recipio; polliceor* ſ. *promitto*, *ſpondeo atque praeſto* etc. *Spondere*, *recipere*, *et praeſtare* ſunt longe graviora quam *promitto: ſpondere* eſt *Bürge ſeyn*, *recipere es auf ſich nehmen*, quod idem eſt ac *praeſtare*, quod ſignificat *gut dafür ſeyn*, *dafür ſtehen.* Quae ſingula indicant, rem promiſſam certo actum iri. — Addam aliquot alia exempla e Cicerone et Livio:

1) *Averſari verabſcheuen* et *exſecrari verwünſchen*, *verfluchen*, junguntur ap. Liv. VIII, 12 in., ubi de Manlio illo ſevero narratur: *juventutem et tunc et omni vita deinde averſatam eum exſecratamque.* Poſterius eſt gravius priori.

2) Cic. Roſc. Am. 24 *Agitari et perterreri taedis ardentibus*, ubi *agitari* eſt minus quam *perterreri;* ibid. *ſuum quemque ſcelus agitat amentiaque afficit*, ubi *amentiaque afficit* eſt gravius quam *agitat;* ibid. *ut ſummus furor atque amentia conſequatur*, ubi *amentia* gravior eſt *furore.* Cicero poterat in his omittere *agitari*, *agitat*, *furor.* At oratio fit gravior per copiam.

3) Roſc.

3) Rosc. Am. 46 *Ut omnes despiciat, ut hominem prae se neminem putet.* Posterius est longe gravius: *ut* repetitur pro *et.* Poterat alterum, vel *ut despiciat* vel *ut — putet*, omitti. At utrum? Utrumque conjunctum gravitatem adjuvat, *daß er jedermann verachtet, und niemand gegen sich für einen Menschen hält.* Descriptio hominis insolentis.

4) *Excitare* et *inflammare.* Cic. Manil. 2 *Quod maxime vestros animos excitare atque inflammare debet ermuntern und entflammen*; prius abesse poterat per se.

5) Cic. Manil. 3 *Macula, — quae penitus jam insedit atque inveteravit in populi rom. nomine;* posterius est gravius.

6) Ibid. *uno nuntio — necandos trucidandosque denotavit*; *trucidare* est nostrum *niederhauen, niedermetzeln* et plus significat quam *necare.*

7) Cic. Arch. 1 *Huic profecto ipsi — et opem et salutem ferre debemus, opem* i. e. *Hülfe, salutem* est *Errettung*, ergo gravius illo: potest hoc quoque pro *specie* et *opem* pro *genere* haberi.

8) Ibid. 9 *Nostra sunt tropaea, nostra monimenta, nostri triumphi.*

9) Sext. 46 *Qui motus conversionesque reipublicae quaerunt. Motus Bewegung, conversio* est *Umkehrung, Veränderung*; per *motum* respublica conquassatur, per *conversionem* evertitur et perit, atque ita v. c. in monarchiam mutatur.

10) *Magnum* et *grave.* V. c. Cic. Manil. 6 *Magna et gravia bella.* Sic *turpia et flagitiosa* Fontej. 13. Ac sic plura.

E) Duo vocabula e diversis tropis ducta junguntur saepe; quo pertinent et ea, quorum alterum est tropicum, alterum proprium. V. c.

1) Ubi duplex tropus. Cic. ad Div. III, ep. 10 §. 11 *Pugna et enitere, ne quid nobis temporis prorogetur.* Alterutrum abesse per se poterat: *pugnare* est proprie *fechten, eniti sich anstemmen*, v. c. ut in montem, arborem, adscendas. Huc pertinet *frangere* et *debilitare*, quod utrumque vertitur *schwächen.* Sic saepe *vires fractae et debilitatae* occurrunt i. e. diminutae; proprie est *frangere zerbrechen, debilitare entnerven, lähmen, verstümmeln.* Sed utraque re, et frangendo et debilitando, vires corporis minuuntur. Huc pertinet Cic. Arch. 1 *Omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum et cognationem inter se*: poterat vel *vinculum* vel *cognationem* abesse, *Alle Wissenschaften, die die Menschlichkeit* h. e. *menschliche Empfin-*

dung und Gesinnung befördern, haben eine gewisse Verbindung und Verwandtschaft unter sich. Quod non verti *schöne Wissenschaften*, hoc feci propterea, quia ad verba vertere volebam. Cicero intelligit *poesin* et in primis *philosophiam*, quippe quae in primis, ut et poesis, reddit hominum animos molliores s. *humaniores;* efficit, ut hominum magis misereantur, iis facilius ignoscant etc. Et huc pertinet: *didicisse fideliter artes emollit* etc. Nam Romanorum neque Iurisprudentia nec Theologia nec Ars medendi poterat homines reddere humaniores.

2) Alterutrum tropicum, v. c. Caes. B. G. VI, 13 *Qui aliquo sunt numero atque honore*; ubi alterutrum abesse poterat: *numero* est tropicum, *honore* proprium. Sic *via et ratio ein Mittel*, ubi vel *via* vel *ratio* abesse poterat; prius est tropicum. Sic et nostri: *ich weis Mittel und Wege.*

F) Iunguntur duo vocabula, quorum alterum ideam exprimit *negative*, alterum *affirmative*; at not. 1) utraque idea debet inter se paululum saltem differre; 2) attendi debet, ut posterius sit gravius priori. Sed hoc in omnibus istis additamentis observandum. V. c. *res est praeclara, nec ubivis obvia; homo magnus, nec obscurae famae; liber egregius, nec cum multis comparandus. Quomodo hoc donum spernere nec cum voluptate potius accipere potuisti?* it. *statui rem in lucem proferre, nec amplius tacere.* In his conjunctio fiebat per *et* s. *nec* h. e. *et non.* — Fit vero etiam per *non sed*, vel etiam sine *sed.* Et sic oratio fit gravior, v. c. Cic. Arch. 4 *Adest — Lucullus, qui se non opinari, sed scire, non audivisse, sed vidisse, non interfuisse, sed egisse dicit.* Poterat dicere: *qui se scire, vidisse, imo egisse dicit*; at illud erat gravius. Muren. 9 *Vixit ad aliorum arbitrium, non ad suum;* poterat satis habere ita dixisse; *vixit ad aliorum arbitrium;* poterat, si breviter loqui volebat. — Fit haec copulatio quoque per *non modo non, sed etiam*, v. c. Cic. Arch. 2 extr. *Ut hunc A. Licinium non modo non segregandum — verum etiam — putetis adsciscendum fuisse.* Rosc. Am. 24 *Ex quo si macula concepta est, non modo elui non potest, verum usque eo permanat ad animum, ut summus furor amentiaque consequatur;* ubi verbis *non modo elui non potest* omissis, quae per se intelliguntur, dicere ita poterat: *ex quo si macula concepta est, usque eo permanat ad* etc. At copiosius atque ita gravius loqui voluit. Referam huc ibid. 23 extr. *Quod qui tantum facinus commiserunt, non modo sine cura quiescere, sed ne spirare quidem sine metu, possunt*; ubi *non modo* dictum

dictum est pro *non modo non* ob sequens *ne quidem*; ut itaque utrumque dictum sit negative, ita tamen, ut alterum gravius sit, ac prius per posterius fere tollatur; poterat Cicero dicere: *quod qui tantum facinus commiserunt, ne spirare quidem* etc., quia verba *non modo — quiescere* per se ex illis intelliguntur. — At omnis copia auget, non verba, sed ideas s. notiones. In primis huc pertinet ibid. 25, ubi Cicero, postquam dixerat, Solonem in parricidas nullum supplicium constituisse, addit: *sapienter fecisse dicitur, cum de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat, ne non tam prohibere quam admonere videretur;* nonne hoc gravius ac plenius est, quam si dixisset: *ne admonere videretur*, atque verba *non tam prohibere quam* omisisset, quod forsan multi facturi fuissent?

G) Praeterea et alia vocabula apud Ciceronem conjunguntur ac pro uno ponuntur, si quidem eorum notiones inter se quodam modo differunt, v. c.

1) *Culpa* et *peccatum*, ad Div. V, ep. 21 §. 14 *Tibique persuade, praeter culpam ac peccatum, qua semper caruisti et carebis, homini accidere nihil posse, quod sit horribile et pertimescendum;* ubi simul notes *horribile et pertimescendum*, cum alterutrum horum sufficere posset. *Peccatum* est *omnis error* in universum, omnis declinatio a veritate, proprie a scopo, *ein Fehler*; sed *culpa die Schuld, die man an einem gemachten Fehler hat*, est, quatenus istud peccatum nobis, tanquam auctoribus, tribui potest: interdum peccat aliquis, sed sine culpa h. e. *er fehlt, aber er kann nichts dafür, ist nicht Schuld daran.*

2) *Auctor* et *dux*, Sext. 46 *Qui cum auctores sint et duces suorum studiorum* etc. *Auctor* est, a quo pendet *initium facti* vel *rei; dux*, qui ducit nos ad hanc rem gerendam; parum ergo differunt. Sic *auctor et princeps* alibi jungitur; it. *dux et princeps* saepe. It. *auctores et magistros religionum* vocat Cicero majores Harusp. 9.

3) *Defensor* et *patronus*, Cic. Sext. 46 in. *Harum rerum tot atque tantarum esse defensorem et patronum* etc. parum differunt. Forsan *patronus* est genus vel causa, *defensor* species vel effectus.

4) *Laus* et *gloria*, Arch. 11 *Nullam — virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat praeter hanc laudis et gloriae. — Gloria* est *opinio hominum de nobis bona, late per orbem terrarum vagata*; estque major *laude*. Inverso ordine occurrunt Fontej. 11 extr. *Qui maxime gloria et laude*

laude ducuntur. — It. *gloria* et *fama* Arch. 10 *eodem gloriam famamque penetrare.*

5) *Scelera* et *flagitia* ſaepe conjuncta occurrunt ap. Ciceronem, *Bosheiten und Schandthaten;* v. c. Roſc. Am. 9 Interdum *flagitia et facinora,* v. c. Salluſt. Cat. 23 §. 1.

6) *Sceleratus* et *impius* junguntur Cic. Dejot. 1. — It. *impurus et ſceleratus* ad Attic. VIIII, ep. 15 extr. Sic *impie ſcelerateque* Roſc. Am. 24 *Qui aliquid impie ſcelerateque commiſerint.* Sic *turpiſſimus atque impuriſſimus praetor* Verres vocatur Verr. IIII, 35.

7) *Acerrime fortiſſimeque pugnare* ſaepe occurrit v. c. Caeſ. B. G. V, 43. Sic *aſpere et acerbe accuſatus eſt* Cic. ad Div. I, ep. 5 §. 11.

8) *Moderatiſſimus* et *continentiſſimus* Cic. Arch. 7. Sic *ſanctiſſimus et temperantiſſimus* Fontej. 13.

9) *Donum* et *munus.* Cic. Arch. 8 — *deorum aliquo dono et munere commendati eſſe videantur;* quae parum differunt.

10) Cic. Arch. 11 *Res — attigit hic verſibus atque inchoavit,* parum differunt; verte: *er hat ſich daran gemacht und angefangen.*

11) *Bellum magnum atque difficile* ibid. 9. Sic *bella magna et gravia* Manil. 6.

12) Cic. Arch. 9 *Noſtra ſunt tropaea, noſtra monimenta, noſtri triumphi.* Haec differunt.

13) *Illuſtris* et *glorioſus.* Cic. Fin. I, 11 in. *Sed de clarorum hominum factis illuſtribus et glorioſis ſatis hoc loco dictum ſit. Illuſtris* eſt proprie *in luce poſitus, clarus; glorioſus* eſt *concilians gloriam.*

14) *Deterrere* et *avocare a religione* Cic. Haruſp. 9: illud eſt gravius.

15) Cic. Roſc. Am. 22 *Res tam ſceleſta, tam atrox* (*grauſam, ſchrecklich*), *tam nefaria credi non poteſt.* Ib. *ſi tantum facinus, tam immane tamque acerbum credituri ſint.* Sic jungitur alibi *inhumanitas, crudelitas, immanitas* etc.

16) Cic. Roſc. Am. 24 *Suae malae cogitationes conſcientiaeque animi terrent, ſeine böſen Gedanken, Vorſtellungen, und ſein böſes Gewiſſen ſchreckt ihn;* quae parum differunt.

17) *Formoſus, pulcher,* et *amabilis* junguntur. Cic. ad Div. VIIII, ep. 14 §. 9 *Nihil eſt enim, mihi crede, virtute formoſius,*

mosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Formosius parum differt a *pulchrius.* Illud dicunt de *corpore* tantum dici: quod hoc loco Ciceronis refutatur.

18) Cic. Mil. I *Veterem consuetudinem fori et morem pristinum judiciorum requirunt, vermissen die ehemalige Gewohnheit bey den Gerichten;* ubi *vetus consuetudo fori* et *mos pristinus judiciorum* fere eadem sunt.

19) Ibid. paulo post: *non enim corona consessus vester cinctus est, ut solebat: non usitata frequentia stipati sumus;* ubi *frequentia auditorum* est ipsa illa *corona*, quae cingere judicium solebat, sic dicta ob similitudinem *coronae eines Kranzes;* verti possit *Kreis, Zirkel.*

20) Fin. I, 8 *Maledicta, contumeliae, tum iracundae contentiones concertationesque in disputando pertinaces;* ubi *contentiones* et *concertationes* parum differunt.

21) Offic. III, 6 *Feritas* et *immanitas belluae* etc. — Ac sic multa millia occurrunt; sic *praeclarus, insignis, excellens* jungi possunt, quia paululum differunt, licet unum sufficere possit. — Non dici potest, quam soleant prisci duo vocabula fere sibi aequalia, quorum discrimen vix inveniri cogitarique interdum potest, jungere. V. c. Cic. ad Div. VI, ep. 5 §. 3 *Non mihi sumo, ut plus ipse prospiciam, quam te videre atque intelligere mihi persuaserim*, ubi *videre et intelligere* vix differunt; ibid. ep. 6 §. 22 *Propter exitus eventusque bellorum*, ubi vel *exitus* vel *eventus* sufficiebat. Fin. I, 6 *Complexiones et copulationes et adhaesitationes atomorum*, quae tria sunt fere eadem; ibid. c. 7 *Ista sua sponte et per se esse jucunda*, ubi vel *sponte sua* vel *per se* abesse poterat. Sic Harusp. 10 prope fin. *Renovata atque instaurata.* Sext. 47 *Majoribus praesidiis et copiis oppugnatur resp.* Ibid. jungitur *cunctatio* et *tarditas*, quae vix discernuntur. Sic *spoliatus et expilatus* Verr. IIII, 27 extr. *Spoliatam atque nudatam* Sull. 28 extr. Quomodo differunt *excidere* et *elabi?* Iunxit ea Cicero Catil. I, 6 dicens: *quoties jam tibi extorta est sica ista de manibus!* hactenus recte, est enim *aus den Händen gewunden, vi erepta;* at pergit: *quoties vero excidit casu aliquo et elapsa est!* utrumque indicat, sponte factum esse ac repente; nonne vel *excidit* vel *elapsa est* abesse poterat? Sic fere Virgil. Aen. VI, 310 *Lapsa cadunt folia.* — Addamus illud decantatum satis Catil. II, I in. *Abiit, excessit, evasit, erupit.* Quis haec singula satis distinguat? At haec conjunctio copiosa vix excusanda, nisi oratori, animo maxime commoto ac simul laetitia referto loquenti, talia condonari posse dicas. Nam loquens animo commoto coacervat voca-

 bula

bula interdum plura, quam opus erat: hinc tot pleonafmi. Quanto melius Florus, afpere alioquin loquens, de Caefaris victoria a Pharnace reportata IIII, 2 *more fulminis venit, percuffit, abscefſit.* In primis Caefar faepe jungit duo vocabula, quorum alterum abeffe poterat, v. c. B. G. V, 42 *reliquisque diebus turres — falces, teſtudinesque — parare ac facere coeperunt*, ubi *parare ac facere* parum differunt; — ibid. c. 58 *difperſi difſipatique discedunt.* Quomodo differunt inter fe *difperſi et disſipati?* — VII, 30 *pati et perferre*, ex edit. Oudendorp., quae plane eadem funt; et fic quoque Terent. Andr. I, 1, 35. Sic B. Civ. I, 46 *loca dejecta et inferiora*, quae funt eadem, et II, 31 *disſimulare et occultare*, quae plane non differunt; ac faepius. — Ex his locis omnibus, fi quidem falvi fatis omnes funt, nec manus aliqua interdum inferuit fynonymum aliquod, apparet, quam ftudiofe iftam copiam appetere foliti fuerint prifci.

II) *Ex uno fubſtantivo fiunt duo;* hoc eft, fubftantivum mutatur in genitivum et aliud fubftantivum illi conveniens additur. Nam haec additio non ubique locum habet, fed tantum, ubi perfpicuitatis vel gravitatis caufa nova idea requiritur, qua illud fubftantivum, quod in genitivum mutari debet, magis explicetur et illuftretur. Indicant hae additiones plerumque vel partem illius fubftantivi vel attributum vel caufam:

1) *Partem*, v. c. *vulnerare hominis corpus* pro *vulnerare hominem*: illud rectius et magis definitum; quia fimul pars indicatur hominis, quae vulneratur. Non enim hic totus homo vulnerari dicitur, fed tantum ejus *corpus*; animus etiam dici poffit vulnerari. — Sic *offendit patrem er hat den Vater beleidigt* rectius mutatur ita: *offendit patris animum.* Non enim totus pater fed ejus folus animus offenfus eft. Putida forfan nonnullis diligentia et fubtilitas haec videatur. At *offendere* eft etiam *reperire.* Ergo *patrem offendere* poffit explicari *den Vater finden*, nifi contextus confulatur. At *offendere animum patris* ftatim quisque per *beleidigen*, non *finden*, explicaverit, non confulto antea contextu. — Sic pro *adolefcens mature debet affuefieri praeceptis fapientiae* rectius dicitur: *adolefcentis animus mature* etc. Sic *fapientis animus non timet pericula* pro *fapiens non timet* etc.

2) *Attributum*, fed latiffime fumtum. V. c. pro *tu me reddidiſti fapientem* dici interdum poteft: *tua inſtitutio*, *tua confilia*, *tua praecepta reddiderunt*, it. *tuum exemplum* etc. Poffunt etiam haec e fuperiori regula jungi: *tua praecepta*, *con-*

consilia, et tuum exemplum reddiderunt me etc. — Sic pro *pater mihi haec donavit, frater hoc fecit*, dicere subinde possum: *patris liberalitas mihi* etc., *fratris sapientia, fratris temeritas, hoc fecit.* — Sic pro *milites* dici potest *militum fortitudo*, pro *res rei praestantia* etc., pro *ego contemno mortem* dici potest *meus animus*, vel accuratius *animi mei fortitudo* s. *constantia contemnit mortis acerbitatem;* potest et geminatis substantivis ita dici: *animi fortitudo ac constantia mortis acerbitatem et terrorem contemnit.* — Cic. ad Div. V, ep. 2 §. 22 *Hujus ego temeritati si virtute et animo non restitissem* etc. rectius quam: *huic ego si non* etc.; *temeritas* est attributum *hujus* h. e. Metelli fratris. — Sext. 47 extr. *Quem neque periculi tempestas neque honoris aura potuit — de suo cursu — demovere* pro *neque periculum neque honor potuit* etc. At recte addit *tempestas* et *aura*, ob verba *de cursu*: proprie enim *cursus* de *navigatione* dicitur; ibique *tempestas auraque* multum valet: *tempestas saeva*, qualis hic intelligitur, navem repellit, at *aura*, pone sequens, adjuvat illius cursum. Hinc et *aura popularis* dicitur de favore populi romani, quia per hunc homines ad summos honores perveniebant; quod hodie non fit; hinc hodie vix *aura popularis* usurpari poterit. Favor ille populi romani erat *aura*, quia, instar aurae, propellebat, ut ita loquar, navem eorum, qui per populum multa consequi studebant, atque ita ipsorum cursum adjuvabat. — Huc pertinent alia exempla, v. c. *fefellit curam, diligentiam, custodum* pro *custodes; reliquit hujus vitae molestiam* pro *hanc vitam; commisit se meae curae* pro *commisit se mihi; confisus est fidei Caji* pro *Cajo* etc. At haec exempla ita proprie sunt explicanda: *fefellit custodes, licet curam* vel *diligentiam adhiberent; reliquit vitam, quae ipsi molesta erat; commisit se mihi, ut curam ejus gererem: confisus est Cajo, quia fidelis videbatur.* Hinc patet, istas additiones, si recte examines, non tam copiam quandam quam brevitatem dicendi efficere. Quid enim brevius est? utrum hoc: *fefellit custodum curam?* an illud: *fefellit custodes, licet curam adhiberent?* Sic haud dubie *reliquit vitae molestiam* brevius est dictum quam *reliquit vitam, quae ei molesta erat;* et sic in aliis. Fateor, prima specie videri esse copiam, si audio pro uno substantivo poni duo; at aliter videtur res accuratius cogitata. Potest et dici, *reliquit vitae molestiam* positum esse pro *reliquit vitam molestam*, ut tantum adjectivum in substantivum mutatum sit; de qua re jam supra p. 308 2) dictum est.

3) *Cau-*

3) *Caussam* in primis; v. c. *laudo fratris sapientiam* pro *laudo fratrem;* at hoc non nisi de sapiente dici posse patet et dictum proprie est pro *laudo fratrem*, *quod sapiens est;* sic *pepercit illius pueritiae* recte dici interdum potest pro *pepercit illi;* at non nisi de puero dici potest. Ac proprie positum est pro *pepercit illi*, *quia puer erat;* ut adeo, si vere aestimas, haec forma dicendi magis brevitatis quam copiae nomen mereatur. Nam brevius est dictum *pepercit illius pueritiae* quam *pepercit illi*, *quia puer erat* s. *ob pueritiam ejus.* — Pertinet hoc genus in primis ad gravitatem dicendi, quia tali modo totum argumentum s. caussa, *quia puer est*, uno vocabulo exprimitur. Iam, quo brevius multitudo idearum exprimitur, eo magis mentem ferit animumque movet. Sic Cic. ad Div. V, ep. 4 §. 6 *Tu, tuas inimicitias ut reipublicae condonares*, *te vicisti* pro *ut tuas inimicitias ob rempublicam*, s. *quia reipublicae interesse videbas*, *deponeres* Liv. XXXVIIII, 5 *Alterum — suas inimicitias remisisse reipublicae* pro *deposuisse ob reipublicae commodum.* Cic. ad Div. VIIII, ep. 14 §. 14 *Hoc si tibi fortuna quadam contigisset*, *gratularer felicitati tuae* etc. Hic *gratularer felicitati tuae* non est simpliciter dictum pro *gratularer tibi*, sed pro *gratularer tibi*, *quod tam felix esses* etc. De hac re infra in cap. de brevitate dicetur: nam profecto potius eo pertinet.

III) *Substantivo adduntur libenter adjectiva*, sed apta, v. c. *ver laetum*, *hyems tristis*, *saeva; deus benignus*, *justus; bellum grave*, *magnum*, *difficile* etc. At semper videndum, ut exprimat attributum aliquod contextui conveniens. V. c. *deus benignissimus nostrae felicitati prospicere nondum desiit:* hic recte dicitur *deus benignissimus*, et perperam dicatur *deus justus*, quia verba *nostrae felicitati prospicere* etc. conveniant magis benignitati quam justitiae; at stultum foret dicere: *deus benignus vindicat flagitia* etc.: hic magis convenit *deus justus.* Videndum, ut epitheta ne sint inania. Ne poetis quidem, si accurati esse cupiunt, dignum est adjectivis inanibus et contextui nullam vim addentibus uti, nedum prosaicis. Cicero ubique diligens est in hac re. Exempla vix afferri possunt, quia sine contextu toto non intelligi potest satis, utrum epitheta necessaria per se fuerint apteve sint posita, nec ne. Et tirones in legendo scriptore prisco credunt vulgo, singula verba, quae vertunt, necessario adesse debuisse. Cic. ad Div. III, ep. 8 §. 18 ait: *non potui in illo sumtu* (provincialium) *non necessario negligens esse*, h. e. *ich konnte bey dem so unnöthigen Aufwande nicht*

nach-

nachsehend, nicht gleichgültig, seyn. Sic enim explicandum. In Clave Cic. Ernestii Edit. quart. *negligens* explicatur *largus, effusus*, laudato hoc Ciceronis loco. Quod quomodo fieri possit et contextui conveniat, equidem conjectura assequi non valeo. Ceterum *non necessario* abesse poterat per se. Sponte vero addidit Cicero, ut Appius videret, istum sumtum non necessarium fuisse, atque ita Ciceronem, quod eum impedisset atque ita paupertati provincialium consuluisset, minime ab Appio culpandum esse. Inest in hoc epitheto argumentum s. causa, quam ita exprimere, si voluisset, poterat: *in sumtu isto, quia eum plane non necessarium esse videbam, negligens* etc. — Liv. VIII, 7, postquam narraverat, Manlium jussisse filium securi feriri, pergit: *exanimati omnes tam atroci imperio* etc. Recte *imperium hoc* (*dieser Befehl, Ordre*) vocatur *atrox*; dicere poterat: *exanimati omnes hoc imperio*, quia per se intelligitur fuisse atrox. At gravitatem rei auget epitheton tale, quod ideam, licet jam notam, repetit et animo imprimit. Plura exempla afferre supersedeo. — Loquor vero hic tantum, ne quis hic erret, de adjectivis, non per se necessariis, sed ad majorem vel perspicuitatem vel gravitatem tantum addendis. Non loquor de necessariis, v. c. *patres benignos magis amamus quam saevos*; hic *benignos* et *saevos* requirebantur, nisi verba omni sensu carere deberent. Notandum epitheta, quae alibi bona sunt, interdum inepta esse posse; v. c. alius mihi dicere potest: *veniam in tuos hortos pulchros, vidi tuos libros egregios.* At ego nequeo dicere: *veni in pulchros meos hortos* etc. sine affectationis vel ambitionis crimine; praeterquam jocose. Sic non omne bellum potest dici *grave, difficile, magnum.* Quando vero Cicero dixit Manil. 2: Romanos olim bella magna et gravia ob salutem sociorum gessisse, recte dixit. Omninoque videndum, ut, quot verba, totidem aptae notiones ponantur.

IIII) Saepissime *ablativo* additur *participium*, ad causam indicandam, cur aliquid fiat factumve sit, ubi in vernacula non semper additur. Talia sunt *ductus, adductus, motus, impulsus, incitatus, commotus, incensus, inflammatus, doctus, instructus, munitus, captus, delinitus, corruptus, actus, deceptus, victus, fretus, confisus, coactus, prohibitus, impeditus, exclusus, lacessitus, perterritus, attonitus, ictus* etc. Pro *feci hoc cupiditate rei* vel *amore tui* possum dicere *feci hoc rei cupiditate* vel *tui amore ductus, adductus, motus, impulsus, incitatus*, ac, si cupiditas vel amor paulo gravior est, *incensus, inflam-*

inflammatus, et augendi causa *abreptus* s. *ablatus* i. e. *hingerissen*, it. *coactus*. Pro *coepit fugere hostium metu* dicere licet: *coepit fugere hostium metu ductus*, *adductus*, *motus*, *commotus*, *impulsus*, *incitatus*, *perterritus conterritus*, et augendi causa *ictus*, *abreptus*, *ablatus*, *attonitus*. — Negative loquenti addere eadem fere participia licet, ac praeterea haec: *impeditus*, *prohibitus*, *exclusus*, interdum *absterritus*, *deterritus*; v. c. *non poteram id facere temporis angustia impeditus*, *prohibitus* s. *exclusus*. Sic pro *non facere ausus est metu gravi* dicere licet: *non facere ausus est metu gravi deterritus*, *absterritus*, *impeditus* s. *prohibitus*. Sic *inopia rei familiaris impeditae sorores emere illa non potuerunt*. Sic *experientia doctus* s. *edoctus* pro *experientia*. Sic *aetate confectus* de sene, proprie *durch die Iahre entkräftet*. — At semper hic videndum, ut propria significatio participii servetur. Exempla e priscis haec afferam pauca: Cic. ad Div. III, ep. 8 §. 18 *Ego autem cum hoc suscepissem non solum justitia sed etiam misericordia adductus* etc. h. e. *nicht nur aus Gerechtigkeit sondern auch aus Mitleiden*. Orat. I, 9 *Quis enim tibi hoc concesserit*, — *genus humanum* — *non prudentium consiliis* compulsum *potius quam disertorum oratione* delinitum *se oppidis moenibusque sepsisse?* h. e. *daß das menschliche Geschlecht sich nicht vielmehr auf das Anrathen kluger Männer als durch das Reden beredter Leute* etc.: ubi apte additur *compulsum* et *delinitum*. Verr. III, 1 in. *Omnes, qui alterum, judices, nullis* impulsi *inimicitiis*, *nulla privatim* laesi *injuria*, *nullo praemio* adducti *in judicium reipublicae causa vocant* etc. et statim: *atque eo magis, si id, ut ante dixi, faciunt nulla re* commoti *alia*, *nisi utilitate communi;* ac statim: *atque ille his praesidiis ingenii fortunaeque* munitus *tamen hac cura continebatur* etc. poterat dicere *instructus* pro *munitus*. Verr. IIII, 34 extr. *Itaque aliquando multis malis magnoque metu* victi *Segestani praetoris imperio parendum esse decreverunt* i. e. *wegen des Unglücks, das Verres ihnen zufügte, und aus großer Furcht, er möchte sie noch mehr plagen, beschlossen sie endlich seinem Befehle zu gehorchen*. Fin. I, 10 *At vero eos et accusamus et justo odio dignissimos judicamus*, *qui blanditiis praesentium voluptatum* deliniti atque corrupti, *quos dolores et quas molestias excepturi sint*, occaecati *cupiditate non provident* etc. Verr. IIII, 40 *Donec populus atque universa multitudo*, *atrocitate rei misericordiaque* commota, *senatum clamore coegit* etc. — Caes. B. G. I, 2 *Is — regni cupiditate* inductus *conjurationem nobilitatis fecit* etc. *aus Begierde zur königlichen Würde machte er* etc. Ib.

c. 3 *His rebus* adducti *et auctoritate Orgetorigis* permoti *conſtituerunt* etc. Et eod. cap. extr. *Hac oratione* adducti *inter ſe fidem et jusjurandum dant* etc. Ib. c. 11 *Quibus rebus* adductus *Caeſar non exſpectandum ſibi ſtatuit.* c. 13 *Helvetii, repentino ejus adventu* commoti, — *legatos ad eum miſerunt.* c. 15 *Quo praelio* ſublati (ſtolz gemacht) *Helvetii — audacius ſubſiſtere — coeperunt.* c. 16 extr. *Praeſertim cum — eorum precibus* adductus *bellum ſusceperit* etc. *auf ihr Bitten.* c. 18 in. *Liſcus oratione Caeſaris* adductus — *proponit.* c. 27 in. *Helvetii omnium rerum inopia* adducti *legatos de deditione ad eum mittunt.* Poterat et hic dicere *coacti*, ut Terent. Andr. I, 1, 45 *Ex Andro commigravit huc viciniae inopia et cognatorum negligentia coacta.* — Liv. I, 7 *Cacus* — captus *pulchritudine boum*, *cum avertere eam praedam vellet* etc. ibid. 12 non proc. ab in. *Romulus et ipſe turba fugientium* actus (propr. *getrieben*) *arma ad coelum tollens, inquit* etc. et paulo poſt: *et alia Romana acies audacia regis* accenſa *fundit Sabinos.* cap. 16 *Romana pubes — velut orbitatis metu* icta *moeſtum aliquamdiu ſilentium obtinuit;* et paulo poſt: *cum* perfuſus *horrore venerabundusque adſtitiſſem* etc. II, 12 *Cum rex ſimul ira* infenſus *periculoque* conterritus *circumdari ignes minitabundus juberet;* et ſtatim: attonitus *miraculo, cum ab ſede ſua proſiluiſſet* etc. Add. I, 45 *Religione* tactus *hoſpes — ex templo deſcendit ad Tiberim* i. e. *aus Andacht, Andächteley, Aberglauben, Reſpect, Gewiſſensſcrupel* etc. Saepius etiam uſurpat Livius *excitus*, v. c. I, 7 *Evander concurſu paſtorum* — excitus *poſtquam — audivit* etc. c. 14 Excitus *Romulus — exercitum educit.* — Add. Sulp. in Epp. Cic. ad Div. IIII, ep. 12 §. 7 *Reliquos ajebant profugiſſe metu* perterritos i. e. *aus Furcht;* Caeſ. B. G. VII, 26 *Quo timore* perterriti *Galli — deſtiterunt* etc. Sic *excluſus*, Cic. Verr. IIII, 27 *Hi — poſteaquam temporibus* excluſi *per ſenatum agere, quae voluerunt, non poterant* etc. Cf. ſupra commutatio participiorum cum praepoſitionibus c. 8 ſect. 5 n. VI, 3 p. 353: nam haec participia poſſunt per *ob* ſ. *propter* explicari. Ceterum apparet, hanc additionem participiorum fieri maxime ob perſpicuitatem, quippe quae eo major fit, quo major ſubtilitas eſt in verbis eorumque compoſitione.

V) Saepiſſime *verbum*, proprie ita dictum, mutatur in *participium*, et huic deinde aliud *verbum* additur; at hoc non fruſtra adeſſe ſed ſemper aliquid majus exprimere debet, in primisque *eventum* aliquem; v. c. pro *urbs incenſa*

eſt

est dici poteſt *urbs incenſa flagrat;* at hoc proprie eſt *die Stadt iſt angezündet worden und brennt noch:* ſic pro *miles confoſſus eſt gladio* dici poteſt *miles gladio confoſſus cecidit:* ſic *miles ſagitta ictus periit* pro *ictus eſt;* at τὸ *cecidiſſe* et *perire* proprie intelligi debet. — Neque enim iſta additio eſt pleonaſmus. Sic *pater aegrotans jacet* pro *pater aegrotat:* at hoc tantum indicat, patrem aegrotare, nec ſimul in lecto jacere; at illud notat utrumque. Ergo *pater aegrotans jacet*, ut noſtrum *liegt krank*, graviorem morbum indicat quam *pater aegrotat.* Sic Phaedr. I, 24 de rana: *rupto jacuit corpore* pro *rupta eſt:* poterat et dicere *rupta jacuit.* In primis hic divites ſunt poetae, v. c. *ſagitta miſſa, haſta contorta, volabat* pro *mittebatur, contorquebatur.* — Exempla paucula ad imitandum laudabo. Cic. Acad. IIII, 1 *Itaque, ut literis conſignamus, quae monimentis mandare volumus, ſic ille in animo res inſculptas habebat* pro *inſculpſerat.* At illud gravius: indicat enim ſimul *res in animo manſiſſe.* Orat. I, 10 *Stoici vero noſtri diſputationum ſuarum atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent* pro *irretirent:* at illud gravius. Haruſp. 9 *cognovi, multa homines doctiſſimos — et dixiſſe et ſcripta de deorum immortalium numine reliquiſſe* pro *et dixiſſe et ſcripſiſſe:* at illud plus indicat. Cap. 10 *quorum de ſententia illa eadem renovata atque inſtaurata celebrantur* pro *renovantur atque inſtaurantur;* at illud gravius. Cap. 11 in. *Vis enim innumerabilis — ſervorum ab hoc aedili religioſo in ſcenam, ſigno dato, immiſſa irrupit* pro *immiſſa eſt:* at illud gravius. Cap. 12 *quorum* (ludorum) *religio tanta eſt, ut ex ultimis terris arceſſita in hac urbe conſederit* pro *ut ex ultimis terris in hanc urbem arceſſita ſit.* At illud gravius. Liv. I, 31 extr. *Ipſum regem tradunt — fulmine ictum cum domo conflagraſſe* pro *fulmine ictum eſſe.* At quisque videt illud gravius eſſe dictum: nam poteſt aliquis ictus eſſe nec tamen cum domo conflagraſſe. Hinc patet, talia additamenta prudenter adhibenda eſſe, ne vel minus vel plus dicamus, quam dicendum ſit.

VI) *Verbum finitum* millies apud priſcos mutatur in *infinitum* addito alio, at apto, *Verbo* proprie ſumto, v. c. *puto, arbitror, exiſtimo, judico, conſtat, certum eſt, notum eſt, audivimus, accepimus, dicunt, video, intelligo, mihi videtur, laetor, doleo* etc., v. c. pro *nihil pulchrius eſt virtute* dici poteſt *nihil pulchrius virtute eſſe conſtat* ſ. *ſcimus, omnes ſciunt, quis neſcit* etc. Sic *patrem tuum ſcio doctum eſſe* pro *pater tuus eſt doctus:* in primis cum *qui quae quod*, v. c. *amiſi*

amisi patrem, quem doctissimum fuisse omnes affirmant, fatentur etc. Sed haec non frustra addenda sunt; hoc foret nugari: imo addita notiones suas tenere debent. Cicero ita millies, v. c. ad Div. VI, ep. 4 §. 18 *Ego, quae te velle quaeque ad te et ad tuos pertinere arbitrabor, omnia studiose diligenterque curabo* pro *Ego, quae tu voles, quaeque ad te et ad tuos pertinebunt, omnia* etc.: Recte: ego enim non omnia, *quae* ad aliquem *pertinent*, curare possum, sed tantum ea, quae *arbitror* ad eum pertinere. Sic ep. 23 §. 5 *polliceor, me, quaecunque saluti dignitatique tuae conducere arbitrabor, — facturum* pro *quaecunque — conducent:* IIII, ep. 14 extr. *Tu velim, et quid agas et quid acturum te putes, facias me certiorem* pro *quid acturus sis.* Act. I in Verr. 14 in. *Quo me tandem animo fore putetis, si quid in hoc ipso judicio intellexero — esse violatum atque commissum* pro *quo tandem animo ero, si quid in hoc ipso judicio erit violatum atque commissum.* Ad Div. IIII, ep. 7 in. *Etsi eo te adhuc consilio usum intelligo, ut id reprehendere non audeam, non quin ab eo ipse dissentiam, sed quod ea te sapientia esse judicem, ut meum consilium non anteponam tuo, tamen — tua summa erga me benevolentia — me hortata est, ut ea scriberem ad te, quae et saluti tuae conducere arbitrarer et non aliena esse ducerem a dignitate.* Hic *te usum intelligo* est pro *usus es, te esse judicem* pro *sis, conducere arbitrarer* pro *conducerent,* et *aliena esse ducerem* pro *aliena essent.* At *Verba* tamen addita simul suam vim tenent, et orationem subtiliorem reddunt. Manil. 6 *Quo tandem animo esse existimatis aut eos, qui vectigalia pensitant, aut* etc. pro *Quo tandem animo sunt aut ii* etc.? ibid. c. 10 *Ego enim sic existimo in summo imperatore quatuor has res inesse oportere* pro *nam in summo imperatore quatuor has res inesse oportet.* Ad Div. V, ep. 21 §. 5 *utor eodem perfugio, quo tibi utendum censeo* pro *quo tibi utendum est.* At illud modestius. Ad Div. II, ep. 18 §. 4 *nolo habere inimicos, — quos video deinceps tribunos plebis per triennium fore* pro *qui deinceps tribuni plebis — erunt:* V, ep. 20 §. 15 *Quae cum viderem tot vestigiis impressa, ut in his errari non posset* etc. pro *Quae cum essent tot vestigiis impressa* etc. At illud gravius. Agr. II, 5 in. *quorum* (Gracchorum) *consiliis — multas esse video reipublicae partes constitutas* pro *multae reip. partes constitutae sunt:* c. 4 in. — *quam* (libertatem) *non solum ab hominibus verum etiam a bestiis — expeti videtis* pro *quae non solum — a bestiis expetitur.* Manil. 9 *Hoc jam fere sic fieri solere accepimus* (i. e. *audivimus*), *ut regum afflictae fortunae facile multorum opes alliciant* etc. pro *Hoc jam fere sic*

fieri ſolet, *ut* etc.: ibid. *Multa praetereo conſulto*, *ſed ea vos conjectura perſpicite*, *quantum illud bellum factum putetis* pro *quantum illud bellum factum ſit*: cap. 11 *quam multas exiſtimatis inſulas eſſe deſertas!* pro *quam multae inſulae deſertae ſunt!* c. 12 *tum facilius ſtatuetis*, *quid apud exteras nationes fieri exiſtimetis* pro *quid* — *fiat*, *Dann könnet ihr leichter urtheilen*, *was bey auswärtigen Nationen geſchehen mag.* Verr. IIII, 35 *Quem tibi aut hominem* — *aut vero deum* — *auxilio futurum putas?* pro *Quis tibi aut homo aut deus auxilio erit?* Ad Div. II, ep. 18 §. 4 *Nocere tibi iratum neminem poſſe perſpicio* pro *Nocere tibi iratus nemo poteſt.* Verr. I, 15 *Ipſe Sulla* — *hominem removit*, *Beneventi eſſe juſſit apud eos*, *quos ſuis partibus amiciſſimos eſſe intelligebat* pro *qui partibus ſuis amiciſſimi erant.* Ad Div. IIII, ep. 13 extr. *Ego*, *quae ad te pertinere intelligam*, *ſtudioſiſſime curäbo* pro *quae pertinebunt.* Sic VI, ep. 23 §. 6 *Si quid ad me ſcripſeris*, *ita faciam*, *ut te velle intellexero* pro *ut tu volueris*, *wie du es wirſt haben wollen.* — Sic *ſcio*, *ſcimus* etc. additur, v. c. Manil. 7 *Nam tum*, *cum in Aſia res magnas permulti amiſerant*, *ſcimus Romae*, *ſolutione impedita*, *fidem concidiſſe* pro *Nam tum*, *cum* — *amiſerant*, *Romae* — *fides concidit*: c. 12 *Cnidum aut Colophonem* — *nobiliſſimas urbes* — *captas eſſe memorem*, *cum veſtros portus* — *in praedonum poteſtate fuiſſe ſciatis?* pro *cum veſtri portus* — *fuerint?* — Sic *ſcito* millies in Epiſtolis Cic. additur, v. c. V, ep. 20 §. 20 *quod ſcribis de beneficiis*, *ſcito a me et tribunos militares* — *delatos eſſe* pro *a me et tribuni* — *delati ſunt.* — Sic *certum eſt*: Act. in Verr. I, 18 in. *Mihi certum eſt non committere*, *ut in hac cauſa praetor nobis conſiliumque mutetur* pro *non committam*, *ut* etc. — Sic *ſentio*, *recordor*, *fateor*, *polliceor*, *reperior* etc. additur. Cic. Agr. II, 16 *auctoritatem ſenatus exſtare hereditatis aditae ſentio* pro *auctoritas* — *exſtat* etc.: ibid. *Haec L. Philippum ſaepe in ſenatu confirmaſſe memoria teneo* pro *Haec L. Philippus* — *confirmavit.* Catil. II, 4 *Quis* — *veneficus* — *inveniri poteſt*, *qui ſe cum Catilina non familiariſſime vixiſſe fateatur* pro *qui* — *non vixerit.* Verr. Act. I, 13 extr. *haec omnia me diligenter ſevereque acturum eſſe polliceor* pro — *ego acturus ſum* etc. Roſc. Am. 23 *dormientes eos repertos eſſe* pro *eos dormiſſe.* — Sic et in primis *videri* ſolet addi, v. c. Manil. 23 in. *Quare etiamſi quem habetis*, *qui collatis ſignis exercitus regios ſuperare poſſe videatur* etc. pro *poſſit.* Agr. II, 2 *ut veſter honos ad mei temporis diem petitus non ad alienae petitionis occaſionem interceptus*, *nec diuturnis precibus efflagitatus*,

tatus, *ſed dignitate impetratus eſſe videatur* pro *ſit*. Manil. c. 4 extr. *ſed de Lucullo — ita dicam, ut neque vera laus ei detracta oratione noſtra neque falſa afficta eſſe videatur* pro *neque detrahatur — neque affingatur* etc., et ſic ſexcenties. — Ita et *volo:* v. c. ad Div. II, ep. 18 §. 5 *Cur ego te velim incidere in terrores tribunicios?* pro *cur incidas in terrores tribunicios? warum ſollteſt du gerathen?* etc. Ita et alia verba addi poſſunt, ſed haec omnia verba addita vim ſuam propriam tenere debent, nec fruſtra temereque addi poſſunt.

VII) In primis Cicero aliique priſci ſaepiſſime *verbum finitum* mutant in *gerundium*, vel, ſi ſubſtantivum adeſt, in participium futuri paſſivi, et cum *eſſe* et ſine *eſſe*, atque deinde addunt *puto* ſ. *arbitror, exiſtimo, credo, cenſeo, judico, ſtatuo, duco, videri*, interdum *video* cet. v. c. *ſcribendum putavi* pro *ſcripſi*; *has literas ad te mittendas cenſui* pro *miſi*. At in his omnibus verborum additorum ratio proprie habenda eſt, nec v. c. dici poteſt: *moriendum putavit* pro *mortuus eſt:* hoc enim non a voluntate hominis pendet; proprie *ſcribendum putavi* eſt *ich habe geglaubt ſchreiben zu müſſen*, ergo *ſcripſi:* eſt antecedens pro conſequente. Exempla haec dabo: Cic. Orat. I, 2 *ſolesque — a me — diſſentire, quod ego prudentiſſimorum hominum artibus eloquentiam contineri ſtatuam; tu autem illam ab elegantia doctrinae ſegregandam putes et in quodam ingenii atque exercitationis genere ponendum* pro *tu autem illam — ſegreges et in — genere ponas:* ibid. *Ac ne quis forte cum aliis ſtudiis — magis hanc dicendi rationem — comparandam putet* pro *comparet*. Orat. III, 44 *Haec igitur duo, vocis dico moderationem et verborum concluſionem, — a poetica ad eloquentiam traducenda duxerunt* pro *traduxerunt*. Divin. in Caecil. 2 *Adductus ſum officio, fide, — ut onus hoc laboris — mihi ſuſcipiendum putarem* pro *ut onus hoc laboris ſuſciperem*. Verr. I, 58 *quem pater moriens tum tutoribus et propinquis, tum legibus, tum aequitati magiſtratuum, tum judiciis veſtris commendandum putavit* pro *commendavit*. At illud accuratius. Manil. 1 *omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi* pro *transmiſi:* ibid. *qui ei quoque rei fructum ſuo judicio tribuendum eſſe cenſuerunt* pro *tribuerunt*; et ſtatim: *Atque illud in primis mihi laetandum jure eſſe video* pro *laetor jure:* c. 8 in. *In quo maxime laborandum eſt, ne forte a vobis, quae diligentiſſime providenda ſunt, contemnenda eſſe videantur* pro *contemnantur:* c. 9 *Erat enim metus injectus*

iis nationibus, quas nunquam populus romanus neque lacessendas bello neque tentandas putavit pro *neque lacessivit bello neque tentavit* h. e. *adortus est.* Agr. II, 4 *quod* (otium) *ita jucundum est, ut et vos et majores vestri et fortissimus quisque vir maximos labores suscipiendos putet, ut aliquando in otio possit esse* pro *suscipiat* etc. Sext. 2 med. *eorum scelere, qui cum omnibus salutis meae defensoribus bellum esse sibi gerendum judicaverunt* pro *bellum gesserunt.* Manil. 14 *postremo signa et tabulas ceteraque ornamenta graecorum oppidorum, quae ceteri tollenda esse arbitrantur, ea sibi ille* (Pompejus) *ne visenda quidem existimavit:* hic bis copia ista usus est Cicero, ut appareat, quantopere ea delectatus sit; *tollenda esse arbitrantur* est pro *tollunt*, et *ne visenda quidem existimavit* pro *ne visebat quidem* seu *ne vidit quidem.* In Epistolis Ciceronis nihil frequentius, v. c. ad Div. V, ep. 5 §. 1 *aliquid mihi scribendum putavi* pro *scripsi:* ep. 12 §. 12 *et si liberius, ut consuesti, agendum putabis* pro *ages:* XV, ep. 4 §. 31 *Ipsam quidem gloriam per se nunquam putavi appetendam* pro *appetivi.* Vatin. ad Cic. in Epp. ad Div. V, 10 extr. *Quare te rogo — meam causam agas meque — defendendum putes* pro *defendas*, et sic millies. Sic et alii scriptores, v. c. Caes. B. G. 1, 7 *Caesar — concedendum non putabat* pro *non concedebat:* cap. 11 extr. *Quibus rebus adductus Caesar non exspectandum sibi statuit, dum* etc. pro *non exspectavit:* cap. 23 in. *rei frumentariae prospiciendum existimavit* pro *prospexit* s. *prospicere voluit* etc. At haec additio verborum non quadrat, nisi de certa voluntate ac judicio sermo est: hinc et saepe per *velle* explicari vel potest vel debet, v. c. *scribendum putavi* h. e. *scribere volui* etc.

VIII) Adduntur etiam vocabula, notionem *causae, modi, temporis, loci* aliasque determinationes enuntiationum continentia: qua re perspicuitas et gravitas egregie adjuvatur. Ea sunt in primis *adverbia*, it. *pro, propter* et aliae praepositiones cum suis casibus: v. c. pro *deus non desinit nos beneficiis afficere* possis dicere: *deus, pro sua summa benignitate, non desinit nos quotidie* etc.; pro *quis tam multas res a Caesare gestas narrare possit?* dicere licet: *quis tam multas res a Caesare fortissime gestas satis* s. *pro dignitate referre* s. *exponere possit?* — Pro *dei sapientiam non satis admirari possumus* dici potest: *dei sapientiam nunquam satis* etc.; pro *deus nos innumeris beneficiis cumulavit* possis dicere: *deus nos inde ab ineunte aetate innumeris* etc.; pro *Homerus Achillis res gestas*

cecinit

cecinit dici poteſt: *Homerus Achillis res geſtas praeclare cecinit.* — Omninoque verbis adverbia, ubicunque licet, addi debent. Cicero ita millies, v. c. Roſc. Am. 22 *ut, propter quos hanc ſuaviſſimam lucem adſpexerit, eos indigniſſime luce privarit*: ubi *indigniſſime* a multis forſan omiſſum fuiſſet; c. 25 *Sapienter feciſſe videtur, cum de eo nihil ſanxerit, quod antea commiſſum non erat* etc., ubi *antea* per ſe abeſſe poterat, quia per ſe intelligitur. Verr. IIII, 29 *et vehementer petere coepit*; et ſtatim: *iſte homini minari acerrime coepit*, ubi *vehementer* et *acerrime* valde augent. Manil. 1 *et meus labor in privatorum periculis caſte integreque verſatus* etc., et ſtatim: *facile intellexi et quid de me judicaretis* etc., ubi *caſte integreque* et *facile* non ſine gravitate addita ſunt; c. 3 *delenda vobis eſt illa macula, — quae penitus jam inſedit atque inveteravit in populi romani nomine* etc., ubi *penitus* auget. Orat. I, 1 in. *Cogitanti mihi ſaepenumero et memoria vetera repetenti perbeati fuiſſe illi videri ſolent* etc., ubi *ſaepenumero* additum eſt. Talia additamenta in primis pertinent ad ſubtilitatem narrationis, quae poſtulat, ut nulla determinatio rem illuſtrans omittatur. Sic Sulpic. narrat caedem Marcelli in epiſt. ad Cic. in epp. ad Div. IIII, 12 §. 4 *Poſtridie ejus diei — circiter hora decima noctis Poſtumius, familiaris ejus, ad me venit et mihi nuntiavit, M. Marcellum collegam noſtrum poſt coenae tempus a P. Magio — pugione percuſſum eſſe et duo vulnera accepiſſe, unum in ſtomacho, alterum in capite ſecundum aurem* etc., ubi *poſtridie ejus diei, circiter hora decima noctis, pugione, ſecundum aurem* addidit, quia accurate narrare voluit. Ibid. *Nos in nobiliſſimo orbis terrarum gymnaſio Academiae locum delegimus, ibique eum combuſſimus, poſteaque curavimus, ut iidem Athenienſes in eodem loco monimentum ei marmoreum faciendum curarent.* Singula accurate, *in nobiliſſimo — Academiae, ibique, in eodem loco.*

VIIII) *Repetitur* ob gravitatem dicendi interdum *idem vocabulum*; v. c. quando ego fratrem rogo, ut mihi ignoſcat, dicere poſſum: *rogo te, ut frater fratri ignoſcas* pro *ut mihi ignoſcas.* Latet ſimul argumentum ſ. cauſa, cur mihi ignoſcere debeat, ſcilicet quia frater ejus ſum. Sic gravius dictum eſt: *quomodo tu ſocius ſocium, amicus amicum, decipere potuiſti*, quam *quomodo tu ſocium, amicum* etc. Cic. Mur. 41 extr. *Quem ego vobis — conſul conſulem ita commendo* etc. Liv. II, 12 Mucius ait Porſenae: *Romanus ſum civis: C. Mucium vocant: hoſtis hoſtem occidere volui* pro *te*

 volui

volui occidere. Hoc copiae genus videtur potius esse brevitas quaedam, quia causa simul inclusa latet. — Sic repeti quoque potest aliud vocabulum relationis oppositae, v. c. *quomodo tu pater filium odisse potuisti? quomodo tu filius patrem necare potuisti?* ubi *pater* et *filius* abesse poterant, at valde augent vim orationis. Huc retulerim repetitionem vocabuli *omnes*, *multi* etc., v. c. *multas multorum causas suscepit*, *omnibus omnium commodis prospicit deus*: in quo est gravitas. Cic. Verr. II, 12 in. *Nemini dubium est*, *quin omnes omnium pecuniae positae sint in eorum potestate*, *qui judicia dant*, *et eorum*, *qui judicant.*

X) In primis copia dicendi, quod ad singula vocabula attinet, cernitur in *circumscribendo* uno vocabulo per plura. Fit hoc triplici modo: *primum* per *definitionem* latissime sumtam, h. e. omnem descriptionem sive brevem sive latam, sive accuratam seu minus accuratam, sed semper talem, ut e contextu, quae res indicetur, statim intelligi possit, licet in compendio philosophico pro definitione justa non habeatur. *Deinde* per *partitionem*, μερισμόν. *Denique* per *comparationem.* In his omnibus spectatur 1) *perspicuitas*, quia pluribus verbis magis licet ideam aliquam declarare quam uno: 2) *suavitas*, quia ita vituperationem quandam vel laudem tecte includere simul licet: ac deinde variatio, fons suavitatis, adjuvatur: 3) *gravitas*, si argumentum s. causa simul includitur, ut saepissime fieri hic solet. Et argumenta tecte intexta ob brevitatem saepe valde animum feriunt: 4) *periodica* et *numerosa structura*, quam patet melius per *circumscriptiones*, quam per singula verba, adjuvari.

A) *Circumscriptio singulorum vocabulorum* per *definitionem* vel *descriptionem* et *explicationem* quamcunque. Possum v. c. de deo loquens ita dicere: *stultum est eum vituperare*, *cujus sapientiam ne satis quidem perspicimus* pro *stultum est deum vituperare*: it. *amare eos debemus*, *qui nobiscum vinculo cognationis conjuncti sunt* pro *amare debemus cognatos.* Nihil frequentius apud priscos et in primis Ciceronem tali circumscriptione. Quae cum sit res valde tenenda et imitanda, plura exempla afferre me non pigebit. Duplicem faciam descriptionem, breviorem s. simplicem et majorem s. uberiorem.

1) *Breviores descriptiones* per *qui quae quod*, *quid*: quae tantum periodis struendis serviunt, interdum et variationi, ceteroquin non magis perspicuae gravesque sunt, quam singula

ſingula vocabula circumſcripta, v. c. pro *auditores* dixit Cicero ſaepe *qui audiunt*, v. c. Invent. I, 55 *Quintus eſt, per quem omnia ante oculos ſingillatim incommoda ponentur, ut videatur is, qui audit, videre* h. e. *ut videatur auditor videre.* Ibid. *Septimus, per quem ad ipſos, qui audiunt, — convertimus* pro *ad ipſos auditores.* Brut. 50 *ut, qui audient, quid efficiatur, ego etiam, cur id efficiatur, intelligam* pro *ut auditores, quid* etc., et ſtatim: *credit iis, quae dicuntur, qui audit oratorem* pro *auditor*, ubi et *iis, quae dicuntur* pro *verbis dictis* dici poſſunt poſita eſſe, ut tota ſententia ita potuerit enuntiari brevius: *credit dictis auditor.* Ibid. *haec perinde accidunt, ut eorum, qui adſunt, mentes* etc. pro *ut auditorum* vel etiam *praeſentium mentes* etc. — Sic pro *judices* dixit Cicero *qui judicant*, et pro *praetor* dixit *qui judicia dat*, v. c. Verr. II, 12 in. *Dubium nemini eſt, quin omnes omnium pecuniae poſitae ſint in eorum poteſtate, qui judicia dant, et eorum, qui judicant* pro *poſitae ſint in praetorum et judicum poteſtate.* — Sic pro *aratores* dixit Cicero *qui arant* Verr. II, 13 III, 5: ſic *quod natum eſt* ap. Terent. pro *infans*: *qui conſuluntur* i. e. *Iuriſconſulti;* plura habet Gronov. ad Liv. III, 44. — Sic Cicero pro *nihil horribile* maluit dilatando dicere *nihil quod ſit horribile:* v. c. ad Div. V, ep. 21 §. 14 *tibique perſuade, — homini nihil accidere poſſe, quod ſit horribile aut pertimeſcendum.* Sic dicere poſſumus *quae ſcripſiſti* pro *ſcripta*, *quae feciſti* pro *facta tua*, *quae imperavit* pro *imperata* etc.: ſic *quae efficiuntur* Cic. Tuſc. IIII, 7 i. e. *effectus*; ſic *ea, quae procreaverunt* ſc. beſtiae, Cic. Nat. D. II, 51 extr., i. e. *pulli:* ſic *qui trans Rhenum incolunt* ap. Caeſar. pro *Transrhenani:* ſic *quidquid ex ſe poſſet proferre*, (ſcil. Sicilia) Cic. Verr. II, 2, i. e. *omnes ejus fruges.* Et ſic porro. — Huc pertinet circumſcriptio per *quid, quemadmodum* etc., v. c. *neſcio quid velis* pro *voluntatem tuam: quid vellet, celavit* i. e. *voluntatem.* Cic. ad Div. V, ep. 21 prope fin. *ut iſtinc te ne moveas, — niſi ex me prius quaeſieris per literas, quid te velim facere*: hic *quid te velim facere* eſt pro *conſilium meum.* Ad Div. IIII, ep. 4 §. 7 *uno te vicimus, — quod, quemadmodum ea res ageretur, vidimus* pro *quod modum rei vidimus:* at illud dilucidius; ſermo eſt de venia Marcello a Caeſare data. — Referri huc poſſit *ſi quid*: v. c. *ſi quid virium habeo, id* etc. pro *omnes meas vires.* Ineſt in hac formula dubitationis atque ita modeſtiae aliquid. Hinc Cic. orationem pro Archia ita incipit: *ſi quid eſt in me ingenii* — pro *omne meum ingenium* etc.

2) Paulo longiores descriptiones, in quibus plus perspicuitatis vel acuminis vel gravitatis inest. V. c.

Immeritum: Pro eo dicitur v. c. *quod abest a culpa.* Sic Cic. ad Div. VI, ep. 2 extr. *fortuna, quae abest a culpa* h. e. *immerita.* Poterat et dicere: *quae caret culpa, non coniuncta est cum culpa* etc.

Honestum: Pro eo dici potest, v. c. *non alienum a dignitate*: sic Cic. ad Div. VIIII, ep. 14 §. 5.

Prodesse s. *utile esse:* quod mutari potest in *ad commodum pertinere;* sic Cic. ad Div. V, ep. 5 §. 2 *Omnia enim a me in te profecta sunt, quae ad tuum commodum — pertinerent.*

Plane haud nosse aliquem: mutatur v. c. in *nescire, utrum aliquis sit albus an niger*, e proverbio, sic Cic. Phil. II, 16 *Et quidem vide, quam te amarit is, qui albus aterne fueris, ignorans, fratris filium praeteriit.* Sic Phaedr. III, 15 agnus de matre ipsum non nutriente ait: *unde illa scivit, niger an albus nascerer?* h. e. *plane me haud norat, nec me curabat.*

Ulcisci dominum. Notabilis hic est locus ille Cic. Mil. 10 extr., ubi Cicero narrare tandem coactus, quis exitus fuerit pugnae inter servos et Milonis et Clodii ac Clodium tandem occisum esse, hanc rem ita caute describit, ut vix intelligatur. Postquam dixerat, servos Milonis audivisse vel credidisse dominum suum occisum esse, pergit: *fecerunt id servi Milonis neque imperante neque sciente neque praesente domino, quod suos quisque servos in tali re facere voluisset* pro *servi Milonis ulti sunt dominum suum*: quibus in verbis latet simul caedes Clodii; hinc simul dictum est pro *occiderunt Clodium.*

Parentes: pro hoc vocabulo dici potest v. c. *quibus vitam debemus; qui nos genuerunt*; *per quos hanc lucem adspeximus*, posterius est Cic. Rosc. Am. 22, de quo loco statim latius dicetur. Cicero ibi dixit *propter quos* pro *per quos*, quod et alibi sic occurrit, v. c. *propter se liberos*, Cic. ad Div. VII, 27 ac saepius.

Parricidam esse, patrem vel *parentes occidere.* Hanc notionem aliquoties Cicero dilatavit pluribus verbis pro Rosc. Am., maxime c. 22 extr. Verba sunt: *portentum atque monstrum est certissimum* (h. e. est res naturae repugnans ac certo aliquid mali portendens), *esse aliquem humana specie et figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, ut, propter* (i. e. *per*) *quos hanc suavissimam lucem adspexerit, eos indignissime luce privarit.* Haec verba posita sunt

ſunt omnia pro *portentum* — *eſt certiſſimum*, *eſſe hominem, qui parricida eſſe* ſ. *parentes occidere poſſit.* Inſunt hic plures circumſcriptiones: 1) *eſſe aliquem humana ſpecie et figura*, h. e. *eſſe hominem;* ſed illud gravius: nam indicat talem hominem non niſi figuram humanam, non humanam naturam, habere, atque ita non verum hominem eſſe: quid gravius eſſe poteſt? 2) deinde *propter quos hanc lucem ſuaviſſimam adſpexerit, eos* pro *parentes;* at illud gravius: indicat enim ſimul beneficium parentum, quibus debemus, quod lucem hanc adſpicere poſſumus: hincque eo majus ſcelus eſt ipſos luce privare: tandem 3) *luce privarit* pro *occiderit*; at illud gravius atque aptius ob praecedens *propter quos lucem adſpexerit:* depingit enim extremam hominis turpitudinem, inhumanitatem et inſaniam, qui eos audet privare luce, qui ipſi poteſtatem adſpiciendi hanc lucem dedere. — Alia circumſcriptione expreſſit *parricidam* ibid. c. 23 prope fin. *Nemo enim putabat, quemquam eſſe, qui, cum omnia divina atque humana jura* (i. e. leges) *ſcelere nefario polluiſſet, ſomnum ſtatim capere potuiſſe* pro *Nemo enim putabat, quemquam parricidam ſomnum ſtatim* etc. ſ. *quemquam, qui patrem occidiſſet, ſtatim* etc. Recte. *Polluere divina et humana jura* pro *occidere patrem:* quia, qui patrem occidit, violat et polluit leges divinas h. e. naturales atque humanas. Expreſſit generaliter; at vix generalius exprimere potuiſſet: nam *polluere jura humana* et *divina* dici de omnibus ſceleribus et flagitiis poteſt. — Eſt in eadem oratione alia adhuc parricidae circumſcriptio cap. 26 in., ubi Cicero, poſtquam dixerat, parricidam in culeum eſſe inſuendum, et ſic in fluvium dejiciendum, de hoc ſingulari ſupplicio hoc judicium, ſubtile magis et argutum quam verum, ſubjicit: *o ſingularem ſapientiam! nonne videntur* (majores) *hunc hominem* (parricidam) *ex rerum natura ſuſtuliſſe et eripuiſſe, cui repente coelum, ſolem, aquam terramque ademerunt, ut, qui eum necaſſet, unde* (a quo) *ipſe natus eſſet, careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia nata eſſe dicuntur.* Ineſt arguta comparatio: *qui eum necaſſet, unde ipſe natus eſſet*, eſt *parricida*: *res, ex quibus omnia nata eſſe dicuntur*, ſunt illa quatuor ſic dicta *elementa*, quae Cicero paulo ante nominaverat, *coelum* i. e. aer, *ſol* i. e. ignis, *aqua terraque.* Tales circumſcriptiones, in quibus comparatio, cauſa et argumentatio, ineſt, placent ſemper et habent vim ſingularem, quae, quo tectior eſt, eo magis ſe exſerit.

Sullani: mutatur v. c. in *qui vicerunt*: acute et caute ita Cic. Rosc. Am. 47 in. *me — id maxime defendisse, ut ii vincerent, qui vicerunt.* Nolebat Cicero Sullanos nomine proprio appellare: facile vero auditoribus erat sentire, quos homines intelligi vellet. Sic pro *Caesare* saepe dicit in Epistolis *in cujus potestate omnia sunt, qui omnia tenet* etc. Hoc est generaliter dictum.

Vitia: pro hoc vocabulo dicitur v. c. *quae in aliquo requirimus* s. *desideramus, was wir an jemand vermissen,* humane ac modeste de homine dictum, quem recte vituperamus. Utitur illa circumscriptione Cicero de Catone Uticensi pro Muren. 29. Ait: *In M. Catone haec bona, quae videmus, divina et egregia, ipsius scitote esse propria: quae nonnunquam requirimus, ea sunt omnia non a natura, sed a magistro* h. e. brevius: *Omnia bona, quibus Cato instructus est, debet sibi suaeque naturae et ingenio egregio: sed omnia vitia sua* (v. c. gravitatem et severitatem nimiam) *debet Stoicae philosophiae.* Non venustius in carpendi studio dici poterat.

Aetas puerilis: mutari potest v. c. in *aetas, cui etiam in captis urbibus parcitur.* Sic Liv. V, 27 Camillus imperator romanus loquitur ad ludi magistrum improbum pueros, quos erudiebat, in castra romana ducentem: *Arma habemus, non adversus eam aetatem, cui etiam in captis urbibus parcitur, sed adversus armatos.* Est genus pro specie: possit enim quoque *senectus* ita dici: at contextus docet, de pueritia ibi sermonem esse.

Diversus s. *aliter se habens.* Cic. hoc circumscripsit ad Div. IIII, ep. 2 §. 10 *Si habes jam statutum, quid tibi agendum putes, in quo non sit conjunctum consilium tuum cum meo* etc., h. e. *in quo sit consilium tuum a meo diversum.* Omnia autem verba inde a *Si habes* usque ad *meo* posita sunt pro *Si aliter sentis atque ego.* Nam *consilium* hic est *der Entschluß.*

Herus: circumscribi potest v. c. per: *qui centum habet oculos.* Sic ap. Phaedr. II, 8, 18 unus boum cervo, qui ad ipsos confugerat, ait: *Salvum te cupimus quidem: sed ille, qui oculos centum habet, si venerit, magno in periculo vita vertetur tua.* Egregie haec periphrasis convenit contextui illi. Nam per se et ubique dicere ineptum foret. — Sic apud Plautum *homo trium literarum* i. e. *fur* jocandi causa dicebatur: nec alibi adhiberi potest.

Liberalis: circumscribi potest v. c. ita: *qui omnibus bene facere gaudet; qui alios solet beneficiis ornare, exhilarare* etc.; *qui alios felices reddere* s. *aliorum felicitatem adjuvare, augere,*

gere, ſtudet etc. — Sic pro *avarus* dici poteſt: *qui, quo plura habet, eo plura cupit; cujus cupiditas pecuniae ſatiari nequit; qui nihil ſpectat niſi divitias; nullius rei curam gerit niſi divitiarum*, et ſic porro.

Fortiſſime per *ita* ſ. *ſic* ſeq. *ut* circumſcribi poteſt; v. c. Cic. ad Div. V, ep. 2 §. 20 *Nam in ſenatu — ſic cum eo de republica disputavi, ut ſentiret, ſibi cum viro forti et conſtanti eſſe pugnandum* pro *Nam in ſenatu cum eo fortiſſime et conſtantiſſime disputavi.* At quanto gravius illud! Nam, ſi ipſe adverſarius ſenſit fortitudinem Ciceronis, quis de ea dubitet?

Optime per *ita*, *ſic*, ſeq. *ut* cum verbis *effectum* indicantibus ſaepe circumſcribitur, v. c. Cic. Agr. II, 3 in., ubi Cicero, poſteaquam dixerat, nobilitatem invidia tactam, ſi quid ipſe peccaſſet, ſtatim populum romanum, quod illum conſulem feciſſet nobilitatique praetuliſſet, vituperaturum, ita pergit: *mihi autem, Quirites, omnia potius perpetienda eſſe duco, quam non ita gerendum conſulatum, ut in omnibus meis factis atque conſiliis veſtrum de me factum conſiliumque* (i. e. veſtra electio) *laudetur* pro *mihi — potius perpetienda duco, quam non optime gerendum conſulatum.* At quam jejunum hoc prae illa ubertate! — Omnino hic notandum, ideam multitudinis, magnitudinis et excellentiae, atque in univerſum ſuperlativos ſolere ac debere ſaepiſſime circumſcribi per *ita* ſeq. *ut*; vel per *tantum* ſeq. *ut*, etc. it. per *tantum* ſeq. *quantum*, ſi notio magnitudinis, multitudinis et excellentiae, vere apparere debet. V. c. Cic. ad Div. VIIII, ep. 14 §. 10 *Semper amavi, ut ſcis, M. Brutum propter ejus — conſtantiam: tamen idibus Martiis tantum acceſſit ad amorem, ut mirarer locum fuiſſe augendi in eo, quod mihi jam pridem cumulatum etiam videbatur* pro *tamen idibus Martiis immenſum quantum* vel *permultum acceſſit ad amorem.* At hoc eſt illo longe inferius. Ibid. §. 11 *Quis erat, qui putaret, ad eum amorem, quem erga te haberem, poſſe aliquid accedere? tantum acceſſit, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexiſſe* h. e. *magni feciſſe.* Hic *tantum acceſſit — dilexiſſe* pro *immenſus, incredibilis, cumulus acceſſit* dictum quidem; at graviſſime, h. e. ita, ut ardens amor ſatis appareat. Add. in ead. epiſt. §. 9 *Nam, cum te ſemper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuiſti, tantum his tuis factis incenſus ſum, ut nihil unquam in amore fuerit ardentius.* Egregie pro *Nam, cum te ſemper valde dilexerim, maxime his tuis factis meus amor auctus eſt.* Sic Caeſ. B. G. I, 12 *Flumen eſt Arar, quod in Rhodanum influit,* *incredi-*

incredibili lenitate, ita, ut oculis, in utram partem fluat, judicari non possit, quae omnia dicta sunt vel pro *flumen est lenissimum* vel pro *lenissime influit*: at quanto dilucidior illa circumscriptio? Pertinet hoc simul ad copiam dicendi in enuntiationibus, quia ex una enuntiatione duae fiunt. — Omninoque tirones superlativis et vocabulis magnitudinem vel multitudinem indicantibus per particulas *ita*, *tantum* etc., circumscribendis mature assuefieri debent; v. c. pro *amat te valde* dicendum interdum *amat te ita, ut nihil supra; ita, ut vix filius patrem* vel *pater filium* vel *frater fratrem magis amare queat* etc. Pro *est doctissimus* dici potest: *est tam doctus, ut nihil sit, quod non intelligat*; s. *ut nihil in eo literarum desiderari possit;* s. *ut pauci sint, qui cum eo comparari queant* etc. Sed hoc pertinet ad comparationem, peculiarem fontem copiae, de qua mox.

Omnes, omnia, mutari potest in *Nihil est quod non, Nemo est quin* etc., v. c. pro *Omnes sciunt* dicitur *Nemo est, quin sciat, qui nesciat, qui ignoret:* pro *Omnia deus efficere potest* dicitur *Nihil est omnino, quod deus efficere non possit:* pro *Omnia scit* dici potest *Nihil est, quod ille nesciat; nihil est tam abditum, quod ille nesciat* s. *quod illum fugiat.* Sic *nullus dolor est, quem non tempus* s. *temporis longinquitas minuat et molliat* pro *omnem dolorem tempus minuit et mollit.* — Sic *nullo modo* mutari potest in *fieri non potest:* v. c. *Fieri non potest, ut homo omnia discat* pro *Homo nullo modo omnia discit* s. *discere potest.* Pertinent huc quoque circumscriptiones necessariae, h. e. ubi lingua latina unam ideam uno vocabulo, more Germanorum, exprimere nequit; v. c. nemo dicere potest: *Homo locutus est irresistibiliter, oratio hominis fuit irresistibilis,* quae ita circumscribenda: *Homo ita locutus est, ut resisti ei non posset; oratio ejus talis* s. *tam fortis tam diserta fuit, ut ei nemo resistere posset.* — Sic multa similia adjectiva et adverbia Germanorum circumscribi possunt, v. c. *faßlich, vernehmlich,* v. c. *faßlich erklären, explicare ita, ut singula comprehendi, intelligi, possint: vernehmlich reden, ita loqui, ut omnes audiant, intelligant* etc.: *die Worte waren vernehmlich, verba talia erant, ut quisque intelligeret* etc.

Sed in his circumscriptionibus omnibus principatum tenent eae, quae *causam* s. *argumentum* quoddam simul continent, quo pertinent supra p. 408 allatae circumscriptiones *parentum, parricidae* etc. Ad quas maxime attendere tirones debent in legendo Cicerone, cujus, ut omnes libri, ita orationes in primis plenae illarum sunt, v. c.

Manil.

Manil. I. ubi Cicero proprie dicere volebat haec: *Ego auctoritatem et eloquentiam meam in primis apud vos ostendere debeo.* At non modo *auctoritatem* et *eloquentiam*, ſed in primis *vos* venuſte et graviter circumſcribens ita loquitur: *Si quid auctoritatis in me eſt, ea apud eos utar, qui eam mihi dederunt* (h. e. *apud vos*); *et ſi quid etiam dicendo conſequi poſſum, iis ostendam potiſſimum, qui ei quoque rei* (i. e. eloquentiae) *fructum ſuo judicio* (h. e. creando me conſule) *tribuendum eſſe cenſuerunt* (h. e. tribuerunt). Haec omnia dicta ſunt pro *Auctoritate mea apud vos utar, et eloquentiam meam vobis potiſſimum ostendam.* At in illa circumſcriptione ineſt primum *modeſtiae* ſignificatio in *ſi quid* etc. deinde *cauſa*, cur auctoritate utatur apud auditores, quia ſcilicet illi eam dederunt creando Cicerone conſule, et cauſa, cur eloquentiam ostendat potiſſimum apud illos, quia ſcilicet praemiis illam affecerant.

Paucula etiam adferam, v. c. *Poſteri* circumſcribuntur Cic. Fin. III, 19 extr. per *qui aliquando futuri ſunt:* Porro *quae ſimilitudinis cauſa ex aliis rebus transferuntur*, Cic. Or. III, 13 i. e. *metaphorae* vel *vocabula metaphorica.* Et ſic innumerabilia adferri poſſint.

B) *Circumſcriptio unius vocabuli per partitionem*, h. e. ubi pro toto ponuntur partes, pro genere ſpecies, pro ſpecie individua. Hac re perſpicuitatem et gravitatem dicendi valde adjuvari per ſe patet, v. c. pro *omni tempore mihi ſe conſilio adfuturum promiſit* dicere interdum licet: *promiſit, ſe mihi, ſive mane ſive veſperi ad ipſum veniſſem, conſilio adfuturum*: pro *nullum ſcriptorem legit* dici poteſt: *neque poetam, neque oratorem, neque philoſophum, neque hiſtoricum legit:* pro *morte filii tui omnia tibi triſtia ſunt* ſ. *nihil tibi placet* dici poteſt: *nihil tibi placet amplius earum rerum, quae tibi olim tantae laetitiae fuerunt, non horti, non libri, non domus tua* etc. Sic pro *omnes regem lugent* dici poteſt: *lugent principes regni, eruditi, cives, milites.* — Poteſt etiam partibus pro toto poſitis totum ipſum addi ac vel praeponi vel ſubjici, v. c. *lugent eum filii, cognati, amici, hoſpites et omnes, qui eum norant;* vel *lugent eum, quicunque ipſum norant, filii, cognati, amici, hoſpites* pro *omnes eum lugent.* Pauca exempla ſubjiciam e priſcis:

Officia circumſcripſit Cic. ad Div. V, ep. 5 §. 2 *Omnia a me in te profecta ſunt, quae ad tuum commodum, quae ad honorem, quae ad dignitatem pertinerent* h. e. *omnia officia a me in te profecta ſunt.*

Negotia

Negotia publica. Cic. ad Div. VIIII, ep. 20 §. 4 *Nam omnem nostram de republica curam, cogitationem de dicenda in senatu sententia, commentationem causarum abjecimus*, h. e. *omnia negotia publica.* Tripliciter enim Cicero eloquentiam suam declarare poterat, *in concione* pro rostris, *in senatu*, et *in foro* defendendis reis: *nostram de republica curam* pertinet ad orationes pro rostris habendas, *commentationem causarum* ad orationes judiciarias.

Eloquentia circumscribitur per *ingenium* et *industriam* modeste Cic. Manil. 1 — *statueremque, nihil huc* (ad rostra) *nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, afferri oportere* pro *nihil huc nisi eloquentia perfectum afferri oportere:* quia *ingenio* et *industria* s. *exercitatione* nititur maxime eloquentia. Omisit per modestiam *scientiam rerum multarum* s. *doctrinam*, quam alibi addit: v. c. Arch. 1 in. *Si quid est in me ingenii — si qua exercitatio dicendi — si hujusce rei ratio aliqua ab optimarum artium studiis ac disciplina profecta* etc. h. e. *si eloquentia instructus sum.* Hic ponit *ingenium, exercitationem dicendi*, quae cum *industria* convenit quodam modo, et tandem *doctrinam*, quam exprimit per verba: *hujusce rei*, h. e. dicendi, *ratio ab optimarum artium studiis ac disciplina profecta.*

Respublica circumscribitur Cic. Sext. 46 in. *Hujus autem otiosae dignitatis haec fundamenta sunt: religiones, auspicia, potestates magistratuum, senatus auctoritas, leges, mos majorum, judicia, jurisdictio, fides, provinciae, socii, imperii laus, res militaris* pro *Hujus autem otiosae dignitatis fundamentum est respublica* s. *status reipublicae*, pro ea ponit partes ejus *religiones, auspicia* etc., quod haud dubie apertius.

Nusquam circumscribitur Cic. Catil. II, 1 *non in campo, non in foro, non in curia, non denique intra domesticos parietes pertimescemus* sc. sicam Catilinae vel Catilinam ipsum pro *nusquam pertimescemus.*

Magna res est, multa requiruntur etc. Hoc circumscribitur Cic. Sext. 46 *Harum rerum tot atque tantarum* (i. e. partium reip. ante memoratarum) *esse defensorem et patronum magni animi est, magni ingenii magnaeque constantiae* pro *Harum rerum — esse — patronum est res magna* s. *multa requirit, multas virtutes postulat, dazu gehört gar viel:* at illud longe praeclarius h. e. magis perspicuum: *magnus animus* est, qui omnia pericula contemnit; *ingenium magnum* cernitur in ejus celeribus motibus h. e. *geschwinden Einfällen*, ut homo statim sciat, quid agendum, quid omittendum;

tendum; *constantia* pendet a magno animo et efficit, ut homo acriter pergat in re incepta, nec terroribus aliisque impedimentis moveatur.

Omnia hominis vel *homo totus* circumscribitur Cic. Pis. 40 *Omnes memoriam consulatus tui, mores, faciem denique ac nomen — detestantur* pro *Omnes te detestantur.* At illud longe gravius.

Nemo. Caes. B. G. VII, 28 *non aetate confectis, non mulieribus, non infantibus pepercerunt* pro *nemini plane pepercerunt.*

Nihil. Cic. Sext. 47 *qualis pater tuus, M. Scaure, fuit, — quem nulla unquam vis, nullae minae, nulla invidia labefecit* pro *quem nihil labefecit.* Ibid. in fine: *qualis Catulus fuit, quem neque periculi tempestas, neque honoris aura potuit unquam de suo cursu aut spe aut metu demovere,* h. e. *quem nihil* s. *nulla res potuit de suo cursu* h. e. *vitae ratione demovere* etc. Eleganter *cursus* pro *vitae ratione*, ut in metaphora maneret, quia praecessit *tempestas* et *aura.*

C) *Circumscriptio unius vocabuli per comparationem* in primis adhibetur a priscis ad notionem *magnitudinis* et *multitudinis* apertius et gravius exprimendam, quam per vocabula jejuna *valde, magnus, multus, saepe* etc. fieri potest. Neque enim multitudo et magnitudo, cum utraque sit res relativa, aliter rite aestimari, nedum sentiri, potest, quam si illam cum alia multitudine et magnitudine contuleris. Comparatio omnis definit illam demum eique verum pretium statuit.

Valde. V. c. pro *valde* s. *magnopere te amo* dici potest: *amo te ita, ut pater filium* vel *filius patrem, frater fratrem* etc., *non magis amare possit*; vel *amo te tantopere, quantopere vix pater indulgens filium bonae indolis amare potest*, vel *quantopere vix filius patrem, frater fratrem, amare solet*: vel *non minus te amo, quam filius patrem* etc., vel *amo te tantum, quantum fas est homini hominem amare*, vel *ut vix unquam fuerint, qui simili amore cujusquam flagrarent;* vel jocose: *amo te tantopere, quantopere vix avarus pecuniam, eruditus suos libros, sponsus sponsam amare potest* s. *ut vix avarus thesauros suos, eruditus suos libros, sponsus sponsam magis amare queat.* Ac sic saepius variari potest. Cic. ad Div. VIIII, ep. 14 §. 9 *Nam cum te semper tantum amaverim, quantum ipse intelligere potuisti* etc., pro *valde amaverim:* at illud praeclarius, quia simul indicatur,

catur, amico jam notam esse magnitudinem amoris. Addi potest sequens:

Magnus. V. c. pro *meus erga te amor est magnus, maximus, summus* etc. dicere possis: *qualis patrum amor erga liberos*, vel *liberorum erga patres, fratris erga fratrem esse solet, talis est meus erga te amor;* vel *non minori te complector amore, quam pater filium, filius patrem, frater fratrem complecti solet.* Sed attendendum est, utrum ad minorem an majorem natu an aequalem scribamus. Potest et latius dici: *magnus esse solet amor liberorum erga parentes, parentum erga liberos* etc., *at dubito, an meus in te amor minor sit* s. *comparari cum illo possit;* vel sic: *quamquam parentes filiorum, in primis virtute ornatorum, amore flagrare vehementer solent, tamen amor, quo te complector, tantus est, ut, nisi superare, at aequare illum videatur.* Ac sic centies variare licet. Sic pro *literarum studia magnam* vel *singularem utilitatem afferunt hominibus* dici potest: *studia literarum hominibus tantam afferunt utilitatem, quanta vix ulla ex re percipi potest,* vel, *ut paucae res sint, quae similiter delectent,* vel, *ut, qui ei adsueti sint, iis ceterae voluptates sordeant* s. *longe inferiores videantur,* vel sic: *utilitas, quae e literarum studiis percipitur, major est ea, quam divitiae aliaeve res humanae afferre queunt.* Ac sic ingenii ope facile plures variationes, contextui aptae, inveniri possunt.

Saepissime per *saepius quam* etc.; *tam saepe* s. *toties ut; toties quoties* circumscribi potest. V. c. pro *istam rem saepissime vidi* dici potest: *rem istam tam saepe vidi, ut non amplius ejus videndae cupiditate tenear,* vel *ut fere taedio mihi sit* etc. Cic. Manil. 10 de Pompejo ait: *Qui saepius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit?* pro *saepissime;* at illud gravius.

Diutissime it. *semper, perpetuo,* per *tamdiu* seq. *quamdiu* vel *ut, dum.* Cic. Acad. IIII, 22 in. *Qui* (Antiochus) *haec ipsa — didicit apud Philonem tamdiu, ut constaret, diutius didicisse neminem* pro *qui haec ipsa didicit diutissime.* Offic. II, 12 prope fin. *Ti. enim Gracchus P. F. tamdiu laudabitur, dum memoria rerum romanarum manebit* pro *Ti. enim Gracchus diutissime* vel etiam *perpetuo* s. *semper laudabitur.*

Permulti, multi, circumscribuntur per *tot quot; tot ut; plures quam* etc., v. c. pro *permultos fortes viros habuit Roma* dici possit: *Roma tot viros fortes habuit, quot fere nulla gens, eaque fortissima, numerare potuit,* s. *ut nullam gentem constet esse, quae tantum numerum fortium virorum habuerit,*

habuerit, f. *ut nulla gens tanto numero gloriari possit.* Sic *permultos habes libros* ita efferri possit: *habes tot libros*, (tantum librorum) *quot* (quantum) *pauci viderunt, quot regem non dedeceat habere*; vel per jocum: *tot libros, quot coelum stellas* etc., ut Ovid. *tot mala sum passus, quot in aethere sidera lucent* h. e. *permulta, innumera;* cui similis est ille versus alius forsan poetae: *quot coelum stellas tot habet tua Roma puellas* i. e. *innumeras.* Cic. Manil. 10 de Pompejo: *qui — plura bella gessit, quam ceteri legerunt; plures provincias confecit, quam alii concupiverunt* pro *qui plurima, innumera, bella gessit, et permultas provincias confecit.* Est hyperbole forsan justo major. At per se patet, tales dilatationes f. circumscriptiones non nisi in res et homines singulares cadere: hinc frigidum foret ubique iis uti.

Parum, non multum. Cic. ad Div. IIII, ep. 7 §. 15 *Gratia tantum possumus, quantum victi* int. *possunt*, pro *gratia parum valemus* scil. apud Caesarem ejusque amicos, *ich stehe in nicht besonderm, in schlechtem, Credit, Ansehen.* Victi enim non multum valent gratia plerumque.

SECT. III

De copia dicendi in enuntiationibus.

Copia dicendi in enuntiationibus cernitur in eo, ut pro una enuntiatione duae vel plures ponantur, perspicuitatis et gravitatis adjuvandae causa. Hinc non ubique fieri posse clarum est. Sed quomodo haec copia instituetur? Maxime ita, ut vel partes pro toto, species pro genere, ponantur vel notiones causae, effectus, conditionis, loci, temporis, aliaeque determinationes per totas enuntiationes exprimendae addantur. Haec enim singula reddunt rem ipsam dilucidiorem et graviorem. Possunt etiam interdum vocabula in enuntiationes mutari, quia et sic gravitas dicendi adjuvatur. Possunt huc nonnulla exempla, quae supra ad copiam dicendi in vocabulis singulis retulimus, referri, quia in iis non modo unum vocabulum per plura circumscriptum est, sed simul ex una enuntiatione duae factae sunt. Praecipuos igitur modos augendi enuntiationes enumerabo: quorum numerus quin augeri possit, nullus dubito.

I) *Unum vocabulum*, quod *genus* vel *Totum* aliquod indicat, ſaepe per *partitionem* ſ. *μερισμὸν* aliquot enuntiationibus conſtantem *circumſcribi* poteſt. Qua re, ut per omnes circumſcriptiones rite inſtitutas, adjuvari perſpicuitatem vel gravitatem, non opus eſt monere. Paucula exempla afferam:

Mali ſ. *improbi* circumſcribuntur ap. Cicer. Sext. 46 *Etenim in tanto civium numero magna multitudo eſt eorum, qui aut, propter metum poenae, peccatorum ſuorum conſcii novos motus converſionesque reipublicae quaerant, aut qui, propter inſitum quendam animi furorem, discordiis civium ac ſeditione paſcantur, aut qui, propter implicationem rei familiaris, communi incendio malint, quam ſuo, deflagrare.* Egregie pro *etenim in tanto civium numero magna multitudo eſt malorum* ſ. *improborum.* At quam jejune hoc prae illo!

Omnes Mil. 8 in. *Luget ſenatus, moeret equeſter ordo, tota civitas confecta ſenio eſt, ſqualent municipia, affliɛtantur coloniae, agri denique ipſi tam beneficum, tam ſalutarem, tam manſuetum civem deſiderant* pro *omnes omnino lugent Clodium.* Ironice dictum. At quam gravius illud! et quis non admiratur copiam verborum apte inventorum *luget, moeret, ſenio confecta eſt, ſqualent, affliɛtantur, deſiderant!* Sic pro *regem hunc diu vivere omnes optant* dicere liceat: *regem hunc diu vivere optant principes regni, cupiunt eruditi, volunt milites, poſcunt cives.* Poteſt quoque *Totum* vel *genus* addi, v. c. in exemplo proxime allato: *omnes omnino deſiderant* ſ. *flagitant.* Sic pro *tota domus luget* ita queat dici: *luget pater, mater ſe infeliciſſimam eſſe clamat, filii trepidantes per domum discurrunt, tota denique domus gemit;* ubi tamen verba *tota denique domus gemit* omitti etiam poſſunt. Ac ſic in pluribus. Quisque ſentit, talem partitionem recte uſurpatam multum gravitatis continere.

Nihil circumſcribitur variis ſaepiſſime modis apud Ciceronem, v. c. Arch. 6 *qui ita vivo, ut ab nullius unquam me tempore aut commodum* (ſic Ed. Graev. In Edit. Erneſt. eſt *commodo*) *aut otium meum abſtraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique ſomnus retardarit;* egregie dictum pro *qui ita vivo, ut nihil me unquam ab ullius tempore prohibuerit*, ſ. *qui ita vivo, ut ab nullius tempore unquam me quidquam prohibuerit.* Hunc locum infra alio conſilio afferam, quo planius percipiatur Ciceronis artificium in copia dicendi.

Omni

Omni tempore ſ. *ſemper* et *omni loco* ſ. *ubique* circumſcribitur apte in illo loco celeberrimo Cic. Arch. 7 extr. *Haec ſtudia* (humanitatis) *adoleſcentiam alunt* (Edd. *agunt* obſcuro ſenſu), *ſenectutem oblectant*, *ſecundas res ornant*, *adverſis perfugium ac ſolatium praebent*, *delectant domi*, *non impediunt foris*, *pernoctant nobiscum*, *peregrinantur*, *ruſticantur* pro *haec ſtudia proſunt omni tempore et loco.* At quanto praeclarius illud! Addi poſſunt circumſcriptiones ſingulorum vocabulorum, quae ſupra Sect. 2 de copia dicendi in ſingulis vocabulis allatae ſunt.

II) *Enuntiatio*, praeſertim *notionem rei magnae*, *praeclarae* vel *manifeſtae* continens, ſaepe poteſt per *ita ut*; *adeo ut*; *tantum ut* etc. dilatari atque circumſcribi. Fit hoc dupliciter: vel *cauſa praeponenda* vel *effectu poſtponendo.*

1) *Praeponitur cauſa* atque ita nova enuntiatio efficitur; v. c. pro *hic ſolet omnium hominum felicitati libenter conſulere* dici poteſt: *hic eſt eo animo* ſ. *ea benignitate*, *ut omnium hominum felicitati libenter conſulat* ſ. *conſulere ſoleat.* Pro *hic adoleſcens dies noctesque literis dat operam* dicere licet: *hic adoleſcens tanto literarum ſtudio* (ſ. *tanta cupiditate*) *flagrat* (ſ. *tenetur*), *ut dies noctesque det iis operam.* Pro *deus nobis benefacere quotidie gaudet* dicitur: *deus eſt ita benignus* ſ. *tanta benignitate*, *ut nobis benefacere quotidie gaudeat.* Pro *deus omnia efficere poteſt* dici poteſt: *deus eſt ita potens* ſ. *tanta potentia*, *ut nihil ſit*, *quod efficere non poſſit.* Sic pro *deus odit omnia peccata* dicitur: *deus eſt ita ſanctus*, *ut oderit* etc. Pro *omnes hoc intelligunt* dici poteſt: *nemo eſt tam ſtultus* ſ. *tam rerum ignarus*, *ut non hoc intelligat.* Pro *omnes hoc fatentur* dicitur interdum: *nemo eſt tam ſtultus* vel *tam amens*, *quin fateatur.* Pro *omnes hoc ſciunt* dicitur: *nemo eſt tam imperitus* ſ. *rudis* etc., *quin ſciat;* vel etiam ſimpliciter *nemo eſt*, *quin ſciat.* Pro *deus optime ſcit*, *quid nobis proſit* dicitur: *deus ea eſt ſapientia*, *ut*, *quid nobis proſit*, *optime ſciat.* Pro *innumerabiles homines trucidavit* dici poteſt: *fuit tanta crudelitate atque immanitate*, *ut innumerabiles homines trucidaret* ſ. *trucidare non dubitaret.* Pro *huic homini parci non poteſt* dicere licet: *tantum eſt hominis facinus*, vel *tanta hominis ſunt facinora*, *ut ipſi parci nequeat.* Pro *huic homini* ſ. *hujus hominis verbis facile credi poteſt* dicitur: *hic homo tam amans eſt veritatis*, *ut*, *quidquid dicat*, *ei facile credi poſſit* ſ. *ut ejus verbis facile credi poſſit.* Pro *rem iſtam*, *quam narras*, *credere non poſſum* dici poteſt: *res*

ista, quam narras, tantopere recedit a veritate ſ. *tam stulta est, ut credi non possit.* Pro *Homerus facile intelligi potest* dicere licet: *Homerus est tanta facilitate* ſ. *tam facilia sunt Homeri carmina,* ſ. *adeo carent omni difficultate, ut a quovis, linguae perito, intelligi possint* ſ. *ut nemo sit, qui ea non intelligat, modo linguam graecam calleat.* Contra pro *Aeschylus non facile intelligi potest* dicitur: *Aeschyli dicendi genus est tam abstrusum* ſ. *obscurum* etc., *ut non facile intelligatur,* ſ. *scribit ita, ut vix sensa animi assequi valeas.* Sic pro *te non possum intelligere* dicitur: *tu ita loqueris* ſ. *tam obscure, confuse, loqueris, ut mentem tuam,* ſ. *quid velis, intelligere nequeam.* Pro *omnia violantur* ſ. *violari solent* dici poteſt: *nihil est tam sanctum, nihil tam firmum, quod non violari possit* ſeu *quod non aliquando violare sustineat audacia.* Sic Cic. Roſc. Am. 25 *Qui cum intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia* pro *omnia posse violari ab audacia.* — Addam aliquot adhuc exempla ex illo. Manil. 11 *Quis enim toto mari locus per hos annos aut tam firmum habuit praesidium, ut tutus esset, aut tam fuit abditus, ut lateret?* pro *quis enim toto mari locus per hos annos aut tutus fuit aut latuit?* At illud gravius et apertius. Ibid. c. 16 prope fin., cum dicere deberet: *quare cum bellum negligi non possit et accuratissime sit administrandum* etc., maluit praeponenda ſingulis enuntiationibus enuntiatione cauſali ita loqui: *quare cum bellum ita necessarium sit, ut negligi non possit, ita magnum, ut accuratissime sit administrandum* etc. Sic Cicero millies, ut nulla re fere magis delectari videatur. Agr. II, 16 *Nam utrumque ita magnum est, ut nullo modo neque concedendum neque ferendum sit* pro *nam utrumque nullo modo neque concedendum neque ferendum est.* Phil. II, 7 in. *Adeone pudorem cum pudicitia perdidisti, ut hoc in eo templo dicere ausus sis, in quo* etc. pro *tune hoc ausus es in eo templo dicere* etc.? At illud gravius. Cap. 15 *Neque vero eram tam indoctus ignarusque rerum, ut frangerer animo propter vitae cupiditatem* etc. pro *neque vero frangebar animo propter vitae cupiditatem* etc. Phil. III, 2 *Quis est tam ignarus rerum, tam nihil de republica cogitans, qui hoc non intelligat?* pro *quis hoc non intelligit?* Cap. 4 *Quis autem rex unquam fuit tam insignite impudens, ut haberet omnia commoda, beneficia, jura regni venalia?* pro *quis autem rex unquam habuit omnia commoda — venalia?* Mil. 30 *Quamquam hoc animo semper fuimus omnes in patriae proditoribus opprimendis, ut, quoniam nostra futura esset gloria, periculum quoque et invidiam nostram putaremus* pro *quamquam*

quam semper omnes in patriae proditoribus opprimendis, quoniam nostra futura erat gloria, periculum quoque et invidiam nostram putavimus. Arch. 5 in. *Metellus — tanta diligentia fuit, ut ad L. Lentulum praetorem et ad judices venerit et unius nominis litura se commotum esse dixerit* pro *Metellus ad Lentulum praetorem et ad judices venit et dixit se unius* etc. Cap. 8 in. *Quis nostrum tam animo agresti ac duro fuit, ut Roscii* (histrionis clarissimi) *morte nuper non commoveretur* pro *quis nostrum Roscii morte nuper non commotus est? Wer hat sich über den Tod — nicht betrübt?* At illud gravius. Cap. 9 in. *Neque enim quisquam est tam aversus a Musis, qui non mandari versibus aeternum suorum laborum facile praeconium patiatur, niemand ist der Dichtkunst so feind, daß er nicht seine Thaten gern besingen lassen sollte*, si ad sensum summatimque vertas: pro *omnes enim mandari versibus aeternum suorum laborum facile praeconium patiuntur, jeder läßt seine Thaten gern besingen;* at quam jejunum hoc, quam rude prae illo! Cap. 12 in. dicere voluit proprie: *an vero omnes arbitremur simul moritura esse nobiscum omnia;* at pro his ita loquitur: *an vero tam parvi animi videamur esse omnes, qui in republica atque in his vitae periculis laboribusque versamur, ut, cum usque ad extremum spatium nullum tranquillum atque otiosum spiritum duxerimus, nobiscum simul moritura omnia arbitremur? Sollte man uns alle, die wir uns mit dem Staate bey solchen Gefahren und Mühseligkeiten des Lebens beschäftigen, für Leute von so schlechtem Geiste* f. *niedriger Denkungsart halten, daß wir, nachdem wir bis ans Ende unsers Lebens nicht eine einzige ruhige und müßige Stunde gehabt, glauben sollten, es werde alles zugleich mit uns sterben?* Egregie et gravissime dictum! Catil. III, 9 in. *Hic quis potest esse tam aversus a vero, tam praeceps, tam mente captus, qui neget, haec omnia, quae videmus, praecipueque hanc urbem deorum immortalium nutu atque potestate administrari?* pro *hic quis neget, haec omnia* etc. Orat. I, 58 med. Cicero dicere volebat: *omnes sciunt, quid sit sementis ac messis, arborum putatio ac vitium, quo tempore anni ac quo modo ea fiant.* At maluit copiosius et gravius ita dicere: *nemo tam sine oculis, tam sine mente vivit, ut, quid sit sementis ac messis, quid arborum putatio ac vitium, quo tempore anni aut quo modo ea fiant, omnino nesciat.* Egregie, ac simul periodice: nam copia periodis magis favet quam brevitas. Gravitatem praeponenda tali enuntiatione causali adjuvari augerique quis est, quin sentiat? Ac profecto haec copia, quae dicitur, fere potius

 brevita-

brevitatis quam copiae nomen meretur, quia causa s. argumentum continetur paucis verbis constans atque sic tectum, ut vix argumenti speciem prae se ferat.

2) Postponitur enuntiationi saepe *effectus*, atque ita nova enuntiatio efficitur. V. c. pro *deus est valde benignus* dici latius potest: *deus est tam benignus, ut omnibus adesse libenter soleat* s. *ut omnium felicitati prospicere* s. *omnibus quotidie bene facere* s. *omnes beneficiis cumulare quotidie gaudeat.* Pro *deus est potentissimus* dici potest *deus tanta* s. *ea est potentia*, s. *tam potens est, ut omnia, quae velit, efficere queat* s. *ut nihil sit omnino, quod efficere non possit* etc. Pro *deus est valde sapiens* s. *sapientissimus* dici potest v. c. *deus est tam sapiens, ut in nulla unquam re errare possit* s. *ut, quid hominibus prosit, quid obsit, optime ac certissime sciat* etc. Pro *Hic homo valde amat literas* s. *magno literarum studio flagrat* dici potest: *Hic homo literas tantopere amat* s. *tanto literarum studio flagrat, ut iis noctes diesque det operam* s. *ut iis ceteras res omnes postponat* etc. Pro *nihil est satis sanctum, tutum*, dicitur: *nihil est tam sanctum, quod non improbitas hominum violare sustineat* s. *quod non aliquando violet audacia.* Pro *Hic homo est valde imperitus, indoctus*, dicere licet: *Hic homo est ita imperitus, tam indoctus, ut ne facillima quidem verba intelligat*, vel *ut nullius rei naturam perspiciat*, vel *ut ne facillimum quidem scriptorem legere possit, ut nihil omnino sciat* etc. Pro *Fuit valde crudelis* dicere licet: *fuit tam crudelis, ut nemini* vel *nulli aetati parceret, ut ne infantibus quidem parceret, ut innumeros trucidare non dubitaret, ut sanguine vel innocentium pasceretur* etc. Pro *Res, quam narras, falsa est* dicere licet: *Res, quam narras, tam falsa est* vel *tam abhorret ab omni veritatis specie, ut nemo credere possit, ut ne puer quidem credat, ut vel puer fidem tibi deneget* etc. Pro *Hic vir est amantissimus veritatis* dicitur: *Hic vir est ita amans veritatis, ut, quidquid dicat, nullo negotio credi possit*, vel *ut nunquam mentitus sit, ut ne mendacium quidem audire nedum dicere sustineat* etc. Pro *Homeri carmina sunt valde facilia* dici potest: *Homeri carmina tam facilia sunt, ut, quicunque linguae graecae aliquam notitiam teneat satisque attentus esse possit, ea intelligat.* Pro *Pindari carmina sunt valde difficilia intellectu* dici potest: *Pindari carmina sunt tam difficilia, ut, qui ad eum legendum accedere velit, magna multarum rerum cognitione, magna linguae graecae notitia, et magna attentione instructus esse debeat.* Pro *amo te valde* dici potest: *amo te ita, ut nihil sit, quod*

quod tibi non commodem; ut in omnibus rebus operam studiumque meum omni tempore exſpectare poſſis etc. Et ſic in pluribus. Cic. Off. II, 15 extr. *Quamobrem nec ita claudenda eſt res familiaris, ut eam benignitas aperire non poſſit, nec ita reſeranda, ut pateat omnibus* egregie pro *Quamobrem res familiaris nec nimis claudenda nec nimis reſeranda eſt* h. e. *nec nimis parci nec nimis benefici eſſe debemus* ſ. *eſt modus adhibendus.* Marc. 3. in. *nulla eſt enim tanta vis, quae non ferro ac viribus debilitari frangique poſſit* pro *nulla vis eſt ſatis magna.* Conf. quae ſupra ſect. 2 p. 406 in copia ſingulorum verborum de circumſcriptionibus unius vocabuli diximus: nam huc quoque pertinent, quia in iis duae enuntiationes pro una poſitae ſunt.

III) Enuntiatio notionem rei vel valde magnae, gravis et excellentis, vel valde parvae continens, quo pertinet notio temporis vel longiſſimi vel breviſſimi etc., per *comparationem* aliquam dilatatur ope particularum *ita ut*, *tantum quantum*, *tantum ut*, vel gradus comparativi; atque ita pro una enuntiatione duae pluresve efficiuntur. V. c. pro *Amo te valde* dicitur *amo te ita* ſ. *tantopere, ut pauci ſint, quos ſimili amore ampleċtar;* ſ. *ut vix pater filium, filius patrem, frater fratrem ſimiliter amare poſſit.* Pro *Cicero ſummus orator fuit* dicitur *Cicero tantus orator fuit, quanti omni tempore pauci reperiuntur;* vel *Cicero tantum dicendo valuit, ut vix orator eſſe poſſit, qui ejus vim dicendi aſſequatur* ſ. *aſſequi poſſe ſibi videatur.* Pro *tua domus eſt valde parva* vel *nimis parva* dici poteſt: *domus tua eſt tam parva, ut caſae agricolarum majores eſſe videantur.* Pro *frater tuus ſcit parum* dicitur *frater tuus tam parum ſcit, ut a quoque puero longe ſuperetur.* Pro *vita noſtra perbrevis eſt* dici poteſt: *vita noſtra tam brevis eſt, ut ad ſomnii ſimilitudinem accedere videatur* etc. Pro *virtus eſt omnium rerum praeclariſſima* dicitur *virtus eſt tam praeclara, ut ceterae res prae ea contemnendae videantur* vel *ut aurum omnesque divitiae prae ea ſordere hominibus debeant.* Cic. Manil. 10 pro *Pompejus ſaepiſſime cum hoſte conflixit, multa bella geſſit, multas provincias confecit* ita loquitur: *ſaepius cum hoſte conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit; plura bella geſſit, quam ceteri legerunt; plures provincias confecit, quam alii concupiverunt:* cap. 11 *quae tanta ſunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus aut audivimus, non fuerunt* pro *quae maxima* ſ. *ſumma in hoc uno ſunt.* At illud majus, honorificentius, apertius et gravius.

Phil. IIII, 1 in. *Frequentia veſtrum incredibilis, Quirites, concioque tanta, quantam meminiſſe non videor* etc. pro *concioque maxima.* Ad Div. V, ep. 8 §. 2 *Nam et cum conſulibus et cum multis conſularibus tanta contentione decertavi, quanta nunquam ante ulla in cauſa* pro *Nam et cum conſulibus et cum multis conſularibus maxima contentione decertavi:* at illud gravius: omninoque tales circumſcriptiones rem graviorem reddunt. Hinc tenendae et imitandae ſedulo. Ac nihil frequentius apud Ciceronem. Addi poſſunt exempla ſuperiora ſect. 2 p. 415 circumſcriptionis vocabulorum ſingulorum per comparationem inſtituendae: pertinent enim huc hactenus, quia ex una enuntiatione plures fiunt.

IIII) Egregius modus augendi enuntiationes eſt, quando in enumeratione aliquot vel multarum rerum aut perſonarum per unum *verbum* proprie ita dictum connexarum his ſingulis ſingula *verba* adduntur, atque ita, quot vocabula erant, totidem enuntiationes fiunt: v. c. pro *amant te cives et peregrini* dicas: *amant te cives, diligunt peregrini;* pro *deus nobis vitam, ſanitatem, pacem aliaque bona donavit* dicas: *deus nos vita donavit, ſanitate beavit, pace ornavit, aliisque bonis frui voluit,* vel alio modo, v. c. *deus nobis vitam dedit, ſanitatem donavit, pacem conceſſit, aliaque bona tribuenda exiſtimavit.* Videndum enim eſt, ut, ſi fieri poſſit, talia *verba* eligamus, quae eosdem caſus nominum regunt, ſiquidem enuntiationes breviores fieri debent, ut illae erant. Sic pro *laetantur rex, principes regni, cives* dicere liceat: *laetatur rex, gaudent principes regni, exſultant cives.* — En exempla e Cicerone. Arch. 6 volebat proprie dicere: *qui ita vivo, ut ab nullius unquam me tempore aut commodum aut otium aut voluptas aut denique ſomnus abstraxerit* vel *prohibuerit;* at copioſius ita dixit: *qui ita vivo, ut ab nullius unquam me tempore aut commodum aut otium meum abstraxerit aut voluptas avocarit, aut denique ſomnus retardarit.* Egregie *abstraxerit* convenit τῷ *otium, avocaverit* τῷ *voluptas, retardarit* τῷ *ſomnus.* Peccavit tamen paululum, quod non ad *commodum* quoque peculiare *verbum* poſuit, v. c. *abduxerit, retinuerit* etc. In Gronoviana tamen et Erneſt. eſt *commodo,* pro quo Graevius recepit *commodum:* illud non male conveniat, ut cohaereat cum *tempore;* at tunc Cicero debuiſſet dicere *tempore vel commodo.* Sed *commodum* praeplacet. Neglecta concinnitas ſ. membrorum aequalitas nos non movere debet: eam etenim Cicero ſaepius neglexit: v. ſupra c. 6 ſect. 3, n. I, 4, a. Cap. 7 pro

Haec

Haec ſtudia proſunt in adoleſcentia, in ſenectute, in ſecundis, in adverſis, rebus, domi, foris, noctu, peregre, rure h. e. *omni tempore* et *loco* maluit ita dicere: *haec ſtudia adoleſcentiam alunt* (Edd. *agunt*, non ſatis perſpicue), *ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium ac ſolatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, ruſticantur.* Ubi notes, membra non eſſe ſibi aequalia. Cap. 8 Cicero volebat dicere: *Homerum ſuum civem eſſe dicunt Colophonii, Chii, Salaminii, Smyrnaei:* ſed maluit addendo ſingulis peculiari *verbo* ita dicere: *Homerum Colophonii civem eſſe dicunt ſuum, Chii ſuum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnaei vero ſuum eſſe confirmant.* Roſc. Am. 22 dicere proprie debebat: *multum valet humanitas, communio ſanguinis et ipſa natura* ſcil. ad parricidium non committendum. At copioſius ita dixit: *magna eſt vis humanitatis, multum valet communio ſanguinis, reclamitat iſtiusmodi ſuſpicionibus ipſa natura.* Add. Orat. 3 *Ac video, hanc primam ingreſſionem non ex orationibus disputationibusque ductam, ſed e media philoſophia repetitam* etc., ubi vel *ductam* vel *repetitam* ſufficere et ad utrumque referri bene poterat; nec *ductam* et *repetitam* inter ſe valde differunt. Sic Manil. 1 dicere poterat Cicero: *nihil huc niſi ingenio et induſtria elaboratum afferri oportere;* at pro eo dixit: *nihil huc, niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria, afferri oportere.* Ac millies tam copioſe Cicero. Sic pro *non amore mei ſed cupiditate tuae utilitatis incenſus hoc feci* dicere poſſum: *non amore mei ductus ſed cupiditate tuae utilitatis incenſus* etc. Quis non videt, ſic quoque praeter opinionem hanc ſententiam factam eſſe numeroſam, quia ablativus ablativo, genitivus genitivo, participium participio reſpondet. Sed, ut iſta copia tenenda et imitanda, ita nituntur hic omnia ingenio, ut ſtatim *verba* plura eaque apta in mentem veniant, ac ſimul exercitatione quadam. Etiam poetae, nam ſunt oratores ſ. eloquentes, delectantur iſta copia ac millies utuntur: v. c. Virgilius Aen. VI, 803, 804, de Hercule loquens, pro *licet cervam, aprum Erymanthium, et hydram Lernaeam occiderit* maluit duobus verſibus, apponendo ſingulis iſtis nominibus ſubſtantivis peculiari *verbo*, ita loqui:

Fixerit aeripedem cervam licet, aut Erymanthi
Pacarit nemora, et Lernam tremefecerit arcu.

V) Pro una enuntiatione, quae per ſe et neceſſitatis cauſa ſufficiebat, conjunguntur interdum duae, quarum

 una

una rem negative altera positive exprimit. Sic gravitas rei adjuvatur. V. c. pro *semper memor ero tuorum beneficiorum* dici potest: *nunquam tua beneficia obliviscar; semper animo meo infixa erit illorum memoria:* quae duae enuntiationes per *tantum abest* conjungi possunt: *tantum abest, ut beneficia tua oblivisci possim, ut potius eorum memoria meo animo infixa perpetuo mansura sit* etc. Et haud dubie formula illa *tantum abest* hanc originem habuit, ut res et negative et positive declarari atque ita gravius exprimi posset. Sed etiam sine *tantum abest* illa ratio eandem rem negative et positive simul explicandi Ciceroni frequentissima est; et ut hoc supra in singulis vocabulis ostendimus, et exempla attulimus, ita nunc in enuntiationibus ostendemus afferendis aliquot exemplis: v. c. Cic. Agr. II, 1, ubi dicere vult, se de suis majoribus parum posse dicere, quia non summos honores gesserint, neque ita populo innotuerint: hoc ita eloquitur: *Mihi quidem apud vos de meis majoribus dicendi facultas non datur; non, quod non tales fuerint, quales nos illorum sanguine creatos disciplinisque institutos videtis, sed quod laude populari atque honoris vestri luce caruerunt.* Hic *non, quod non — videtis* est negative, sed *quod laude — caruerunt* est positive dictum: prius abesse poterat, quia posterius jam per se sufficiebat; at gravitas rei adjuvatur illo; vertas: *nicht als wenn sie nicht auch solche Männer gewesen, als ihr mich sehet, der ich von ihrem Blute abstamme und ihre Sitten erlernet habe, sondern weil sie an dem öffentlichen Lobe des Publicums und am Glanze eurer Ehre nicht Antheil genommen,* h. e. brevius: *nicht als wenn sie nicht auch so geschickte Leute gewesen wären als ich, sondern weil sie sich nur mit Staatssachen nicht abgegeben, und kein öffentliches Ehrenamt bekleidet haben.* Inest his verbis magna laus. — Catil. II, 4 *Non est jam lenitati locus, severitatem res ipsa postulat.* Utraque enuntiatio fere idem declarat: ergo alterutra abesse per se poterat. — Mil. 1 in. *Etsi vereor, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem timere, minimeque deceat, cum T. Annius Milo ipse magis de reipublicae salute quam de sua perturbetur, me ad ejus causam parem animi magnitudinem afferre non posse* etc. Hic bis conjungitur enuntiatio negativa et affirmativa de eadem re: primum *turpe sit* et *minime deceat:* illud affirmative, hoc negative; deinde *timere* et *parem animi magnitudinem afferre non posse:* illud affirmative, hoc negative. Poterat Cicero, si voluisset, alterutro omisso dicere vel ita: *Etsi vereor, judices, ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem timere*, vel ita: *Etsi vereor, judices, ne minime deceat,*

cum

cum T. Annius Milo — perturbetur, me — afferre non poſſe. At utrumque conjunctum multo apertius et gravius rem explicat. Cap. 26 extr. *ſatis declarat* (Pompejus) *ſe non terrorem inferre vobis — ſed praeſidio eſſe.* — Arch. 7 *Quod ſi non hic tantus fructus ostenderetur, et ſi ex his ſtudiis* (humanitatis) *delectatio ſola peteretur, tamen* etc. poterat Cicero vel ita dicere: *Quod ſi non hic tantus fructus ostenderetur,* vel ita: *Quod ſi ex his ſtudiis delectatio ſola peteretur,* atque ita alterutram enuntiationem omittere; at contextus perſpicuitas et gravitas aliquid perdidiſſet: poterat et ita dicere: *Quod ſi non hic tantus fructus ex his ſtudiis, ſed tantum delectatio peteretur;* non male: at ſic non duae totae enuntiationes effectae eſſent. Ac ſic ſaepius Cicero. — Sic pro *omnes virtutem magni faciunt* dicere v. c. poſſum: *Nemo virtutem contemnit, omnes magni faciunt.* Add. Cic. Orat. 32 *Quamquam aliud videtur oratio eſſe, aliud disputatio, nec idem loqui eſſe quod dicere:* ubi *aliud eſſe* et *nec idem eſſe* ſunt ſynonyma. Poterat brevius dicere: *Quamquam aliud videtur eſſe oratio et disputatio, loqui et dicere.*

VI) Conjunguntur pro una enuntiatione libenter duae, vel etiam plures, eandem rem explicantes et deſignantes, ſed poſterior debet eſſe gravior vel dilucidior priori, atque ita priorem magis confirmare vel explicare et illuſtrare. Saepiſſime ita Cicero. V. c. Roſc. Am. 24 *Sua quemque fraus* (h. e. *maleficium, ſcelus*) *et ſuus terror maxime vexat: ſuum quemque ſcelus agitat amentiaque afficit: ſuae malae cogitationes conſcientiaeque animi terrent.* Cicero volebat proprie dicere, non Furias ipſas (deas illas ultrices) hominem vexare, ut in tragoediis fieri homines vulgo viderent, ſed ſuum quemque ſcelus et fraudem h. e. maleficium. Ergo ſufficiebat prima enuntiatio *Sua quemque fraus et ſuus terror maxime vexat:* ceterae duae *ſuum quemque ſcelus* etc., *ſuae malae cogitationes* etc. abeſſe poterant, ſi quidem breviter loqui voluiſſet. At additae quantum gravitatis addunt illi primae! *Agitare* i. e. *herumtreiben, verfolgen; amentia afficere* et *terrere* ſunt magis perſpicua quam *vexare*, atque hoc explicant. — Div. in Caecil. 14 in. *Nunquam ille me opprimet conſilio, nunquam ullo artificio pervertet, nunquam ingenio me ſuo labefactare atque infirmare conabitur.* Hic *opprimet* explicatur per verba *pervertet, labefactare atque infirmare conabitur.* Poterat et ita dicere: *Nunquam me conſilio, artificio, ingenio opprimet, pervertet, labefactabit,* de qua re antea dictum eſt. — Manil. 9 poſtquam dixerat hoc: *Hunc* (Mithri-

(Mithridatem) *in illo timore et fuga Tigranes rex Armenius excepit*, ita pergit: *diffidentemque rebus suis confirmavit, et afflictum erexit, perditumque recreavit:* quae tria tamen parum inter se differunt; at copia per se, modo vocabula et enuntiationes paulum inter se differant, gravitatis aliquid semper affert, ut guttae multae conjunctae plus virium habent quam una. — Mil. 1 *Non enim corona consessus vester cinctus est, ut solebat; non usitata frequentia stipati sumus.* Haec duo verbis, non item re, valde differunt: *corona* est *frequentia;* at differunt tamen, quod satis interdum est oratori copiose loquenti. Et *stipatus* tamen plus notat quam *cinctus.* — Rosc. Am. 46 *ut omnes despiciat, ut hominem prae se neminem putet.* Posterius est gravius priori. — Quint. 21 *Hoc timent homines, hoc laborant, hoc institui, atque adeo institutum referri ac renovari, moleste ferunt.* Hic per gradus quasi inceditur, quod semper optimum et perspicuitati gravitatique maxime accommodatum. — Marc. 2 aliquoties junguntur duae enuntiationes, quarum alterutra abesse poterat per se, sed posterior est fortior: *maximam vero partem* (rerum gestarum) *quasi suo jure fortuna sibi vindicat, et, quidquid est prospere gestum, id paene omne ducit suum.* Et statim: *at vero hujus gloriae — socium habes neminem; totum hoc, quantumcunque est, — totum est, inquam, tuum.* Et statim: *quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina Fortuna in istius se societatem gloriae non offert, tibi cedit, tuam esse* (Graev. *se esse*) *totam et propriam fatetur.* Et tandem: *nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur.* Egregie: *consilium* a *sapientia* et *casus* a *temeritate* parum differt: attamen non plane eadem sunt: imo *casus* est explicatio *temeritatis* (*der Unbedachtsamkeit*) et *consilium* est explicatio *sapientiae:* cap. 7 *qui non intelligat, tua salute contineri suam, et ex unius tua vita pendere omnium:* cap. 9 in. *Haec igitur tibi reliqua pars est, hic restat actus, in hoc elaborandum est* etc. Ac saepius hac in oratione praeclara. — Conjunguntur tales enuntiationes pro una positae interdum per *non modo sed etiam*, per *non sed* etc., atque ita gravitas crescit. V. c. Cic. Rosc. Am. 24 dicere debebat proprie: *ex quo* (sanguine parentum occisorum) *macula concepta elui non potest*, vel ita: *ex quo macula concepta permanat ad animum usque;* sed conjunxit utramque enuntiationem, et posteriori effectum simul addidit, atque ita dixit: *ex quo, si qua macula concepta est, non modo elui non potest, verum usque eo permanat ad animum, ut summus furor atque amentia consequatur.* Qua conjunctione quis non

non ſentit gravitatem ſententiae auctam eſſe? — Ib. c. 23 dicere debebat: *quod, qui tantum facinus commiſerunt, ſine cura quieſcere non poſſunt, können ohne Kummer* ſ. *Sorgen nicht ſchlafen;* ſed addita alia enuntiatione gravius ita loquitur: *quod, qui tantum facinus commiſerunt, non modo ſine cura* (*non*, quod ſupplendum) *quieſcere ſed ne ſpirare quidem ſine metu poſſunt.* — Marc. 3 dicere poterat ſimpliciter: *haec qui facit, eum cum ſummis viris comparo,* ſed gravius ita loquitur: *haec qui facit, non ego eum cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum deo judico.* Poterat et ita dicere: *haec qui facit, eum ſimillimum deo judico;* at illud gravius: negatur enim comparatio cum ſummis viris, quae per ſe jam gravis eſt. — Pertinent huc plura exempla, ubi negativa enuntiatio, per ſe non neceſſaria, praeponitur, ut conſequens eo gravior fiat; v. c. Marc. 8 *Satis — naturae fortaſſe* (vixiſti), *addo etiam, ſi placet, gloriae: at, quod maximum eſt, patriae certe parum.* Quae omnia dicta ſunt pro *tu patriae nondum ſatis vixiſti.* Ib. c. 9 *Nec vero haec tua vita ducenda eſt, quae corpore et ſpiritu continetur: illa, inquam, illa vita eſt tua, quae vigebit memoria ſaeculorum omnium, quam poſteritas alet, quam ipſa aeternitas ſemper tuebitur.* Quae omnia dicta ſunt pro *vita tua, Caeſar, conſtat nominis immortalitate.*

VII) Augeri etiam ſaepe enuntiationes poſſunt ita, ut enuntiationi aliam enuntiationem, quae *modum* illius quendam indicet, addamus, licet per ſe intelligi atque ita abeſſe poſſit. Tales enuntiationes, praeponendae, ſunt v. c. *non fieri poteſt, accidit, factum eſt, fit, effectum eſt, faciendum putavi, evenit, contigit, datum eſt* etc., v. c. pro *deus non mentitur* dici poteſt: *fieri non poteſt, ut deus mentiatur: datum eſt tibi hoc, ut poſſes efficere* pro *tu potuiſti efficere. Accidit, ut moreretur* pro *mortuus eſt: contigit fratri, ut ab omnibus laudaretur* pro *frater ab omnibus laudatus eſt: factum eſt, ut crearetur conſul* pro *creatus eſt conſul.* — At notandum, *accidere, contingere* ſemper *caſum* indicare, ſic et *factum eſt:* et *evenire* etiam *caſum* vel potius *eventum rei.* Exempla pauca dabo e priſcis. — *Accidit:* Cic. ad Div. III, ep. 2 in. *Cum et contra voluntatem meam et praeter opinionem accidiſſet, ut mihi cum imperio in provinciam proficiſci neceſſe eſſet* etc. pro *cum et contra voluntatem meam et praeter opinionem mihi cum imperio in provinciam proficiſci neceſſe eſſet* etc. At illud accuratius: indicat enim, Ciceronem non ſponte vel cupiditate imperii praeſidem provinciae

Cili-

Ciliciae factum: et Appii intererat hoc scire, quia hic forsan e provincia non libenter decedere vellet. Ac sic Cicero millies. — *Contingit, contigit*: Cic. ad Div. VIIII, ep. 14 §. 13 *Contigit enim tibi, quod haud scio an nemini, ut summa severitas animadversionis non modo non invidiosa sed etiam popularis esset, Denn du hast das Glück gehabt, das meines Wissens* s. *vielleicht niemand gehabt hat, daß die schärffste Ahndung dich nicht nur nicht verhaßt sondern auch beliebt beym Publicum gemacht hat* pro *Nam tua summa severitas non modo non invidiosa sed etiam popularis fuit; id quod vix cuiquam contigit.* — *Obtingit*: Cic. Verr. V, 15 in. *Cum tibi sorte obtigisset, ut jus diceres* etc. pro *Cum per sortem factus esses praetor urbanus.* — *Fit, factum est*: Rosc. Am. 1 *Ita fit, ut adsint propterea, quod officium sequuntur* pro *Ita adsunt propterea* etc. Caes. B. G. I, 31 §. 4 *factum esse, uti — Germani mercede arcesserentur* pro *Germanos — arcessitos esse;* II, 4 *Qua ex re fieri, ut — magnam sibi auctoritatem magnosque spiritus in re militari sumerent* pro *Qua ex re illos magnam sibi — sumere.* — *Evenit*: Liv. I, 7 *Forte ita evenit, ut Potitii ad tempus praesto essent, iisque exta apponerentur, Pinarii — ad ceteram venirent dapem* pro *Forte Potitii ad tempus praesto erant, iisque — apponebantur, Pinarii — veniebant* etc. Sed haec sunt tralaticia, quae millies occurrunt. — Sunt et alia, quae saepissime praeponuntur, v. c. *Effectum est*: v. c. Marcell. ad Cic. in Epp. ad Div. IIII, 11 §. 2 *non prius mihi persuadere potui, quam tuis est effectum literis, ut uterer vestro potissimum consilio* pro *quam propter tuas literas utebar* s. *uti statuebam vestro potissimum consilio*: at illud gravius. Sic *facere*, v. c. Cic. Rabir. Post. 1 *Quamquam hoc plerumque facimus, ut consilia eventis ponderemus* pro *Quamquam plerumque consilia eventis ponderamus.* Ad Div. IIII, ep. 4 §. 10 *Fecerat autem hoc senatus, ut — cunctus consurgeret et ad Caesarem supplex accederet* pro *senatus autem cunctus consurrexerat et — accesserat.* Sic XIII, ep. 48 in. *eoque facio libentius, ut eos tibi commendem* etc. pro *eoque libentius eos tibi commendo.* — Sic *faciendum putare*, ad Div. II, ep. 19 §. 4 *Quae cum essent incerta, existimavi tamen esse faciundum, ut ad te statores meos et lictores cum literis mitterem* pro *Quae cum essent incerta, tamen existimavi ad te statores et lictores mittendos esse* etc. s. brevius: *tamen ad te statores et lictores misi.* III, ep. 8 in. *faciendum mihi putavi, ut tuis literis brevi responderem* pro *putavi tuis literis brevi respondendum esse.* Cicero ita millies. — Sic et *datum est*: v. c. Cic. Rabir. Post. 1 *praesertim cum sit hoc generi hominum prope*

natura

natura datum, uti, qua in familia laus aliqua forte floruerit, hanc fere — cupidissime persequantur pro *praesertim cum genus hominum natura familiam hanc, in qua laus aliqua forte floruit, cupidissime fere persequatur* s. *persequi soleat.* Fin. III, 20 *Atque ut tauris natura datum est, ut pro vitulis contra leones summa vi impetuque contendant* etc. pro *Atque ut tauri natura pro vitulis — contendunt:* at illud apertius ac planius. — Sic *natura est insitum;* v. c. Cic. Sull. 30 *hoc natura est insitum, ut, quem timueris, — hunc semper oderis* pro *natura odisti eum, quem times, Man hasset von Natur, auf eine natürliche Art, den, welchen man fürchtet.* — Sic praeponi potest *Natura, fortuna mihi, tibi, illi hoc dedit, tribuit* etc., v. c. Cic. Rosc. Am. 16 in. *Si tibi fortuna non dedit, ut patre certo nascerere, ex quo intelligere posses, qui animus patrius in liberos esset* pro *Si patre certo tu non natus es, ex quo* etc., est tecta vituperatio Erucii. — Possunt et alia praeponi, v. c. *ita vivo:* Cic. Arch. 6 *Me autem quid pudeat* (scil. literis humanitatis operam dare), *qui tot annos ita vivo, ut ab nullius unquam me tempore aut commodum aut otium abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit?* pro *Me autem quid pudeat, quem tot annos ab nullius unquam — abstraxerit — avocarit — retardarit?* — In primis praeponi solet *agere*, v. c. *hoc ago, id egit*: quod proprie est *consilium aliquod sequi, etwas zur Absicht haben:* ergo non de actionibus temerariis sed cum consilio susceptis dici debet: v. c. *semper id egi, ut multa discerem, aliorum felicitatem adjuvarem* pro *semper studui multa discere, aliorum felic. adjuvare.* Cic. Rosc. Am. 20 *Sin autem sic agetis, ut arguatis aliquem patrem occidisse, neque dicere possitis quare aut quomodo* etc. *wenn ihr aber darauf umgehen* s. *das zur Absicht haben wollet, daß ihr* etc. pro *Sin autem arguetis aliquem* etc. *wenn ihr aber jemand beschuldigen wollet* s. *werdet*: at prius est fortius. Catil. IIII, 6 *qui id egerunt, ut gentem Allobrogum in vestigiis hujus urbis atque in cinere deflagrati imperii collocarent* pro *qui voluerunt gentem Allobrogum — collocare.* Ad Div. III, 7 §. 18 *Tu autem si id agis, ut minus mea causa, dum ego absim, debere videaris, quam ego tua laborarim* etc. pro *Tu autem si minus mea causa, dum ego absum, debere videris, quam* etc. Ac sic Cicero saepissime, ut nihil sit, quod magis imitandum videatur. It. Nepos, Themist. 5 *id agi, ut pons dissolveretur, man gehe damit um, die Brücke abzubrechen* pro *pontem dissolutum iri.* Sic Livius, Caesar, Sallustius etc.

VIII)

VIII) Enuntiationi ſaepe additur *alia enuntiatio illius explicationem* et *illuſtrationem continens;* v. c. Cic. Manil. 11 de virtute Pompeji dixerat eamque laudaverat; provocare vult ad teſtes hujus virtutis *Italiam*, *Siciliam*, *Africam*, *Galliam*, *Hiſpaniam*, iterum *Italiam* etc. Poterat ergo ſimpliciter dicere: *teſtis eſt Italia, Sicilia, Africa, Gallia, Hiſpania, iterum Italia* etc., vel ſic: *teſtis eſt Italia*, *teſtis eſt Sicilia, teſtis eſt Africa*, *teſtis eſt Gallia*, *teſtis eſt Hiſpania*, *teſtis eſt iterum ac ſaepius Italia* etc. Haec ſufficere poterant Ciceroni, quia credere poterat, res in illis terris a Pompejo geſtas auditoribus eſſe notas: at non ſufficiebant Ciceroni, quia iſta nimis breviter dicta forent, cum praeſertim non omnes auditores ſtatim forſan recordarentur rerum in iſtis terris geſtarum. Addit ergo ſingulis terris quandam explicationem rerum illarum vel potius repetitionem univerſam ac copioſius ita loquitur: *teſtis eſt Italia*, *quam ille ipſe victor L. Sulla hujus virtute et ſubſidio confeſſus eſt liberatam; teſtis eſt Sicilia*, *quam multis undique cinctam periculis non terrore belli ſed celeritate conſilii explicavit; teſtis eſt Africa, quae magnis oppreſſa hoſtium copiis eorum ipſorum ſanguine redundavit; teſtis eſt Gallia*, *per quam legionibus noſtris in Hiſpaniam iter Gallorum internecione patefactum eſt; teſtis eſt Hiſpania, quae ſaepiſſime plurimos hoſtes ab hoc ſuperatos proſtratosque conſpexit; teſtis eſt iterum ſaepiusque Italia, quae cum ſervili bello premeretur, ab hoc auxilium abſente expetivit, quod bellum exſpectatione Pompeji attenuatum atque imminutum eſt*, *adventu ſublatum ac ſepultum* etc. Quam egregie et quanta cum variatione! — Rabir. Poſt. 10 *L. vero Scipionis*, *qui bellum in Aſia geſſit Antiochumque devicit*, *non ſolum cum chlamyde ſed etiam cum crepidis in Capitolio ſtatuam videtis*; addidit explicationem *qui bellum — devicit* tum ob neceſſitatem, quia etiam alius L. Scipio fuerat, tum praeſertim, ut, Rabirii defendendi cauſa, appareret, chlamydem et crepidas non eſſe indignas magnis et honeſtis viris. Sic ibid. *ergo ille P. Rutilius*, *qui documentum fuit hominibus noſtris virtutis*, *antiquitatis*, *prudentiae*, *conſularis homo*, *ſoccos habuit et pallium?* etc. Ubi additur *qui — homo*, ſed cum gravitate. Non fruſtra igitur ſunt talia additamenta. — Marcell. 3 *At vero*, *cum aliquid clementer*, *manſuete*, *juſte*, *moderate*, *ſapienter factum*, *in iracundia praeſertim*, *quae eſt inimica conſilio*, *et in victoria*, *quae natura inſolens et ſuperba eſt*, *aut audimus aut legimus*, *quo ſtudio incendimur — ut eos ſaepe*, *quos nunquam vidimus*, *diligamus?* Additamenta *quae eſt inimica conſilio* et *quae natura inſolens et ſuperba eſt*, quae ſunt

ſunt explicationes *iracundiae ac victoriae*, abeſſe potuiſſe fateor: at cui non placent additae? Cui non contextum conſideranti? Imitanda talia ſunt tironibus, ut diſcant perſpicue ac graviter dicere.

VIIII) Additur etiam enuntiatio *comparationem* continens vel ſimplicem, vel in primis eam, quae ſerviat argumentationi aut a minori ad majus aut a majori ad minus. a) Exemplum comparationis hoc eſto: pro *Sempronius valde errabat, cum putabat, ſe ab omnibus conſpectum et laudatum iri* dicere interdum liceat: *Sempronio fere idem accidit, quod Ciceroni e Sicilia redeunti, ut, cum credidiſſet, fore ut ab omnibus conſpiceretur et laudaretur, valde opinio ipſum falleret*, vel latius: *quod Ciceroni e Sicilia redeunti accidit, ut, cum Oſtiae putaſſet ſe ab omnibus gratiſſimo animo et cum omni laudis ſignificatione exceptum iri, valde falleretur, idem fere Sempronio contigiſſe videmus, ut in eo, quod omnibus ſe conſpectum ac laudatum iri credidiſſet, valde erraret*. Cicero ſaepiſſime comparationibus utitur, v. c. Fin. III, 20 *Atque ut tauris natura datum eſt, ut pro vitulis contra leones ſumma vi impetuque contendant: ſic ii, qui valent opibus atque id facere poſſunt, ut de Hercule et de Libero accepimus, ad ſervandum genus humanum incitantur.* — Offic. II, 12 med. *Sed ut pecuniae non quaerendae ſolum ratio eſt, ſed etiam collocandae* (anzuwenden), *quae perpetuos ſumtus ſuppeditet, nec ſolum neceſſarios, ſed etiam liberales: ſic gloria et quaerenda et collocanda ratione eſt.* — Ligar. 12 rogat Caeſarem, ut idem faciat in Ligario, quod in Marcello fecerit, atque ita veniam huic datam cum venia illi danda comparat, idque paulo latius: *fac igitur, quod de homine nobiliſſimo et clariſſimo M. Marcello feciſti nuper in curia, nunc idem in foro de optimis — fratribus. Ut conceſſiſti illum* (Marcellum) *ſenatui, ſic da hunc* (Ligarium) *populo: — et ſi ille dies tibi glorioſus populo romano gratiſſimus fuit, noli, obſecro, dubitare, ſimilem illi gloriae laudem quam ſaepiſſime quaerere.* Egregie et graviter dictum! — Dejot. 4 extr. comparat Caeſarem cum Pompejo: *tanto ille* (Pompejus) *ſuperiores vicerat gloria, quanto tu omnibus praeſtitiſti. Itaque Cn. Pompeji bella, victorias, triumphos, conſulatus admirantes numerabamus; tuos enumerare non poſſumus.* Quid majus dici poterat? Et tamen aliquid majus dixit Cicero de Caeſare pro Marcell. 2 et 3. Comparat hic per duo haec capita veniam Marcello datam cum Caeſaris rebus geſtis: hoc facit ita, ut primum res geſtas Caeſaris cum aliorum rebus geſtis comparet, et

has longe inferiores illis confirmet, deinde clementiam atque ita veniam Marcello datam illis rebus geſtis longe ſuperiorem eſſe evincat. Legi merentur duo haec capita, ut artificium plane perſpiciatur. Diſcant hanc comparandi rationem diligenter tirones: ſed, ut apte diſcant, debent multarum rerum cognitione ante inſtructi eſſe. Nam, ſi quis res non accurate novit, quomodo is apte eas inter ſe conferre poſſit? Legendi hic quoque ſunt poetae, qui comparationibus abundant, ſed ita legendi, ut, quantum ex illis orationi proſaicae conveniat, ſimul attendamus. b) Exempla comparationis argumentationi ſervientis ſint haec: Cic. Manil. 5 in., ubi Cicero docet, majores de minori re ſaepe bella geſſiſſe, ergo debere Romanos eo magis nunc bellum gerere cum Mithridate. Dicit: *majores veſtri ſaepe mercatoribus ac naviculariis injurioſius tractatis bella geſſerunt: vos, tot civium romanorum millibus uno nuntio atque uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? Legati quod erant appellati ſuperbius, Corinthum patres veſtri, totius Graeciae lumen, exſtinctum voluerunt* (i. e. *exſtinxerunt*): *vos eum regem inultum eſſe patiemini, qui legatum populi romani conſularem vinculis ac verberibus atque omni ſupplicio excruciatum necavit? Illi libertatem civium romanorum imminutam non tulerunt; vos vitam ereptam negligetis? Ius legationis verbo violatum illi perſecuti ſunt; vos legatum populi romani, omni ſupplicio interfectum, inultum relinquetis? Videte, ne, ut illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperii gloriam relinquere, ſic vobis turpiſſimum ſit, id, quod accepiſtis, tueri et conſervare non poſſe.* Quid praeclarius, quid gravius dici poteſt? Adjuvat gravitatem interrogatio, eaque repetita, et tandem admonitio *videte ne* etc., quae eſt concluſio e praecedentibus facta. Tales loci ſaepius ſunt legendi. — Addatur Roſc. Am. 39 *In minimis privatisque rebus etiam negligentia* etc., *in tanta re, quae publice geſta atque commiſſa ſit, qui non negligentia* etc. Brevior comparatio eſt Ligar. 4 *Quorum igitur impunitas, Caeſar, tuae clementiae laus eſt, eorum ipſorum ad crudelitatem te acuet oratio?* Graviſſime et ſimul breviſſime dictum pro *ii homines, qui ipſi per tuam clementiam poena liberati ſunt, ii ipſi te, Caeſar, incitabunt ad alios graviter crudeliterque puniendos?*

X) Commemoratio *exemplorum* et *antiquorum* et *recentiorum*, itemque *teſtimonii* magnorum virorum, ut enuntiationum copiam, quod per ſe patet, auget, ita, ſi quidem apte locoque adhibetur, perſpicuitati ac gravitati valde prodeſt.

prodeſt. Poſſunt et debent interdum haec exempla et teſtimonia novis enuntiationibus apte inventis, maxime cauſis, illuſtrari et confirmari, ut vis eorum magis ac certius perſpiciatur et ſentiatur. Omnia hic vertuntur in contextus ratione et ingenii bene ſubacti felicitate, quae e plurimis optima quaeque eligere ſciat. Loca e Cicerone, abundante talibus rebus, multa afferre ſuperſedeo. Unum laudabo Mil. 4 in., ubi ad evincendum, vim illatam vi poſſe repelli, atque ita hominem, qui nos telo aggrediatur, a nobis occidi poſſe, ac propterea Clodium a Milone jure caeſum eſſe, laudat hoc exemplum: *pudicitiam cum eriperet militi tribunus militaris in exercitu C. Marii, propinquus ejus imperatoris, interfectus ab eo eſt, cui vim afferebat.* Ubi notes egregiam circumſcriptionem: *ab eo cui vim afferebat* dictum pro *a milite*, at aptiſſime h. e. quia ſimul cauſa incluſa eſt. Pergit Cicero: *facere enim probus adoleſcens periculoſe quam perpeti turpiter maluit.* Haec eſt cauſa, cur miles recte fecerit; tandem addit Cicero ad vim exemplo addendam: *atque hunc ille vir ſummus* (Marius) *ſcelere ſolutum periculo liberavit.*

XI) Additur enuntiationi in primis enuntiatio *cauſam* prioris vel *conſilium* (*Abſicht*) continens per particulas cauſales *nam*, *enim*, ac, ſi arctius cohaerere debet, per *quia*, *cum*, *ut*, *ne* etc. In hoc genere copiae in primis regnat Cicero, qui nihil fere dicit, cujus cauſam non addat, ac ſaepe tam tecte, ut vix appareat, cauſam additam eſſe. Ac profecto nihil tam eloquentiam decet, nihil tam prodeſt perſpicuitati et gravitati, quam cauſas, easque aptas, frequenter adjicere. Utrum v. c. aptius eſt dicere: *quis deum non amet?* an: *quis deum, qui tam beneficus eſt, non amet?* Exempla pauca afferam. Cicero Roſc. Am. 25 prope fin. majores laudaturus, quod in parricidas poenam conſtituerint, atque ita ſapientius quam Solon, qui illud omiſerat, egerint, hoc ita eloquitur: *quanto majores noſtri ſapientius! qui cum intelligerent, nihil eſſe tam ſanctum, quod non aliquando violaret audacia, ſupplicium in parricidas ſingulare excogitaverunt; ut, quos natura ipſa retinere in officio non potuiſſet, ii magnitudine poenae maleficio ſubmoverentur.* Poterat breviter dicere: *quanto majores noſtri ſapientius! qui ſupplicium in parricidas ſingulare excogitaverunt.* At hoc nimis jejunum videbatur ei: hinc addit primum *cauſam* his verbis: *cum intelligerent, nihil eſſe tam ſanctum, quod non aliquando violaret audacia;* deinde ſubjicit aliam cauſam ſeu conſilium verbis his: *ut, quos natura ipſa retinere*

 in

in officio non potuisset, ii magnitudine poenae maleficio (i. e. *parricidio*) *submoverentur.* — Ac paulo ante, ubi narrat, Solonem de industria nullum supplicium in parricidas constituisse, ita loquitur: *sapienter fecisse dicitur, cum de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat, ne non tam prohibere quam admonere videretur.* Verba *ne non tam — videretur* abesse per se poterant: at volebat causam adjicere, cur sapienter fecisse in eo Solon dicatur. — Ibid. cap. 26, ubi illud supplicii genus, quod in eo constabat, ut parricida in culeum insutus in flumen dejiceretur, diligentius, ac forsan nimis diligenter, tractans non contentus est dixisse: *noluerunt feris corpus objicere, noluerunt nudos in flumen dejicere*, sed singulis his enuntiationibus causas addit sic loquens: *noluerunt feris corpus objicere, ne bestiis quoque, quae tantum scelus attigissent* (i. e. *anrührten*, non *fräßen* ut Ernesti in Clave explicat: illud gravius; quasi vel solo tactu iam immaniores fiant) *immanioribus uteremur; non sic nudos in flumen dejicere, ne, cum delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cetera, quae violata sunt, expiari putantur.* — Catil. III, 1 dicere vult Cicero: si dies, quibus conservamur, aeque sunt jucundi ac dies, quibus nascimur, se ob conservationem Romae, oppresso Catilina, eodem honore dignum esse, qui Romulo ob conditam urbem tributus sit. At hoc causis additis ita confirmat et dilatat: *si non minus nobis jucundi atque illustres* (verti queat merkwürdig) *sunt ii dies, quibus conservamur, quam illi, quibus nascimur, quod salutis* (h. e. conservationis Errettung) *certa laetitia, nascendi incerta conditio* (notetur simul concinnitas membrorum et oppositio), *et quod sine sensu nascimur, cum voluptate servamur* (not. eadem concinnitas et oppositio): *profecto, quoniam illum, qui hanc urbem condidit, ad deos immortales benevolentia famaque sustulimus, esse apud vos posterosque vestros in honore debebit is, qui eandem hanc urbem conditam amplificatamque servavit.* Egregia sententia, in qua et argumentatio inest, qua Cicero sibi plus honoris postulare videtur, quam Romulo tributus fuit: *si hic ob conditam Romam* etc., *quanto magis ego ob conservatam* etc. Hic notemus tantum causas additas *quod salutis — conditio; et quod sine — servamur*; ac *quoniam — sustulimus*; quam jejune ac breviter sine iis dixisset: *si non minus nobis jucundi atque illustres sunt ii dies, quibus conservamur, quam illi, quibus nascimur, profecto esse apud vos posterosque vestros in honore debebit is, qui hanc urbem conditam amplificatamque servavit.* Quam parum perspicue et graviter! ut taceam posteriora sine verbis

quo-

quoniam illum etc. manca esse ac fere sensu carere. — Mil. 4 *Pudicitiam cum eriperet militi tribunus militaris in exercitu C. Marii, propinquus ejus imperatoris, interfectus ab eo est, cui vim afferebat.* Hic poterat Cicero desinere: nam causa, cur interfecerit, facile intelligitur. Cicero tamen statim addit: *facere enim probus adolescens periculose quam perpeti turpiter maluit*, h. e. *interficere illum malebat, etsi videbat fore, ut propterea capite plecteretur, quam istam turpitudinem perferre.* — Cap. 30, ubi Cicero dicere vult, se periculum et invidiam non timuisse; sed addit simul causam hanc, quia etiam gloria futura esset sua, atque sententiam ita effingit: *quamquam hoc animo semper fuimus omnes in patriae proditoribus opprimendis, ut, quoniam nostra futura esset gloria, periculum quoque et invidiam nostram* (int. *esse*) *putaremus.* Multum perdat sententia, si causa *quoniam* — *gloria* omittatur. — Ligar. 10 cum dixisset: *si vestras* (scil. *injurias persequimini*): *videte, ne erretis, qui Caesarem vestris inimicis iratum fore putetis*, hic poterat desinere; at addit *cum ignoverit suis.* Haec causa addita addit sententiae demum gravitatem. Nam, si Caesar suis inimicis ignovit, quanto magis ignoscet inimicis aliorum? — Ac sic Cicero millies; ac saepissime per *qui* cum conjunctivo et cum indicativo: tam tegere scit Cicero causas; v. c. Verr. IIII, 28 *Antiochus, qui animo et puerili et regio esset, nihil de istius* (Verris) *improbitate suspicatur*, h. e. *Antiochus quia* s. *cum animo* etc. — Ligar. 12 *Sed parum est me hoc meminisse; spero etiam te* (Caesar), *qui oblivisci nihil soles nisi injurias, quoniam hoc est animi, quoniam etiam ingenii tui, te — recordari.* Egregie ad laudem memoriae Caesaris! Dicit: *spero, te recordari*; addit causam *qui oblivisci nihil soles nisi injurias*, h. e. *quia singulari es memoria, quae omnia servat*: hujus causae iterum affert causam *quoniam hoc est animi, quoniam hoc est ingenii tui.* — Marcell. 10 extr., ubi Cicero Caesarem, qui satis se sibi vixisse dixerat, hortatur, ut vitae consulat, ita loquitur: *Quare omnes te, qui haec* (i. e. hunc statum rerum s. reipublicae) *salva esse volumus, et hortamur et obsecramus, ut vitae, ut saluti tuae, consulas.* In verbis *qui haec salva esse volumus* latet causa, cur rogent, ut Caesar suae saluti ac vitae consulat: dixerat enim antea, omnium salutem niti salute Caesaris, ita, ut, si Caesar periret, omnes et omnia simul interirent. Valde adulatorie dictum. Verba *qui haec salva esse volumus* dicta sunt tecte pro *quia haec omnia et nosmet simul ipsos salvos esse volumus.* — Ac sic millies Cicero utitur τῷ *qui* in causali enuntiatione, quod vulgaris interpres saepe non animadvertit.

XII) Saepe etiam praecedentibus *effectus* aliquis vel aliquid, quod e prioribus *consequi* solet vel colligi potest aut posse videtur, licet per se intelligi possit, tamen, ad perspicuitatem vel gravitatem magis adjuvandam, addi potest et debet per particulas concludentes *hinc*, *quare*, *igitur* etc. in primisque *ut* pro *ut itaque;* sic nova fit enuntiatio, atque adeo plures. Saepissime ita Cicero: v. c. Agr. II, 2 Cicero glorians, quod consulatum suo anno acceperit, ait: — *reperietis* — *me esse unum ex omnibus novis hominibus, de quibus meminisse possumus, qui consulatum petierim, cum primum licitum sit, consul factus sim, cum primum petierim.* Hic poterat desinere; sed, ut ostenderet, hoc nonnisi ob dignitatem suam contigisse, addidit hanc conclusionem: *ut vester honos* (consulatus) — *non ad alienae petitionis occasionem interceptus, nec diuturnis precibus efflagitatus, sed dignitate impetratus esse videatur, daß man also wohl sieht* (*videatur*), *daß diese eure Ehre von mir nicht etwa bey Gelegenheit des Anhaltens eines Andern erschlichen* (proprie *aufgefangen*), *noch durch langes Bitten erbettelt, sondern durch Verdienst erlanget worden;* pro *unde intelligitur, vestrum honorem* — *interceptum* etc. Ubi notari etiam meretur numerus. — Cap. 5 Cicero, ut Rullum tribunum plebis ridiculum reddat, describit eum, ejusque vultum, vestitum singularem etc. Sed non contentus est hac re, sed addit simul, quid inde colligi possit. Verba sunt: *jam designatus alio vultu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur; vestitu obsoletiore, corpore inculto et horrido, capillatior quam ante, barbaque majore:* hic poterat desinere, sed addit: *ut oculis et adspectu denuntiare omnibus vim tribuniciam et minitari reipublicae videretur.* — Marcell. 6 Cicero laudans Caesaris clementiam in victos Pompejanos ait inter alia: *quos amisimus cives, eos Martis vis perculit, non ira victoriae: ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Caesar ab inferis excitaret, quoniam ex acie conservat, quos potest.* Verba *ut dubitare* etc. omitti poterant, at cum magno damno sententiae. — Ligar. 6 defendens, causam Pompejanam non fuisse scelus, sed errorem, vel ad summum temeritatem, pergit: *ac mihi quidem, si proprium et verum nomen nostri mali quaeratur, fatalis quaedam calamitas incidisse videtur et improvidas hominum mentes occupavisse: ut nemo mirari debeat, humana consilia divina necessitate esse superata:* verba *ut nemo mirari debeat* etc., h. e. *hinc nemo mirari debet* etc., abesse poterant, at addita augent. — Manil. 4 in. loquens de Mithridate, qui in Hispaniam adeo

ad

ad Sertorianos miſerat, ad bellum cum iis conjungendum, hoc ita exprimit: *Mithridates — usque in Hiſpaniam legatos Ecbatanis miſit ad eos duces, quibuscum tum bellum gerebamus*: hic poterat finire orationem; ſed addit: *ut, cum duobus in locis disjunctiſſimis maximeque diverſis uno conſilio a binis hoſtium copiis bellum terra marique gereretur, vos, ancipiti* (h. e. duplici, e diverſis partibus) *contentione diſtricti, de imperio dimicaretis.* Nunc apparet gravitas belli: ſine hoc additamento priora fuiſſent languida nec ſatis perſpicua. — Ad Div. V, ep. 12 §. 16 *Quem enim noſtrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miſeratione delectat? qui tum denique ſibi avelli jubet ſpiculum, poſteaquam ei percontanti dictum eſt, clypeum eſſe ſalvum*: haec ſufficiebant; ſed addit: *ut, etiam in vulneris dolore, aequo animo cum laude moreretur, daß er alſo auch beym Schmerze* etc. ſ. *daher ſtarb er* etc.: *etiam in dolore* eſt *adeo in dolore* ſ. *licet dolore vulneris afficeretur.* Ac ſic ſaepiſſime.

XIII) Additur quoque interdum *contrarium*, atque ita nova fit enuntiatio. V. c. *labor membra firmat, cum contra deſidia frangat*; it. *pace omnia virent et vivunt, cum contra bello omnia torpeant ac mortua videantur.* Sic: *concordia res parvae creſcunt, discordia magnae dilabuntur.* — Sic multa ſibi opponi poſſunt, quamquam non ſemper oppoſitio ſubtilis nimis eſt. Cic. Catil. III, 1 dies, quibus naſcimur, cum diebus, quibus e vitae periculo liberamur, ita comparans, ut hos illis praeferat, hanc addit cauſam: *quod ſalutis certa laetitia, naſcendi incerta conditio, et, quod ſine ſenſu naſcimur, cum voluptate ſervamur.* — Dejot. 9 med. defendens, Dejotarum non vino ſe obruiſſe, nec nudum in convivio ſaltaſſe, opponit his vitiis duobus frugalitatem illius ac ſic loquitur: *Dejotarum ſaltantem quisquam aut ebrium vidit unquam? Omnes in illo ſunt rege regiae virtutes, — ſed praecipue ſingularis et admiranda frugalitas.* Nonne poterat verba *Dejotarum ſaltantem — vidit unquam* omittere ac ſtatim dicere: *omnes in illo* etc.? Poterat: at non poterat plene et graviter locuturus. — Cap. 11 ubi Caſtoris factum, qui ſervum a Dejotaro avo abduxerat ad hunc accuſandum, cum Domitii facto, qui ſervum Scauri inimici ad ſe venientem Scauro remiſit, comparans ita loquitur: *ille* (Domitius) *inimico ſervum remiſit, tu ab avo abduxiſti; ille incorruptum audire noluit, tu corrupiſti; ille adjutorem ſervum contra dominum repudiavit, tu etiam accuſatorem adhibuiſti.* Ibid. *ſit in dominatu ſervitus, in ſervitute dominatus*: ubi alterutrum

utrum ſufficiebat; ſed utrumque conjunctum eſt gravius. — In primis contrarium addi juvat, ſi argumentum ſimul ineſt, v. c. Cic. Ligar. 10 *Si veſtras*, int. injurias perſequimini: *videte, ne erretis, qui Caeſarem veſtris inimicis iratum fore putetis, cum ignoverit ſuis;* opponuntur ſibi *iratum fore inimicis veſtris* et *ignoviſſe ſuis inimicis*; et cauſa, cur veſtris inimicis non iratus futuris ſit, eſt, quia ſuis ipſe ignovit. Ibid. cap. 5 med. *Quam multi — impedirent clementiam tuam, cum etiam ii, quibus ipſe ignoviſti, nolint te in alios eſſe miſericordem?* Ineſt argumentum hoc: ſi ii, quibus Caeſar ignovit, eum nolunt eſſe in alios miſericordem h. e. eum ad crudelitatem in alios incitant, quid tandem alii facient, qui Caeſaris clementiam non experti ſunt? Dejot. 14 extr. *Dabis profecto miſericordiae, quod iracundiae negaviſti* — In omnibus his alterutra enuntiatio abeſſe per ſe poterat; dicere Cicero poterat: *videte, ne erretis, qui Caeſarem veſtris inimicis iratum fore putetis*, omiſſis *cum ignoverit ſuis;* poterat dicere: *quam multi — impedirent clementiam tuam, cum etiam hi te nolint in alios eſſe miſericordem*, et tandem: *dabis profecto hoc miſericordiae.* Potuiſſet ſane, ſi copioſe pleneque dicere noluiſſet.

XIIII) Addi quoque ſaepe poteſt ac debet enuntiatio, *conditionem* praecedentium continens per particulas *ſi, niſi, ſi quidem, quatenus*, interdum et *qui.* V. c. pro *deus hominibus peccata libenter remittit* dici poſſit: *deus hominibus peccata, ſi eorum ipſos vere poenitet, libenter remittit.* Poſtulat hoc ſubtilitas h. e. diligentia, qua in ſcribendo nihil eorum, quae adeſſe debent, temere omittimus, atque ita perſpicuitas ab illa pendens. Sic pro *quaecunque a me poſtulaveris, ea tibi dabo* rectius dicas; *quaecunque a me poſtulaveris, ea, ſi potero, tibi dabo.* Nam ultra vires homo progredi nequit, et prudens non plus promittit, quam efficere poſſit. — Cic. ad Div. V, ep. 21 §. 15 pro *Ego ad te brevi veniam* prudentius dixit: *Ego, ſi videbitur recte* (tuto) *fieri poſſe, ad te veniam brevi.* Marcell. 6 *ut dubitare debeat nemo, quin multos, ſi fieri poſſet, C. Caeſar ab inferis excitaret.* Dejot. 5 *quod* (ſcil. Dejotarum inſidiatum eſſe vitae Caeſaris) *tu, niſi eum furioſiſſimum judicas, ſuſpicari profecto non potes.* Ibid. paulo ante, ubi narrat, Dejotarum partes Pompeji ſecutum quidem, ſed Pharſalico praelio facto a Pompejo diſceſſiſſe, dicit: *ſpem infinitam perſequi noluit: vel officio, ſi quid debuerat, vel errori, ſi quid neſcierat, ſatisfactum eſſe duxit: domum ſe contulit.* Verba

ſi

si quid debuerat, quae sunt explicatio *officii* erga Pompejum, et verba *si quid nescierat*, quae sunt venusta explicatio *erroris*, abesse posse quis non credat? At quis non sentiat, adesse debere? — Add. Marc. 7 in., ubi sermo est de suspicione Caesaris, credentis, suae vitae insidias parari. Cicero tractat eam tanquam rem gravem et ait: *tua cautio nostra cautio est: ut, si in alterutro peccandum sit, malim videri nimis timidus quam parum prudens.* Verba *si in alterutro peccandum sit* abesse per se poterant: at gravitatem adjuvant. — In primis enuntiationes conditionales pertinent ad humanitatem modestiamque, v. c. pro *Rem, quam a me narrari cupis, tibi narrabo*, humanius dicatur: *Rem, quam a me narrari cupis, tibi, si quidem recte scio, recte memini, narrabo.* Sic venustius est dicere: *rogasti me, ut, si quid consilii scirem, tibi darem* quam *rogasti me, ut tibi consilium darem.* — Cic. sic millies, v. c. ad Div. V, ep. 20 §. 9 *Illud cave dubites, quin ego omnia faciam, quae interesse tua aut etiam velle te existimem, si ullo facere modo possim.* Ibid. §. 27 *Ego tamen, cum Tullius rure redierit, mittam eum ad te, si quid ad rem putabis pertinere.* Marc. 8 Caesari, qui diu satis se naturae vel gloriae vixisse dixerat, dicit: *Satis, si ita vis, naturae fortasse: addo etiam, si placet, gloriae: at, quod maximum est, patriae certe parum.* Tollas verba *si ita vis, si placet*: et multum venustatis peribit. Omnia autem haec dicta esse adulatorie, non vere, sciunt ii, qui Ciceronis animum norunt.

XV). Addatur etiam saepe oportet enuntiatio, *tempus* vel *locum* designans: pertinet hoc ad subtilitatem atque ita ad perspicuitatem: v. c. pro *Quomodo potes Cajum pro inimico habere, qui te tot beneficiis ornaverit* dici possit: *Quomodo potes Cajum pro inimico habere, qui, quocunque tempore potuerit, te beneficiis ornare studuerit?* i. e. *semper.* Sic pro *Cicero videns, quae in Sicilia bene egisset, non omnibus nota esse, valde indignabatur* possis accuratius dicere: *Cicero cum e Sicilia reversus Ostiam venisset, vidissetque, quae illic bene egisset, hic non omnibus nota esse* etc. — Cicero in exprimendis notionibus temporis et loci vel per vocabula singula vel per enuntiationes non facile negligens est: v. c. Manil. 4 in., ubi narrat, Mithridatem id egisse, ut se cum Sertorio conjungeret, non omittit notionem temporis, dicens ita: *Mithridates autem omne reliquum tempus non ad oblivionem veteris belli sed ad comparationem novi contulit:* (nunc ostenditur hoc verum esse) *qui* (i. e. nam) *postea-*

quam maximas aedificasset ornassetque classes, exercitusque permagnos, quibuscunque ex gentibus potuisset, comparasset, et se Bosporanis, finitimis suis, bellum inferre simulasset, usque in Hispaniam legatos Ecbatanis misit ad eos duces etc. Poterat omissis verbis *posteaquam maximas — inferre simulasset* ita dicere: *Mithridates autem omne — novi contulit: qui usque in Hispaniam* etc. At haec brevitas officiebat subtilitati, perspicuitati, et gravitati. Majus erat, tum demum mittere ad Sertorium, posteaquam ipse jam maximas classes et exercitus sibi comparaverat. — Dejot. 5 in. Cicero defendens Dejotarum, qui Pompejo addictus fuerat, cum narrat eum ad Pompejum venisse ab eoque discessisse, hoc ita facit, ut temporis rationem praecipue habeat, quia magni referebat, quando venisset et quando discessisset. Ait: *Ad eum* (Pompejum) *igitur rex Dejotarus venit hoc misero fatalique bello, quem antea justis hostilibusque bellis adjuverat, — vel rogatus, ut amicus, vel arcessitus, ut socius, vel evocatus, — postremo venit, ut ad fugientem, non insequentem, id est, ad periculi non ad victoriae societatem. Itaque, Pharsalico praelio facto, a Pompejo discessit* etc. Tollas *hoc misero fatalique bello, antea justis hostilibusque bellis, ad fugientem non insequentem, Pharsalico praelio facto*; et omnia tolles, propter quae Caesar Dejotaro ignoscere poterat. Ignoscebat enim facile iis, qui post Pharsalicum bellum partes Pompeji reliquerant. — Sed unde sumimus enuntiationes temporis vel loci? Saepe per circumscriptiones: v. c. Caes. B. G. III, 2 in. *Cum dies hibernorum complures transissent* h. e. *post dies hibernorum complures*. Sic pro *Roma credebat, se post mortem Caesaris liberam fore* dici potest, *Roma credebat, se, postquam Caesar interfectus esset, liberam fore.*

XVI) Additur etiam *enuntiatio concessiva* per *etsi, etiamsi*, it. *si* etc., quae licet per se intelligi atque ita abesse possit, tamen saepe rem auget et gravitati prodest. V. c. Cic. Arch. 8 in., postquam de Roscio, histrione illo praestantissimo, dixerat, eum dignum fuisse, qui nunquam moreretur, addit simul concessivam enuntiationem hanc: *cum senex esset mortuus.* En ipsa verba: *Quis nostrum tam animo agresti ac duro fuit, ut Roscii morte nuper non moveretur? qui cum* (i. e. *licet*) *esset senex mortuus, tamen propter excellentem artem ac venustatem videbatur omnino mori non debuisse.* — Manil. 5, ubi Cicero querens de impe-

ratoribus

ratoribus Aſiam provinciam vexantibus et diripientibus, ita loquitur: *quod ejusmodi in provinciam homines cum imperio mittimus, ut, etiamſi ab hoſte defendant, tamen ipſorum adventus in urbes ſociorum non multum ab hoſtili expugnatione differant.* Verba *etiamſi ab hoſte defendant, tamen* per ſe abeſſe poterant. — Marc. 7 Cicero Caeſari, inſidias vitae timenti, perſuadere conatur, ei a ſuis amicis nihil inſidiarum ſtrui: poſt ad inimicos transit et ſic quaerit: *An, ſi tui nihil cogitant ſceleris, cavendum eſt, ne quid inimici?* Poterat enuntiatio *ſi tui nihil cogitant ſceleris* abeſſe; at ſervit connexioni, atque ita perſpicuitati: *ſi* eſt pro *etſi.* — Dejot. 4 excuſat ſe et Pompejanos apud Caeſarem, quod Pompeji memoriam nondum amittere poſſint, his utens verbis: *Neque enim, ſi tuae res geſtae ceterorum laudibus obſcuritatem attulerunt, idcirco Cn. Pompeji memoriam amiſimus.* Quam venuſte! Si verba *ſi tuae res geſtae — attulerunt* non addidiſſet, cetera verba ſpeciem inhumanitatis habuiſſent. *Si* i. e. *etſi, licet, etiamſi; wenn auch gleich deine Thaten* etc. Praemittit laudem Caeſaris, ut eo facilius Pompeji mentionem facere poſſit. Caute et callide!

XVII) *Res*, per quam aliquid efficitur vel effici poteſt, *das Mittel*, addi quoque saepiſſime debet, ſubtilitate ac perſpicuitate id exigente: et, licet illa res facilius per ſingula verba exprimatur, v. c. per ablativum, tamen et ſaepe per enuntiationem ope particularum *cum, ſi* etc. exprimi poteſt. V. c. pro *quis dubitet, quin frater tuus magna ſua modeſtia ſibi multos amicos conciliaturus ſit*, dicere liceat: *Quis dubitet, quin frater tuus, cum tanta ſit modeſtia, multos ſibi amicos ſit conciliaturus.* Sic pro *homo ingenio bono et induſtria magna doctus facile fieri poteſt* dici poteſt: *Homo, ſi ingenio bono eſt magnamque in diſcendo adhibet induſtriam, facile doctus fieri poteſt.* — Cic. Manil. 6 *Nam ceteris in rebus, cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur: at in vectigalibus non ſolum adventus mali ſed etiam metus ipſe affert calamitatem*, pro *Nam in ceteris rebus calamitate detrimentum accipitur* etc., *Denn in andern Dingen bekommt man erſt den Schaden durch den Verluſt, durch das Unglück ſelbſt: cum venit calamitas* eſt *calamitate* ſ. *calamitatis adventu*, ut ſtatim dicitur *adventus mali.* Conf. ſupra cap. 5 Sect. 7, ubi diximus, quomodo in univerſum e ſingulis vocabulis enuntiationes atque ita periodi effici poſſint. Sed meditandum eſt, ut, etiamſi nulla verba ſingula adſint, tamen etiam enuntiationem efficere poſſimus: quod facile eſt attendenti. V. c. pro *Bellam officit literarum*

ſtudiis

ſtudiis dici poteſt: *Bellum, cum otium turbet, officit literarum ſtudiis:* ſic pro *literarum ſtudia mores reddunt molliores* dici poteſt: *Literarum ſtudia, cum mentem hominis acuant animumque ad ſenſum humanitatis traducant* ſ. *animoque ſenſum humanitatis inſtillent, mores utique reddere poſſunt molliores.* Sed hinc patet, quam facile verba atque etiam totae enuntiationes nobis in mentem veniant, ſi rem, de qua loquimur, recte intelligamus. Rem bene intellectam verba ſponte ſequuntur.

Haec hactenus. Ceterum, ut in copia dicendi magna, niſi forte maxima, pars ſtili bene latini in primis Ciceroniani cernitur, ita per ſe patet, et verba ſingula et enuntiationes addendas debere eſſe aptas reique convenientes, non quaeſitas, multo minus inanes ſenſuque carentes. Nihil enim tam ſtultum eſt, quam loqui ſine ſententia. Melius eſt breviter ac nervoſe dicere, quam multa verba, nervis carentia et languida, proferre.

SECT. IIII

De Pleonaſmo.

Copiae dicendi ſubjungimus pleonaſmum grammaticum, h. e. redundantiam vocabuli, quod contextui nullum pondus addit, ac ſalvo ſenſu abeſſe poterat. Alius eſt pleonaſmus rhetoricus ſ. redundantia vocabuli permotionem animi ſignificans et gravitatem rei adjuvans, v. c. *his oculis vidi* etc., quae huc non pertinet. Cum autem interdum in pleonaſmo grammatico errari ſoleat, ut vocabulum redundare credatur, quod non redundet; cujus erroris haec eſt origo, quod vulgo ſignificationes vocabulorum ex Lexicis vel aliunde, non e priſcis ipſis, neque ita e contextu, hauriuntur et diſcuntur; duplicem hic pleonaſmum ſ. redundantiam (et cur non potius latino quam graeco vocabulo in explicanda latina lingua utimur?) faciam, 1) *redundantiam verborum veram* 2) *fictam:*

I) *Redundantia vocabuli vera* eſt, ubi vocabulum adeſt, quod ſalvo ſenſu abeſſe plane poterat, et quod ne minimam quidem vim contextui addere videtur; ſed quod addi hodie poteſt, quia priſci, linguae uſu ita ferente, addiderunt. Hic notandum

notandum eſt, quae vocabula priſci quam ſaepiſſime ita addiderint, ea etiam a nobis addi poſſe; quae vero illi raro addiderint, ab iis nobis abſtinendum.

1) *Ita, ſic, hoc, id, illud* ſaepiſſime apud priſcos redundat, ſequente accuſativo cum infinitivo, atque ita apud nos redundare licet. V. c. *Ita:* Cic. ad Div. XIII, ep. 10 §. 2 *Sed cum ita ſibi perſuaſiſſet ipſe, meas de ſe accurate ſcriptas literas maximum apud te pondus habituras* etc., *Da er aber überzeugt war, feſt glaubte, daß* etc. Hic *ita* aperte redundat. Ibid. ep. 56 in. *Cluvius Puteolanus valde me obſervat valdeque me diligit. Is ita ſibi perſuadet, quod in tua provincia negotii habet, niſi te provinciam obtinente meis commendationibus confecerit, id ſe in perditis et deſperatis habiturum.* Hic *ita* redundat: *Er glaubt ganz gewiß* ſ. *iſt überzeugt, daß er die in deiner Provinz ausſtehenden Gelder* ſ. *Capitalien für verlohren halten werde, wofern er ſie nicht unter deinem Gouvernement bekommt, einkriegt:* VI, ep. 2 §. 2 *Quare velim ita ſtatutum habeas* (i. e. *credas*), *me tui memoriam cum ſumma benevolentia tenere.* — *Sic*: Cic. ad Div. II, ep. 3 §. 3 *Brevi tamen ſic habeto, in eum ſtatum temporum tuum reditum incidere* etc. *Doch wiſſe kürzlich ſo viel, daß deine Rückkunft gerade in ſolche Zeiten trifft* etc. Noſtri enim etiam per redundantiam addunt *das* ſ. *ſo viel.* XIII, ep. 57 §. 5 *Sed tamen ſic velim exiſtimes, te mihi nihil gratius facere poſſe, quam* etc., *Doch bitte ich dich zu glauben, ſo viel zu glauben* etc. Ibid. ep. 65 §. 6 *Sic enim velim exiſtimes, ex tota tua provincia omnique iſto imperio nihil eſſe, quod mihi gratius facere poſſis.* — *Hoc:* v. c. Cic. ad Div. VI, ep. 3 §. 6 *Ego tibi hoc confirmo, etſi levis eſt conſolatio ex miſeriis aliorum, nihilo te nunc majore in diſcrimine eſſe, quam quemvis* etc. Sic et noſtri addunt *das:* v. c. *Ich kann dich das verſichern, daß* etc. vel etiam *ich kann dich ſo viel verſichern, daß* etc. XIII, ep. 77 §. 2 *Atque hoc ut tui neceſſarii ſciant, hoc me animo erga te eſſe, velim facias eos per literas certiores, ut — ne dubitent,* *Und damit deine Anverwandten wiſſen mögen, daß ich* etc. vel *Und damit deine Verwandten das wiſſen, daß ich gegen dich ſo geſinnet ſey, ſo ſchreibe ihnen, daß ſie kein Bedenken tragen ſollten* etc. — *Id:* v. c. Caeſ. B. G. I, 7 in. *Caeſari cum id nuntiatum eſſet, eos per provinciam noſtram iter facere conari, maturat ab urbe proficiſci* etc., *Als Caeſar die Nachricht erhielt, daß ſie* etc. vel, ſi *id* exprimere velis, *Als dem Caeſar das hinterbracht wurde, daß ſie* etc. — *Illud*: v. c. Cic. ad Div. II, ep. 12 §. 1 *ſunt enim multa: ſed ea non audeo ſcribere. Illud moleſte fero, nihil me adhuc his de rebus habere tuarum literarum:* ubi *illud* manifeſte

manifeſte redundat, verti tamen poſſit: *Das ſehe ich nicht gern, iſt mir nicht recht, daß ich* etc. Off. III, 6 non proc. ab init. *Verum autem primum: verum igitur et extremum. Nam illud quidem abſurdum eſt, quod quidam dicunt, parenti ſe aut fratri nihil detracturos, commodi ſui cauſa; aliam rationem eſſe civium reliquorum* etc. — In his omnibus locis *ita, ſic, hoc, id, illud* vere redundant: niſi forte dicas, ſervire praeparationi lectoris ad ſequentia, ut noſtrum *das, ſo viel,* atque ita perſpicuitati. Recte ergo dicere poſſumus: *ſcripſi patri hoc, id, ita, me mox venturum: promiſit mihi hoc, ſe omnia facturum* etc. Sic et *hoc, id, illud* ante *ut* redundant, v. c. *hoc a me petiit, ut mox redirem, er bath mich, daß* etc. ſ. *er bath mich um das* ſ. *darum, daß* etc.

2) *Quoad ejus fieri poteſt, quoad ejus facere poſſum*: ubi *ejus* i. e. *hac in re* redundat: *ſo viel hierin* etc. Cic. ad Div. III, ep. 2 §. 4 *quoad ejus facere potueris, ſo viel du hierin wirſt thun können, in ſo fern dirs möglich ſeyn wird.* Sed cum *quoad ejus* durum ſit, et *quod* (neutr.) i. e. *ſo viel* cum genitivo ſaepe occurrat, v. c. *quod operae* Cic. Off. I, 6, *quod ejus* (agri) Liv. XXXI, 4; quaeri poteſt, annon pro iſto *quoad ejus* ubique *quod ejus* legi debeat.

3) *Ut ne* ſaepe occurrit pro *ne, ut non,* v. c. ad Div. II, ep. 7 §. 9 *non ut decernatur aliquid novi, quod ſolet eſſe difficilius, ſed ut ne quid novi decernatur.* XIII, ep. 77 §. 2 *velim facias eos* (neceſſarios) *per literas certiores, ut, ſi quid tibi opus ſit, ne dubitent mihi jure ſuo denuntiare.* Verr. II, 60 *Poſtulant enim, non, uti ne cogantur ſtatuere.* Poſt red. in Sen. 5 *legem tribunus tulit, ne auſpiciis obtemperaretur, ne obnuntiare concilio aut comitiis, ne legi intercedere liceret, ut lex Aelia et Fuſia ne valerent:* ac ſaepius.

4) *Niſi ſi* pro *niſi* ſaepiſſime ponitur, at tantum 1) in ſententia media, quando aliquid praeceſſit; 2) quando *niſi ſi* explicari poteſt per *praeterquam ſi, außer wenn, es müßte denn, wo nicht etwa* etc. Ergo non ubique *niſi ſi* ponitur pro *niſi,* ut ex animadverſionibus multorum philologorum colligere poſſis, qui ſimpliciter dicunt *niſi ſi* pro *niſi* poni, et hunc uſum multis exemplis illuſtrant. — Ab initio orationis, epiſtolae, totiusque ſententiae poni non poteſt. Ceterum in hoc uſu nil valde mirabile eſt: *niſi* indicat exceptionem et eſt in hac forma i. q. *praeterquam außer,* ut ſaepe: ergo *nihil niſi* eſt *nihil praeterquam.* Quid ergo mirum eſt *niſi ſi* jungi? Uſum igitur loquendi aliquot exemplis confirmabo. Cic. Orat. II, 58 extr., ubi quaerit, quatenus oratori ſint tractanda ridicula, ait: *miſeros illudi nolunt* (rhetores vel etiam

oratores),

oratores), *nisi si se jactent*, *Unglückliche solle man nicht verspotten, außer wenn sie prahlen.* Catil. II, 4 in. *Quod exspectavi, jam sum assecutus, ut vos omnes factam esse aperte conjurationem contra rempublicam videretis: nisi vero si quis est, qui Catilinae similes cum Catilina sentire non putet, Es müßte denn jemand seyn, wofern nicht etwa jemand ist, der nicht* etc. Liv. VI, 26 *Hic noster, hic plebis nostrae habitus fuit, eritque semper, nisi si quando a vobis proque vobis arma acceperimus.* Ac sic saepius.

5) *Interea temporis* pro *interea* simpliciter: est talis redundantia, qualis est in *saepe numero* pro *saepe*, ut nostri *oftmals* h. e. *oft der Zeit nach* (nam *Mal* est *tempus*) pro *oft.* Sic et nostri interdum *zehn an der Zahl* per miram redundantiam dicunt, quasi non per se manifestum sit *zehn* esse numerum. — Sed *ubi locorum? quo locorum? minime gentium* gravius dicta sunt quam *ubi? quo? minime:* v. c. *ubi locorum est? nescio, ubi locorum sit*, ut nostri *ich weis nicht, wo er in der Welt ist, steckt. Quo locorum fugiam, wo soll ich in der Welt hinfliehen? Minime gentium bey Leibe nicht.* Ergo in his *locorum* et *gentium* non redundant prorsus.

6) *Mihi, tibi, nobis, vobis* (rarius *sibi*) redundat; v. c. *tum demum ille mihi venit, da kam er mir erst:* sic ap. Terentium: *tum mihi fiunt senes.* Cic. ad Div. VIIII, ep. 2 §. 3 *At tibi repente paucis post diebus, cum minime exspectabam, venit ad me Caninius, da kam dir der Caninius*: Terent. Adelph. II, 4, 12 *Quid ait nobis Sannio?* Sic et Graeci, ut Vigerus et Vechnerus aliique monstrarunt: sed quid opus est externis? Nosmet ipsi ita loquimur, at tantum in sermone familiari. — Omnino ista redundantia est per se vitiosa, et ego quidem, si unquam *mihi tibi* sic usurpaverim, non nisi in familiari sermone usurpaverim. Alibi enim stultum foret. V. c. quis dicat in oratione solenni: *Deus tibi* vel *vobis omnia, quae vult, efficere potest?* Interpretes priscorum tales pleonasmos notantes plerumque contenti sunt dixisse: *redundat* s. *παρέλκει*, et exempla plura congessisse; at obliviscuntur monere, quatenus et quando usurpari liceat. Nam, si recte rem cogitas, isti dativi semper relationem habent aliquam ad personam illam, quae in dativo posita est, et communicant rem cum ea.

7) *Imo vero, umgekehrt, vielmehr, au contraire*, pro *imo* saepe occurrit, ubi *imo* sufficiebat: v. c. Cic. Mil. 24 in. *ut sustinuit! dii immortales, sustinuit? imo vero ut contemsit ac pro nihilo putavit!* Ad Div. I, ep. 9 §. 21 *inimicum meum, meum? imo vero legum, judiciorum, otii, patriae* etc.: qui locus infra (10) laudabitur. Videtur tamen *τὸ vero* paulum augere

augere et gravius dictum esse, quam *imo* simpliciter. Nemque *τὸ vero* hic est pro *vere.*

8) *Id quod* pro *quod*, quando non ad unum certum vocabulum singul. num. gen. neutr. praecedens sed ad totam sententiam praecedentem refertur: v. c. *Tu valde amas deum, id quod laudandum est;* potest tamen pari jure dici *quod laudandum est.* Videtur haec redundantia per negligentiam orta, ut plures pleonasmi et ellipses: nisi dicas distinctionis atque ita perspicuitatis causa inventam, ut statim appareret, non ad vocabulum unum generis neutrius sed ad totam sententiam respici: v. c. *Tu beneficium istud contemsisti, id quod nemo laudat:* hic statim apparet, *contemnere istud beneficium* non laudari: at *quod nemo laudat* possit ad *beneficium* solum referri, quasi hoc nemini laudabile videatur. Sed forsan hoc paulo subtilius est. Nam et *ii qui* pro *qui* est Cic. Or. II, 12 prope fin. ex edit. Ernest. Ubi tamen Pearcius edidit *hiqua.* Ergo nildum decernere licet.

9) *Item* in oppositionibus saepissime usurpatur, ubi nostra lingua tacet: v. c. *Ich liebe den Cajus, nicht dich,* latine dici potest: *Amo Cajum, non item te.* Nostri pro eo utuntur *aber* vel *und: Ich liebe den Cajus, nicht aber dich* s. *und nicht dich.* Saepe ita Cicero v. c. Orat. 43 *Nam omnium magnarum artium, sicut arborum, altitudo nos delectat, radices stirpesque non item:* ad Attic. II, ep. 21 med. *O spectaculum uni Crasso jucundum, ceteris non item! Welch ein Anblick, bloß dem Crassus angenehm, den andern aber nicht!* Sic Tusc. IIII, 14 non procul ab in. ac saepius. Proprie vero *item* est *ebenfalls, auch:* et hoc proprie in usu cogitari debet. Redundat igitur tantum ratione nostrae linguae.

19) *Ille quidem* saepissime apud Ciceronem ita occurrit, ut *ille* plane redundet, sequente *sed*, *tamen*, *vero*: ac propter hunc frequentem usum debemus illud imitari: v. c. *liber, quem mihi misisti, est ille quidem bonus, sed carus, ist zwar gut, aber theuer: habeo amicos, fideles illos quidem, sed paucos, zwar getreue, aber wenige.* — Exempla e Cicerone dabimus 1) ubi *sed* sequitur, qui usus est frequentissimus: Catil. II, 5 *Quod si in vino et alea comissationes solum et scorta quaererent, essent illi quidem desperandi, sed tamen essent ferendi, so wären sie zwar ohne Hoffnung der Besserung, aber doch zu ertragen.* Marcell. 3 *Itaque, C. Caesar, bellicae tuae laudes celebrabuntur illae quidem non solum nostris sed paene omnium gentium literis atque linguis, nec ulla unquam aetas de tuis laudibus conticescet. Sed tamen ejusmodi res, nescio quomodo, etiam cum leguntur, obstrepi clamore militum videntur et tubarum*

sono,

ſono, Daher werden zwar deine löblichen Kriegsthaten nicht nur in unſern, ſondern faſt etc. Cap. 4 *Haec enim res* (venia Marcello data) *unius eſt propria C. Caeſaris, ceterae duce te geſtae ſunt magnae illae quidem, ſed tamen multo magnoque comitatu.* Ad Div. I, ep. 9 §. 21 *Erat hoc mihi dolendum: ſed multo magis illud, quod* (certi homines, quos nominare non vult) *inimicum meum, meum? imo vero legum, judiciorum, otii, patriae, bonorum omnium ſic amplexabantur, ſic in manibus habebant, ſic fovebant, ſic me praeſente osculabantur, non illi quidem, ut mihi ſtomachum facerent, quem ego funditus perdidi, ſed certe, ut facere ſe arbitrarentur.* Quis, quaeſo, hic *τὸ illi* vertere poſſit? Ibid. V, ep. 15 in. *Omnis amor tuus ex omnibus partibus ſe ostendit in his literis, quas a te proxime accepi: non ille quidem mihi ignotus, ſed tamen gratus et optatus.* XII, ep. 9 §. 2 *Tanquam enim clauſa ſit Aſia, ſic nihil perfertur ad nos, praeter rumores de oppreſſo Dolabella, ſatis illos quidem conſtantes, ſed adhuc ſine auctore.* Senect. 18 *Ac moroſitas* (quae cum aliis vitiis ſenectuti vulgo objicitur) *tamen et ea vitia, quae dixi, habent aliquid excuſationis, non illius quidem juſtae, ſed quae probari poſſe videatur* i. e. *haben einige Entſchuldigung, die zwar nicht hinlänglich iſt, ſich doch aber hören läſst.* Offic. II, 6 *aut poſtremo pretio ac mercede ducuntur* (h. e. *oder thun es endlich fürs Geld und für Lohn*): *quae* (poſtrema ratio) *ſordidiſſima eſt illa quidem ratio et inquinatiſſima, welches gewiſs die niederträchtigſte und ſchmuzigſte Art iſt.* Hic locus notandus, quia *ſed* poſt multa demum verba ſequitur. 2) ſequente *tamen* pro *ſed:* Amicit. 19 *Novitates autem* (i. e. novae amicitiae) *ſi ſpem afferunt, ut, tanquam in herbis non fallacibus, fructus appareat, non ſunt illae quidem repudiandae: vetuſtas* (vetuſta amicitia) *tamen ſuo loco conſervanda eſt.* 3) ſequente *vero* pro *ſed:* ad Div. XII, ep. 30 §. 8 *verumtamen multo mihi notiorem amorem tuum effecit Cherippus. O hominem ſemper illum quidem mihi aptum, nunc vero etiam ſuavem!*

11) *Magis* et *potius* poſt *comparativos* et poſt *malle, praeoptare, praeſtat* interdum reperitur apud priſcos, ubi manifeſte redundat. V. c. Cic. Orat. II, 74 de Themiſtocle, memoria excellente praedito: *cum quidem ei fuerit optabilius oblivisci poſſe potius, quod meminiſſe nollet, quam, quod ſemel audiſſet vidiſſetve, meminiſſe*: ubi *potius* abeſſe debebat propter *optabilius*, in quo jam latet. — Cato ad Cicer. in Epp. ad Div. XV, ep. 5 §. 4 *et idcirco caſum potius quam te laudari mavis.* Cic. Piſon. 7 med. *Huic enim populo ita fuerat ante*

vos consules libertas insita, ut emori potius quam servire praestaret. Add. Ligar. 2 *An ille — Uticae potius quam Romae — esse — maluisset?* Sic Nep. Con. 5 *potius patriae opes augeri quam regis maluit.* Sic et Terentius Adelph. II, 2, 13 *mallem auferre potius* etc. Hec. IIII, 1, 17 *ut puerum praeoptares perire potius quam* etc. — Sic et Graeci centies, ut dudum observatum est a Vechnero, Vigero, aliisque. Attamen, cum ista redundantia videatur esse res potius negligentiae priscorum, quam elegantiae, non suaserim ei, qui sit gustus delicatioris, ut illam rationem imitetur.

12) *Est*, *erat*, *futurum est* etc. sequente *ut* cum conjunctivo saepe redundat, v. c. *est, ut id maxime deceat*, Cic. Or. 59 in., i. e. *id maxime decet.* Sic *est, ut philosophi tradant*, Cic. Or. II, 36, i. e. *philosophi tradunt:* sic *si est, ut dicat*, Terent. Hec. IIII, 1, 43, i. e. *si dicit:* sic *Ille, erat, ut odisset*, Cic. Mil. 13 extr., i. e. *Ille oderat;* sic *si est, facturus ut sit officium*, Terent. Adelph. III, 5, 4, i. e. *si facturus est* etc.: sic *futurum esse, ut omnes pellerentur*, Caes. B. G. I, 31, i. e. *omnes pulsum iri.* Sic et nos v. c. *wenn es so ist, daß er kommen will* i. e. *wenn er kommen will.*

13) Plures sunt pleonasmi, v. c. *sed autem*, *etiam quoque*, *itaque ergo*, *tum deinde*, *tandem denique*, *deinde postea*, (ut nostri interdum *hernach dann*, *alsdann hernach* vel *hierauf*) etc. Magnum numerum collegit Vechnerus in Hellenol. p. 155 ff. et ibi Heusing., it. Horat. Tursell. de particulis. At sponte patet, hos pleonasmos cavendos esse studioso bonae latinitatis et eloquentiae. Nec tamen huc pertinet *At vero*, quod saepe occurrit pro *At*, et gravius dictum videtur: quia *τὸ vero* hic est i. q. *vere.*

II) De *pleonasmo* s. *redundantia ficta*, h. e. cum vocabulum nonnullis redundare videtur, quod tamen non redundat. V. c.

1) *Quod si* saepissime ab initio sententiae totius, postquam aliquid, cum quo illa cohaeret, praecessit, ponitur pro *si*, et *quod nisi* pro *nisi*, atque interdum *quod ubi* pro *ubi*, *quod utinam* pro *utinam.* V. c. Cic. Catil. II, 5 med. *Eadem tamen illa — libido permanet. Quod si in vino et alea comessationes et scorta quaererent, essent illi quidem desperandi, sed tamen essent ferendi.* Caes. B. G. I, 44 ex media oratione Ariovisti: *sui opprimendi causa habere; quod nisi discedat* (Caesar), *aut exercitum deducat ex his regionibus, sese illum non pro amico sed pro hoste habiturum; quod si eum* (Caesarem) *interfecerit, multis sese nobilibus principibusque populi romani gratum esse facturum;* et paulo post: *quod si*

discessisset

disceſſiſſet ac liberam ſibi poſſeſſionem Galliae tradidiſſet etc. Cic. ad Div. XIII, ep. 57 §. 2 *Nam ejus opera — intelligo me et rempublicam adjuvari poſſe. Quod niſi tanta res ejus ageretur, nec ipſe adduci potuiſſet, ut a me diſcederet, neque ego, ut eum a me dimitterem.* Caeſ. B. Civ. II, 16 in. *Portae — in muro relinquuntur. Quod ubi hoſtes viderunt, ea, quae diu longoque ſpatio refici non poſſe ſperaſſent, paucorum dierum opera et labore ita refecta, ut* etc. Cic. ad Div. XIIII, ep. 4 §. 1 *Conficior lacrymis ſic, ut ferre non poſſim. Quod utinam minus vitae cupidi fuiſſemus!* Sic et Salluſt. Iug. 14 §. 21 *Quod utinam illum — videam.* — In his omnibus *τὸ quod* redundare videtur. At cum ſemper primum locum totius ſententiae, per ſe abſolutae, occupet, nec unquam ponatur a priſcis, niſi alia ſententia praeceſſerit, cum qua quodam modo cohaereat, apparet, iſtam particulam ſervire connexioni duarum ſententiarum, neque ita plane redundare. Sed ſi quaeritur, quid ſignificet, neſcire me fateor; plerumque tamen per *igitur* explicari et vernacule per *nun*, *alſo* (v. c. *wenn er nun nicht fortgehen ſollte*, *wenn nun die Feinde ſähen*) verti poſſe puto. Videtur eſſe *accuſativus*, intellecta aliqua praepoſitione, ut ita *quod* pro *quo* i. e. *qua re* poſitum eſſe dici poſſit, quemadmodum plures accuſativi per ablativum explicantur. Geſnerus explicat *qua in re, circa quod negotium*, ad Heinecc. p. 69. Alii aliter. Cf. p. 58 et 370 10).

2) *Doctiſſimus quisque*, *optimi quique*, *optima quaeque* et ſimilia videntur nonnullis, qui inde a pueritia ſuperlativos ita explicarunt: *der gelehrteſte* et *der allergelehrteſte*, *der beſte*, *der allerbeſte*, poni pro *doctiſſimus*, *optimi*, *optima*; et *quisque*, *quique*, *quaeque* redundare. Imo eo progreſſi ſunt, ut, quia apud Ciceronem hanc formam dicendi ſaepius vidiſſent, aliquid elegantiae praecipuae in iſta redundantia ineſſe ſuſpicarentur. Peracute! Quid ſtultius eſſe poteſt, quam dicere, vocabulum elegantiae ac pulchritudinis cauſa redundare? Hoc aeque ſtultum eſt ac dicere, hominem eſſe inutilem quidem ſed elegantiae ac pulchritudinis cauſa inutilem. Nam *redundare* et *inutilem eſſe* ſunt eadem. Imo ſupra p. 56 et c. 3 ſect. 1 n. IIII p. 206 dictum eſt, *optimus quisque* proprie eſſe *quisque optimus* h. e. *omnes optimi alle ſehr rechtſchaffene*; et *doctiſſimus quisque alle ſehr gelehrte* ſ. *jeder ſehr gelehrte Mann*: nam tantum de omnibus, non de uno dici poteſt: v. c. *optimus quisque maxime gloria ducitur*, *der rechtſchaffenſte Mann iſt der ruhmbegierigſte* h. e. *omnes viri optimi* etc.

3) *Scribendum putavi* pro *ſcripſi;* at illud eſt gravius, indicatque me *conſilio* ſcripſiſſe, non temere. Sic *tempus transmittendum*

mittendum putavi Cic. Manil. 1 pro *tempus transmiſi.* Sic et *faciendum putavi ut ſcriberem* pro *ſcripſi*, et alia hujus generis indicant, me voluntatem et ſententiam meam ſecutum eſſe, me neque temere neque coactum egiſſe. Non igitur mera redundantia eſt. In epiſtola Sulpicii ad Ciceron. in Epp. ad Div. IIII, 12 in. legitur adeo *viſum eſt faciendum, quoquo modo res ſe haberet, vos certiores facere.* Durum eſt *viſum eſt faciendum, vos certiores facere.* Cortio, qui, quidquid durum eſt, elegans eſſe credit, videtur in iſtis verbis duplex elegantia ineſſe. Male. Aut cum Lambino legendum *faciendum, ut vos certiores facerem*, quod tolerabilius, aut potius *faciendum* ejici debet ac legi: *viſum eſt vos certiores facere.*

4) *Fac eas, fac facias, ſcribas* pro *i, fac, ſcribe.* At τὸ *fac* auget ſententiam: eſt excitantis, valde hortantis et rogantis, ut noſtris: *mach und gehe, mache daß du ſchreibeſt*: hinc tantum in ſermone familiari locum habere videtur. Nep. Pauſan. 2 *Certum hominem ad eum mittas face, cum quo colloquatur.* Cic. ad Div. IIII, ep. 4 §. 8 *Nam ſic fac exiſtimes* etc. Eſt fere noſtrum *ja; denn glaube ja* etc. Ibid. VI, ep. 5 §. 8 *Quapropter primum fac animo forti atque magno ſis.* XII, ep. 22 §. 8 *Fac, ut provinciam retineas in poteſtate reipublicae.* Unde patet, in illis *ut* omiſſum eſſe.

5) *Vero* in principio nonnullarum Ciceronis epiſtolarum occurrit, ubi per noſtrum *aber* verti nullo modo poteſt, v. c. ad Div. VI, ep. 6 *Ego vero, Servi, vellem, ut ſcribis, in meo graviſſimo caſu adfuiſſes.* VII, ep. 30 *Ego vero jam te nec hortor nec rogo, ut* etc. VIIII, ep. 5 *Mihi vero ad nonas bene maturum videtur fore* etc. XVI, ep. 10 *Ego vero cupio te ad me venire* etc. Ep. 23 *Tu vero confice profeſſionem, ſi potes.* Ad Attic. V, ep. 1 in. *Ego vero et tuum in diſceſſu vidi animum et meo ſum ipſe teſtis.* — Etiam in media ſententia ſic occurrit Cic. ad Quint. fratr. II, ep. 9 non proc. ab in. *Quod me admones de noſtra Urania, ſuadesque, ut meminerim Iovis orationem, quae eſt in extremo illo libro; ego vero memini, et illa omnia mihi magis ſcripſi quam ceteris.* — An τὸ *vero* in his redundat? Dicunt eruditi, referri hanc particulam ad praecedentem epiſtolam vel ejus partem atque ita ſervire reſponſioni. — Recte: at quid, quaeſo, nunc *vero* ſignificat? quomodo explicandum? quomodo vertendum? Hoc non addunt. Eſt τὸ *vero*, ut *certo*, ablativus a *verum*, atque plane idem quod *vere, profecto, wirklich, wahrhaftig, in der That, in Wahrheit, die Wahrheit zu ſagen;* et ſic, puto, ubique verti poterit. Nam ſunt etiam alia loca, ubi *vero* in reſponſionibus

ſionibus vim habeat affirmandi, exprimatque noſtrum *recht, in der That*, atque adeo primum locum ſententiae occupet. V. c. Cic. Mur. 31 med., ubi ſententias nonnullas Stoicorum refutat, *vero* et *etiam* commutantur inter ſe; recitat ſingulas ſententias et ſtatim reſponſionem addit. Verba ſunt: *miſericordia commotus ne ſis. Etiam: in disſolvenda ſeveritate; ſed tamen eſt laus aliqua humanitatis. In ſententia permaneto. Vero: niſi ſententiam ſententia alia vicerit*, h. e. *ſey nicht mitleidig.* (Antwort:) *Recht: nämlich wenn die Gerechtigkeit darunter leidet; doch lobt man auch die Menſchenliebe. Beharre auf deinem Entſchluſſe, Meynung. Recht: wenn nämlich dieſer Entſchluſs (Meynung) nicht von einem beſſern übertroffen wird.* Nonne hic *vero* eſt i. q. *vere, recte?* — Divin. I, 46 *illam* (Caeciliam) *autem* (virgini, quae in illius ſella paulisper requieſcere cupiebat) dixiſſe: *vero, mea puella, tibi concedo meas ſedes, recht, meine Tochter* etc. Exſpectabat enim omen. — Leg. I, 24 extr. Atticus M. Ciceroni, qui dixerat *deinde facio et libenter et, ut ſpero, recte, quod* etc., reſpondet ita: *vero facis et merito, fuitque id, ut dicis, in hoc ſermone faciundum.* Quis non videt, hic *vero* Attici eſſe idem, quod antea *recte* Marci Ciceronis? Ac forſan, ſi rem diligentius examinas, noſtrum *aber*, neque in literis a *vere*, neque in ſignificatione a *wirklich, in der That*, multum differre videtur. Sed hoc non eſt hujus loci.

6) *Non is ſum, qui negem*, ac ſimilia, pro *non nego*: at illud gravius; ut noſtrum *ich bin nicht derjenige* ſ. *der Mann, der es läugnen ſollte* gravius eſt, quam *ich läugne es nicht.* Sic Cicero pro *tu haud neſcis quid ſis* venuſtius h. e. ad laudandum accommodatius Luccejo dicit *neque tu is es, qui, quid ſis, neſcias*, ad Div. V, ep. 12 §. 21.

7) *Isque, et is, idemque* per redundantiam quandam, eamque, ut vocant, elegantem adjici nonnulli opinantur: v. c. *habet multas domos, easque pulchras.* At nunquam redundat, ſed explicat accuratius et auget, eſtque *et quidem, und zwar*, vel *ac praeterea.* Nam non ubique dicere licet: v. c. *domus, eaeque multae; homines, iique docti* etc. Supra p. 59 h) et c. 7 ſect. 1 n. IIII, 3, p. 287 de hac re jam dictum eſt.

8) *Si quis* pro *qui* ſaepiſſime ponitur ac poni poteſt, v. c. *libros, ſi quos habes, mihi mitte* pro *libros, quos habes, mitte*; at illud modeſtius dictum eſt, et aliquid dubitationis continet; ſic *rogo, ut, ſi quid negotii habes, id mihi committas* pro *rogo, ut negotium, quod habes, mihi committas.* Hoc de *negotio certo*, illud de *incerto*, loquitur. Neque enim ubique *ſi quis* pro *qui* dicere licet; v. c. ridiculum foret et impium

 dicere:

dicere: *deus, si quas res creavit, eas etiam conservat* pro *deus res conservat, quas creavit.* — Paucula exempla dabo e Cicerone. Rosc. Am. 38 *In privatis rebus si qui* (pro *quis*) *rem mandatam non modo malitiosius gessisset, sui quaestus aut commodi causa, verum etiam negligentius, eum majores summum admisisse dedecus existimabant:* pro *in privatis rebus qui rem mandatam — gessisset — negligentius, eum majores — existimabant;* in primis notabilis est locus Verr. I, 4 in. *Quis hoc non perspicit, praeclare nobiscum actum iri* (ironice dictum), *si populus romanus istius* (Verris) *unius supplicio contentus erit, ac non sic statuerit, non istum majus in sese scelus concepisse, — quam eos, si qui istum tot, tantis, tam nefariis sceleribus coopertum jurati sententia sua liberarint?* Per *eos, si qui — sententia sua liberarint* intelligit *judices*, venusta circumscriptione. Debebat dicere *quam eos, qui istum — coopertum jurati sententia sua liberarint.* At dubitanter loqui mavult *eos, si qui* etc., quasi dubitet, judices posse esse tam improbos, ut Verrem, hominem improbissimum, absolvant. Sensus enim illius sententiae totius est, populum romanum Verrem, licet improbissimus sit, tamen non pro improbiore habiturum, quam judices, si illum absolvant, atque judices gravius puniturum esse, quam Verrem ipsum. Terrere vult Cicero judices. Verr. V, 25 sermo est de una nave piratarum capta et Syracusas abducta: *iste, quasi praeda sibi advecta, non praedonibus captis, si qui senes aut deformes erant, eos in hostium numero ducit; qui aliquid formae, aetatis, artificiique habebant, abducit omnes* etc. sensus: *die Alten und Häßlichen sieht er als Feinde an, die Schönen, Iungen, und die Künstler nimmt er alle mit. Si qui* pro *qui* positum, at venustius: *wenn etwa Greise oder Häßliche darunter waren, die sah er als Feinde an, mochte sie nicht haben, behandelte sie hart.* — Sunt tamen adhuc duae causae, cur Cicero *si qui* pro *qui* posuisse videatur: una, ut variaret orationem, quia sequitur *qui aliquid* etc.; altera, ob perspicuitatem: nam, si posuisset *qui senes* etc., poterat τὸ *qui* ad verba *praedonibus captis* referri et cum iis conjungi a lectore: *nicht als wenn Räuber gefangen wären, welche alt und häßlich wären* etc. Nam, etsi ex sequentibus patet hoc non ita explicari posse; tamen perspicuitas, filia humanitatis, postulat, ut lectori quasi obviam eamus, neque eum diu haesitate cogamus et exspectare, dum ipse e sequentibus priora sibi explicet. — Ac sic saepissime *si quis* pro *qui, si quid* pro *quod,* usurpatur a Cicerone, in primis in Epistolis, v. c. ad Div. VIIII, ep. 11 §. 3 *Quod scribis, praelia te mea causa sustinere, non tam id laboro,*

ro, ut, si qui mihi obtrectent, a te refutentur, quam intelligi etc. *Si qui mihi obtrectent* h. e. *inimicos obtrectatores meos.*

9) *Quid est, quod* pro *cur* s. *quid* ponitur, sed ob gravitatem; est enim illud gravius: v. c. *quid est, quod queramur, fleamus* gravius est dictum quam *cur querimur, flemus?* Ut nostrum: *was ist wohl die Ursache, warum wir klagen, weinen, sollten* gravius est quam *warum klagen wir, weinen wir?* Cic. ad Div. III, ep. 8 §. 15 *Quid enim erat, quod me persequerentur in castra* etc., *Warum sollten sie mir denn ins Lager nachfolgen, was hatten sie denn für einen Grund, mir — nachzufolgen?* etc. Verr. II, 20 extr. *Quid est, quod tu alios accuses? quid est, quamobrem putes te* etc. h. e. *warum willst du denn andere beschuldigen? warum denkst du doch, du könntest* etc. Nonne hoc gravius est, quam *cur accusas? quamobrem putas* etc. Fin. I, 10 med. *Hanc ego cum teneam sententiam, quid est, cur verear, ne ad eam non possim* etc., *Welche Ursache ist wohl, daß ich befürchten sollte, warum sollte ich besorgen* etc. est gravius et cum majori animi persuasione dictum quam *cur vereor?*

10) *Amabo, quaeso, obsecro,* et *malum* non frustra adjiciuntur; sed tria priora sunt verba rogantis: *amabo* est nostrum *ich bitte* vel *ich bin dir auch gut, recht gut, ich will dir auch gut seyn;* perspici hoc potest v. c. e Cic. ad Div. XV, ep. 17 extr. *Et amabo te, cum dabis posthac aliquid domum literarum, mei memineris* h. e. *und sey doch so gut, und denk an mich auch* (i. e. *schreib an mich ein Briefchen mit*), *wenn du nach Hause etwa schreiben wirst,* seu: *und wenn du nach Hause schreibst, so denk an mich doch auch, ich will dir auch recht gut seyn;* amicissime dictum. Ac sic saepius. *Quaeso, obsecro,* sunt verba, notantque *ich bitte,* ut et nos loquimur: *komm doch, ich bitte;* ac sic semper verti debet. V. c. Cic. Ligar. 12 *Noli, obsecro, dubitare, C. Caesar* etc. i. e. *trag doch, ich bitte sehr, kein Bedenken* etc. *Malum* est indignantis, *der Henker! der Geyer!* apud Comicos: v. c. *quae, malum, haec impudentia est?* proprie substantivum esse notum est, *o Unglück, welch Unglück!* etc.

CAP. X

De brevitate dicendi.

Brevitas dicendi, copiae ſupra explicatae contraria, eſt virtus orationis ſ. ſtili, paucioribus et vocabulis et enuntiationibus, ſalvo tamen ſenſu, imo etiam interdum cum majori gravitate et ſuavitate exprimens ea, quae poſſint pluribus enuntiari, atque etiam vulgo enuntiari ſolent. Sunt interdum notiones, quae verbis exprimi debent, tam vulgares ac leves, ut, quo brevius et celerius exprimas, eo melius et aptius loquare. Omninoque in rebus levibus magna pompa magnoque comitatu verborum uti eſt ſtultum ac puerile, ſuavitatique atque adeo interdum perſpicuitati officit. In gravibus etiam rebus ſaepe breviter dicendum eſt, ut celerius ſentiantur et ut lector auditorve opprimatur. Saepe poſtulat v. c. gravitas, ut et verba et enuntiationes nonnullae arctius jungantur, atque ita omnis dilatatio et explicatio, per quam nimis longe a ſe disjungantur, omittatur. Saepe etiam vocabulum, quod adeſſe debebat neceſſario, atque adeo enuntiatio omitti debet, ut dicentis ſcribentisque animus permotus animadvertatur, atque lectoris auditorisve animus itidem moveatur et incendatur. Magna igitur virtus orationis eſt brevitas dicendi, modo ea rite uti ſciamus. Hic, quia de ea in univerſum tantum loquemur, breviores eſſe debebimus. Brevitas dicendi pertinet vel ad verba ſingula vel ad enuntiationes. De utraque re paucis exponemus.

SECT. I

De brevitate dicendi in verbis ſingulis.

Brevitas dicendi in vocabulis ſingulis duabus rebus conſtat: *primum*, ut uno vocabulo duo, interdum plura, comprehendantur; *deinde*, ut vocabula omittantur,

quod vulgo appellant *ellipsin* h. e. *defectum*, nomine valde indefinito et generali.

I) *Uno vocabulo* saepe possunt duo, interdum plura, vocabula comprehendi. Exempla aliquot addam; plura facile inveniri poterunt.

A) *In particulis:*

1) *Nisi* pro *si non*; v. c. pro *si tu hoc non facies*, *ego faciam* dicitur *nisi tu hoc facies*, etc. Sic millies prisci.

2) *Nec* s. *neque* pro *et non*, *etiam non*. Sic saepissime dicendum: v. c. pro *cum pater domum venisset*, *et me non reperisset*, *irascebatur* etc. dicitur *cum pater domum venisset*, *nec me reperisset* etc. Sic pro *amo te*, *et non possum dicere*, *quare*, dicitur *amo te*, *nec possum* etc. Hoc mature et statim ab initio discere debebant pueri, ne deinde, si quando audiunt, pro singulari pulchritudine haberent. Sic pro *etiam non*, v. c. *du hast es auch nicht gesehen* s. *auch du hast es nicht gesehen* vertendum: *nec tu vidisti*. Sic *necdum* pro *et nondum*, v. c. *pater abiit*, *necdum rediit*.

3) *Quin* varie servit brevitati a) pro *ut non:* saepissime sequ. conjunctivo; v. c. *non fieri potest*, *quin homo magno ingenio magnaque industria praeditus multa discat*; *es ist nicht möglich*, *daß ein Mensch nicht viel lernen sollte* etc. brevius: *ein Mensch muß viel lernen* etc. pro *non fieri potest*, *ut non homo — multa discat*; quod itidem rectum et valde usitatum quoque est. b) pro *quod non*, *tanquam non*, sequ. conjunct., *als wenn nicht:* saepissime, v. c. Cic. ad Div. IIII, ep. 7 in. *Etsi eo te adhuc consilio usum intelligo*, *ut id reprehendere non audeam*, *non quin ab eo ipse dissentiam*, *sed quod ea te sapientia esse judicem*, *ut* etc. pro *non*, *quod non* s. *tanquam non ab eo ipse dissentiam*, *nicht als wenn ich nicht andrer Meynung wäre* etc., sed *τὸ quod non*, *tanquam non*, it. *quo non* etiam rectum fuisset, et saepissime quoque occurrit. — Etiam pro *quod non* h. e. *cur non* post *nihil causae est*; v. c. Cic. Quint. 9 in. *Cum in altera re nihil causae esset*, *quin secus judicaret ipse de se* etc. c) pro *qui non* sequ. conjunctivo in his formis: *nemo est*, *quin sciat*; *quis est*, *quin sciat*, *credat*, *velit* etc. Sic saepissime Cicero. d) pro *cur non* sequ. indicativo: saepissime Cicero et Livius, v. c. Cic. ad Attic. IIII, 17 *Quin tu huc advolas et invisis illius nostrae reipublicae germina? Warum eilst du nicht hierher und besuchst* etc. Ad Div. VII, ep. 8 §. 3 *Quin tu urges istam oc-*

caſionem etc., *Warum eilſt du nicht, dieſe Gelegenheit zu benutzen* etc. ac ſaepius. Liv. I, 47 *Quin accingeris?* Cap. 57 *Quin, ſi vigor juventae ineſt, conſcendimus equos?* ac ſaepius. Haec tamen particula aliquid impatientiae et adhortationis ad celeritatem quandam ſimul continet; neque ergo ubique pro *cur non* poni poteſt.

4) *Libentiſſime* pro *cum ſumma voluptate;* v. c. *libentiſſime hoc feci, ich habe es mit dem gröſsten Vergnügen gethan;* ſic *libenter mit Vergnügen*, v. c. *libenter audire aliquid;* ſic *libentius* pro *majori cum voluptate;* — ſic et *jucundius;* v. c. Cic. Tuſc. V, 34 in. *Darius in fuga, cum aquam turbidam et cadaveribus inquinatam bibiſſet, negavit unquam ſe bibiſſe jucundius* h. e. *ſagte, er habe nie mit gröſserm Appetite getrunken.* — Sic *ſtudioſiſſime* pro *ſummo ſtudio*, *celerrime* pro *ſumma celeritate;* v. c. *ſtudioſiſſime rem incepit et celerrime peregit, er hat die Sache mit dem gröſsten Eifer angefangen, und mit der gröſsten* ſ. *mit ſehr groſser Geſchwindigkeit vollbracht.* Et ſic plura adverbia eorumque ſuperlativi uſurpari poſſunt.

5) *Hic* ſaepiſſime a) pro *hac in re;* v. c. *hic peccavit, hierin hat er gefehlt;* ſic Cic. Verr. Act. I, 16 extr. *Hic ſi quid erit offenſum* cet. — ſic *hinc* pro *ex hac re;* v. c. *hinc ſequitur.* b) pro *hac in urbe*, *hoc in loco*, ubi ſcilicet is eſt, qui ſcribit. Sic *huc* pro *in noſtram urbem* vel *locum*, ubi vivit ſcribens: *hinc* pro *ex noſtra urbe* vel *loco*, ubi is eſt, qui ſcribit. Sic in epiſtolis *iſtic* i. e. in loco, ubi is eſt, ad quem epiſtola ſcribitur; *iſtuc* pro *in locum iſtum;* *iſtinc* pro *ex iſto loco amici.* Sic *illic*, *illuc*, *illinc* de tertio quodam loco. Supra c. 8 ſect. 6 p. 357 2) de hac re jam dictum eſt.

6) *Adverbia loci* de *perſonis* ac *rebus* per brevitatem quandam ſaepiſſime dicuntur; v. c. a) *unde* pro *a quo*, *a quibus*, v. c. *homo, unde didici* i. e. *a quo; homines, unde didici* i. e. *a quibus* etc.; *domus, unde veni* i. e. *e qua.* Sic *unde petitur* dicebatur a Romanis reus in cauſa privata h. e. *is, a quo petitur*, int. *hereditas*, *domus* etc., *von dem man fordert, an dem man Anſpruch macht:* Cic. ad Div. VII, 11. Or. I, 37 in. Sic et in aliis, v. c. Cic. Agrar. II, 1 in. *Plerique autem hoc perficiunt, ut tantum majoribus eorum debitum eſſe videatur, unde etiam, quod poſteris ſolveretur, redundaret.* Hic *unde* eſt pro *e quo*, et *e quo* pro *ut ex eo.* Senect. 4 extr. Cato major de Q. Maximo dicit: *cujus ſermone ita tum cupide fruebar, quaſi jam divinarem id, quod evenit, illo exſtincto fore, unde diſcerem, neminem*, pro *fore neminem, a quo diſcerem* ſ. *poſſem diſcere.* Orat. I, 15 *Hoc profecto*

efficiet,

efficiet, ut, quamcunque rem a quoque cognoverit (i. e. *didicerit*), *de ea multo dicat ornatius, quam ille ipſe, unde* (i. e. *a quo*) *cognoverit, als derjenige ſogar ſelbſt, von dem er es gelernet hat.* Ibid. c. 46 extr. *Fontes, unde hauriretis* etc. i. e. *e quibus.* Brut. 92 extr. *Non ut ingenium et eloquentiam meam perſpicias, unde longe abſum* pro *a qua longe abſum.* Flacc. 26 *Adſunt Athenienſes, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortae* etc. pro *a quibus* etc. Ac ſaepius. — Sic *unde* pro *qua ex re*, et *inde* pro *hac ex re* millies occurrit, v. c. *unde patet, intelligitur*; *inde manifeſtum eſt;* ut noſtrum *daher erhellet* pro *aus dieſem* ſ. *aus dieſer Sache.* b) *ubi* pro *apud quem, apud quos* etc. V. c. Cic. Quint. 9 extr. *Neque enim adhuc, praeter te, quisquam fuit, ubi noſtrum jus contra illos obtineremus*; hic *ubi* pro *apud quem.* Salluſt. Catil. 20 §. 8 *Itaque omnis gratia, potentia, honos, divitiae apud illos ſunt, aut, ubi illi volunt* i. e. *apud quos.* Sic ſaepius — It. *ubi* pro *in quo, iu qua* etc. v. c. *locus, ubi erat; urbs, ubi natus eſt* pro *locus, in quo erat; urbs, in qua* etc. Nihil frequentius. Sic et noſtri dicunt *wo.* c) *quo* pro *ad quem, quos, quae* etc. Cic. ad Div. II, ep. 9 in. *In his enim ſum locis, quo et propter longinquitatem et propter latrocinia tardiſſime omnia perferuntur:* hic *quo* eſt pro *ad quae:* III, ep. 5 §. 8 *veni in eum ſermonem, ut dicerem, me libenter ad eam partem provinciae primum eſſe venturum, quo* (i. e. *ad quam*) *te maxime velle arbitrarer.* Verr. V, 65 in. *adeunt ad ea loca, quae nunquam antea viderunt, ubi neque noti eſſe iis, quo venerunt, neque ſemper cum cognitoribus eſſe poſſunt:* hic eſt primum *ubi* i. e. *in quibus* ſcil. *locis:* deinde *quo* pro *ad quae* ſcil. *loca.* Et ſtatim: *ſed, quocunque venerint, hanc ſibi rem praeſidio ſperant futuram:* ubi *quocunque* eſt pro *ad quoscunque homines* vel *in quaecunque loca.* Ac ſic ſaepiſſime. Ac ſic noſtri dicunt quoque *wohin:* d) *alio* pro *in alium locum* vel *etiam ad alium, ad alios homines.* Sic v. c. Cic. ad Div. I, ep. 4 §. 1 *invidia eorum, qui a te cauſam regiam alio transferebant:* ubi oppoſitio *a te* et *alio* aperte docet, *alio* de perſona quadam intelligendum eſſe. — Sic et *aliunde pendere* pro *ab aliis rebus pendere, von den äußerlichen Dingen, als Reichthum, Ehre, abhängen, und darin ſein Glück und Beruhigung ſuchen.* Cic. ad Div. V, ep. 13 §. 2 Sic *aliunde ſtare* pro *ab alio* ſ. *ab alius partibus ſtare.* Liv. XXIIII, 45 non proc. ab in. *qui aliunde ſtet ſemper* etc. e) *alibi* pro *alio in loco* notum, it. pro *alia in re*, v. c. Liv. VII, 41 in. ait T. Quintius: *ſe — nolle alibi, quam in innocentia ſpem habere:*

habere: XXX, 35 extr. *fassus in curia est* (Hannibal), *non praelio modo se, sed bello, victum, nec spem salutis alibi quam in pace impetranda esse,* ubi *alibi* aperte est pro *in alia re.* f) *Alicunde* pro *ab aliquo loco*: Cic. Fin. V, 11 med. *In parvis enim saepe, qui nihil eorum cogitant, si quando his ludentes minamur praecipitaturos alicunde, extimescunt:* et pro *ab aliquo homine, ab aliquibus hominibus:* v. c. Cic. ad Attic. X, ep. 1 fere med. *non quo alicunde audieris, nicht als wenn du es von jemand gehöret hättest.*

7) *Ita* et *sic* varie brevitati servit: a) pro *hoc exitu, effectu, mit dem Erfolge, Ausgange*: v. c. Cic. Manil. 3 *Etenim adhuc ita vestri cum illo rege contenderunt imperatores, ut ab illo insignia victoriae, non victoriam, reportarent, Denn bisher haben eure Feldherren mit demselben Könige mit dem Erfolge gefochten, daß sie zwar* etc. Et statim: *triumphavit L. Sulla, triumphavit L. Murena de Mithridate, sed ita triumpharunt, ut ille pulsus superatusque regnaret.* b) pro *hac conditione* sequente *si* vel *ut.* Cic. ad Div. XV, ep. 20 §. 2 *Crebris nos literis appellato* (i. e. *scribe ad me saepius*) *atque ita, si idem fiat a nobis und zwar unter der Bedingung, wenn es auch von meiner Seite geschieht.* Offic. I, 9 *Nam hoc ipsum ita justum est, quod recte fit, si est voluntarium.* — Liv. I, 17 med. *Decreverunt enim* (patres), *ut, cum populus regem jussisset* (i. e. *elegisset*), *id sic ratum esset, si patres auctores* (i. e. *approbatores*) *fierent.* Ac saepius. Nec tamen negandum, etiam in nonnullis per *hoc modo* vel per *tum alsdann* explicari posse. c) pro *hactenus* s. *hac restrictione,* ut vulgo dicunt: Cic. ad Div. XIII, ep. 56 §. 2 *Nunc cum mihi ab amico — tantum oneris imponitur, ego quoque tibi imponam — ita tamen, ut tibi nolim molestus esse, doch in so fern, daß* etc. d) pro *hac ratione, hoc modo*: quod notius est, quam ut illustrari mereatur. Et praecedens exemplum, ut et nonnulla alia praecedentia per *hoc modo* possunt recte explicari.

8) Ac sic plures particulae usurpari possunt, v. c. *saepe* pro *multis temporibus*; *semper* pro *omni tempore*; *simul* pro *eodem tempore; una* pro *eodem loco; tum* pro *isto tempore; igitur* pro *hanc ob rem; denique* pro *ad extremum; hinc illinc* pro *ex hac et illa parte* s. *e parte utraque*; *subito* s. *repente* pro *praeter opinionem* etc. Haec omnia recte imitari licet.

B) *In verbis* proprie ita dictis: v. c. *contemno* pro *non timeo: contemnere iram alicujus, sich vor jemandes Zorne nicht fürch-*

fürchten. Sic saepissime. *Careo* pro *non habeo. Negligo* pro *non curo, non magni aestimo,* it. *non punio, non ulciscor:* est metonymia antecedentis pro conseq., v. c. Cic. Manil. 5 *vos vitam ereptam negligetis?* h. e. *non ulciscemini:* proprie *wollt ihr das so übersehen, so hingehen lassen, euch darum unbekümmert lassen?* Sic *Nego* pro *non dico* s. *dico non* etc., v. c. *negavit se ullo modo facere posse, er sagte, er könne es auf keine Weise thun: negavit se daturum, er sagte, er würde es nicht geben.* Sic semper dicendum. *Admonere* pro *facere, ut aliquis recordetur,* s. *alicui in animum revocare.* V. c. Cic. ad Div. V, ep. 2 §. 28 *Meus enim me sensus, quanta vis fraterni sit amoris, admonet.* Egregie: *sensus me admonet* per prosopopoeiam. Conf. supra caput 8 de *variatione vocabulorum.*

C) *Participia* et *nomina* saepe pro *praepositione* cum casu: v. c. *rediens dicebat* pro *in reditu, post reditum: moriens dicebat* pro *paulo ante mortem, mortis tempore: depositis armis* pro *post depositionem armorum* Cic. ad Div. VI, ep. 2 §. 4: *Perditis rebus* pro *post jacturam rerum* Cic. ad Div. VI, ep. 1 §. 12. — *Senex literas didicit* pro *in senectute. Frater meus hoc fecit puer, adolescens, juvenis* pro *in pueritia, adolescentia, juventute* etc. Haec ratio valde est imitanda.

D) In *Substantivis:*

1) *Ablativus* a) pro *per* cum suo casu, v. c. *virtute ac sapientia* pro *per virtutem ac sapientiam;* quod aeque rectum est: at illud modo brevius. b) post comparativum pro *quam,* v. c. *doctior patre* pro *quam pater,* quod aeque rectum et usitatum est: illud modo brevius, et sola hac brevitate sua se commendat.

2) In primis *substantivum,* cum praepositione *propter* s. *ob* junctum, saepissime, hac praepositione abjecta, transit in eum casum, quem verbum proprie dictum regebat, ac tunc alterum substantivum, quod hoc casu erat, vel pronomen abit in genitivum. V. c. pro *invidere alicui ob divitias, honores;* pro *ignoscere alicui ob adolescentiam* etc. brevius dici potest: *invidere alicujus divitiis, honoribus; ignoscere alicujus adolescentiae* etc. Sic Cicero millies, v. c. ad Div. VIIII, ep. 14 §. 14 *Hoc si tibi fortuna quadam contigisset, gratularer felicitati tuae* pro *gratularer tibi propter tuam felicitatem* s. *quod tam felix esses:* nam et per *quod* explicari potest: ut ibid. V, ep. 2 §. 28 *ego dolori tuo non solum ignosco, sed summam etiam laudem tribuo* pro *ego non solum tibi ignosco, quod doles, sed etiam* etc. *Ich verzeihe dir nicht nur deine*

Be-

Betrübniß f. *daß du dich betrübst* etc. Rosc. Am. 1 *si quid liberius dixero — ignosci adolescentiae meae poterit* pro *ignosci mihi poterit propter meam adolescentiam* f. *quia adhuc adolescens sum.* Philipp. V, 17, ubi Caesarem Octavianum, postea Augustum, commendans, ut possit propraetor esse, ait: *Legibus enim annalibus cum grandiorem aetatem ad consulatum constituebant, adolescentiae temeritatem verebantur* pro *adolescentiam ob ejus temeritatem* f. *quia temeraria esset, verebantur.* At illud brevius: *Da sie in den Iahrgesetzen ein höheres Alter zum Consulate bestimmten, so thaten sie es bloß, weil sie sich vor der Unbesonnenheit der Iugend fürchteten.* — Referri huc quoque meretur ad Div. V, ep. 4 §. 5 *Tu, tuas inimicitias ut reipublicae donares, te vicisti* pro *tu te vicisti* (ut nos: *du hast dich überwunden*, de aegre ignoscentibus), *ut mihi tuas inimicitias adversus me reipublicae causa donares* h. e. *remitteres.* Sic et *inimicitias suas reipublicae remittere* h. e. *reipublicae causa deponere* ap. Liv. XXXVIIII, 5. Haec forma valde imitanda.

3) Eadem brevitas, sed paulo suavior est, quando substantivum cum praepositione *ob* f. *propter* it. *per* conjunctum, abjectis his praepositionibus, abit in nominativum ac personam subjecti induit: quae res prosopopoeiae suavi locum dat. V. c. a) *propter, ob:* pro *mihi ob pudorem meum aditus ad te interclusus fuit* dici potest: *mihi pudor meus aditum ad te interclusit.* Millies ita Cicero, v. c. ad Div. IIII, ep. 13 §. 18 *Nam et complectar ejus familiarissimos — et in ipsius* (Caesaris) *consuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clausit, insinuabo* pro *consuetudinem, quae mihi clausa erat ob pudorem meum:* ib. V, ep. 12 §. 8 *potest enim mihi denegare occupatio tua* pro *potes enim tu mihi denegare propter occupationem tuam* f. *quia jam nimis occupatus es*, *denn du kannst mir es abschlagen wegen deiner Beschäftigung.* Ead. epist. §. 10 *amorique nostro* (nostri?) *plusculum etiam, quam concedit veritas, largiare* pro *ob amorem nostri nobis largiare* h. e. *facias plusculum* etc. *thue aus Liebe zu mir etwas mehr* etc. Ac sic saepius. b) *per:* v. c. pro *per doctrinam tuam clarus es factus* dicitur brevius: *doctrina tua te clarum reddidit;* pro *per modestiam homo consequitur laudem* dicitur: *modestia homini parit laudem.* Cicero ita millies. V. c. ad Div. IIII, ep. 13 §. 9 *Itaque orbus iis rebus omnibus, quibus et natura me et voluntas et consuetudo assuefecerat* etc. pro *orbus iis rebus omnibus, quibus me et per naturam et voluntatem et consuetudinem* f. *natura et voluntate et consuetudine assuefeceram.* Sic in loco ante laudato V, ep. 12 §. 10 *plusculum*

culum etiam, quam concedit veritas pro *plusculum etiam, quam conceditur per veritatem.* Poteſt etiam huc referri locus ſuperior V. ep. 12 §. 8 *conſuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clauſit*: quod etiam dictum eſſe poteſt pro *conſuetudinem, quae mihi adhuc per pudorem clauſa eſt:* nam *propter*, ut ſupra explicatum eſt, et *per* interdum parum inter ſe differunt. Haec ratio utraque in primis digna eſt, quam imitari ſtudeamus ac deinde in vernaculam linguam transferamus. Omnis enim eloquentia latina prodeſſe debet eloquentiae vernaculae: nec Cicero tantum exemplar latinorum oratorum ſed et aliorum eſſe debet: vera enim eloquentia ubique et in omnibus linguis eſt ac manet eadem eloquentia cum hoc uno discrimine, ut vocabula aliter ſonent.

E) In *pronominibus:*

1) *Quicunque* ſ. *quisquis* pro *omnis qui; quodcunque quidquid, quaecunque* pro *omne quod, omnia quae*, dici poteſt. V. c. pro *omnes eos amo, quos tu amas* brevius atque ita ſuavius dicitur: *quoscunque amas, eos amo;* pro *omnia, quae dices, mihi placebunt* dici poteſt: *quaecunque dices, ea mihi placebunt* ſ. *quidquid dices, id mihi placebit.* Sic pro *confirmo tibi, me in omni re, in qua potuero, tibi adfore* dicitur *confirmo tibi, in quacunque re potuero, in ea tibi adfore.* Sic pro *ſcio, libros omnes, quos a patre acceperis, pulchros eſſe* dicitur: *ſcio, quoscunque libros a patre acceperis, pulchros eſſe.* Sic ſaepiſſime dicere debemus. Nihil enim frequentius apud Ciceronem occurrit.

2) *Hic* et *iſte* varie brevitati ſerviunt apud Ciceronem. *Hic* a) pro *qui hic eſt, qui hic ſedet;* ſic Cicero ſaepe in orationibus de reis, quos defendit, dicit *hic* h. e. *der hier ſich befindliche, der hier ſitzende*, v. c. *hic Archias.* b) *qui nunc* ſ. *noſtris temporibus vivit*, v. c. Cic. Offic. III, 16 *M. Cato — hujus noſtri Catonis pater* h. e. *der Vater unſers itzt lebenden Cato.* — *Iſte* in epiſtolis pro *qui iſtic eſt* h. e. in ea regione, ubi amicus degit: v. c. ad Div. VIIII, ep. 17 in. *ex me quaeris, quid de iſtis municipiis et agris futurum putem* i. e. *frageſt mich, was mit den in deiner Gegend ſich befindlichen Städten und Ländereyen werden wird.*

3) In primis brevitati ſervit pronomen relativum *qui quae quod:* hinc ejus uſus apud priſcos, maxime Ciceronem, tam frequens eſt, ut nihil tam frequenter occurrere poſſit. Uſurpari igitur a nobis ſaepiſſime poteſt *qui* a) pro *ut ego, ut tu, ut is;* ſic *cujus* pro *ut meus, ut tuus, ut illius;* ſic *cui* pro *ut mihi, tibi, illi* etc.; ſic *quorum* pro *ut noſter,*

noster, *vester*, *illorum* etc. v. c. pro *dignus sum*, *ut* (ego) *amer*, *ut me ames* dicitur *dignus sum*, *qui amer*, *quem ames;* sic pro *dignus eras*, *ut* (tu) *laudareris*, *ut te homines laudarent* dicendum *dignus eras qui laudareris*, *quem homines laudarent:* pro *digna est virtus*, *ut* (ea) *ametur*, *ut eam amemus* dicendum *digna est virtus*, *quae ametur*, *quam amemus.* Pro *dignus eram*, *ut mihi fidem servares* dicendum *cui fidem servares.* Pro *dignus es*, *ut tibi hoc donem* dicendum *cui hoc donem.* Pro *digna est virtus*, *ut ei studeamus* vel *ut ea delectemur* dicendum *digna est virtus*, *cui studeamus* vel *qua delectemur.* Pro *dignus sum*, *ut mecum vivas* dicendum *dignus sum*, *quocum vivas.* Pro *dignus es*, *ut te eruditi utantur* dicendum *dignus es*, *quo eruditi utantur.* Pro *indignus sum*, *ut meis peccatis ignoscas* dicendum *indignus sum*, *cujus peccatis ignoscas.* Pro *dignus es*, *ut tuos libros legam* dicendum *dignus es*, *cujus libros legam.* Pro *liber est dignus*, *ut ejus lectio saepe repetatur* dicendum *liber est dignus*, *cujus lectio saepe repetatur.* — Sic et in plurali. Pro *digni sumus*, *ut* (nos) *amemur* dicendum *qui amemur.* Pro *digni estis*, *ut* (vos) *amemini* dicendum *digni estis*, *qui amemini.* Pro *digni sunt parentes*, *ut* (ii) *amentur* vel *ut eos amemus* dicendum *digni sunt parentes*, *qui amentur* vel *quos amemus.* Pro *indigni sumus*, *ut nostris peccatis ignoscatis* dicendum *indigni sumus*, *quorum peccatis ignoscatis.* Pro *digni estis*, *ut vestrae felicitati prospiciam* dicendum *digni estis*, *quorum felicitati prospiciam.* Pro *libri sunt digni*, *ut eos crebro legamus*, *ut eorum lectionem repetamus* dicendum *libri sunt digni*, *quos crebro legamus*, *quorum lectionem repetamus.* Pro *digni sumus*, *ut nobiscum vivatis* dicendum *digni sumut*, *quibuscum vivatis.* Pro *digni fuistis*, *ut vobis uteremur*, dicendum *digni fuistis*, *quibus uteremur.* Pro *digni sunt parentes*, *ut omne genus felicitatis illis contingat* dicendum *digni sunt parentes*, *quibus omne felicitatis genus contingat* etc. — Sic semper dicendum, nec unquam *ut* post *dignus indignus* ponendum, praeterquam si *qui* statim jam praecessit, quia talis repetitio tam propinqua injucunda foret. Non enim dixerim: *homines multos vidi*, *qui digni erant*, *qui vituperarentur*, sed *ut vituperarentur.* Cum vero, ut supra dictum est, ordo verborum hic proprie debeat esse: *homines multos vidi*, *qui*, *qui vituperarentur*, *digni erant:* quis ita loquatur? Nonne potius: *multos vidi*, *qui*, *ut vituperarentur*, *digni erant?* — Notandum etiam priscos nostrum *verdienen* longe crebrius per *dignum esse* exprimere quam per *mereri*, ut adeo propterea iste usus τȣ *qui* eo magis tenendus

dus videatur. — Neque etiam credi debet, quod tirones vulgo credunt, *qui* hic poni pro *ut*; sed pro *ut* cum pronomine aliquo, ut semper addidimus. Neque vero tantum τὸ *qui* post *dignus* ita ponitur, sed in universum, quando *ut* consilium s. causam finalem indicat, poni recte potest: v. c. *misit homines, qui illum adducerent* pro *ut ii illum* etc. Sic pro *misit mihi librum, ut eum legerem* dici potest: *misit mihi librum, quem legerem.* Pro *non dedi tibi pecuniam, ut pro libidine ea utereris* dici potest: *non dedi tibi pecuniam, qua pro libidine utereris.* Sic post *concedo* sequitur *qui* pro *ut* cum aliquo pronomine, v. c. *nemini concedo, qui majorem ex pernicie reipublicae molestiam traxerit, ich gebe niemand darin etwas nach, gestehe niemand zu, daß er sich über den Verfall des Staats mehr betrübt haben sollte* Cic. ad Div. IIII, ep. 3 §. 2 pro *nemini concedo, ut is* etc. Sic ad Div. VI, ep. 1 extr. *Nemo est tam afflictus, qui — non possit* etc. pro *ut is non possit* etc. — Est etiam alius hujus pronominis *qui* usus isque paulo difficilior, quando pro *ut is* ponitur, praecedente *is* h. e. *talis*, v. c. *tu es ea doctrina, qua si ego essem, felicem me praedicarem, du hast eine solche Gelehrsamkeit, daß ich mich für glücklich halten würde, wenn ich dergleichen hätte* pro *tu ea* (i. e. *tali*) *es doctrina, ut, si ego ea* vel *tali essem, felicem me praedicarem.* Sic Cicero saepe, v. c. ad Div. VI, ep. 6 §. 7 *Nolo enim hunc de me optime meritum* (Caesarem) *existimare, ea me suasisse Pompejo, quibus ille* (Pompejus) *si paruisset, esset hic* (Caesar) *quidem clarus in toga et princeps, sed tantas opes, quantas nunc habet, non haberet*, quod ita vertendum: *denn ich will nicht, daß dieser um mich so verdiente Mann glaube, als wenn ich dem Pompejus einen solchen Rath gegeben hätte, daß, wenn er ihm gefolgt wäre, der Caesar zwar auch ein großer und vornehmer Mann zur Friedenszeit seyn, aber freylich so große Macht nicht haben würde, als er itzt hat;* pro *nolo — existimare, ea* (talia) *suasisse Pompejo, ut, si ille iis paruisset* etc. Catil. II, 9 *non vident, id* (h. e. tale quid) *cupere, quod si adepti fuerint, fugitivo alicui aut gladiatori concedi necesse esse? sehen sie denn nicht, daß sie nach so etwas trachten, daß, wenn sie es auch erlangt haben würden, sie hernach einem fortgelaufenen Sclaven — nachstehen müßten* pro *non vident, se tale quid cupere, ut, si id adepti fuerint* etc. Phil. II, 4 *Quid minus est, non dico oratoris sed hominis, quam id objicere adversario, quod, ille si verbo negarit, progredi amplius non possit, qui objecerit?* pro *quam tale quid objicere, ut, si ille* (pro *hic*) *verbo* etc., *was*

schickt sich wohl weniger, ich will nicht sagen für einen Redner, sondern überhaupt für einen Menschen, als seinem Gegner so etwas vorzuwerfen, daß der, welcher es vorgeworfen hat, nicht weiter fort kann, wenn es jener mit einem einzigen Worte läugnet? — Eodem modo *quantus, qualis*, pro *ut tantus, ut talis*, praecedente *tantus, talis*, saepissime occurrit. V. c. Cic. ad Div. VIIII, ep. 14 §. 6 *gratulor tibi, cum* (pro *quod*, ut saepe), *tantum vales apud Dolabellam, quantum si ego apud sororis filium valerem, jam salvi esse possemus* pro *gratulor tibi, quod tantum vales apud Dolabellam, ut, si tantum ego valerem apud* etc. Planc. 11 extr. *Tribunus plebis fuit — certe talis, quales si omnes semper fuissent, nunquam desideratus vehemens esset tribunatus* pro *talis, ut, si omnes tales* etc. Et sine praecedente *talis* Phil. II, 7 *praesertim cum senatus populusque romanus haberet ducem, qualis si qui* (pro *quis*) *nunc esset, tibi idem, quod illis accidit, contigisset* pro *haberet* (talem) *ducem, ut, si quis talis nunc esset* etc. Hoc diligenter imitandum; ac v. c. *Deine Gelehrsamkeit ist so groß, daß ich mich glücklich schätzen würde, wenn ich dergleichen hätte*, ita vertendum: *Doctrina tua tanta est, quanta si ego instructus essem, felicissimus mihi viderer.* Et vernaculum: *Dein Vater war ein solcher Mann, daß ich glücklich wäre, wenn ich ein solcher Mann seyn könnte*, ita vertendum: *Pater tuus vir talis erat, qualis si ego esse possem, beatus essem.* Sic et *quot, quoties*, pro *ut tot, ut toties*, praecedente *tot, toties*, v. c. *Tu habes tot libros, quot si ego haberem, dives essem*, pro: *Tu habes tot libros, ut, si ego tot hab.* cet. *Tu toties legisti Homerum, quoties si ego eum legissem, bene mecum ageretur* pro: *Tu toties legisti Homerum, ut, si ego toties eum* cetc. b) *Qui quae quod* saepissime poni potest pro *cum ego, cum tu, cum is*, atque ita *cujus* pro *cum ejus, meus, tuus*; *cui* pro *cum mihi, tibi, illi* etc. V. c. *Pater, qui id nesciret, mirabatur* pro *cum is nesciret id* etc. *Ego, qui nihil periculi subesse crederem, eo sum profectus* pro *Ego, cum* (ego) *nihil* etc. s. *Ego, quod nihil* etc. Sic *Quomodo te contemnere possim, cujus libri tam praeclare scripti sint!* pro *cum tui libri* etc. *An tu me contemnis, cujus virtutes antea tantopere laudaveris?* pro *cum meas virtutes* etc. *Quis Ciceronem non legat, cujus libri tam pulchri sint?* pro *cum ejus* etc. *Quis virtutem oderit, qua nihil pulchrius esse constet?* pro *cum ea* cet. *Quis miretur homines mori, quos sciamus mortales esse?* pro *cum eos* cet. *Quomodo de literis loqui potes, quibus nunquam operam dederis?* pro *cum iis* cet. *Quomodo nos ingratos vocare potestis, quibus nil bene-*

beneficii tribueritis? pro *cum nobis nihil* etc. Sic *Non video, quomodo possitis mihi opem ferre, quibus omnia desint* pro *cum vobis* cet. Sic *ne doctrina vestra gloriamini, quorum libros nemo legere cupiat* pro *cum vestros* cet. Sic *Nolite nobis aegre facere, quorum miseriam jam maximam esse sciatis* pro *cum nostram miseriam* etc. Millies ita Cicero, Livius, Caesar. V. c. Cic. Verr. I, 25 *Hospes Ianitor, qui nihil suspicaretur, veritus, ne quid in ipso se offenderit, hominem summa vi retinere coepit, der Wirth Ianitor, weil er nichts argwohnte* etc. pro *cum is nihil.* Et statim: *Iste* (Verres), *qui hospitis relinquendi causam reperire non posset, alia sibi ratione viam munire ad stuprum coepit* pro *Iste, cum* (is) *hospitis* etc. *Verres, weil er keinen Vorwand, seinen Wirth zu verlassen, finden konnte* etc., et paulo post: *Iste, qui una cupiditate raperetur, totum illius postulatum causamque neglexit* pro *cum una* etc. Interdum per *quod* commodius explicatur et vernacule *daß* vertitur, v. c. Cic. ad Div. I, ep. 9 §. 31 *Illud quidem certe nostrum consilium jure laudandum est, qui meos — cives — servis armatis objici noluerim* pro *quod ego meos cives* etc. *daß ich meine Mitbürger bewafneten Sclaven nicht habe Preis geben wollen*, et VII, ep. 28 §. 7 *et hoc tempore non solum* (videris) *sapiens, qui hinc absis, sed etiam beatus:* ubi *qui hinc absis* pro *quod hinc abes, daß du nicht hier bist.* At propter conjunctivum melius est dicere, *qui* in his pro *cum* poni, quia conjunctivum regit estque itidem particula causalis. c) *qui quae quod* ponitur pro *et is, et ego, et tu* etc. it. pro *is vero, ego vero, tu vero* in principio totius sententiae, praecedente alia, ad quam istud *qui* referri possit. V. c. pro *Pater mortuus est. Et cum eum sepelire vellemus* etc. rectius h. e. brevius et usitatius dicitur: *Pater mortuus est. Quem cum sepelire vellemus* etc. Sic *Tu mihi semper utilia suasisti. Cujus consilio si semper paruissem, essem beatus* dicitur pro *Tu mihi — suasisti. Et si tuo consilio semper paruissem* etc. Sic pro *veni ejus domum. Cum vero eum non invenissem, redii* dicitur: *veni ejus domum. Quem cum non invenissem* etc. Sic pro *Diu te quaesivi: si vero* vel *ac si te invenissem* etc. dicitur: *Diu te quaesivi. Qui si te invenissem* etc. Sulpicius in epist. ad Cic. ad Div. IIII, 5 §. 1 *Posteaquam mihi renuntiatum est de obitu Tulliae filiae tuae, sane quam, pro eo ac debui, graviter molesteque tuli: communemque eam calamitatem existimavi: qui si* (i. e. ac si ego) *adfuissem, neque tibi defuissem coramque meum dolorem tibi declarassem.* d) Interdum etiam *qui* pro *nam ego, tu, is* etc. poni potest, si contextus tam apertus est, ut etiam sine particula causali tamen

tamen intelligi possit, sententiae causam inesse aliquam. V. c. Cic. ad Div. V, ep. 12 §. 14 *Nihil est enim aptius ad delectationem lectoris, quam temporum varietas fortunaeque vicissitudines: quae etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt jucundae:* ubi *quae etsi nobis* etc. explicari potest: *Nam etsi eae nobis* etc.; potest vero etiam sic explicari: *atque etsi eae* etc. — Ceterum in his omnibus non *qui* pro *ut*, *quod*, *cum vero*, *et*, simpliciter, sed, ut iam monuimus, simul pronomen *ego*, *tu*, *is* cet. inclusum est.

II) Saepe etiam omittitur vocabulum ita, ut ejus defectus compensari non debeat, quia facile h. e. ob usum loquendi et contextus rationem intelligi potest. Hic *defectus* vulgo graeco nomine *ellipseos* appellatur, quod valde generale atque indefinitum est; quemadmodum fere omnes appellationes in grammatica aliisque artibus tam generales et indefinitae sunt, ut sine definitione et explicatione atque adeo distinctione intelligi nequeant. Exempla paucula laudabo, et ea tantum, quae imitari licet. Vitiosae enim ellipses huc non pertinent. Omittuntur ergo

A) *Nomina:*

1) *Homo*, *homines*, v. c. *omnes dicunt*, *putant* etc. int. *homines;* sic *ajunt*, *ferunt*, *man sagt*. Sic *sunt*, *reperiuntur*, *qui dicant*, *es gibt Leute*, *die da sagen; fuerunt*, *qui dicerent*, *erunt semper*, *qui dicant* etc., ubi vel *homines* vel *aliqui* deest. Sic *homo* deest in *est*, *qui tecum loqui velit* h. e. *es ist jemand*, *der* etc. brevius *es will jemand mit dir reden;* sic *non erat*, *cui literas recte darem* i. e. *es war niemand*, *dem ich den Brief hätte sicher mitgeben können.* — In his potest etiam *aliquis* intelligi. Millies ita prisci.

2) *Aedes* s. *templum*, v. c. *ad D. Nicolai*, *Martini* etc. int. *aedem.* Sic prisci v. c. *ad Castoris* Cic. Quint. 4 *Nisi ad Castoris quaesisset* etc. Sic Liv. I, 33 *Quibus ad Murciae sedes datae*, int. *aedem* vel *sacellum*; ib. cap. 41 *Habitabat enim rex ad Iovis statoris;* ac saepius: sic et nostri: *bey Barbarn*, *bey Niclas* pro *ad aedem D. Barbarae*, *Nicolai* etc. it. praecedente *a*. V. c. Cic. ad Divers. XIIII, ep. 2 §. 5 *Quemadmodum a Vestae ad tabulam Valeriam ducta esses* etc.

3) *Locus.* V. c. *habes*, *ubi doctrinam ostendas tuam; non habeo*, *quo confugiam*, intell. *locum.* Sic prisci saepissime.

4) *Tem-*

4) *Tempus.* V. c. *erat, cum ita cogitabam* pro *tempus erat, cum* etc. *es war eine Zeit, da ich* etc. h. e. *cogitabam aliquando* f. *aliquo tempore.* Sic prifci millies.

5) *Negotium* vel *aliquid.* V. c. *non habeo, quod agam* pro *non habeo negotium, aliquid, ich habe nichts zu thun.* Sic *non habeo, quod edam, bibam* etc., *habe nichts zu essen* etc. Sic *eſt, quod narrem* f. *narrare poſſim, ich habe etwas zu erzählen,* pro *eſt aliquid, quod* etc. Sic *eſt, quod fleas, rideas, du haſt Urſache zu weinen, zu lachen,* ubi eſt duplex ellipſis, pro *eſt aliquid, propter quod fleas* etc. Sic *non eſt, quod gaudeas, du haſt nicht Urſache dich zu freuen.* Sic ſemper dicendum: nam aliter non prifci. — Pertinet huc etiam *patris eſt, meum, tuum eſt, alere liberos, es iſt des Vaters, meine, deine Pflicht, die Kinder zu ernähren,* ubi vel *officium* vel *negotium* cum Perizonio intelligitur. Rectum tamen quoque et valde uſitatum eſt dicere *eſt patris, meum, tuum officium liberos alere;* ſic enim prifci ſaepiſſime: illud modo brevius. In his formulis: *boni paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere; equorum eſt hinnire* et ſimilibus rectius et certius intelligitur *negotium* (ſi quidem vocabulum intelligendum), nam *tondere pecus, non deglubere* eſt *officium* omnis paſtoris, non boni; hujus tantum eſt negotium, *es iſt ſeine Sache, die Schafe nur zu ſcheeren* h. e. *ejus conſuetudo ita fert;* et alterum ita vertitur: *das Wiehern iſt eine Sache der Pferde;* quae duo exempla fere eodem redeunt. — Ceterum, quia prifci ſemper ita loquuntur, nec ſubſtantivum addunt, hinc ſupplementum omne non ſatis certum. Veriſimiliora hic pro certioribus habentur.

6) *Verba.* V. c. *ut paucis dicam,* ut noſtri *daß ichs mit wenigen ſage* intell. *Worten.* Sic *quid multa?* ſcil. verba dicam? *quid multis te moror* ſcil. verbis?

7) *Pars* omittitur vel potius, quia nullus genitivus ſequitur, tacite includitur in nonnullis adjectivis; v. c. *extrema urbe* eſt pro *in parte urbis extrema;* ſic *extremo capite, libro* pro *extrema parte* f. *in fine capitis, libri;* ſic *in media urbe, in medio mari, capite, libro* pro *in media urbis, maris, capitis, libri parte.* Sic ſaepiſſime prifci; v. c. Cic. ad Div. VII, ep. 5 §. 5 *Literae mihi dantur a te, quibus in extremis ſcriptum erat* pro *in quarum parte extrema* f. *fine, erhielt ich einen Brief von dir, wo am Ende geſchrieben ſtand* f. *an deſſen Ende geſchrieben* etc. Verr. IIII, 53 *In hac inſula extrema eſt fons* i. e. *in extrema parte hujus inſulae* etc. — Sic et *primus, ultimus;* v. c. Cic. ad Div. III, ep. 6 §. 4 *Te in prima provincia velle eſſe, du wolleſt vorn in der Provinz ſeyn,* pro

in parte prima provinciae, *in dem vorderſten Theile der Provinz;* ſic *ultima provincia* pro *ultima pars provinciae*, Cic. ad Attic. V, ep. 16 extr. loquens de ſua provincia, cujus ante ſe praeſes Appius fuerat: *Appius*, *ut audivit nos venire*, *in ultimam provinciam ſe conjecit Tarſum usque*, pro *in ultimam provinciae partem.* Sic Cic. Verr. IIII, 45 in. *In eo ſacrario intimo* i. e. *in intima parte ejus ſacrarii*, *im innerſten der Kapelle.* Sic *in ſummo loco* i. e. *in loci ſumma parte:* v. c. Cic. ibid. cap. 48 *Eſt loco praecelſo atque edito; quo in ſummo eſt aequata agri planities* etc., ubi *quo in ſummo* eſt pro *in cujus ſumma parte.* Haec imitari quoque licet, dummodo caveamus, ne ambiguitas oriatur, quod contextus definire debet.

B) *Pronomina* interdum omittuntur. V. c.

1) *Ego*, *tu*, *nos*, *vos* (in nominat.) ſemper omitti poſſunt ante verbum, niſi gravitas aut oppoſitio poſtulat. *Amo te* pro *ego te amo* rectum eſt; at *amo te*, *tu me odiſti* vel *amo te*, *me odiſti* falſo dictum eſt: hic debet eſſe *ego te amo*, *tu me odiſti*, propter oppoſitionem. ſic *tu librum legiſti*, *frater tuus ne vidit quidem*, hic *tu* adeſſe debet. Sic vernaculum *du ſagſt nein*, *ich ſage ja dazu* verti debet *tu negas*, *ego ajo* ſ. *affirmo*; ſic *tu affirmas*, *alii negant* etc. At, ſi neque oppoſitio talis adeſt nec gravitatis aliquid in pronomine quaeritur, rectius *ego*, *tu*, *nos*, *vos*, omittitur.

2) *Is* ſaepe omittitur, ubi adeſſe recte poterat, ſi intelligi facile poteſt. Dicere v. c. licet: *dux praelium adverſante fortuna commiſit. Victum et fugientem occiderunt hoſtes inſequentes* pro *victum eum et* etc., quia *eum* facile intelligitur. Sic *pater rogabat me*, *ut id facerem*, *nec roganti reſiſtere poteram*, pro *nec ei roganti;* ſed ſponte hoc intelligitur. Ac ſic per omnes caſus et numeros. Sic millies priſci, maxime Livius. — In primis ſolet *is* frequenter omitti, ubi *qui* vel ſequitur vel praeceſſit; v. c. *laudatur*, *qui ita agit*, *derjenige wird gelobt*, *der es ſo macht*, pro *laudatur is*, *qui* etc. *Laudantur*, *qui ita loquuntur* pro *laudantur ii*, *qui* etc. Sic et inverſo ordine: *qui ita agit*, *laudatur*: *qui ita loquuntur*, *laudantur.* — At haec omiſſio tantum habet locum, ſi utrumque pronomen eſt eodem caſu; tum enim perſpicuitas non offenditur: v. c. *errant*, *qui putant*, *credunt*, ut ſaepe Cicero pro *ii errant* etc. Sic Verr. I, 16 *Rogat Rubrium*, *ut*, *quos ei commodum ſit* (invitare), *invitet* pro *rogat Rubrium*, *ut eos invitet*, *quos* etc. Orat. II, 45 *Neque enim facile eſt perficere*, *ut iraſcatur*, *cui tu velis*, *judex* pro *ut iraſcatur ei;*
in

in Graeviana tamen additum video *ei.* Sic *ea* saepe omitti potest: v. c. *quae pulchra sunt, laudo,* pro *ea laudo* etc.

3) *Meus, tuus, suus, noster, vester,* quotiescunque intelligi e contextu possunt, toties omitti debent, licet vernacula saepissime addere velit; v. c. *ich bin mit meinem Vater verreiset* verti debet *ego cum patre profectus sum,* non *cum patre meo:* quia enim nulla alia persona adest, per se patet, patrem meum, nec patrem alius hominis, intelligendum esse; sic *ich habe mit meinem Bruder, mit meiner Schwester, geredet; ich will meine Aeltern zu Rathe ziehen* vertendum *locutus sum cum fratre, cum sorore; consulam parentes;* sic *Cajus redet hiervon in seiner Dissertation, ich bin in meinem ganzen Leben glücklich gewesen, du hast deine Zeit, deine Iugend, gut angewandt* verti debet: *Cajus ea de re loquitur in dissertatione; ego per omnem vitam fui felix; tu tempus, adolescentiam, bene collocasti.* Sic *pater filium misit,* non *suum filium.* Sic semper dicendum: nam fere semper ita prisci.

C) *Verba* proprie dicta omittuntur. V. c.

1) *Scito* s. *confirmo tibi*, vel simile quid, saepissime in membro consequente omittitur, praecedente vel *si* vel *quod* i. e. *was anbelangt*, vel *ne* etc. v. c. pro *quod librum tibi mitti cupis, scito* s. *confirmo tibi, me ipsum nondum legisse* brevius dicitur *quod librum tibi mitti cupis, ipse eum nondum legi;* sic vernaculum: *wenn du wissen willst, wo der Vater ist, so muß ich dir sagen, daß er nach Leipzig gereiset ist* vel *daß ichs nicht weis* ita verti potest: *si, ubi pater sit, scire vis, Lipsiam profectus est,* vel *nescio,* pro *scito eum profectum esse, scito me nescire.* Sic Cic. millies, v. c. ad Div. III, ep. 5 §. 14 *Quod te a Scaevola petiisse dicis, ut, dum tu abesses, ante adventum meum provinciae praeesset, eum ego Ephesi vidi, — nec ex eo quidquam audivi, quod sibi a te mandatum diceret: was das anbelangt, daß du sagst, du hättest den Scaevola gebethen, in deiner Abwesenheit vor meiner Ankunft der Provinz vorzustehen, so versichre ich dich* s. *so mußt du wissen, daß ich ihn zu Ephes gesehen habe, — und daß ich nichts von ihm gehört habe, daß er nämlich den Auftrag von dir erhalten hätte.* Ad Div. V, ep. 11 §. 2. *Quod mihi feminam primariam Pompejam uxorem tuam commendas, cum Sura nostro statim tuis literis lectis locutus sum, ut ei* etc. pro *scito me statim locutum esse cum Sura* etc. Ibid. ep. 12 §. 30 *Ac ne forte mirere, cur — a te id nunc tanto opere et tam multis verbis petamus, illa nos cupiditas incendit* etc. pro *scito illam cupiditatem nos incendere* etc. VII, ep. 26 §. 5 Cicero ex

ex inteſtinis laborans et dyſenteriam timens ita ſcribit: *Attamen ne mirere, unde hoc acciderit, quomodove commiſerim, lex ſumtuaria, quae videtur λιτοτητα* (h. e. frugalitatem) *attuliſſe, ea mihi fraudi fuit* pro *ſcito legem ſumtuariam mihi fraudi fuiſſe.* Roſc. Am. 27 *Quomodo occidit* (patrem)? *ipſe percuſſit, an aliis occidendum dedit? Si ipſum arguis, Romae non fuit,* pro *eum ſcito Romae non fuiſſe.* Vatin. ad Cicer. in Epp. ad Div. VII, ep. 9 in. *Si tuam conſuetudinem in patrociniis* (h. e. clientibus) *tuendis ſervas, P. Vatinius cliens advenit* (i. e. *ad te venit*), i. e. *ſcito Vatinium advenire.* Ac ſic ſaepiſſime.

2) *Dicere* ſaepe omittitur in narrationibus, ſi e praecedentibus quodam modo intelligi poteſt. V. c. Liv. I, 9 in. *Tum ex conſulto patrum Romulus legatos circa vicinas gentes miſit, qui ſocietatem connubiumque novo populo peterent; urbes quoque, ut cetera, ex infimo naſci* etc., ubi poſt *peterent* intelligi debet *ac dicerent*, unde pendent *urbes* — *naſci* et ſequentes infinitivi; ſic cap. 27 *Equitem* — *redire in praelium jubet; nihil trepidatione opus eſſe; ſuo juſſu circumduci Albanum exercitum* etc. pro *redire juſſit et dicere, nihil trepidatione* etc. Sic et nos: *er befahl dem Reiter zurück zu kehren, man habe nicht Urſache ſich zu fürchten, das Albaniſche Heer ziehe ſich auf ſeinem Befehl ſo herum* etc. Sic nos in aliis. V. c. *er ſchickte eilends einen Bothen an ihn, es wäre die höchſte Zeit, die Sache vorzunehmen,* ubi deeſt *und ließ ihm ſagen.* Ibid. c. 57 *Incaluerant vino; age ſane: omnes citatis equis advolant* pro *dicebantque; age ſane.* Nep. Ageſ. 4 *Nuntius ei domo venit, Athenienſes et Boeotios bellum indixiſſe Lacedaemoniis* pro *Nuntius venit dicens, Athenienſes* etc. Add. Cic. ad Div. XV, ep. 1 §. 4 — *Mihi literae redditae ſunt a Tarcondimoto, qui fideliſſimus ſocius* — *exiſtimatur, Pacorem — cum permagno equitatu Parthico tranſiſſe Euphratem* etc., ubi deeſt *quibus nuntiabatur*, vel ſimile quid.

3) *Infinitivus* verbi omittitur, ubi intelligere eum licet. V. c. *non tantum efficere poſſum, quantum tu potes* int. *efficere.* Cic. Verr. I, 26 *Rogat Rubrium, ut, quos ei commodum ſit, invitet,* ubi ad *commodum ſit* deeſt *invitare*, ſed facillime intelligi poteſt. Sic II, 13 *Eum judicem, quem commodum erat, dabat* pro *quem dare commodum erat, dabat.* Orat. II, 45 *Neque enim facile eſt perficere, ut iraſcatur ei, cui tu velis, judex* etc. pro *perficere, ut judex iraſcatur ei, cui tu velis* ſc. *judicem iraſci.*

4) *Fa-*

4) *Facere* omittitur ſaepe in hac formula: *nihil aliud quam*, v. c. *nihil aliud quam flevit*, *riſit* etc. pro *nihil aliud fecit*, *quam ut fleret*, *rideret* etc. Suet. Caeſ. 20 *Ut*, *quoad poteſtatê abiret*, *domo abditus nihil aliud quam per edicta obnuntiaret* pro *nihil aliud faceret*, *quam ut per edicta obnuntiaret*. Id. Auguſt. 83 *Mox nihil aliud quam vectabatur et deambulabat* pro *mox nihil aliud faciebat*, *quam ut vectaretur et deambularet;* ac ſaepius ita Suetonius. Apud Livium occurrit quoque. — Sic et *nihil aliud praeterquam:* Liv. III, 26 extr. *Et illa quidem nocte nihil praeterquam vigilatum eſt in urbe.* Haec loquendi ratio orta eſt ab negligentia, matre multarum figurarum ſic dictarum, atque per ſe eſt vitioſa: uſus tamen dicendi omnia concedit. Sed occurrit etiam ſine iſta ellipſi, v. c. Cic. Roſc. Am. 37 extr. *ſi nihil aliud fecerunt*, *niſi rem detulerunt.*

D) *Adverbia* omitti ſolent nonnulla; v. c.

1) *Scilicet* (ſi quidem hoc vocabulum nomen adverbii accipere poteſt, eſt enim contractum e *ſcire licet*), *nempe* ad explicationem praecedentis vel vocabuli vel enuntiationis, per ſe intelligendae, non adhiberi debet, ut in vernacula lingua fieri ſolet per *nämlich*, ſed plane omitti; v. c. *ich weis*, *was du willſt*, *nämlich daß ich dich lieben ſoll*, debet verti *ſcio*, *quid velis*, *ut te amem;* non *ſcilicet*, *ut te amem:* nam, quia explicatio ſtatim ſequitur, non opus eſt particulam explicativam praemittere. Sic: *ich ſehe*, *was du wünſcheſt*, *nämlich daß dein Vater lange leben möchte*, vertendum eſt *video*, *quid optes*, *ut pater tuus diu vivat*, omiſſo *ſcilicet*, *nempe.* Sic ubique Cicero; v. c. ad Div. VII, ep. 16 §. 4 per jocum ita ſcribit: *Balbus mihi confirmavit*, *te divitem futurum. Id utrum romano more* (h. e. proprie) *locutus ſit*, *bene nummatum te futurum*, *an*, *quomodo Stoici dicunt*, *omnes eſſe divites*, *qui coelo et terra frui poſſint*, *poſtea videro* h. e. *Balbus hat mich verſichert*, *du würdeſt reich werden. Ob er hier nun römiſch geredet* ſ. *ob ers auf römiſche Art* h. e. *eigentlich verſtanden*, *daß du nämlich viel Geld haben werdeſt*, *oder ſo*, *wie die Stoiker ſagen*, *daß alle die reich ſeyn*, *die Luft und Erde genieſſen können*, *das werde ich künftig ſehen*; pro *ſcilicet te bene nummatum fore.* Agr. II, 3 *Ego*, *qualem Kalendis Ianuariis acceperim rempublicam*, *Quirites*, *intelligo; plenam ſollicitudinis*, *plenam timoris:* *ich ſehe*, *wie ich den Staat* ſ. *in was für einer Verfaſſung ich den Staat* (zu regieren) *übernommen* ſ. *bekommen habe*, *nämlich voll Kummer*, *voll Furcht*; ubi ante *plenam* recte omiſſum eſt

 ſcilicet,

ſcilicet, *nempe.* Ita ſemper priſci omittunt; peccat igitur, qui addit: niſi forte in libris dogmaticis concedendus ſit ejus uſus interdum, praeſertim in rebus difficilioribus.

2) *Non* omitti poteſt a) poſt *non modo*, ſi *ne quidem* ſequitur. Sic frequenter priſci. Eſt quidem proprie vitium negligentiae: at, quia uſus dicendi recepit, et quia priſcis placuit, etiam nobis placere debet. Dici igitur poteſt v. c. *hic homo non modo ſcribere, ſed ne legere quidem didicit, er hat nicht nur nicht ſchreiben, ſondern auch nicht einmal leſen gelernt*, pro *non modo non;* ſic: *hoc non modo vidi, ſed ne audivi quidem* pro *hoc non modo non vidi* etc. Cic. Roſc. Am. 23 extr. *Propterea quod, qui tantum facinus commiſerunt, non modo ſine cura quieſcere, ſed ne ſpirare quidem ſine metu poſſunt.* Ad Div. I, ep. 9 §. 23 *Non modo praemiis, quae apud me minimum valent, ſed ne periculis quidem compulſus ullis* etc. — It. poſt *non ſolum*: Cic. Piſ. 10 *Cum — ſenatui non ſolum juvare rempublicam, ſed ne lugere quidem liceret* pro *non ſolum non juvare* etc. Orat. I, 46 *Vehementer errat, neque ſolum inſcientiam meam, ſed ne rerum quidem magnitudinem perſpicit.* — Occurrit tamen etiam apud Ciceronem *non modo non*, *non modo nullus*, *non ſolum non* ſequente *ne quidem;* ut dubium videri poſſit, utrum melius ſit retinere negationem an abjicere. V. c. *non modo non, ſed ne quidem*, legitur Liv. IIII, 35 med. it. Cic. Or. 2 in., ubi Erneſti poſterius *non* tolli cupit. Male. Cic. Marc. 5 *ut nulla non modo cupiditate, ſed ne ſpe quidem* etc., ubi itidem Erneſti perperam *ulla* pro *nulla* legendum putat. b) poſt *haud ſcio an* ſ. *neſcio an*: dicere licet v. c. *Cicero fuit orator magnus, et haud ſcio, an maximus* pro *et haud ſcio, annon maximus.* Sic ſaepe priſci. V. c. Cic. ad Div. VIIII, ep. 15 §. 4 *Eſt id quidem magnum atque haud ſcio an maximum; ſed tibi commune cum multis* etc. pro *haud ſcio annon maximum.* Seneſt. 20 *Sed haud ſcio an melius Ennius* ſcil. *loquatur* pro *annon: aber ich weis nicht, ob nicht Ennius beſſer rede* ſ. *mich dünkt aber, Ennius rede beſſer.* Fin. V, 3 in. *Quorum princeps Ariſtoteles; quem, excepto Platone, haud ſcio an recte dixerim principem Philoſophorum* h. e. *welchen ich, doch den Plato ausgenommen, wohl mit Recht den vornehmſten Philoſophen nennen möchte* pro *haud ſcio, annon recte* etc. — Sic *neſcio an* pro *neſcio annon.* Liv. XXXVII, 54 med. *Quae parare et quaerere arduum fuit, neſcio an tueri difficilius ſit, ich weis nicht, obs nicht ſchwerer ſey das zu behaupten, was ſchon ſchwer war zu erwerben*, ſ. *mich dünkt, es ſey ſchwerer* etc. pro

pro *neſcio annon.* — Etiam *dubito an* pro *dubito annon* eſt Nep. Thraſyb. 1 in. *Si per ſe virtus ſine fortuna ponderanda ſit, dubito an hunc primum omnium ponam, ſo bin ich ungewiß, ob ich nicht dieſem den Vorzug vor allen geben ſoll.* — Quaeritur, quid de hac forma elliptica judicandum, et quomodo explicanda ſit. Quod ad prius attinet, eſt haud dubie vitioſa, quia particula *non*, ad ſenſum tam neceſſaria, omittitur, et tantum per uſum loquendi excuſanda; ac, quia priſci ita locuti ſunt, item nos ſic loqui poſſumus, ſi quidem nulla ambiguitas orationis timenda eſt. Quod ad ſignificationem hujus formulae attinet, puto ad verba explicandam eſſe, *ich weis nicht, ob nicht*, ſ. *ich dächte wohl daß, mich dünkt*, interdum *vielleicht.* Mihi itaque videtur eſſe litotes, quae, ut omnis litotes, ad verbum explicanda eſt, ut venuſtas ſervetur. Ineſt enim iſti formulae aliqua dubitatio modeſta, ut nos modeſtius dicimus *ich weis nicht, obs nicht ſchön zu nennen*, quam *ich weis es gewiß, daß* etc. Nam hanc formulam ſimpliciter affirmare, ut Erneſtius in Clave putat, non auſim dicere: nam ea non niſi in rebus, quae aliquid dubitationis continent eique obnoxiae ſunt, a priſcis uſurpatur et uſurpari debet. V. c. *neſcio an Homerus ſit ſuavior Virgilio*, ut nos *ich weis nicht, ob nicht Homer angenehmer ſey als Virgil*, h. e. *ich zweifle kaum, daß ers nicht ſey.* At non dicere poſſum: *neſcio an deus ſit major omnibus regibus* pro *certo ſcio deum eſſe* etc. Illud impie dictum foret. — Ceterum notandum, priſcos quoque dicere *haud ſcio an, neſcio an* ita, ut particula *non* minime intelligenda ſit, ſed verba proprie ſint explicanda: *ich weis nicht, ob*; v. c. Nep. Timol. 1 *Namque huic uni contigit, quod neſcio an ulli* etc. h. e. *dieſem einzigen iſt das geglückt, wovon ich nicht weis, ob es jemanden ſonſt geglückt ſey* ſ. brevius: *was meines Wiſſens niemand geglückt iſt.* Cicero pro illa formula *haud ſcio an ulli* dixit aliquoties *haud ſcio an nemini*, v. c. ad Div. VIIII, ep. 14 §. 13 *Contigit enim tibi, quod haud ſcio an nemini, ut* etc. *du haſt das Glück gehabt, das vielleicht*, ſ. *meines Bedünkens, meines Wiſſens, niemand gehabt hat;* ubi *haud ſcio an* eſt i. q. *puto, fortaſſe.* Sic ad Quint. fr. I, ep. 1 §. 10 *Etenim ſi in promerendo, ut tibi tanti honores haberentur, quanti haud ſcio an nemini* etc. h. e. *als vielleicht niemand.* In his duobus locis poterat dicere: *haud ſcio an ulli.* Sic *Dolabell.* in Cic. Epiſt. ad Div. VIIII, 9 *quod neſcio an nulli*, ut Erneſti recepit; aliae Editt. *an ulli.* Videtur tempore Ciceronis *haud ſcio an* proverbialis locutio fuiſſe, quae vulgo uſurparetur pro *forſan.* Ceterum ut haec locutio *neſcio* (*haud ſcio*) *an ulli, neſcio* (*haud*

ſcio)

ſcio) *an nemini* ſ. *nulli* etc. non ſperni a nobis debet, ita, qui eam pro praecipua elegantia habent, non multum videre mihi videntur.

3) *Utrum* ſ. *ne* enclit. omittitur ſaepe ſequente *an;* dici poteſt, v. c. *neſcio ſcribam, an legam, ich weis nicht ob ich ſchreiben oder leſen ſoll,* pro *neſcio utrum ſcribam* ſ. *neſcio, ſcribamne an legam.* Sic et in interrogationibus: *vis legere an ſcribere? willſt du leſen oder ſchreiben?* pro *utrum vis* ſ. *visne legere an ſcribere?* Eſt haec forma dicendi itidem per ſe vitioſa, quia particula ad ſenſum neceſſaria omittitur; at, quia priſci frequentiſſime ea utuntur, propterea concedenda et nobis imitanda eſt. Cic. Roſc. Am. 27 *Quomodo occidit? ipſe percuſſit, an aliis occidendum dedit?* pro *utrum ipſe percuſſit,* ſ. *ipſene percuſſit* etc. Liv. VIII, 13 *Dii immortales ita vos potentes hujus conſilii fecerunt, ut, ſit Latium deinde, an non ſit, in veſtra manu poſuerint, haben es in eure Gewalt geſtellt, ob Latium noch ſeyn oder nicht mehr ſeyn ſoll,* pro *ut, utrum ſit Latium* etc. ſeu *ut, ſitne Latium* etc. — Sic et ſequente *nec ne;* Cic. Offic. I, 3 med. *Tum autem aut anquirunt aut conſultant, ad vitae commoditatem — conducat id nec ne, de quo deliberant,* pro *utrum ad vitae* etc. Nat. Deor. I, 14 *Dubitetque omnino, deus animans ſit nec ne* pro *utrum deus* etc. ſeu *ſitne deus animans nec ne.* Ad Div. II, ep. 17 §. 5 *Parthi transierint nec ne, praeter te, video dubitare neminem, ob die Parther über den Euphrat gegangen ſind oder nicht* etc. Verr. I, 45 *Quid ergo intereſt, proferantur nec ne?* Ac ſic ſaepiſſime. Etiam Nep. Eum. 11 in. *Nondum enim ſtatuerat, ſervaret eum nec ne.*

4) *Ut*, cum indicativo conjunctum, *wie*, ſaepe abjicitur, ita, ut vel nihil in conſtructione mutetur vel accuſativus cum infinitivo ſequatur. V. c. *pater, puto, doctus eſt,* et *patrem doctum eſſe puto,* pro *pater, ut puto, doctus eſt;* ſic et noſtri: *der Vater, glaube ich, iſt gelehrt.* Sic pro *tu illud feciſti, ut probe ſcio* brevius dicitur: *te illud feciſſe probe ſcio.* Hoc in primis imitandum eſt: nihil enim latinius eſſe poteſt, in primis ſi *qui quae quod* in accuſativo ſic ponitur ſequente infinitivo: v. c. *Cicero interfectus eſt; quem magnum oratorem fuiſſe conſtat* pro *qui, ut conſtat, magnus orator fuit.* Sic *gaudeo patrem tuum adhuc vivere, quem valde tibi profuturum eſſe ſcio* pro *qui valde tibi proderit, ut ſcio.* Sic ſaepiſſime dicendum. — Poſſunt haec exempla quoque explicari *de quo, eum;* hinc patet et haec tria verba poſſe in *quem* mutari:

mutari: v. c. pro *pater, de quo audiveram, eum mortuum esse, vivit adhuc*, semper dicendum est *pater, quem mortuum esse audiveram, vivit adhuc.* Sic pro *libri, de quibus credebam, eos mihi surreptos esse, reperti sunt,* quod cum vernaculo convenit, *Die Bücher, von denen ich glaubte, daß sie mir gestohlen wären* etc. semper dicendum est *libri, quos credebam mihi surreptos esse, reperti sunt.* Sic semper fere prisci: v. c. Cic. Verr. IIII, 27 *Hic Verres hereditatem sibi venisse arbitratus est, quod in ejus regnum ac manus venerat is, quem iste et audierat multa secum praeclara habere et suspicabatur*, h. e. *Da glaubte nun Verres, es wäre ihm eine Erbschaft aufgestoßen, weil in sein Reich und seine Gewalt derjenige gekommen war, von dem er nicht nur gehört hatte, daß er viele Kostbarkeiten bey sich hätte, sondern es auch vermuthete:* pro *de quo iste audierat eum multa* etc. vel etiam pro *qui multa secum praeclara habebat, ut et audierat et suspicabatur, welcher, wie er nicht nur gehört hatte, sondern auch vermuthete, viele Kostbarkeiten bey sich hatte*: ib. cap. 29 *quod sciret — in Capitolio esse ponendum, — id sibi ut donaret, rogare — coepit* pro *de quo sciret, id esse ponendum, Er bath, ihm das zu schenken, wovon er doch wußte, daß es in das Capitolium gesetzt werden sollte*, vel pro *quod in Capitolio ponendum erat, ut sciebat, welches, wie er wohl wußte, in das Capitolium* etc. ib. cap. 45 *In eo sacrario intimo fuit signum Cereris perantiquum: quod viri, non modo cujusmodi esset, sed ne esse quidem sciebant* pro *de quo viri non modo non sciebant, cujusmodi esset* etc. *Von welcher Statue die Mannspersonen nicht nur nicht wußten, wie sie beschaffen wäre, sondern nicht einmal, daß sie vorhanden wäre.* Hic post *non modo* omissum est *non,* quia *ne quidem* sequitur. Ceterum semper ita loquendum, non *de quo, eum, id; de quibus, eos, ea* etc. more vernaculae linguae.

E) *Praepositiones* nonnullae saepissime omitti possunt; loquor itaque tantum de usitata et imitanda ellipsi. V. c.

1) *ad:* v. c. *summum höchstens, zum höchsten, aufs höchste* pro *ad summum:* sic *minimum wenigstens, zum wenigsten* pro *ad minimum*: v. c. *dabo tibi tres, summum quatuor, libros: da mihi tres, minimum duos, libros*: sic *adire patrem* pro *ad patrem.* Haec omnia recte dicuntur.

2) *propter*: v. c. *quid est, quod fleas* pro *quid est, propter quod fleas:* sic *non est, quod rideas, dicas, gratias agas* pro *non est, propter quod* etc. *du darfst nicht lachen, sagen, danken*

ken ſ. *du haſt nicht Urſache zu lachen*, *zu ſagen*, *zu danken* etc. Sic ſemper dicendum, nec unquam in talibus formulis *propter* addendum eſt: quia priſci ſemper ita tantum loquuntur.

3) *per:* v. c. *tres menſes ibi fuit*, *biduum hic manſi* pro *per tres menſes*, *per biduum.* Utraque ratio eſt bona, et ſine praepoſitione *per* et cum ea, nam priſci utraque ſaepe utuntur: prior tantum eſt brevior.

4) *ex:* v. c. *urbe exire* pro *ex urbe exire:* ſic *urbe ejicere* pro *ex urbe:* ut notiſſimum eſt.

5) *in:* v. c. *erudire aliquem artibus* pro *in artibus:* ſic *tertio capite*, *quarto libro* pro *in tertio capite*, *in quarto libro* etc. ſaepiſſime dicitur. Sic *heſterna nocte*, *ſuperiori die*, *his diebus* etc. pro *in heſterna nocte*, *in ſuperiori die*, *in his diebus* rectius h. e. uſitatius dicitur: omninoque in nominibus tempus deſignantibus, v. c. *menſis*, *hora* etc., ſi adjectivum vel pronomen trium terminationum adeſt, ſemper iſta praepoſitio abjici debet.

6) *a*: v. c. *liberare morbo*, *malo*, recte dici poteſt pro *liberare a morbo*, *a malo* etc., quod poſterius tamen aeque bonum eſt. Sic *abſtinere aliqua re* pro *ab aliqua re.* Utrumque recte dicitur.

7) *de:* v. c. *meo conſilio auf mein Anrathen* pro *de meo conſilio.* Sic *mea ſententia nach meiner Meynung* pro *de mea* etc. dici poteſt.

8) *cum:* v. c. *ſummo ſtudio*, *ſumma cupiditate* pro *cum ſummo ſtudio*, *cum ſumma cupiditate*, v. c. *diſcere*, rectiſſime dici poteſt. — Alias praepoſitionum ellipſes duriores praetereo, quippe quae huc non pertinent. Praetereo etiam nimis notas v. c. *Romam ire* pro *in Romam* etc. *Athenis* pro *in Athenis* etc. Talia enim jam inde a pueritia diſci ſolent.

F) *Conjunctiones* nonnullae ſaepiſſime omitti poſſunt atque adeo ſaepiſſime debent, v. c.

1) *ut* a) poſt rogandi verba ſaepe omittitur: in primis poſt *velim:* v. c. *velim dicas*, *velim tibi perſuadeas* etc. Sic fere ſemper priſci. b) poſt *neceſſe eſt*, *oportet:* v. c. *oportet diſcas iſta: homo moriatur neceſſe eſt.* Hic *ut* ſemper omittendum eſt. Sic ſemper fere priſci: v. c. Cic. Roſc. Am. 22 *Cum multa antea commiſſa maleficia*, *tum vita hominis perditiſſima*, *tum ſingularis audacia oſtendatur neceſſe eſt:* h. e. *Es müſſen*

müssen nicht nur viel vorher begangene Mordthaten (nam de his sermo est) *sondern auch ein sehr liederliches Leben des Menschen, ferner eine außerordentliche Kühnheit dargethan werden;* et statim: *haec cum sint omnia, tamen exstent oportet expressa sceleris vestigia* etc. h. e. *Und wenn das auch alles wäre, so müssen deutliche Spuren des Vatermords sichtbar seyn* etc. it. cap. 24 *Accedat huc oportet odium* etc.; et statim: *respersas manus sanguine paterno judices videant oportet.* Ibid. cap. 40 *Intimi multa videant necesse est.*

2) *ne* post *cave:* v. c. *cave dicas, facias thue es, sage es bey Leibe nicht:* est gravius dictum pro *ne facias.*

3) In oppositionibus, ubi vernacula *und* vel *aber* addere solet, semper *et* vel *vero* s. *autem* omitti debet: v. c. *Du bist reich, ich aber arm* vel *und ich arm* verti debet: *Tu es dives, ego pauper.* Male dixeris *ego vero* vel *et ego pauper.* Sic *Du sagst ja, und ich nein* s. *ich aber nein* vertendum: *Tu ais* s. *affirmas, ego nego:* male *et ego* s. *ego vero nego.* Sic *Ich habe viele Bücher, mein Bruder aber wenige* vertendum: *Ego habeo multos libros, frater paucos habet.* Sic ubique fere prisci. V. c. Cic. Manil. 3 *Etenim adhuc ita vestri cum illo rege contenderunt imperatores, ut ab illo insignia victoriae, non victoriam, reportarent* pro *non vero victoriam* vel *nec victoriam* etc.: *Denn bis itzt haben eure Feldherren mit jenem Könige so* h. e. *mit dem Erfolge gefochten, daß sie zwar die Kennzeichen, Ehrenzeichen, des Sieges, nicht aber den Sieg, davon getragen* vel *daß sie die Kennzeichen des Sieges und nicht den Sieg davon getragen*: respicit eo, quod triumpharunt, nec tamen vicerunt: *insignia victoriae* sunt *triumphi, ovationes.* Marcell. 6 *Quos amisimus cives, eos Martis vis perculit, non ira victoriae* pro *non vero ira* etc. vel *nec ira victoriae*: *Die Bürger, die wir verlohren haben, hat die Gewalt des Kriegs, und nicht der Zorn des Siegs, zu Boden geschlagen* vel *nicht aber der Zorn* etc. Philipp. II, 3 extr. *At ego, tanquam mihi cum M. Crasso contentio esset, quocum multae et magnae fuerunt, non cum uno gladiatore nequissimo, de republica graviter querens, de homine nihil dixi* pro *nec cum uno* etc., *Ich aber habe nur mich des Staats wegen heftig beklagt, von der Person aber nichts gesagt, gleich als wenn ich einen Streit mit dem Crassus, — und nicht mit dem nichtswürdigsten Banditen hätte.* Ad Div. VI, ep. 6 §. 20, ubi Caesarem excusans ait: *Armorum ista et victoriae sunt facta, non Caesaris* pro

nec

nec Caesaris vel *non vero Caesaris*, *Das sind Handlungen der Waffen und des Sieges*, *nicht aber* s. *und nicht des Caesars* h. e. *hieran sind die Waffen und der Sieg Schuld, und nicht der Caesar*. Ad Div. X, ep. 26 §. 8 *Si nescis*, *tibi ignosco*, *nos in culpa sumus* pro *et nos in* etc. — Duo tamen loca reperi, ubi *vero* vel *autem* additur. Cic. ad Div. III, ep. 6 §. 7, ubi suum factum cum Appii facto comparans ait: *ut* (h. e. *ut itaque*) *tuum factum* — *alieni hominis* (factum), — *meum vero conjunctissimi et amicissimi* (factum) *esse videatur*. Orat. I, 2 *solesque* — *a me* — *dissentire*, *quod ego prudentissimorum hominum artibus eloquentiam contineri statuam*, *tu autem illam ab elegantia doctrinae segregandam putes* etc. Debebat in illo esse: *meum conjunctissimi*, in hoc: *tu illam*, omisso *vero* et *autem*. Forsan et plura loca invenientur.

4) *et* s. *que*, *ac*, *atque* omittitur saepe inter duo, saepius inter tria vel plura, vocabula ob celeritatem dicendi, plerumque tamen ob gravitatem. V. c. *virtutem*, *doctrinam amo; vitium*, *inscitiam odi* pro *et doctrinam*, *et inscitiam*. Sic *deum debemus amare*, *colere*, *venerari* pro *et venerari*. Vocant Rhetores *asyndeta* h. e. *membra non vincta* s. *carentia copula*. Sic Cicero saepissime. Notum est illud *abiit*, *excessit*, *evasit*, *erupit* Catil. II, 1 in. Sic Cic. Quint. 27 *cui Romae domus*, *uxor*, *liberi*, *procurator esset*. Sext. 1 *eos autem*, *qui omnia divina et humana violarint vexarint*, *perturbarint*, *everterint* etc. pro *atque everterint*. — Sic et enuntiationes sine ista copula conjunguntur. V. c. Cic. Rosc. Am. 24 *Sua quemque fraus* — *vexat: suum quemque scelus agitat amentiaque afficit: suae malae cogitationes conscientiaeque animi terrent* pro *ac suae malae* etc. ibid. cap. 44 *Non enim laborat de pecunia: non ullius rationem sui commodi ducit: facile egestatem suam se laturum putat: si* — *crimine liberatus sit* pro *et facile* etc. Agrar. II, 13 in. *Dat praeterea potestatem*, *verbo praetoriam*, *re vera regiam*: *definit in quinquennium*, *facit sempiternam*. Pertinet haec ratio ad gravitatem: nam, quo celerius auditor dicta audit, eo magis movetur. At copula *et* impedit istam celeritatem; hinc et poetae illam tantopere fugiunt.

Hactenus de ellipseos s. omissionis vocabulorum generibus, quibus uti possumus ac debemus. Sunt vero etiam aliae ellipses rariores, quibus abstinendum est, v. c. Cic. Manil. 12 *Sardiniam venit* pro *in Sardiniam*. Sic interdum

potius,

potius, *magis*, ſequente *quam* deeſt ad graecam rationem, v. c. Liv. VII, 8 in. *multiplex quam pro numero damnum eſt.* Sic *cum*, licet comitatum indicet quendam, omittitur ap. Livium, Caeſarem, Nepotem, idque crebro. V. c. Caeſ. B. G. II, 19 in. *ſubſequebatur omnibus copiis* pro *cum omnibus copiis*: ac ſaepius, ut iis, qui ita loqui interdum velint, fere non vitio vertendum videatur. Attamen non niſi de *exercitu* ſ. *copiis militaribus* uſurpatum a priſcis eſſe memini.

SECT. II

De brevitate dicendi in enuntiationibus.

Brevitas dicendi in enuntiationibus cernitur in eo, ut vel uno vocabulo, aut duobus, tota enuntiatio exprimatur vel una enuntiatio omittatur, quia e contextu intelligitur aut alia enuntiatione incluſa tecte eſt.

I) *Saepe uno vocabulo, vel ſummum duobus, tota enuntiatio exprimi atque ita una enuntiatio pro duabus poni poteſt.* V. c.

1) *At* in objectionibus ſaepe uſurpari poteſt pro: *poſſit hic aliquis objicere* ſ. *contra dicere.* V. c. poſtquam commendaſſem virtutis ſtudium ob ejus utilitatem, ac deinde difficultatem hujus ſtudii objicere vellem, poſſem ita loqui: *magnam igitur virtutis ſtudium afferre utilitatem patet. At difficillimum eſt:* pro *at objici poſſit, dici poſſit, difficillimum illud eſſe.* Sic Cicero millies in orationibus, in epiſtolis, et ubique. V. c. Phil. II, 9, ubi Cicero crimen illud diluere ſtudens, quod dicebatur ille ab Antonio fuiſſe Miloni auctor Clodii interficiendi, ita loquitur: *at ego ſuaſi.* (Haec eſt objectio, nunc ſequitur reſponſio:) *Scilicet is animus erat Milonis, ut prodeſſe reipublicae ſine ſuaſore non poſſet. At laetatus ſum.* (Nova objectio: cui ſtatim ſic reſpondet:) *Quid? ergo in tanta laetitia cunctae civitatis me unum triſtem eſſe oportebat?* Verba *at ego ſuaſi* et *at laetatus ſum* ſunt duae objectiones pro *at dici poſſit* vel *at dicis, me ſuaſiſſe: at dicis, me laetatum eſſe.* Verbis *ſcilicet is animus* etc. et *quid? ergo* etc. reſpondetur iſtis objectionibus. Roſc. Am. 16 in. repetens id, quod Erucius accuſator Roſcii dixerat,

xerat, hunc a patre minus amatum fuiſſe, quia ab eo rus amandatus eſſet, ita loquitur: *at enim, cum duos filios haberet* (pater Roſcii), *alterum a ſe non dimittebat, alterum ruri eſſe patiebatur;* pro *at dicis, objicis*, ſ. *at dici, objici, hoc poſſit* etc., ubi notes *at enim* dictum eſſe pro *at*, atque *enim* redundare. — Ad Div. VI, ep. 6 §. 20, loquens de Pompejo et cauſa Pompejana, ait: *in quo* (i. e. *in qua re*) *admirari ſoleo gravitatem et juſtitiam et ſapientiam Caeſaris: nunquam niſi honorificentiſſime Pompejum appellat.* (Nunc ſequitur objectio) *At in ejus perſonam multa fecit aſperius.* (Reſponſio nunc ſequitur) *Armorum iſta et victoriae ſunt facta, non Caeſaris;* ubi *at in ejus* etc. dictum pro *poſſis tamen contra dicere, poſſit vero ab aliquo objici, contra dici* etc. VIIII, ep. 6 §. 9 *Vel cum ſpe, ſi non optima, at aliqua tamen vivere. At in perturbata republica vivimus. Quis hoc negat?* etc. pro *at dices, nos in perturbata republica vivere*, ſeu *dici tamen poteſt, objici poteſt, nos* etc. Add. Sulpicii epiſt. ad Cicer. in Epp. ad Div. IIII, ep. 5 §. 7 Qui, poſtquam varia conſolatione uſus eſt, ad Ciceronis dolorem ob mortem filiae graviſſimum molliendum, ita pergit: *at vero malum eſt, liberos amittere:* (huic objectioni nunc ita occurrit:) *malum; niſi hoc pejus ſit, haec ſufferre et perpeti;* pro *at dices, dici poterit, malum eſſe* etc. *Aber, wirſt du ſagen, aber man kann doch immer ſagen, daß es ein Unglück ſey, ſeine Kinder zu verlieren; ja es iſt ein Unglück, wo nicht etwa die Erduldung der gegenwärtigen Umſtände noch ein größeres iſt* h. e. *aber es iſt noch ein größer Unglück, die gegenwärtigen Umſtände des Staats zu erdulden.* Ac ſic ſaepius.

2) *Quod* pro *quod attinet ad id, quod*, ſaepiſſime dici poteſt v. c. *quod mihi ſcripſiſti de morte fratris tui, fatendum eſt mihi, maximo me dolore affectum, was das anbelangt, daß du mir den Tod deines Bruders gemeldet haſt* etc. Sic vernaculum: *was das anbelangt, daß einige Gelehrte an der Unſterblichkeit der Seele zweifeln, ſo iſt dieſes* etc. verti poteſt breviter: *quod nonnulli eruditorum dubitant de animi immortalitate* etc. Sic Cicero centies, et maxime in epiſtolis, ubi ad aliquid reſpondet; v. c. ad Div. III, ep. 5 §. 7 *quod itinerum meorum ratio te nonnullam in dubitationem videtur adducere, viſurusne me ſis in provincia; ea res ſic ſe habet;* h. e. *eam rem ſic ſe habere ſcito;* ibid. §. 14 *Quod te a Scaevola petiiſſe dicis, ut, dum tu abeſſes, ante adventum meum, provinciae praeeſſet, eum ego Epheſi vidi* etc. h. e.

me

me ſcito vidiſſe eum Epheſi. Ibid. ep. 4 §. 7 *Quod ſcribis, tibi manendi cauſam eam fuiſſe, ut me convenires, id mihi, ne mentiar, gratum eſt, Daß du ſchreibeſt* (noſtri enim etiam *daß* dicunt pro *was das anbelangt, daß*), *du wäreſt deswegen dort geblieben, um mich zu ſprechen, ſo iſt mir das, die Wahrheit zu ſagen, angenehm.* Sic et V, ep. 2 §. 5 *Quod autem ita ſcribis,* pro mutuo inter nos animo, *quid tu exiſtimes eſſe in amicitia mutuum, neſcio.* Ibid. §. 12 *Quod ſcribis de reconciliata noſtra gratia, non intelligo, cur reconciliatam eſſe dicas, quae nunquam imminuta eſt;* et §. 13 *Quod ſcribis, non oportuiſſe Metellum fratrem ob dictum a me oppugnari, primum hoc velim exiſtimes, animum — probari* etc.

3) *Ita* cum conjunctivo ſaepe eſt formula jurandi ſequente *ut* cum conjunctivo vel etiam indicativo, reſpondens noſtrae formulae: *ſo wahr ich wünſche, daß* etc. v. c. *ita me deus adjuvet, ut nihil praeclarius eſt virtute, ſo wahr ich wünſche, daß mir Gott helfen möge, ſo wahr iſts auch, daß nichts vortrefflicher ſey als die Tugend* ſ. brevius: *ſo wahr mir Gott helfe, es iſt nichts vortrefflicher als die Tugend.* Dictum ergo eſt pro *quam verum eſt, me optare, ut deus me adjuvet, tam verum eſt quoque, nihil eſſe praeclarius virtute.* Proprie tamen ita explicari debet: *Gott möge mir eben ſo* (ita) *helfen, wie* (ut) *nichts vortrefflicher iſt als die Tugend* — Sic vernaculum *So wahr ich wünſche immer glücklich zu ſeyn, ſo wahr wünſche ich auch, daß du lange leben mögeſt* ſ. *ſo wahr iſt es auch, daß ich wünſche* etc. ita vertitur: *Ita ſemper ſim felix, ut tu diu vivas:* hic *ut* debet conjunctivum habere, quia eſt particula optantis; cum ſupra in hac formula: *Ita me deus adjuvet, ut nihil praeclarius eſt virtute* rectum erat *eſt,* quia non optantis ſed affirmantis particula erat. — Cicero ita ſaepe. V. c. Divin. in Caecil. 13 in. *Ita deos mihi velim propitios, ut, cum illius temporis mihi venit in mentem, — non ſolum commoveor animo, ſed etiam toto corpore perhorreſco* h. e. *So wahr ich wünſche, daß die Götter mir gnädig ſeyn mögen, ſo wahr iſt es auch, daß ich, wann mir die Zeit einfällt, — nicht nur erſchrecke, ſondern auch am ganzen Leibe zittere.* Verr. V, 14 in. *Ita mihi meam voluntatem ſpemque reliquae vitae veſtra populique romani exiſtimatio comprobet, ut ego, quoscunque adhuc mihi magiſtratus populus romanus mandavit, ita accepi, ut me omnium officiorum obſtringi religione arbitrarer,* h. e. *So wahr ich wünſche,*

daß euer und des römischen Volks Urtheil meine itzige Gesinnung (voluntatem) *und meinen künftigen Wandel billigen möge, so wahr ist es auch, daß ich alle Aemter, die das römische Volk mir aufgetragen hat, so* (h. e. *in der Absicht, mit der Bedingung*) *angenommen habe, daß ich geglaubt, ich sey zu allen Pflichten verbunden.* Catil. IIII, 6 *Nam ita mihi salva republica vobiscum perfrui liceat, ut ego, quod in hac causa vehementior sum, non atrocitate animi moveor* (es nicht aus Grausamkeit thue) — *sed singulari quadam humanitate et misericordia.* — It. sine *ut:* v. c. Cic. Attic. I, 16 *Saepe, ita me dii juvent! te non solum auctorem meorum consiliorum, verum etiam spectatorem pugnarum mirificarum, desideravi.* Terent. Eun. III, 2, 21 *Ita me dii ament, honestus est* pro *quam verum est me optare, ut dii me ament, tam verum est, eum esse honestum* i. e. *pulchrum*, at illud multo brevius. Ac sic saepius.

4) *Quicunque* et *quodcunque, quaecunque; quisquis* et *quidquid* usurpantur et usurpari debent, ubi vernacule dicimus: *wer es auch sey, was es auch sey* s. *es sey wer es wolle, es sey was es wolle*: v. c. *Hic nunquam illud credet, quisquis dicat, Er wird das nie glauben, es mag es sagen, wer es auch wolle: Nunquam veniam, quemcunque miseris* h. e. *ich werde nie kommen, du magst schicken, wen du willst: Quidquid dicas, ille tamen in sua sententia manebit* h. e. *Du magst sagen, was du nur willst, er wird doch auf seiner Meynung bleiben.* Sic *Ianuam non aperiet, quisquis* s. *quicunque venerit, Er wird die Thüre nicht aufmachen, es mag kommen, wer da will.* Sic *quaecunque videris, du magst gesehen haben, was du willst: quoscunque libros legeris, du magst für Bücher gelesen haben, was für welche du willst.* Sic semper dicendum. Sic enim semper prisci. — Sic et *quantuscunque, er mag so groß seyn wie er will; qualiscunque, er mag beschaffen seyn wie er will,* v. c. *homo, quantuscunque est, tamen est inferior deo* h. e. *der Mensch mag so groß seyn wie er will, so ist er doch geringer als Gott: quantascunque res vidisti, tamen fuerunt parvae prae his* h. e. *Du magst so große Dinge gesehen haben als du gewollt hast, so sind sie doch klein gegen diesen: qualescunque hi libri sunt, tamen semper prosunt, si leguntur, diese Bücher mögen beschaffen seyn wie sie wollen, so nützen sie doch, wenn sie gelesen werden. Qualiacunque vidisti, tamen nil tibi prosunt, die Dinge, die du gesehen hast, mögen nun beschaffen seyn wie sie wollen, so nützen sie dir doch nichts.* — Sic et

quando-

quandocunque, es ſey wann es wolle; quotiescunque, es ſey ſo oft als es wolle, v. c. *quandocunque veniat, venerit, er mag kommen, wann er will* etc. *quotiescunque me vocet, er mag mich rufen ſo oft er will* etc. Sic ſemper dicendum. Priſci enim non aliter.

5) Participia valde ſerviunt brevitati, et propter hanc fere ſolam cauſam uſurpanda ſunt: quo pertinent nonnulla ſubſtantiva et adjectiva, temporis notionem habentia: v. c. *moriens dicebat* pro *cum moriebatur, dicebat*: *proficiſcens quaerebat ex me* pro *cum proficiſcebatur, quaerebat* etc. *Patre mortuo recepi me ad* etc. pro *poſtquam pater mortuus erat, recepi* etc. *Frater, profectus in Poloniam, nondum ſcripſit* pro *Frater, qui profectus eſt* etc. — *Vivus hoc mihi mandabat* pro *cum vivebat, hoc* etc. *bey ſeinem Leben* etc. *Senex literas demum didicit* pro *cum jam ſenex erat, literas* etc. h. e. *in ſenectute. Adoleſcens Sullam eſt ſecutus* pro *cum adoleſcens erat* etc. *Mortuus eſt juvenis* pro *mortuus eſt, cum erat adhuc juvenis. Conſul id fecit* pro *cum Conſul erat, id* etc. *Me Conſule hoc factum eſt* pro *cum Conſul eram, hoc factum eſt.* Sic millies priſci omnes.

6) *Utinam* pro *quam* ſ. *quantopere optandum eſt ut:* nam hoc ſignificat proprie, eſt enim pro *ut* poſitum ſ. *uti*, quod idem eſt, adjecta terminatione *nam*, ut in *quisnam* pro *quis*. V. c. *utinam deus omnibus cupiditatem virtutis injiciat!* h. e. *Wie ſehr iſt zu wünſchen, daß Gott* etc. ſeu: *O daß doch Gott allen Menſchen eine Begierde zur Tugend einflößen wollte!* ubi male loquaris: *Wollte Gott, daß Gott allen Menſchen* etc. Ineptum hoc foret: quamquam τὸ *utinam* ſaepe quoque verti poſſe *wollte Gott daß*, non negandum eſt. Hinc vernaculum: *Wie ſehr iſt zu wünſchen, daß wir dieß bedächten*, vertendum: *Utinam hoc cogitemus*, vel ſi quid praeceſſit, ad quod refertur: *Quod utinam cogitemus!* Sic ſemper fere priſci. Poteſt tamen et *o! ſi* pari jure adhiberi.

7) Saepe enuntiationem cauſalem uno vocabulo exprimere licet: v. c. *ignovi tuae adoleſcentiae* pro *ignovi tibi, quia eras adhuc adoleſcens: laudant omnes tuam ſapientiam* pro *laudant omnes te, quod tam ſapiens es: gratulor tuae eruditioni, felicitati* pro *gratulor tibi, quod es tanta eruditione, es tanta felicitate: invident fratris divitiis, honoribus* etc. pro *invident fratri, quod divitiis, honoribus eſt inſtructus, ornatus* etc.

etc. Sic Cicero ſaepiſſime: v. c. Roſc. Am. 1 *Si quid liberius dixero — ignoſci adoleſcentiae meae poterit* etc. pro *Si quid liberius dixero — ignoſci mihi poterit, quia adhuc ſum adoleſcens:* ad Div. VIIII, ep. 14 §. 14 *gratularer tuae felicitati* h. e. *gratularer tibi, quod tam felix eſſes* ſ. *tanta felicitate utereris.* Philipp. V, 17 *Legibus enim annalibus cum grandiorem aetatem ad conſulatum conſtituebant, adoleſcentiae temeritatem verebantur* pro *adoleſcentiam verebantur, quia haec plerumque temeraria eſſe ſolet.*

8) Pro: *tu es tali vultu, quali pater tuus erat, du ſiehſt ſo aus, wie dein Vater*, dici brevius poteſt: *tu es ſimilis patri.* Sic pro *hic homo eſt eodem animo, quo pater ejus fuerat, denkt, iſt ſo geſinnt, wie ſein Vater* dici interdum poteſt: *ſimilis eſt patris.* Sic priſci ſaepiſſime, v. c. Terent. Eun. III, 2, 43 *Quid tibi ego multa dicam? domini ſimilis es* i. e. *du biſt wie dein Herr.*

9) Pro: *ego non tantum dicere poſſum, quantum vos cupitis audire*, brevius dici poteſt: *ego* vel *mea oratio veſtrae cupiditati non reſpondet* ſ. *non ſatisfacere poteſt.* Sic pro *non ſemper id evenire ſolet, quod homines ſperant*, dicitur brevius: *non ſemper ſpei hominum exitus reſpondet.* Sic pro *aliter res evenit ac pater opinatus eſt* dicitur brevius: *exitus non reſpondit opinioni patris.* Cicero ſaepiſſime hac brevitate uſus eſt. Philipp. II, 23 extr. *etſi nullo modo poterit oratio mea ſatisfacere veſtrae ſcientiae* pro *etſi nullo modo potero tantum narrare, quantum jam noſtis.* Manil. 11 in. *Iam vero virtuti Cn. Pompeji quae poteſt par oratio inveniri?* pro *Iam vero quaenam verba poſſint inveniri* ſ. *excogitari, quae tanta ſint, quanta virtus Pompeji eſt*, vel *quae verba inveniri poſſint, quae magnitudinem virtutis Pompeji ſatis exprimere valeant?* Ad Div. I, ep. 1 in. *Ego omni officio ac potius pietate erga te ceteris ſatisfacio omnibus, mihi ipſe nunquam ſatisfacio* pro *Ego quidem tantum officium ac potius tantam pietatem erga te declaro, ut ceteri omnes ea contenti ſint, at ſimul tam exiguam, ut ipſe nunquam ea contentus ſim.* Ad Div. II, ep. 5 §. 2 *non, quo verear, ne tua virtus opinioni hominum non reſpondeat* pro *non, quo verear, ne tua virtus non tanta ſit, quantam homines opinantur* ſ. *quanta hominum de ea eſt opinio.*

10) Pro: *ut pauper moritur, ita etiam diviti moriendum eſt*, poteſt brevius dici: *diviti non minus quam pauperi moriendum*

riendum est; dives aeque ac pauper moritur; et diviti et pauperi moriendum est. Sic Horat. I, od. 4 enuntiatione una, licet paulo longiori, illam sententiam exprimit: *Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas regumque turres;* egregie. Sic in aliis similibus agendum est.

11) Pro: *hic homo putat, omnes esse ipso inferiores* seu *putat, se omnibus hominibus esse superiorem*, dici potest brevius, si lubet: *hic omnes prae se contemnit, despicit, se omnibus antefert, sibi omnes postponit* etc.

12) Pro: *hic homo primus fuit, qui hoc dixit, fecit*, vel *diceret, faceret* etc., prisci brevius dicunt *hic homo primus hoc dixit, fecit.* Hinc vernaculum: *Er war der erste, welcher floh, welcher es wußte, welcher es sah*, nunquam vertendum *primus erat, qui fugiebat, sciebat, videbat* vel *fugeret, sciret, videret*, sed semper: *primus fugiebat, primus sciebat, primus videbat.* — Sic est etiam in *unus, solus, ultimus*, similibusve, v. c. *Ich bin* s. *ich war der einzige, welcher da blieb* vertendum *Unus mansi* s. *solus mansi*, non *unus fui, qui* etc. *solus fui, qui* etc. *Er war der letzte, welcher fortging* semper vertendum *Ultimus discessit* s. *abiit*, nunquam: *Ultimus erat, qui* etc. Sic et in aliis casibus: *Ich war der einzige, dem er es sagte; du bist der einzige, mit dem ich umgehe; er war der letzte, den ich sah* semper ita vertendum *Mihi uni dicebat, te uno* s. *solo utor, illum vidi ultimum*, non *eram unus, cui dicebat; eras solus, quo utebar; erat ultimus, quem videbam.* Sic loqui est vernacule loqui. Cic. Verr. II, 1 med. *quod omnium nationum exterarum princeps* (i. e. prima) *Sicilia se ad amicitiam fidemque populi romani applicuit* pro *quod omnium nationum princeps fuit Sicilia, quae se ad* etc.; et statim: *prima omnium — provincia est appellata*, pro *prima omnium est, quae provincia appellata est*; et statim: *prima docuit majores nostros, quam praeclarum esset* etc. pro *prima est, quae docuit* etc.; ac deinde: *sola fuit ea fide benevolentiaque erga populum romanum* etc. pro *sola fuit* (est), *quae ea fuit* etc.; ibid. c. 3 med. *Sic porro nostros homines diligunt, ut his solis* (Siculis) *neque publicanus neque negotiator odio sit* pro *ut hi soli sint, quibus neque publicanus* etc. *daß sie die einzigen sind, denen weder ein Generalpachter noch* etc. Verr. IIII, 25 *Pisonis ejus, qui primus de pecuniis repetundis legem tulit* pro *qui primus fuit, qui de pecuniis* etc. Caes. B. G. IIII, 16 *Ubii*

 autem,

autem, *qui uni ex transrhenanis ad Caesarem legatos miserant* etc. pro *qui uni ex transrhenanis fuerant*, *qui* etc. *welche von den jenseits des Rheins wohnenden die einzigen gewesen waren*, *die an den Caesar Deputirte geschickt hatten.* — It. in aliis: v. c. Cic. ad Div. XVI, ep. 6 in. *Tertiam ad te hanc epistolam scripsi eodem die* pro *haec est epistola tertia, quam scribo eodem die*, *das ist nun der dritte Brief*, *den ich an einem Tage an dich schreibe.* Sic vertendum est: *scripsi* in epistolis pro *scribo:* quia sermo est de re praetereunte. Sic ibid. ep. 7 in. *Septimum jam diem Corcyrae tenebamur* pro *hic est dies septimus*, *ex quo* etc., *Das ist nun der siebente Tag*, *daß ich mich hier aufhalte: tenebamur* pro *teneor.* — Sic nec in aliis latini imitantur nostros homines, ubique fere, atque adeo de vilibus rebus dicentes: *Er ist derjenige gewesen*, *der es gethan*, *gesagt*, *hat*; sed dicunt: *Ille hoc fecit, dixit.* Non late loquuntur prisci, ac forsan omnes prudentes, nisi in re gravi.

13) Pro: *alius hoc alius illud dicit*, *Einer sagt dieß*, *der andre jenes*, brevius dici potest *alius aliud dicit:* sic *alius alium sequitur*, *Einer folgt dem*, *der andre jenem*, pro *alius hunc*, *alius illum sequitur*; sic *alius alio modo discit* pro *alius hoc modo alius illo modo discit:* sic *aliud alii dedit* pro *dedit alii hoc alii illud*, *er gab einem das*, *dem andern jenes:* sic prisci. V. c. Cic. Invent. II, 1 extr., ubi dicere vult, naturam h. e. deum non singulis hominibus cuncta simul atque ita non perfectam pulchritudinem dare, sed tantum aliquid, adjuncto simul aliquo malo s. vitio, hoc ita exprimit: *Itaque*, *tanquam ceteris non sit habitura, quod largiatur* (natura), *si uni cuncta concesserit*, *aliud alii commodi*, *aliquo adjuncto incommodo*, *muneratur* h. e. *gleich als wenn sie hernach den andern nichts zu schenken haben würde*, *wenn sie einem alles schenkte*, *so schenkt sie dem einen diesen dem andern jenen Vortheil*, *doch mit Hinzufügung einiger Unbequemlichkeit.* Donat v. c. huic pulchritudinem, sed sine divitiis, illi divitias, sed sine pulchritudine etc. *Aliud commodi* jungi debet: *commodi* regitur ab *aliud;* et dictum est pro *aliud commodum*, ut *hoc negotii*, *id rei*, pro *hoc negotium*, *ea res* etc. Verr. I, 22 *itemque cetera signa et ornamenta cum cognoscerent*, *alia alio in loco lacrymantes intuebantur* pro *alia* (sc. signa et ornamenta) *hoc in loco*, *alia in illo loco*, *so sahen sie sie mit Thränen an*, *einige an diesem*, *andre an jenem*, *Orte.* Ib. c. 26 med. *Hic tum alius ex alia parte* intell. *clamabat* vel

vel *dicebat, Da ſchrie einer von der Seite, der andre von jener Seite* pro *alius ex hac, alius ex illa, parte.* — Sic et *alius alio* vel *aliorſum* pro *alius huc, alius illuc, einer dahin, einer dorthin.* Cic. Divin. I, 34 *Simia — ſortes ipſas et cetera — disturbavit et aliud alio diſſipavit* pro *aliud huc, aliud illuc, diſſipavit, ſtreute eins dahin, das andre dorthin.* Liv. II, 54 extr. *ita dilapſi paſſim alii alio* h. e. *einige zerſtreuten* ſ. *verlieſen ſich dahin, andre dorthin.* Sic *alius alibi einer hier, der andre dort*: Liv. VIIII, 2 in. *milites decem paſtorum habitu mittit pecoraque diverſos alium alibi haud procul romanis paſcere jubet praeſidiis;* it. Liv. XLIIII, 33 in. *juſſit alios alibi fodere.* Sic *alius aliunde* pro *alius ex hac parte, alius ex illa parte.* Terent. Phorm. II, 2, 19 *Aliis aliunde eſt periculum.* Liv. XLIIII, 12 in. *Romanosque, qui alii aliunde coibant* etc. *welche zuſammen kamen, einige von hierher, andere von dorther.* — Sic *alius aliter, alii aliter* pro *alius hoc, alius illo, modo; alii hoc, alii illo, modo.* Cic. Orat. II, 19 *quoniam aliter ab aliis digeruntur* intell. *partes: weil ſie von einigen ſo, von andern anders, geordnet werden* pro *ab aliis hoc, ab aliis illo, modo.* Ad Attic. VII, ep. 8 in. *et illum aliter cum aliis de nobis locutum audiebam, daß er mit einigen ſo, mit andern anders, von mir geredet* etc.

14) *Obtemperare alicui* pro *facere ea, quae aliquis fieri juſſit, voluit.* Sic *obtemperare dolori ſuo* pro *facere, quae dolor poſtulat,* h. e. *ulciſci ſe*: Cic. Manil. 19 in. *Sed tamen in ſalute communi idem populus romanus dolori ſuo maluit quam auctoritati veſtrae obtemperare* pro *maluit id agere, quod dolor ſuus a ſe poſtulabat, quam quod vos decreviſtis* ſcil. *Pompejum non eſſe contra praedones mittendum.*

15) *Falſo, recte, male, non injuria* etc. ſaepe pro enuntiationibus ponuntur. *Falſo* pro *hoc falſum erat*: *Male* pro *male in ea re egit,* vel *actum eſt,* vel *egi*: *Recte, non injuria* pro *recte factum eſt* etc. V. c. *Frater invito patre abiit. Male*: h. e. *darin hat er nicht recht gehandelt.* Cic. Offic. III, 18 *Atqui in talibus rebus aliud utile interdum, aliud honeſtum, videri ſolet. Falſo: nam* etc. h. e. *das iſt falſch, nicht wahr, nicht an dem.* Sic Nep. Alcib. 9 in. *Sperans ibi facillime ſuam fortunam occuli poſſe. Falſo. Nam* etc., ubi *falſo* eſt pro *ſed in eo fallebatur, er irrte ſich aber, es war nicht ſo.* *Non injuria* et *neque injuria* ſaepe Cicero, v. c. Roſc. Am. 40 in. *In rebus minoribus ſocium fallere turpiſſi-*

pissimum est, *aequeque turpe atque illud*, *de quo ante dixi. Neque injuria:* h. e. *und hierin geschieht kein Unrecht* s. brevius: *und das zwar mit Recht.* Ad Quint. III, ep. 8 *Hoc horret Milo: nec injuria: et si* etc. *Und hierin thut er nicht Unrecht*, brevius: *und das mit Recht.*

16) Omnis metaphora est brevitas quaedam, similitudinem rei, quae tota enuntiatione exprimi poterat, uno vocabulo exprimens: qua re una enuntiatio exsistit pro duabus. V. c. *pulvis et umbra sumus* s. *vita nostra est pulvis et umbra* pro *vita nostra tam breviter durat*, *quam breviter fere durare solet pulvis et umbra*, seu pro *quemadmodum pulvis et umbra mox evanescit*, *sic et vita nostra mox dilabitur*, seu pro *vita nostra est instar pulveris et umbrae*, *quae mox evanescit.* Sic *sapientia est fons felicitatis* est dictum pro *quemadmodum e fonte aqua perennis provenire solet*, *ita e sapientia felicitas oritur.* Sic *sapientiae radix amara, fructus dulcis, est* dicitur pro *sapientia est instar arboris, cujus etsi radix amara est*, *tamen dulcem fructum effert*, seu *quemadmodum radix arboris felicis amara*, *fructus dulcis, est*, *ita initium sapientiae*, *ob discendi laborem*, *molestiam quidem affert; at*, *si illa frui coeperis*, *si semel ipsam imbiberis*, *ejus effectum senseris*, *voluptatem certam parit.* Ac sic in ceteris.

II) *Saepe una enuntiatio plane omitti potest ac debet:*

1) Non omnes tres syllogismi enuntiationes recitari ab oratore et scriptore debere notum est, sed unam omitti h. e. eam, quae e contextus ratione intelligi facile potest. V. c. *quisquis magnas res gessit*, *nomen suum immortale reddit. Quis igitur miratur*, *Caesarem nominis immortalitatem consecutum?* vel sic: *Caesarem res magnas* vel *immortales gessisse quis nescit? Quis ergo miretur*, *nomen ejus immortale redditum esse?*

2) *Metonymia* orationem reddit brevem, ponens consequentem enuntiationem pro antecedente: tum enim antecedens tecte inclusa est intelligique debet. Nam plane ideam consequentem cum antecedente commutari, ita, ut utraque sit eadem, credi non debet. V. c. *vir*, *fortissime pugnans*, *tandem cecidit* pro *occisus est* et *cecidit* scil. *humi.* Sed quis ex eo, quod pugnans cecidit, non sponte intelligat, eum antea occisum esse? Sic *homo sepultus nocere nemini*

mini potest, ubi notio *mortis* simul inest, pro *homo mortuus et sepultus* etc.: sed illud ex hoc sponte intelligitur. Pertinent haec omnia ad gravitatem, de qua infra.

3) In narrationibus in primis omittuntur eae enuntiationes, quae vel e praecedentibus vel e consequentibus facile intelligi possunt, ut Cicero praecipit Invent. I, 20 de brevitate narrationis inter alia hoc dicens: *et si ita dicetur, ut nonnunquam ex eo, quod dictum sit, id, quod dictum non sit, intelligatur* etc. v. c. *Domum ego reversus volebam amicum videre, credens, eum se melius habere. At domum ejus ingressus audio, funus ejus mox elatum iri.* Hic deest v. c. *loquor cum ejus servis vel ancillis; audio eum mortuum esse.* At quis talia non sponte intelligat? It. *Romam venire jussus est. Quo cum venisset, reperit* etc. pro *Romam venire jussus est. Ivit itaque eo: et, cum eo venisset, reperit* etc. At stultus foret, qui e verbis: *quo cum venisset*, non per se intelligeret, illum Romam ivisse. Sic omnes boni scriptores, historici, oratores ac poetae, si quid narrant. Cic. Verr. IIII, 40 in., postquam dixerat Verrem imperasse lictoribus, ut Sopatrum de porticu dejicerent nudumque constituerent, pergit: *vix erat hoc plane imperatum, cum illum spoliatum* (h. e. vestibus exutum) *stipatumque lictoribus videres:* ubi omissum est: *dejiciebatur de porticu.* At omissio haec auget celeritatem rei. — Verr. V, 54 *Haec cum maxime loqueretur, sex lictores eum circumsistunt valentissimi et ad pulsandos verberandosque homines exercitatissimi: caedunt acerrime virgis: denique* etc. pro *Haec cum maxime loqueretur, ad eum accedunt sex lictores — exercitatissimi, circumsistunt eum, expediunt virgas, iisque caedunt acerrime* etc. At quis τὸ *accedere* et *expedire virgas* non per se intelligat? Nam, si eum circumsistunt, accesserint, ac, si caedunt, virgas expedierint necesse est. Poterat et addi *vestes exuunt, deripiunt*: at et hoc sponte intelligitur. — Sic Liv. I, 28 de Metto Fufetio: *Centuriones armati circumsistunt* int. *eum:* ubi itidem deest *accedunt ad illum.* — Sallust. Catil. 28 §. 3, postquam dixerat Curium per Fulviam monuisse Ciceronem de vitae periculo, addit: *ita illi* (qui venerant Ciceronem interfecturi) *janua prohibiti tantum facinus frustra susceperant:* pro *illi quidem domum Ciceronis venerant, at Cicero eos excludi jusserat. Ita illi janua prohibiti tantum* etc. At omissa verba facile intelliguntur ex his: *janua prohibiti.* — Id. Iugurth. 12 extr. de Hiempsalis caede: *cum*

Hiempsal

Hiempſal interim reperitur, occultans ſeſe tugurio mulieris ancillae, quo initio pavidus et ignarus loci perfugerat. Numidae caput ejus, ut juſſi erant, ad Iugurtham referunt. Ubi debebat proprie eſſe: *Numidae igitur occidunt eum, ipſius caput abscidunt, et hoc, ut juſſi erant, ad Iugurtham referunt.* At ex eo, quod caput Hiempſalis referunt, vel pueri intelligunt, illum occiſum capiteque privatum eſſe. — Sic et omnes poetae boni, in primis Virgilius, v. c. Aen. I, 693 (689) de Cupidine, pro Iulo ad Didonem ex voluntate Veneris ire parante:

Paret Amor dictis carae genitricis et alas
Exuit et greſſu gaudens incedit Iuli.

Magna venuſtas in verbis poſtremis! Poſt *alas exuit* inſerere poterat: *et tentat, an ita poſſit incedere, ut Iulus:* ac forſan alius poeta minoris ingenii hanc ſententiam inſeruiſſet, et magna verborum pompa exornaſſet. At recte abeſt, quia intelligi poteſt. — Ibid. IIII, 133 de Didone venatum ire parante:

Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Poenorum exſpectant: oſtroque inſignis et auro
Stat ſonipes ac frena ferox ſpumantia mandit.

Hic deeſt: *regina interea, dum Poenorum principes exſpectabant ipſam, induebat ſe apte et ad venatum ſe recte parabat.* At quis hoc ſcire cupit? Quis non ſponte intelligit? — Ibid. v. 581 ſ. de celeritate, qua Trojani Carthaginem relinquunt:

Idem omnes ſimul ardor habet: rapiuntque ruuntque:
Litora deſeruere: latet ſub claſſibus aequor:
Adnixi torquent ſpumas et caerula verrunt.

Egregie! deeſt hic: *naves conſcendunt:* at hoc per ſe intelligitur nec cum feſtinatione illa convenit: cui aptius eſt, ſtatim dicere: *latet ſub claſſibus* (i. e. navibus) *aequor, Adnixi* etc. — Add. Aen. II, 426, ubi dicitur Ripheus, licet fuerit homo juſtiſſimus, tamen etiam periiſſe. Verba ſunt:

— cadit et Ripheus, fortiſſimus unus
Qui fuit in Teucris et ſervantiſſimus aequi.
Diis aliter viſum.

Quo-

Quomodo haec cohaerent? Ante verba *Diis aliter visum* omissa est enuntiatio hujus fere sententiae: *Atque ita dignus fuisset vita longissima* s. *longiori: At Diis aliter visum.* Haec omissio est paulo obscurior.

4) Saepe tandem ante *enim* enuntiatio, quae ad hanc particulam respicit, omittitur, seu sequitur causalis saepe enuntiatio, cum tamen non praecesserit ea enuntiatio, cujus causam illa continet. Hoc fieri solet maxime ab iis, qui animo commoto loquuntur. Verum per se patet, hanc omissam enuntiationem debere esse talem, ut e contextu facillime intelligi queat. Brevitas enim dicendi perspicuitati, primariae virtuti eloquentiae ac stili, non debet officere. Exempla aliquot e Cicerone afferam. Ad Div. I, ep. 8 §. 10 *neque a me ulla res, quae ad te pertineat, negligetur. Neque enim verebor, ne sim ei molestus, cui jucundum erit etiam propter id ipsum, quod me esse gratum videbit.* Ante *Neque enim verebor* etc. deest enuntiatio: *Colloquar itaque cum Pompejo de te:* nam per verba *ei, cui jucundum erit* etc. intelligitur Pompejus. At omissa facile intelligitur. — Ibid. V, ep. 12 §. 21 *neque autem ego sum ita demens, ut me sempiternae gloriae per eum commendari velim, qui non ipse quoque in me commendando propriam ingenii laudem consequatur. Neque enim Alexander ille gratiae causa ab Apelle potissimum pingi et a Lysippo fingi volebat, sed quod illorum artem cum ipsis tum etiam sibi gloriae fore putabat.* Quomodo haec cohaerent? Ante *Neque enim Alexander ille* etc. deest: *id quod exemplo Alexandri ostendam* vel *idem spectavit Alexander* vel simile quid. — Ad Div. VIIII, ep. 14 §. 9 *Nam cum te semper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuisti, tum his tuis factis sic incensus sum, ut nihil unquam in amore fuerit ardentius. Nihil est enim, mihi crede, virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius.* Hic ante *Nihil est enim* etc. omissum est: *Hujus mei erga te tam ardentis amoris causa virtus tua est* vel simile quid. — In ead. epist. §. 14, ubi Cicero Dolabellam ob eversionem columnae Caesari erectae et animadversionem in tumultuantem plebem laudans ita loquitur: *Contigit enim tibi, quod haud scio an nemini, ut summa severitas animadversionis non modo non invidiosa sed etiam popularis esset, et cum bonis omnibus tum infimo cuique gratissima. Hoc si tibi fortuna quadam contigisset, gratularer felicitati tuae: sed contigit magnitudine tum animi tum etiam ingenii* (i. e. eloquentiae)

atque

atque consilii (prudentiae). *Legi enim concionem tuam. Nihil illa sapientius.* – Quomodo verba: *Legi enim concionem tuam* h. e. *orationem ad populum habitam*, possunt esse causa praecedentium? Debebat proprie sic dici: — *tum animi tum etiam ingenii atque consilii: quod e concione tua valde elucet. Legi enim hanc tuam concionem.* At omissa verba quis non sponte intelligat? — Agrar. II, 4 in. *Quae cum ego non solum suspicarer, sed plane cernerem, dixi in senatu, in hoc magistratu* (consulatu) *me popularem consulem futurum. Quid enim est tam populare, quam pax? — quam libertas? — quam otium?* Ante *Quid enim est tam* etc. deest aliquid, v. c. *Sed, vere me dixisse, statim vobis ostendam*, vel *Sed, ne hac de re dubitetis, statim vobis explicabo, quid per vocabulum* populare *intelligendum sit*, vel simile quid. At stultum fuisset praedicere, quid dicturus esset, cum explicatio statim sequatur. Recte igitur omisit, quod per se intelligendum erat. — Ibid. non longe post: *Quare qui* (i. e. quomodo) *possum non esse popularis, cum videam haec omnia, Quirites, pacem externam, libertatem, — otium domesticum, denique omnia, quae vobis cara atque ampla sunt, in fidem et quodam modo in patrocinium mei consulatus esse collata? Neque enim, Quirites, illud vobis jucundum aut populare debet videri, largitio aliqua promulgata, quae verbis ostentari potest, re vera fieri, nisi exhausto aerario, nullo pacto potest.* Hic ante *Neque enim, Quirites, illud* etc. omissum est *At vos etiam intelligere debetis, quid vere populare sit ac dici possit*, vel *At vos non debetis decipi simulatione* s. *falsa specie popularitatis*, vel simile quid. Sic omnia cohaerent. At rectius omittebatur, quia intelligebatur. — Manil. 13 extr., ubi Pompejus laudatur, quod sociis h. e. provincialibus in hibernis pepercit: *Non modo, ut sumtum faciat in milites, nemini* (provincialium) *vis infertur* (h. e. nemo cogitur sumtum facere in milites) *sed ne cupienti quidem cuiquam permittitur. Hyemis enim, non avaritiae* (Habsucht), *perfugium majores nostri in sociorum atque amicorum tectis esse voluerunt* (i. e. praeceperunt). Hic ante *Hiemis enim, non* etc. omissum est: Et *hac in re recte* s. *ex legum praescripto egit*, vel simile quid: quod tamen facillime intelligi posse quisque videt. Ac sic Cicero millies: et ad talia tironibus sedulo in illius lectione attendendum est. — Sed eadem brevitate utuntur alii scriptores, v. c. Terent. Andr. III, 2, 22 Davus ait: *quasi tu dicas id factum consilio meo.* Simo respondet: *Certe enim scio:* ubi

enim

enim pro *vero* videtur positum esse; sed non est, modo ante *certe enim scio* intelligas *tace*, vel *recte ais*, vel simile quid. Horat. Sat. II, 5, 79, ubi Ulyssi pudicitiam suae Penelopes laudanti et inter alia hoc dicenti: *quam nequiere proci recto depellere cursu* h. e. *ab honesta pudicaque vita demovere*, Tiresias ita respondet:

Venit enim magnum donandi parca juventus,
Nec tantum Veneris, quantum studiosa culinae;
Sic tibi Penelope frugi est etc.

Ubi ante *Venit enim* etc. intelligendum videtur: *Erras* vel *hoc non mirum est*, scilicet Penelopen non potuisse recto vitae et pudicitiae cursu depelli, sed mansisse pudicam. Venit enim ad eam talis juventus, quae non serio amaret, quae non magna illi donaret, et magis comedendi quam amoris causa veniret. — Sic et in Graecis est, ubi, ut dudum ab eruditis monitum est, innumeris locis ante γὰρ debet intelligi enuntiatio a festinanter loquente omissa. Est enim hic mos incitato et commoto animo loquentium, ut, dum festinanter loquuntur, enuntiationem aliquam transsiliant, et ut, e vulgari proverbio, lingua praecurrat mentem. Hanc rationem sequuntur et sequi debent ii, qui, etsi non ipsi incitate loquuntur, tamen alios incitate loquentes inducunt, ut veritati ac naturae convenienter loqui videantur. — An vero in Graecis ubique talis enuntiatio omissa ante γὰρ intelligi apte possit et vero debeat, ut, praeeunte Clarkio ad Homerum, multi hodie interpretes putant, altius indagandum videtur, nec equidem definire ausim. Conferantur hic libelli satis noti, *Bosii Ellipses*, et *Vigerus* de Idiotismis graecae linguae, et ad eum Viri doctissimi, Hoogeveenius et Zeunius. — Sic et multa loca sunt latinorum scriptorum, ubi *enim* celeri transitioni servit; ita ut, an aliquid omissum antea sit, ad quod referatur, et quid omissum sit, dictu sit difficile: v. c. Liv. IIII, 3 prope fin. ex oratione Canuleji animo maxime commoto loquentis: postquam dixit, Numam Pompilium, L. Tarquinium, Servium Tullium, licet advenae fuerint, reges esse factos, tum pergit: *Quid enim de T. Tatio Sabino dicam, quem ipse Romulus parens urbis in societatem regni accepit.* Facilius foret, si dixisset: *Quid vero de* etc. At *enim* non potest cum *vero* commutari. Fortasse tamen ante *Quid enim de* etc. omissum est: *Sufficiant haec,*

haec, *ſufficere haec exempla poſſunt*, *Nihil amplius dicam*, vel ſimile quid. Quis enim aliquid certi definire poteſt? — Sic *At enim* in objectionibus, v. c. Cic. Roſc. Am. 16 in. Quid hic intelligetur?

Ceterum, ut totum hoc brevitatis dicendi genus ad gravitatem maxime pertinet, ita magna cautio eſt, ne, dum brevitatem dicendi affectamus, in ambiguitatis vel obſcuritatis vitium incidamus: id quod multis accidit. Debet ergo et brevitas modum quendam ſervare. Peccavit hic e priſcis in primis Plinius major in Hiſt. Nat. v. c. VII, 51: ubi inter ſigna morborum letalia refertur *praefandi humoris e corpore effluvium*. *Praefandus humor* modeſte quidem hic dicitur pro *excrementis*: at quam breviter dictum pro *humor, cui praefari ſolemus honorem* h. e. *cui ſolemus*, *ſi eum nominare cogimur*, *hanc formulam praemittere*: *ſit venia verbo!*

FINIS PARTIS PRIORIS



IMMAN. IO. GERH. SCHELLERI
PRAECEPTA
STILI BENE LATINI
IN PRIMIS CICERONIANI

SEV

ELOQVENTIAE ROMANAE

QVATENVS HAEC NOSTRIS TEMPORIBVS
IN DICENDO ET SCRIBENDO
VSVRPARI POTEST

SVMMA DILIGENTIA MAXIMOQVE PERSPICVITATIS
STVDIO TRADITA ET ILLVSTRATA



PARS POSTERIOR



EDITIO ALTERA AVCTIOR ET EMENDATIOR

LIPSIAE
SVMTIBVS CASPARI FRITSCH
cIↄIↄCCLXXXIIII

CONSPECTUS
PARTIS POSTERIORIS

XII)

Sect.

PARTIS POSTERIORIS

XXXIII)



PARS



PARS POSTERIOR

DE

TRIBUS VIRTUTIBUS PRIMARIIS

ELOQUENTIAE ATQUE STILI

PERSPICUITATE, GRAVITATE

AC SUAVITATE

Tres ſunt, ut omnis eloquentiae, ita ſtili bene latini virtutes primariae, *perſpicuitas*, *ſuavitas* et *gravitas* dicendi: illa rem planam ac dilucidam reddit, efficitque, ut ſingula recte intelligantur: iſta auditores lectoresque delectat atque ita eorum favorem et attentionem conciliat: haec tandem efficit, ut res magna recte ſentiatur atque ita lectoris auditorisque animus ad eam amandam, admirandam, agendam vel contemnendam, fugiendam, et averſandam incitetur. *Copia dicendi*, *brevitas*, *ornatus*, et ſi quae aliae numerantur virtutes eloquentiae, ſunt illis tribus ſubjectae, iisque ſerviunt: ut ideo melius ſubſidia harum trium virtutum quam ipſae virtutes eloquentiae dici mereantur: niſi forte ſecundarias vocare libeat: quod tamen eodem redeat.

CAP. I

De Perſpicuitate dicendi.

SECT. I

Perſpicuitas eſt ſumme neceſſaria.

Perſpicuitas dicendi eſt haud dubie princeps virtus eloquentiae, et omni tum ſcribenti tum dicenti tam neceſſaria, ut ſine ea garriat tantum, omnisque et ſuavitas et gravitas neceſſario pereat. Ejus neceſſitas patet primum per ſe. Nam cur loquimur et ſcribimus? nonne ut intelligamur? Verba enim ſunt ſigna rerum. Qui itaque ita loquitur, ut non intelligatur, is ſibi ipſe repugnat et auditorem illudit. Omnis et ſcriptor et orator vult perſuadere. Quod quomodo efficere poteſt, niſi argumenta ejus etc. intelligantur? Omnis ſcriptor et orator vult placere, ut attentionem legentium et audientium excitet. Quod quomodo ſine perſpicuitate fieri poteſt? Vult tandem quoque ſaepiſſime animos eorum movere, flectere, incitare: quomodo hoc fieri poteſt, ſi non intelligitur? Omnia igitur nituntur perſpicuitate: omnis perſuaſio, omnis ſuavitas, omnis gravitas dicendi, omninoque omnis eloquentia. Nam omnes tropi, figurae, et ornamenta eo tendunt, ſaltem eo tendere debent, ut res quam maxime perſpicua fiat: hinc rhetores figuras appellant *lumina.* Et gravitas dicendi quid aliud eſt quam ſummus gradus perſpicuitatis? — Altera cauſa, cur perſpicuitas ſumme ſit neceſſaria, eſt humanitas. Humanitatis eſt hominibus aditum ad nos quam facillimum reddere. Inhumanus foret, qui ad ſe venienti amico multa impedimenta opponeret, et v. c. fores obſeraret vel eum per longas ambages, easque minime neceſſarias, ad ſe venire juberet. Qui nos legit, eſt ſimilis ei, qui ad nos venit colloquendi cauſa. Nonne tam humani

eſſe

eſſe debemus, ut, quae legat, etiam mox intelligat? Aeque ſe res habet cum oratore, qui ſemper inhumanus eſt, ſi ita loquitur, ut auditores vel plane non vel aegre ejus cogitationes percipiant.

SECT. II

Quid ſit perſpicuitas dicendi, accurate explicatur.

Perſpicuitas dicendi et *ſcribendi* cernitur in eo, ſi quis rem quamlibet ita explicat, omninoque ita vel loquitur vel ſcribit, ut et ipſe et res facile intelligatur ab iis, quibus ſ. quorum gratia vel dicit vel ſcribit. Quatuor itaque requiruntur. a) *Primum et loquens et ſcribens debet intelligi ab audiente et legente* h. e. auditor et lector debet in audiendis et legendis alicujus verbis plane idem cogitare, quod hic, dum loquebatur et ſcribebat, cogitarat, atque cum ſingulis verbis vel loquentis vel ſcribentis easdem plane notiones conjungere, quas hic uterque cum illis conjunxerat. b) *Deinde res ipſa debet plane intelligi*, h. e. auditor et lector videre debet non modo, rem, quae traditur, veram eſſe, ſed etiam, cur vera ſit credique debeat: id quod argumentis, exemplis etc., eorumque juſta tractatione fieri ſolet. Poſſis hanc dicere perſpicuitatem *rerum*, ut illam *verborum*. Neque enim perſpicuitas ad ſola *verba* pertinet, verum quoque ad *res*, earumque rectam ſubtilemque explicationem. c) *Porro loquens et ſcribens debet facile intelligi*, hoc eſt, ut non opus ſit ſenſum verborum operoſe inveſtigare vel ſenſa animi conjectura demum aſſequi: quia alioqui taedium creatur, attentio minuitur, ac liber abjicitur, e veteri proverbio: *qui non vult intelligi, non debet etiam legi.* Peccant hic nonnulli recentiores, qui, dum argutias et quandam brevitatem captant, ut pulchre docteque ſcripſiſſe videantur, in obſcuritatem incidunt. Nemo pulchrius ſcribit et loquitur, quam qui perſpicue ſcribit et dicit. d) *Tandem loquens et ſcribens*

non ab omnibus promiſcue intelligatur neceſſe eſt, ſed ab iis ſolis, quorum gratia ſcribit vel loquitur. Auditorum et lectorum ſemper habenda eſt ratio. Hoc tenendum, ne vitium obſcuritatis cuipiam temere objiciamus. Qui v. c. nova inventa mathematica in lucem edit, is, ſi a ſolis Mathematicis intelligitur, ſatis perſpicue ſcripſiſſe cenſendus eſt: his enim ſolis ſcripſerat. Neque ergo, quia imperiti iſtius artis mentem ejus aſſequi non valent, propterea obſcuritatis crimen ſubire debet: his enim non ſcripſerat. Et ſic in aliis diſciplinis: in quibus ſi quid novi aliquis profert, perſpicuitatis laude ita ornandus, ſi ab iis, qui iſtas diſciplinas tractarunt, facile intelligitur. Sic Criticus, criticas animadverſiones in linguas priſcas priſcosve ſcriptores edens, ſi ab Criticis facile intelligitur, perſpicue ſcripſit, nec eſt, quod querelas artis criticae imperitorum curet: his enim nec ſcripſerat nec ſcribere potuerat. Carmina porro epica continent maximam fere partem ea, quae doctrinam non vulgarem ſpirant, vel ſaltem exercitatam et ſubactam lectoris mentem deſiderant. Quid itaque mirum, illa a quolibet intelligi haud poſſe? Hinc, ut de vernaculis loquar, Klopſtockius, qui inter vernaculos poetas epicos principatum tenere hodie putatur, ſi ejus Meſſias a multis non intelligitur, propterea culpandus non videtur: doctis enim ſolis ſcripſit haud dubie. Saepius tamen optavi, placuiſſet ei ingenium ſuum quoque accommodare ad intelligentiam indoctorum, ut et hi carmen illud nobiliſſimum legere poſſent. Ac profecto perſpicuitas poſſet magis communis reddi, niſi ſcriptores primum crederent, in verbis exquiſitioribus et rarioribus ineſſe majorem pulchritudinem et gravitatem, deinde mythologiam gentilium e priſcis gentilibus hauſtam in ſuos libros inveherent, iisque tanquam gemmis cogitationes ſuas diſtinguendas putarent. Equidem omne pulchrum, omne grave, pono in notionibus, non in verbis. Gravitas et pulchri-

pulchritudo rei ac notionis vera ubique apparet, etiam in vulgaribus verbis, ut pulchrum corpus nil pulchritudinis amittit in veſtitu vulgari et noto. Moſes graviſſime loquitur: *Et deus dixit: fiat lux, et facta eſt lux.* Verba ſunt ſimpliciſſima et notiſſima. Graeci, homines ſenſibus maxime addicti et auribus auditorum titillandis nati, verborum pompam et lenocinia repererunt, quibus homines allicerent et delectarent: a quibus hauſit Cicero illorum diſcipulus, auramque popularem captans. Hinc Grammatici et Rhetores, qui ſe ad guſtum hominum accommodare ſolent, illa lenocinia verborum in formam artis adeo redegerunt. An vero nos ſeveri Germani Graecos illos ubique imitandos ſumere debeamus, aliis judicandum relinquo. Hoc tantum moneo, pompam verborum, ad pulchritudinem ac gravitatem rei declarandam exquiſitorum, ſaepius movere ſuſpicionem, rem ipſam non pulchram per ſe ac gravem eſſe. Idem valet de mythologia aliisque figmentis. Condonanda haec ſunt Graecis et Romanis, utpote gentilibus. Cur repetimus talia chriſtianis auribus et oculis; cum ſint obſoleta et ab noſtris moribus ac ſacris abhorrentia? Veritatem ſequamur potius; et miſeri ſumus, ſi non ubique vere loqui poſſumus, ſed ad figmenta confugere cogimur. Scio, quid contra dici poſſit. Scio vero etiam, nullam veram utilitatem e mythologia aliisque figmentis, v. c. fabulis romaneſſibus etc., a genere humano percipi poſſe. Haec hactenus. Redeo ad perſpicuitatem. Si quis tandem omnibus promiſcue, et doctis et indoctis, ſcribit aut dicit, utrorumque intelligentiae conſulere debet: ut adeo, ſi a plebe non intelligatur, perſpicue ſcripſiſſe minime dicendus ſit. Hanc in claſſem maxime quatuor ſcriptorum genera refero 1) qui fabulas, ad corrigendos hominum animos inventas, ſcribunt 2) qui capita doctrinae morum populari modo tractant, qui vitia hominum, non tan-

tum doctorum ſed et indoctorum perſtringunt more Rabeneri etc., it. qui de diſciplina domeſtica, de puerorum inſtitutione corrigenda, ſcribunt etc. 3) qui orationes ſacras edunt 4) qui capita diſciplinae et artis alicujus indoctis explicare ſtuduerunt. Id quod in arte medendi (nam in Theologia dudum factum eſt) a nonnullis hodie cum plauſu factum videmus. In his nomino Unzerum et Tiſſotum: qui profeſſi ſunt, ſe, non medicis, ſed artis medendi imperitis ſcripſiſſe. Nec negaverim, multa in eorum libris indoctos, h. e. qui non ſint medici, intelligere atque ita diſcere poſſe, v. c. de puri aetheris utilitate, de uſu pomorum ſalubri, aliaque, quae ad diaetam univerſam pertinent, itemque de ſignis morborum univerſis etc. At permulta imo pleraque inſunt, quae non niſi a medico intelligantur, ut iſti duumviri dicendi ſint vel legem perſpicuitatis per imprudentiam migraſſe vel tantum ſimulaſſe, ſe indoctorum gratia ſcribere. Omnino omnis perſpicuitas eſt res difficilis. At longe majoris eſt artis ac difficultatis ita ſcribere, ut ab indoctis intelligare, quam ita, ut ab doctis. Hi enim ſaepiſſime, quae deſunt, mente et cogitatione facile ſupplere, et, quid ſcriptor voluerit, conjectura quodam modo aſſequi poſſunt.

SECT. III

De fontibus perſpicuitatis remotioribus ſ. generalibus.

Fontes perſpicuitatis remotiores ſunt hi:

I) Primus fons eſt *ingenium bonum*, ſine quo nihil omnino praeclari fieri poteſt. Per *ingenium* hic intelligo non *illam facultatem mentis ſimilitudinem rerum perſpiciendi* et *obſervandi* (Witz) ſed ex uſu loquendi vulgari *totum complexum egregiarum virtutum ſeu facultatum mentis, den guten Kopf, das gute Genie*. Hoc *ingenium* duabus rebus ſeu virtutibus primariis, de mea quidem ſententia, continetur: a) *primum phantaſia praeclara et feraci,*

feraci, qua et *ideae notionesque priſcae facillime repetuntur* (hactenus eſt mater memoriae felicis) et *novae ideae notionesque facillime inveniuntur*, vel ſponte ac ſaepe temere vel in primis ſimilitudine aut conjunctione aliqua notionum anſam praebente: b) *deinde praeclaro ſubactoque judicio*, h. e. facultate facile ſentiendi et animadvertendi, quae ideae ac notiones ſibimet invicem conveniant, quae non, atque ita vel conjungi vel disjungi debeant: quae facultas oritur maxime ope attentionis, ingeniis bonis ſemper propriae, ut quae cujusque rei ſigna facile et ſponte obſervare ſolent, ſi quidem illa attentio bene culta et exercitata eſt. Utraque iſta facultas (phantaſia et judicium) conjuncta debet in eo eſſe, cui ingenium bonum tribuere rite volumus. Phantaſia, ſine qua judicium eſſe nequit, colligit et ſuppeditat variarum idearum et notionum multitudinem, eſtque inſtar condipromi. Iudicium deinde has digerit conjungitque apte atque ita, ut ſingularum natura ac relatio poſtulat. Iam quomodo, quaeſo, judicium notiones apte digerere ac ſuo quamque loco, velut imperator milites ſuos, collocare poteſt, niſi jam in mente reperit multas variasque notiones a ſola phantaſia exſpectandas et arceſſendas? Miror igitur eos, qui aliquem ajunt poſſe ingenio carere, et tamen praeclaro judicio inſtructum eſſe, eumque, qui judicio valeat, ei, cui bonum ſit ingenium, praeferendum eſſe. Neſcio profecto, quid loquantur, vel potius ipſi neſciunt. Videntur forſan partem cum toto, phantaſiam cum ingenio, confundere, vel per ingenium intelligere facultatem illam mentis ſimilitudinem rerum inveniendi, *den Witz:* nam et haec et phantaſia nomine ingenii a Cicerone inſignitur. Nullo modo fieri poteſt, ut homo, carens phantaſia praeclara, judicio praeclaro utatur. At homo, licet careat judicio praeclaro, tamen praeclara phantaſia inſtructus eſſe poteſt, ac vel ſic quodam modo laudem ingenii boni meretur. Neque enim tan-

tum phantaſia eſt pars certiſſima ingenii boni, ſed etiam, ut e ſuperioribus patet, baſis et fundamentum judicii, h. e. ſuppeditat menti facultatem materiamque judicandi. Sed quod non omnes, qui phantaſia egregia utuntur atque adeo ſaepe abundant, judicio ſubtili praeclaroque inſtructi ſunt, hujus rei culpa non ineſt in natura mentis eorum, quippe quae eſt capaciſſima judicii vel ſubtiliſſimi, ſed vel in parentibus et magiſtris, qui illorum mentem mature ad rerum cauſas et ordinem attendere non juſſerunt, ſicque eam acuere et ſubtiliter judicando notionibusque recte vel conjungendis vel disjungendis aſſuefacere neglexerunt, vel in ipſis illis, v. c. in negligentia, in animi commotionum fervore etc. Homo v. c. nimia honoris, pecuniae, ultionis etc. cupiditate flagrans, aliisque animi perturbationibus nimis deditus (et homines, quo ſunt feliciori ingenio h. e. phantaſia praediti, eo fervidioribus animi motibus trahuntur, niſi mature eos regere et opprimere didicerunt, idque in primis mature corrigendo et ad ſubtilitatem adducendo judicio), homo, inquam, animi motionibus nimis obnoxius harum tumultu facile impeditur, quo minus ſeriem et relationem idearum perſpiciat ac rem quamque legitime judicet. Nam judicium legitimum ac ſubtile requirit animum placidum atque tranquillum. At ille, licet perperam ſaepe judicet, tamen propterea laude phantaſiae praeclarae atque ita boni ingenii non ſimpliciter eſt privandus. Qui vero cuiquam phantaſia praeclara, parte illa boni ingenii primaria, manifeſte carenti judicium tribuunt, idque, ut nonnunquam addunt, egregium, eos toto, quod ajunt, coelo errare e ſupra dictis apparet. Forſan viderunt aliquando aliquem, praeclara phantaſia carentem, *judicia aliquot recta ac praeclara proferre.* An vero propterea judicavit? Forſan aliorum, v. c. magiſtri, parentum etc., judicia, ut fit, pro ſuis venditavit, atque ita duntaxat id, quod audiverat

ac

ac memoria tenebat, memoriter recitavit. At qui non ſponte judicat, h. e. qui ſuum vel aſſenſum vel disſenſum non ſuopte ingenio declarat, ſed aliorum dictata repetit, is ne judicare quidem, nedum praeclare judicare, dici poteſt. Quae hic dixi, nituntur experientia, quae in ejusmodi rebus debet decernere. Memini, parentes quosdam, cum filios meae diſciplinae traderent, mihi dicere, eos, licet non ingenio bono, at judicio egregio, inſtructos eſſe. At vidi, hos eſſe ſtupidiſſimos. — Hoc igitur ingenium bonum, late ſic dictum, *der gute Kopf*, *das gute Genie*, conanti perſpicue ſcribere et dicere ſumme neceſſarium eſt. Sentit enim illud difficultatem rei cujusque, ſentit defectum cauſarum, connexionis, et omnium eorum, quae perſpicuae explicationi ſerviunt, atque ita ea ſupplere poteſt: attendit ad argumentorum levitatem, pondus, connexionem etc., et ſcit, unde ſumat: ſuppeditat enim ſimul omnia, quae ad perſpicuitatem pertinent.

II) Alter perſpicuitatis fons eſt *doctrina ſolida ac ſubtilis:* quam et cognitionem rerum philoſophicam dixeris: quae cernitur in eo, ut non ſolum multa didiceris (nam omnes fere diſciplinae omnesque fere artes eloquentiam adjuvant) ſed etiam ita didiceris, ut non tantum ſingularum rerum, quas noris, cauſas easque juſtas, verum quoque, ſi fieri poteſt, harum cauſarum cauſas ſcias et memorare facile queas. Theologus v. c. inſtructus eſt doctrina ſolida, ſi ſingula Theologiae capita non modo tenet, ſed etiam loca librorum ſacrorum novit, quorum auctoritate illa capita nitantur: at nec hoc ſufficit: debet etiam noſſe, quomodo ea ex iſtis locis legitime demonſtrari ac defendi poſſint. Sic Philologus ſolida eruditione praeditus eſt, ſi v. c. hiſtoriam priſcam vel antiquitates romanas graecasve non modo novit, ſed etiam dicere poteſt, quibus priſcorum locis illae nitantur et quomodo inde eruantur. Sponte patere judico, doctrinam ſolidam, quae ſine in-

 genio

genio bono parari non poteſt, eſſe fontem perſpicuitatis certiſſimum. Nam, quod in rebus ſenſuum imperio obnoxiis ſunt ſigna externa, idem ſunt in rebus ſenſus non ferientibus argumenta ſ. cauſae. Hae etenim ſunt ſigna veritatis; et veram rem eſſe non aliunde, quam e cauſis allatis ſ. argumentis, colligimus. Qui Logicen vel attigit, is novit, ideam ſ. notionem diſtinctam dici eam, quando ſigna objecti noris; eamque magis diſtinctam et adaequatam (ut vulgo loquuntur) fieri, ſi ſignorum ſigna memorare queas. Iam, qui rerum, de quibus dicere ac ſcribere parat, cauſas ac, ſi fieri poteſt, cauſarum cauſas novit, ut tali modo mens ejus non niſi notionibus maxime diſtinctis et adaequatis, ut Logici appellant, utatur atque ita in clariſſima luce verſetur, nonne is, quae diſtincte novit et cogitat, ea etiam diſtincte ac perſpicue dicere poſſit et ſcribere? Nihil facilius eſſe dixerim: debet enim ille, quae cogitat, ea duntaxat eloqui vel calamo excipere. Hinc ego ſemper, ſi quem doctorum video perſpicue aliquid tradere, eum puto id accurate ſcire ſeu cognitione ejus ſolida ſubtilique ornatum eſſe. Qui contra de re contorte, obſcure et confuſe, disſerunt, ii plerumque eam non accurate tenere videntur: ac raro iis credendum eſt, qui affirmant, ſe rem egregie ſcire, at verbis exprimere perſpicue non poſſe. Neque tamen nego, interdum accidere poſſe, ut homo pereruditus remque egregie callens tamen eam obſcuris verbis tradat, atque ita perſpicuitati officiat. Verum hoc e ſuperbia quadam plerumque naſci puto, qua inflatus ſibique nimis placens artificium ſcribendi, more puerorum, oſtentare ac laudem ſcilicet magnam magnae eruditionis inde conſequi cupit: quaſi eruditionis ſit magnae, vel verba rara adhibere vel ſenſa animi ea verborum obſcuritate involvere, ut nemini eo penetrare liceat. Hinc

III) *Modeſtiam* fontibus perſpicuitatis adjungo. Modeſtia monere nos poteſt, ut laudem non ponamus

in

in iis, quae aliis displiceant, atque ita in ſcribendo dicendoque talia verba talemque eorum compagem ſequamur, ut facile nos alii intelligant. Quod nobis in aliis non placet, id aliis in nobis aeque non placebit. Non placet nobis aliorum obſcuritas in dicendo ac ſcribendo: ergo et noſtra aliis displicebit, hincque eam vitare noſtrum eſt. Stultus erat ille magiſter apud Quintil. Inſtit. VIII, 2, qui diſcipulos, quae ſcriberent, obſcurare jubebat, utens verbo *σκότισον* h. e. quo obſcurius, eo melius. Imo, quo obſcurius, eo ſtultius.

IIII) Quartus perſpicuitatis fons eſt *cognitio hominum*. Intelligo hic eam, quando novimus, quid homines vulgo intelligant et intelligere poſſint, quid non. Orator et ſcriptor, ſi hoc neſcit, quomodo ſe ad eorum intelligentiam accommodare poteſt? Quotus vero quisque eſt, qui hominum mentes accurate norit, et qui id agat, ut antea, quam aliquid dicat vel ſcribat, ſedulo indaget, an lectores et auditores ſingula recte intellecturi ſint? Plerique putant, quia ipſi ea intelligant, quae ſcribant et dicant, propterea etiam auditores lectoresque eſſe intellecturos. In quo valde errant: nam, quin vel obſcuriſſime ſcribens dicensve ea, quae ſcribat dicatve, intelligere poſſit, quis dubitet? Diu enim meditatus eſt, remque ita familiarem ſibi reddidit. At auditor et lector inſcias aures et oculos inſciamque mentem ſecum afferunt. — Sed unde addiſcitur iſta cognitio hominum? Variis ex rebus: primum ex uſu hominum, ſi crebro de variis rebus cum illis disputes, ſi more Socratis te inſcium eſſe plane ſimules ac doceri cupias, ſi de iis, quae legerint, audiverint, interroges, quomodo ea intellexerint etc. Deinde ex te ipſo, ſi crebro te interroges, quid de hac vel illa re cogites, quomodo explicare velis, ſi forte ſubito hoc facere jubeare etc. In primis tandem ex inſtitutione diligenti adoleſcentum. Hic crebra eſt occaſio humanae mentis rationem, vires, imbecillitatem, inſcitiam indagan-

indagandi. Hinc fieri videmus, ut, quo quis diutius in erudienda adolefcentia verfatus eft, idque cum fide, diligentia et religione fumma, eo magis ille perfpicue rem tradere poffit. Cafaubonus, Gefnerus et Ernefti, ut plures taceam, hoc fuis exemplis docent. Nec tamen negandum eft, ingenio bono opus quoque effe ad mentis humanae vires explorandas.

V) Quintus fons perfpicuitatis eft *linguae*, qua in dicendo et fcribendo uteris, *accurata cognitio*. In quaque lingua fingulae notiones variis illae quidem modis exprimi poffunt, fed eft tamen alius alio aptior et dilucidior: ac plerumque unus eft aptiffimus et maxime perfpicuus. In omni lingua funt vocabula rara, obfcura, ambigua, perfpicua, propria; conftructiones et connexiones ambiguae, contortae, faciles, perfpicuae etc. Quas omnes res fi non fatis nofti, fi delectum earum habere nefcis, femper in periculo es, ne obfcuris ambiguisque vocabulis et conftructionibus pro perfpicuis utare. At vero diu linguam aliquam tractaveris neceffe eft antea, quam eo pervenias, ut jufto vocabulorum delectu, ordine et conftructione, ubique uti difcas. Et dolendum eft, hodie linguam adeo vernaculam a permultis negligi et inter res leves numerari; cum tamen lingua feu fermo fit imago mentis, et fingula vocabula fint imagines fingularum notionum, ut adeo, qui linguam negligit et contemnit, mentem quoque negligere et contemnere videatur. Culturam linguae, tanquam rem fupervacaneam, Criticis relinquendam putant, quafi non omnes omnino homines recte loqui et ea, quae alii recte loquantur, recte intelligere debeant. Quanto minus mirum eft, latinae culturam vulgo negligi, praefertim cum homines non magnum illi pretium vulgo ftatui videant, fciantque, fe latine non locuturos effe. Nam hodie nemo fere linguam vult difcere, nifi eam, qua cum aliis loqui poffit, v. c. Francogallicam etc., quafi linguae externae loquendi

caufa

cauſa tantum diſcendae ſint. Videntur vulgo de vernaculae uſu ad uſum omnium linguarum concludere. Sed unde linguae cognitio comparatur? E lectione bonorum librorum diligenti. Legendi igitur ſunt, ſi vernacule cupis perſpicue ſcribere et dicere, ſcriptores vernaculi optimi, h. e. qui eloquentiae atque ita perſpicuitatis laude excellunt. Orator enim verus ſ. vere eloquens eſt ubique perſpicuus. Ita, ſi latine cupis perſpicue ſcribere ac dicere, legas frequenter ſcriptores priſcos eloquentia claros, in primis Ciceronem, exemplar perſpicuitatis probatiſſimum, nec cum vulgo putes, ex iis nihil praeter vocabula latina hauriri. Imo inde diſcimus artem recte, venuſte, perſpicue cogitandi, dicendi et ſcribendi.

VI) *Prudentia* quoque eſt fons perſpicuitatis. Ea nos ab inepta inanique placendi cupiditate et affectationis ſtudio, matre obſcuritatis, absterrere poteſt, docens nos, omnem verborum ornatum ſine ſententia pulchra eſſe puerilem; ſapientem curare magis res ac ſententias quam verba, utpote quae ſponte ſequi ſolent, modo recte cogitaveris. Stultum eſt in durioribus translationibus, trajectionibus etc., laudem ſapientiae quaerere. Verba ſunt inſtar veſtis, ſententia inſtar corporis. Iam quis veſtis magis curam gerat quam corporis? vel verba ſunt fere putamina, ſententia nucleus: hunc potius appetimus. Ridiculus foret, qui hoſpiti ſuo fructus apponeret, quorum putamina picta auroque ornata, ipſi fructus eſſent putres vel vulgaris ſaporis.

VII) Sunt et alii perſpicuitatis fontes, v. c. ingenium hilare proclivius eſt ad facilitatem locutionis et perſpicuitatem, quam triſte: ac ſaepius illud pendet a liberaliori educatione, a fortunis etc. Aliud eſt ingenium in egeſtate aliud in divitiis educati. Magni quoque refert, quo magiſtro uſus ſis. Si magiſtrum triſtem et obſcuritatis ſtudioſum aut hilarem et perſpicuitatis aman-

amantem nactus es, facile te ad ejus ſimilitudinem conformabis: et a teneris aſſueſcere multum eſt. Non parum quoque intereſt, quales libros primum legeris, utrum obſcure an perſpicue ſcriptos. Qui v. c. Yungii, Britanni, cogitationes nocturnas primum legit, et cum guſtu legit, ei alii libri minus ſapient, et is Yungiano more ſcribere cupiet: praeſertim cum nonnulli putent, ſi ipſorum cogitationes non ſtatim intelligantur, hoc eſſe ſignum majoris et exquiſitioris doctrinae etc.

SECT. IIII

De fontibus propioribus perſpicuitatis in univerſum.

Fontibus perſpicuitatis remotioribus recenſitis recenſebimus propiores h. e. eas res, quibus proprie perſpicuitas dicendi ſcribendique efficitur. Fontes hi propiores ſunt duplicis generis: pertinent vel ad res ſ. notiones, ad quas omnes enuntiationes quoque referendae, explicandas; vel ad verba, quibus et ſingulae et conjunctae notiones explicantur. Fruſtra eſt de verborum perſpicuitate laborare, niſi antea notiones, quas explicare verbis ſtudes, perſpicue et accurate h. e. ex omnibus partibus et attributis atque, ut loquuntur, circumſtantiis cogites. Nam has partes omnes, haec attributa, has circumſtantias verbis recte exprimere eſt perſpicue loqui ac ſcribere. Fontes igitur, niſi forte omnes, at praecipuos memorabimus.

SECT. V

A) *De fontibus perſpicuitatis propioribus in explicandis rebus ſ. notionibus.*

Fontes perſpicuitatis propiores in explicandis rebus ſ. notionibus cernuntur in additionibus juſtis novarum notionum, per quas illae res ſ. notiones certiores magisque definitae reddantur, atque ita lectores

et

et auditores non modo eas plane, h. e. aeque ac ſcriptor et orator, intelligant, ſed etiam certas eſſe ſibi ſtatim perſuadeant. Omni itaque obſcuritati, errori ac dubitationi, quae in animo auditorum et lectorum oriri poſſit, ſedulo ac mature occurrendum eſt, resque ita eorum menti proponendae ſunt, ut haec eas totas exque omnibus partibus perſpiciat, nec quidquam in iis deſideret. Ut igitur praecipuos fontes perſpicuitatis nominem, addere rebus explicandis debemus *cauſas* ſ. *argumenta*, *exempla*, *teſtimonia*, *conditionem*, *modum*, *inſtrumentum et omnia ea*, *per quae res factae ſunt*, *temporis et loci notionem; utendum eſt ſaepe dilatatione notionis per periphraſin*, *notiones nonnullae ſaepius repetendae ſunt*, *interdum brevitate utendum*, *ordo idearum obſervandus*, *et acumen ſaepe vitandum eſt* etc.

SECT. VI

1) *De adjectione cauſarum.*

Primus ac praecipuus fons perſpicuitatis eſt *adjectio cauſarum* ſ. *argumentorum:* qua nihil ad rem planiſſimam reddendam atque ita ad perſuadendum efficacius eſſe conſtat. *Cauſa* ſ. *argumentum* eſt enuntiatio, cujus veritate, tanquam fundamento, nititur veritas alius enuntiationis; ſeu brevius: eſt *ſignum veritatis*. Hinc patet, quanti referat cauſas bene noſſe. Poſſint inter eas quoque referri *teſtimonia*: haec enim in rebus hiſtoricis ſola valent ad evincendum, rem vere factam eſſe: it. *exempla*, quia per ea demum ſaepe numero docemur rem aliquam eſſe certam ac veram. Sed de teſtimoniis et exemplis, quia mos ita poſtulat, ſeparatim infra (Sect. 7 et 8) agetur: hic loquemur tantum de *cauſis* proprie ſic dictis ſ. argumentis vulgo appellatis. *Cauſae* igitur addantur

I) In primis *theſi* ſ. *enuntiationi generali*, quam ſcribendo dicendove tractas et explicare latius atque illuſtrare cupis.

Hic

Hic quatuor ſunt obſervanda: 1) cauſae debent eſſe ſatis firmae; 2) ſatis multae; 3) debent rite tractari; 4) debent ſaepe repeti. Haec quatuor breviter, perſpicue tamen, explicabimus.

1) Cauſae debent eſſe ſatis firmae, certae, *graves* h. e. tales, ut propter eas theſis illa vera eſſe videatur, et ut lector vel auditor ad id, quod velis, credendum, atque ita ad amandum vel averſandum, hincque vel agendum vel omittendum abripiatur. De ipſarum ratione ac delectu non multa hic dici poſſunt, quia alius rei aliae ſunt cauſae: et coram aliis auditoribus et lectoribus aliae cauſae ſunt afferendae, prout eorum eſt intelligentia et guſtus; ac ſaepe temporis locique ratio eſt habenda. Orator ipſe vel ſcriptor antea, quam cauſas ſuas in publicum effert, diligenter videat, an ipſe iis moveatur h. e. propter eas theſin ſuam pro certa habeat. Nam, ut flendum eſt tibi prius, ſi vis me flere, ita ipſe cauſa aliqua ante moveare neceſſe eſt, ſi vis me illa moveri. Orator frigidus, vimque cauſae ſ. argumenti ipſe non ſentiens, licet valde clamet, tamen nihil efficit, ſed auditores reddit ſui ſimiles h. e. frigidos. Non clamor ſed pondus argumentorum facit, ut prudentes rem credant et pro vera habeant. Quare ſingulas cauſas aliquoties et interjecto aliquo tempore debemus perpendere, h. e. cum theſi conjungere et judicare, an propter hanc vel illam cauſam res theſi ſ. themate comprehenſa neceſſario credi debeat. Saepe enim fit, ut cauſam, ſemel cogitatam, pro certa, firma, gravique habeamus, quam, ſi poſt aliquod tempus iterum cogitamus et cum themate in mente noſtra conjungimus, videmus parum certam, firmam, gravemque, imo levem ac frigidiuſculam eſſe.

2) Cauſae debent eſſe ſatis *multae*, ſi fieri poteſt. Quo enim plures illae ſunt, eo firmior et certior res audienti et legenti videtur. At et hic ſunt cautiones: a) Saepe non omnes recenſere opus: interdum praeteritione, figura illa rhetorica, uti licet, praeſertim ſi res non valde ignota, non valde incerta, ac dubia eſt. Sed b) omnes hae cauſae, quotcunque ſunt, debent eſſe certae, firmae ac graves. Leves enim et incertae cauſae firmitati ceterarum et gravitati officiunt ac theſin ipſam reddunt dubiam et ſuſpectam, et ipſe ſcriptor vel orator fit ſuſpectus amittitque aliquid auctoritatis ſuae. Non credendum hic eſt rhetoribus, qui leves cauſas immiſceri patiuntur easque, velut milites timidos et inertes, vel fortibus cauſis praeponi vel inter has interſeri jubent. Fecerunt quidem ita nonnunquam priſci

priſci in orationibus habitis coram plebe, quae argumenta numerare non ponderare ſolet, atque hujus animum multitudine cauſarum opprimere, repente commovere, atque ita illam ad ſententiam ſuam amplectendam inflammare et abripere ſtuduerunt. At nos hodie, in alio rerum ſtatu viventes et clariori veritatis luce in omnibus rebus (ut ſaltem gloriamur) utentes, vix deceat iſtam levitatem imitari. Qui de re certa ac vera loquitur et ſcribit, ei profecto non deſunt certa et firma argumenta, modo ipſam recte norit. Praeſtat ſaepe unam cauſam, ſi firma et gravis eſt, afferre, quam multas leves et infirmas. Prudens lector vel auditor curat earum gravitatem, non multitudinem. Iudicio hic permagno opus eſt, ne ſine neceſſitate cauſas cumulemus, et alibi, ubi opus erant, plane omittamus. Lectorum et auditorum reique ipſius ratio habenda eſt.

3) Cauſae debent etiam *recte tractari* h. e. ita tradi, ut manifeſte appareat, quomodo propter eas theſis ipſa credibilis ac certa ſit. Quod niſi fit, lectoris vel auditoris menti non perſuadetur de firmitate theſeos. Habet interdum orator cauſas et bene multas et bene firmas et graves: at ita eas tradit et recitat, ut earum vis non appareat. Omnia igitur vertuntur in earum recta tractatione, quae eſt res ſummae artis maximaeque difficultatis. Quomodo ea inſtituitur? Tria hic requiruntur. a) *Primum* debet cauſa, ſi opus eſt h. e. ſi non per ſe intelligitur, explicari et tam diu illuſtrari, donec ſentiamus planam eſſe. Haec explicatio et illuſtratio debet brevis eſſe, ne conjunctio cauſae vel cum ſequenti ejus confirmatione vel cum theſi nimis interrumpatur, et attentio legentis et maxime audientis impediatur et minuatur. Interdum cauſa per ſe patet, nec indiget explicatione et illuſtratione: unde eam addere putidum foret et lectori vel auditori ingratum. Nihil enim ingratius et moleſtius eſt, quam audire ac videre, ea explicari et illuſtrari, quae jam plane intelligamus, ac forſan dudum plane intellexerimus. Omnia explicare et illuſtrare eſt diffidere lectoris vel auditoris intelligentiae et prudentiae, ipſumque pro ſtulto et imperito habere. Nonne hoc ei moleſtum eſſe et ſummopere diſplicere debet? b) *Deinde* debet oſtendi, cauſam iſtam eſſe firmam et certam: quod non alia ratione fieri poteſt, quam adjicienda alia cauſa, eaque non minus certa, qua illa nitatur. Haec cauſa adjecta itidem debet, ſi opus eſt, explicari, illuſtrari, atque adeo nova cauſa confirmari, quae talis ſit, ut alia cauſa non egeat.

Inter has caufas adjiciendas exempla et teftimonia quoque pertinere per fe patet. V. c. quando demonftrare vellem, mortem non debere nobis nimiopere horrendam videri, adderem forfan caufam hanc: *quia via eft ad felicitatem aeternam.* Huic caufae forfan hanc caufam fubnecterem: quia literae facrae hoc nos docent, et tandem loca aliquot eaque praecipua laudarem. Poffem vero illius thefeos: *mors non nimis horrenda videri debet*, aliam quoque caufam afferre, hanc fcilicet: *quia omnibus hominibus inftat.* Quaero hic: *cur inftat hominibus?* et refpondeo: *ob ftructuram corporis humani*; poffum etiam fic quaerere: *unde fcimus, mortem omnibus inftare?* tum refpondeo: quia experientia hoc nos docet: nemo enim hominem cognovit vel de aliquo audivit legitve, qui non mortuus effet: addere etiam poffum illam caufam a corporis humani ftructura petitam. c) *Tandem* caufa debet conjungi cum thefi, h. e. debet doceri, quomodo ex ifta caufa, recte quidem explicata, illuftrata et per alias caufas ftabilita, vel ex iftis caufis, fi plures funt, fequatur, thefin effe certam et veram. Fit hoc per conclufionem v. c. ita: Iam fi hoc vel illud, quod caufae loco allatum erat, certum eft, apparet quoque thefin, quae ex illa caufa fluit, effe veram. Addi quoque poteft ac debet alia caufa, quae conclufionem confirmet. V. c. Thema: *Mors non nimis eft pertimefcenda.* Cur? prior caufa: *nam omnibus inftat.* Cur? iterum confirmatur duabus rebus: *quia non modo experientia hoc quotidie docet, fed et corporis noftri ftructura monet.* Hinc concludo: *Si omnibus mors inftat, cur eam nimis pertimefco?* Cur f. quomodo hoc inde fequitur? *quis enim fapiens id nimiopere fugiat et timeat, quod effugere non poteft?* Pofterior caufa: *nam eft via ad felicitatem aeternam:* Eftne hoc verum? eft: *nam libri divini hoc docent.* An hi vere loquuntur? Recte. Iam concludo: *Si mors eft via* etc., *quis eam timeat?* Cur f. quomodo hoc inde fequitur? *Quis enim timeat viam, quae eum ad meliorem fert locum, quam is eft, ubi nunc degit?* Poteft etiam hic tanquam caufa tertia adjici exemplum eorum, qui mortem non timuerunt, v. c. Socratis etc. Tum concludo: *Si alii homines mortem contemnere fustinuerunt: cur nos timeamus?* En caufam: *Nam, quod alii potuerunt, etiam nos poffe debemus, modo velimus, modo audeamus* h. e. *modo animum noftrum eodem modo conformemus et fapientia* h. e. *vera rerum notione atque ita mortis inftruamus* etc.

4) Caufae iftae debent quam faepiffime et omni occafione, et maxime in fine orationis ac tractationis totius, repeti,

peti, ne auditor vel lector eas obliviſcatur. At haec repetitio debet aliis verbis inſtitui, ne taedium legenti audientive creetur, ac plerumque tecte h. e. ita, ut lector vel auditor vix ſentiat, ſe audire vel legere eandem cauſam jam ante vel ſaepius lectam aut auditam. In quo artificio regnat Cicero, qui cauſas omni occaſione repetit et inculcat, at ſimul varias iis veſtes induere novit. Legantur in primis ejus orationes. In Maniliana v. c. Cicero vult oſtendere, bellum Mithridaticum eſſe grave; cauſam in primis affert hanc, quod vectigalia Aſiae in periculo ſint. De his igitur vectigalibus, quae conſervare Romanorum magni intererat, omni occaſione ac ſingulis fere paginis aliquoties loquitur, eorumque periculum in mentem auditorum revocat. Ibidem docere vult, Pompejum ſolum dignum eſſe, qui illi bello praeficiatur; hic addit cauſam hanc, quia ſingularibus virtutibus ſit praeditus. Has igitur virtutes ſaepius et omni occaſione repetit, at ſaepe ita, ut repetere non videatur. Et ſic in aliis orationibus. Res per ſe patet. Auditor vel lector cauſas, licet diligenter explicatas et confirmatas, tamen propter multitudinem aliarum rerum, quas audit legitve, interdum obliviſcitur. Memoriae igitur illius ſubveniendum eſt. In fine autem orationis rurſus repeti debere ita, ut auditor earum ſummam denuo intueatur et contempletur, per ſe patet. Nam, quo propius ad finem tendit oratio, eo magis capita ejus praecipua e mente auditoris, niſi valde ſit ſapiens et attentus, elapſa plerumque ſunt. Ceterum enumerationem cauſarum et ſatis firmarum et ſatis multarum, earumque rectam tractationem et crebram repetitionem, efficere, ut res ſ. theſis ipſa melius perſpiciatur atque ita perſpicuitas dicendi valde adjuvetur, manifeſtum eſt, ut adeo non mirum eſſe debeat, nos hanc rem ad perſpicuitatem retuliſſe. Nam ſine cauſis nulla rei eſt certa perſpicuitas, nedum perſuaſio.

II) Aliis quoque enuntiationibus ſingulis, niſi apertiſſimae ac fere ſole clariores ſint, cauſae ubique addendae ſunt. Auditores et lectores, licet cauſas ipſi ſaepe addere et cogitare poſſint, tamen raro hoc faciunt, maluntque ab oratore et ſcriptore eas audire et diſcere, praeſertim cum mens vel maxime attenti lectoris et auditoris tandem defatigaretur cauſis ubique ſponte quaerendis et inveniendis: unde plerumque

taedium vel ſaltem defectus attentionis ſequeretur. Deficiente vero attentione lectoris et auditoris quomodo ei perſuadeas? quomodo eum moveas? Cicero, ſi quem laudat, vituperat, monet, hortatur, orat, ſi ſuadet, miratur, ſi quid pro magno, incredibili, parvo, contemnendo habet, ſi quid credit, praedicit, optat, ſperat, timet etc., ubique fere cauſas addit, quamquam non quilibet lector eas pro cauſis ubique forſan habeat, quia ſaepiſſime tecte prolatae et intextae nec particulis cauſalibus inſignitae ſunt. Verſatur igitur hac in re dupliciter, *diſerte* et *tecte.*

A) Primum *diſerte*, per *cum*, *quia*, *quoniam*, *quo*, *quin* (i. e. *quo non*), *ut*, *ne*, *nam*, *enim*, *etenim*, *propter*, *adductus*, *motus*, *incitatus*, *impeditus* etc. v. c. Manil. 1 in. dicit, *ſe nondum pro roſtris dixiſſe;* hujus rei addit cauſam hanc: *non mea me voluntas ſed vitae meae rationes — prohibuerunt:* huic cauſae aliam cauſam ſubjungit: *nam omne meum tempus amicorum periculis* h. e. cauſis in foro agendis *transmiſi:* et hanc cauſam confirmat hac cauſa: *nam per aetatem et ob eloquentiae defectum non auſus ſum pro roſtris dicere.* En ipſam verborum Tullianorum compagem hanc: *Quamquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter multo jucundiſſimus, hic autem locus ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus, Quirites: tamen hoc aditu laudis, qui ſemper optimo cuique maxime patuit, non mea me voluntas, ſed vitae meae rationes ab ineunte aetate ſusceptae prohibuerunt. Nam, cum antea per aetatem nondum hujus auctoritatem loci attingere auderem, ſtatueremque, nihil huc, niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria, afferri oportere, omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi.* — Ibid. c. 3 in. hortari vult Romanos, *ut maculam, Mithridatico bello ſuperiore conceptam, deleant*; non hoc ſimpliciter ita eloquitur, ſed addit cauſas, cur delenda ſit illa macula, 1) quia Romani laudis appetentes ſint 2) quia Mithridates nondum pulſus ſit; et hujus rei cauſam hanc addit, quia Imperatores nondum illum regem vincere ſatis potuerunt. Haec omnia ita effert: *Et, quoniam ſemper appetentes gloriae praeter ceteras gentes atque avidi laudis fuiſtis, delenda vobis eſt illa macula, Mithridatico bello ſuperiore ſuſcepta, quae penitus jam inſedit atque inveteravit in populi romani nomine; quod is, qui uno die, tota Aſia, tot in civita-*

civitatibus uno nuntio atque una literarum significatione cives romanos necandos trucidandosque denotavit, non modo adhuc poenam nullam, suo dignam scelere, suscepit, sed ab illo tempore annum jam tertium et vicesimum regnat, et ita regnat, ut se non Ponto neque Cappadociae latebris occultare velit, sed emergere e patrio regno atque in vestris vectigalibus, hoc est, in Asiae luce versari. Etenim adhuc ita vestri cum illo rege contenderunt imperatores, ut ab illo insignia victoriae, non victoriam, reportarent. — Ibid. c. 6 ostendit necessitatem Asiae provinciae ob vectigalia defendendae et belli statim cum Mithridate gerendi, his utens verbis: *Itaque haec vobis provincia, Quirites, si ad belli utilitatem et pacis dignitatem retinere vultis, non modo a calamitate sed etiam a metu calamitatis est defendenda.* Statim addit causam: *Nam ceteris in rebus, cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur. At in vectigalibus non solum adventus mali sed etiam metus ipse affert calamitatem.* Hujus causae addit hanc causam statim: *Nam, cum hostium copiae non longe absunt, etiam si irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit. Ita neque ex portu neque ex decumis neque ex scriptura vectigal conservari potest.* — Verr. I, 2 Cicero ait, se propterea Verris accusationem suscepisse, ut judices occasionem haberent illo damnando suae justitiae declarandae et invidiae judiciorum levandae, atque ita populum a consilio judicia transferendi a senatoribus in equites avocarent: *Itaque mihi videor magnam et maxime aegram et prope depositam reipublicae partem suscepisse, neque in eo magis meae quam nostrae laudi existimationique servisse.* Addit causam: *Accessi enim ad invidiam judiciorum levandam vituperationemque tollendam, ut, cum haec res pro voluntate populi romani esset judicata, aliqua ex parte mea diligentia constituta auctoritas judiciorum videretur: postremo, ut esset hoc judicatum, ut finis aliquando judiciariae controversiae constitueretur.* Addit causam: *Etenim sine dubio, judices, in hac causa ea res in discrimen adducitur.* Additur causa: *Reus est enim nocentissimus; qui si condemnatur, desinent homines dicere* etc. — Ad Div. I, ep. 1 in. *Ego omni officio ac potius pietate erga te ceteris satisfacio omnibus, mihi ipse nunquam satisfacio.* Statim addit causam: *Tanta enim magnitudo est tuorum erga me meritorum, ut, quoniam tu, nisi perfecta re* (i. e. revocatione Ciceronis) *de me, non conquiesti, ego, quia non idem in tua causa* (i. e. restitutione regis Aegyptii) *efficio, vitam mihi esse acerbam putem.* In qua causa duae

aliae causae insertae sunt, *quoniam tu* etc., et *quia non idem* etc. — Ad Div. V, ep. 5 in. *Etsi statueram nullas ad te literas mittere nisi commendaticias, non quo eas intelligerem satis apud te valere, sed, ne iis, qui me rogarent, aliquid de nostra conjunctione imminutum esse ostenderem* etc. En duas causas, unam negativam h. e. non veram, *non quo eas intelligerem* etc., alteram positivam h. e. veram, *sed, ne iis, qui* etc. — Ibid. III, ep. 9 §. 12 Cicero rogat Appium, ut sibi curet supplicationem decernendam; et addit *pro tua fide, diligentia et amicitia*. Verba sunt: *Illud, quod pollice-ris, velim pro tua fide diligentiaque et pro nostra non insti-tuta* (i. e. incepta demum) *sed jam inveterata amicitia cures, enitare, ut supplicatio nobis quam honorificentissime quam pri-mumque decernatur.* Ac sic Cicero millies.

B) Deinde solet in primis Cicero causas innumeris in locis *tecte* adjicere h. e. ut non a quolibet statim sentiatur, quia nulla particula causalis aliudve signum solenne causae adest. Fit hoc variis modis:

1) Omittit saepissime particulam causalem, si per se intelligitur: v. c. Manil. 3 *Etenim adhuc ita vestri cum illo rege contenderunt imperatores, ut ab illo insignia victoriae, non victoriam, reportarent. Triumphavit L. Sulla, triumpha-vit L. Murena de Mithridate, duo fortissimi viri et summi imperatores, sed ita triumpharunt, ut ille pulsus superatusque regnaret:* pro *Triumphavit enim L. Sulla* etc. Per *insignia* enim *victoriae* intelligit *triumphos.* — Ibid. c. 9 ait, Mithridatem secum multas quoque copias ab aliis regibus subsidio missas habere, additque causam, quia reges a regibus adjuvari solent. Haec ita exponit: *Mithridates autem et suam manum jam confirmarat, et eorum, qui se ex ejus regno collegerant, et magnis adventiciis auxiliis multo-rum regum et nationum juvabatur. Hoc jam fere sic fieri solere accepimus, ut regum afflictae fortunae facile multorum opes alli-ciant ad misericordiam, maximeque eorum, qui aut reges sunt aut vivunt in regno* etc.: pro *Hoc enim jam fere* etc. — Ad Div. IIII, ep. 9 §. 14, ubi Marcello reditum in patriam propterea suadet, quia tutior ibi sit sedes quam alibi. Hoc ita effert: *Caput illud est, ut, si ista vita* (i. e. in loco, ubi nunc es) *tibi commodior esse videatur, cogitandum tamen sit, ne tutior non sit. Magna gladiorum* (alii *gladiatorum*, quod facilius) *est licentia: sed in externis locis minor etiam ad fa-cinus* (i. e. caedem) *verecundia:* pro *Magna enim gladio-rum* etc. — Ad Div. V, ep. 2 §. 25, ubi se purgat Metello, quod

quod in ejus fratrem acerbe dixerat: *cognoſce nunc humanitatem, ſi humanitas appellanda eſt in acerbiſſima injuria remiſſio animi ac diſſolutio.* Statim cauſam addit hanc: *Nulla eſt a me unquam ſententia dicta in fratrem tuum: quotiescunque aliquid eſt actum, ſedens iis adſenſi, qui mihi leniſſime ſentire viſi ſunt:* pro *Nulla enim eſt a me* etc. Ac ſic ſexcenties.

2) *Qui quae quod* millies apud Ciceronem ſubſtituitur particulis cauſalibus *nam*, *quia*, *cum* etc. v. c. Manil. 2 *Genus eſt belli ejusmodi, quod maxime veſtros animos excitare atque inflammare debeat: in quo agitur populi romani gloria — agitur ſalus ſociorum atque amicorum — aguntur certiſſima populi romani vectigalia et maxima, quibus amiſſis et pacis ornamenta et ſubſidia belli requiretis: aguntur bona multorum civium, quibus eſt a vobis et ipſorum et reipublicae cauſa conſulendum.* Hic *qui* ter ſuſtinet vicem particulae cauſalis: *in quo agitur* etc. dictum eſt pro *nam in eo agitur* etc., deinde *quibus amiſſis* eſt pro *nam iis amiſſis*, tandem *quibus eſt a vobis* etc. pro *nam iis eſt a vobis* etc. — Ibid. c. 14 extr. *Et quisquam dubitabit, quin huic* (Pompejo) *hoc tantum bellum transmittendum ſit, qui ad omnia noſtrae memoriae bella conficienda divino quodam conſilio natus eſſe videatur?* ubi *qui ad omnia* etc. dictum pro *cum is ad omnia* etc. — Ad Div. IIII, ep. 2 §. 1 bis eſt *qui* pro *nam, quia*: *A. d. III Kal. Majas cum eſſem in Cumano, accepi tuas literas. Quibus lectis cognovi non ſatis prudenter feciſſe Philotimum; qui, cum abs te mandata haberet, ut ſcribis, de omnibus rebus, ipſe ad me non veniſſet, literas tuas miſiſſet: quas intellexi breviores fuiſſe, quod eum perlaturum putaſſes.* Hic *qui cum abs te mandata haberet — ad me non veniſſet* dictum eſt pro *Nam, cum abs te mandata haberet, non venerat;* et *quas intellexi* etc. pro *nam eas intellexi* ſ. *quia eas intellexi* etc. — Ad Div. III, ep. 9 §. 11 Cicero proprie dicere vult: *Nam profecto non eſt meum committere, ut negligens in ſcribendo fuiſſe videar.* Pro eo ita loquitur: *Nam profecto non eſt meum, qui in ſcribendo, ut ſoles admirari, tantum induſtriae ponam, committere, ut negligens in ſcribendo fuiſſe videar: praeſertim cum id non modo negligentis ſed etiam ingrati animi crimen futurum ſit.* Verba: *qui in ſcribendo tantum induſtriae ponam* continent cauſam, cur non ſit Ciceronis negligentem eſſe in ſcribendo: addit aliam cauſam *praeſertim cum id non modo* etc. — Ad Div. V, ep. 2 §. 15, ubi Cicero ea defendens, quae contra Metelli fratrem egerit, ita loquitur: *Si vero meam ſalutem contra illius* (i. e. fratris

fratris tui) *impetum in me crudeliſſimum defenderim; ſatis habeas* (i. e. ſis contentus) *nihil me etiam tecum de tui fratris injuria conqueri. Quem ego cum comperiſſem omnem ſui tribunatus conatum in meam perniciem parare atque meditari* etc., ubi *Quem ego cum comperiſſem* eſt pro *Nam cum ego comperiſſem* etc. — Ibid. §. 19 de eodem Metelli fratre per ironiam: *Hominem gravem et civem egregium! qui, qua poena ſenatus conſenſu bonorum omnium eos affecerat, qui urbem incendere, magiſtratus ac ſenatum trucidare, bellum maximum conflare voluiſſent, eadem dignum judicaret eum, qui curiam caede, urbem incendiis, Italiam bello liberaſſet*, ubi verba *qui, qua poena* etc. ſunt cauſa, cur vocet illum hominem gravem et civem egregium: poterat dicere: *O hominem gravem et civem egregium! nam* ſ. *quia, qua poena — affecerat, — eadem dignum judicabat eum* etc. — Ibid. ep. 12 §. 16 *Quem enim noſtrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miſeratione delectat? qui tum denique ſibi avelli jubet ſpiculum, poſteaquam ei percontanti dictum eſt, clypeum eſſe ſalvum* etc. pro *Nam is tum denique ſibi avelli* etc. Ac ſic ſaepius. Pertinet iſte uſus ad brevitatem: hinc ſupra p. 463 ff. jam in capite de *brevitate dicendi* de uſu pronominis *qui*, it. p. 295 in capite de *connexione membrorum* diximus, quae addi poſſunt.

3) Particula *ſi* a Cicerone innumeris locis particulae cauſali *quia, cum* etc., ſubſtituitur ob modeſtiam. V. c. Manil. 6 in. *Quare, ſi propter ſocios nulla ipſi injuria laceſſiti majores noſtri cum Antiocho, cum Philippo, cum Aetolis, cum Poenis bella geſſerunt: quanto vos ſtudio convenit, injuriis provocatos, ſociorum ſalutem una cum imperii veſtri dignitate defendere* etc. pro *Quare cum propter — bella geſſerint* etc. et paulo poſt: *Itaque haec vobis provincia, Quirites, ſi ad belli utilitatem et pacis dignitatem retinere vultis, non modo a calamitate ſed etiam a metu calamitatis eſt defendenda.* Ubi *ſi* aperte eſt pro *quia*: nam profecto retinere volebant provinciam: at Cicero ſimulat ſe dubitanter loqui, quaſi incertum ſit, an retinere velint, ipſisque permittere, utrum velint retinere nec ne. — Ad Div. V, ep. 2 §. 24 *Et, ſi intelligis, non me dicto Metelli* (fratris tui), *ut ſcribis, ſed conſilio ejus animoque in me inimiciſſimo eſſe commotum, cognoſce nunc humanitatem* etc. pro *Et cum haud dubie* e ſupra dictis *intelligas* etc. At illud modeſtius dictum: ſed cauſam ibi latere manifeſtum eſt e ſequentibus *cognoſce* etc. — Ibid. §. 29 *A te peto, ut tu quoque aequum te judicem dolori meo praebeas: ſi acerbe, ſi crudeliter, ſi ſine cauſa a tuis*

tuis oppugnatus, ut ſtatuas mihi non modo non cedendum, ſed etiam tuo atque exercitus tui auxilio in ejusmodi cauſa utendum fuiſſe: ubi aperte *ſi* pro *quia, cum:* at profecto illud modeſtius, humanius, atque ita venuſtius dictum. — Add. Catil. I, 3 in. *Etenim quid eſt, Catilina, quod jam amplius exſpectes, ſi neque nox tenebris obſcurare coetus nefarios nec privata domus parietibus voces conjurationis tuae poteſt: ſi illuſtrantur, ſi erumpunt omnia?* pro *cum* ſ. *quia neque* etc. — Arch. 12 *Quae cum ita ſint, petimus a vobis, judices, ſi qua non modo humana verum etiam divina in tantis negotiis commendatio debet eſſe, ut eum* etc., ubi *ſi qua* pro *quia aliqua, cum aliqua* etc. Ac ſic ſaepius. — It. apud Poetas ſaepe *ſi* pro *cum, quia*, ponitur: v. c. *rogo te, Iupiter, ut hoc vel illud facias, ſi rite te colui, ſacra rite feci* etc. Sic Virgil. Aen. I, 607 Aeneas Didoni ait: *Dii tibi, ſi qua pios reſpectant numina, ſi quid usquam juſtitiae eſt et mens ſibi conſcia recti, praemia digna ferant!* — In primis Cicero, ubi de ſe, de ſuis virtutibus, loquitur, tanquam cauſis, ob quas aliquid petit vel per quas effici aliquid vult: v. c. rogo te, ut, ſi dignus ſim, mihi hoc tribuas etc. Arch. 1 in. *Si quid eſt in me ingenii* etc. Manil. 1 *Si quid auctoritatis in me eſt, ea apud eos utar* etc. Certo ſciebat Cicero ſibi eſſe *ingenium* etc., ſibi eſſe *auctoritatem* propter magiſtratum, quem gerebat: at humanitatis et modeſtiae erat, de his rebus dubitanter loqui. Quam rationem in primis adoleſcentibus imitandam cenſuerim. Nihil enim magis commendandum eſt quam humanitas et modeſtia: et pertinet ea ſimul ad ſuavitatem dicendi: nihil enim ſuavius quam modeſte dicere.

4) Per appoſitionem, quam vulgo vocant in libellis grammaticis, exprimit Cicero ſaepiſſime quoque cauſam: v. c. Ad Div. IIII, ep. 2 §. 3 Cicero Sulpicio, conſilium ejus exquirenti, dicere vult: *Ego nihil tibi ſuadere poſſum*, et cauſam addere hanc: *quia tu ipſe ſatis prudens es.* At ita loquitur: *Quod meum conſilium exquiris, id eſt tale, ut capere facilius ipſe poſſim, quam alteri dare. Quid enim eſt, quod audeam ſuadere tibi homini ſumma auctoritate ſummaque prudentia?* Quisque videt in verbis *homini ſumma auctoritate* etc. latere cauſam, cur ei conſilium dare nolit; et dictum eſſe pro *quia ipſe es homo ſumma auctoritate ſummaque prudentia* ſ. *cum ſis ipſe homo* etc. Notetur ibi ſimul ſumma Ciceronis humanitas et obſervantia in vocabulo *audeam* pro *poſſim, velim:* illud longe fortius eſt. — Idem fere dixit Cicero Marcello ibid. ep. 8 in. *Neque movere te*

audeo praeſtanti prudentia virum, *nec confirmare maximi animi hominem unumque fortiſſimum* pro *Neque monere te audeo*, *quia es vir praeſtanti prudentia*, *nec confirmare*, *quia es homo maximi animi* etc., ubi itidem *audeo* venuſte et humane dictum pro *volo.* — Catil. III, 12 prope fin. *Vos, Quirites*, *quoniam jam nox eſt*, *veneramini illum Iovem*, *cuſtodem hujus urbis ac veſtrum* etc. In verbis *cuſtodem hujus* etc. latet cauſa, cur venerari debeant Iovem, *quia eſt cuſtos hujus urbis et veſter* ſ. *quia hanc urbem vosque cuſtodierit et contra Catilinarios impetus defenderit.* — Verr. II, 37 med. *Iſte* (Verres), *homo omnium aequiſſimus atque a cupiditate remotiſſimus*, *ſe cogniturum eſſe confirmat* pro *Iſte*, *quia eſt homo aequiſſimus* etc.: ironice dictum. — Ceterum hanc rationem ad brevitatem dicendi pertinere ſponte intelligitur. Eodem modo dicere poſſis: *Quis Ciceronem*, *hominem eloquentiſſimum et in bene ſcribendi arte exercitatiſſimum non ſibi in bene ſcribendo imitandum proponat?* pro *cum ſit homo eloquentiſſimus* etc. *Quis non literarum ſtudia*, *delicias cujusque ſapientis*, *amanda putet?* pro *cum ſint deliciae* etc. *Veneremur Deum*, *creatorem noſtrum* i. e. *quia nos creavit. Odi pigritiam*, *matrem multorum malorum* pro *quia eſt mater* etc.

5) Etiam in participio ſaepe latet cauſa, v. c. *amemus Deum nobis quotidie bene facientem* pro *quia bene facit* etc. *Odi pigritiam nos a ſtudio ſapientiae revocantem* i. e. *quia nos revocat* etc. *Viſo patre animum collegi; viſis hoſtibus milites fugere coeperunt.* — De aliis participiis, quae cauſas per ſe continent, ut *motus*, *ductus*, *adductus*, *incitatus*, *inflammatus*, *prohibitus*, *adjutus* etc. hic non ſermo eſt; antea S. 6 II, A p. 524 de iis diximus.

6) Saepe etiam periphraſi apud Ciceronem aliosque bonos ſcriptores tecte includitur argumentum: quae ratio inprimis commendanda, praeſertim cum ſimul gravitati ſerviat. V. c. Cic. Roſc. Am. 23 prope fin. *Nemo enim putabat*, *quemquam eſſe*, *qui*, *cum omnia divina atque humana jura ſcelere nefario polluiſſet*, *ſomnum ſtatim capere potuiſſet* pro *Nemo enim putabat*, *quemquam eſſe*, *qui*, *cum patrem occidiſſet*, *ſomnum ſtatim capere potuiſſet*, ſeu pro *Nemo enim putabat*, *quemquam parricidam* (nam de hoc ſermo ibi eſt) *ſomnum ſtatim capere potuiſſe.* At illa parricidae circumſcriptio *quemquam eſſe*, *qui*, *cum omnia divina atque humana jura ſcelere nefario polluiſſet* continet ſimul cauſam, cur is, qui patrem occiderit, non poſſit ſtatim poſt illud facinus patratum capere ſomnum, ſcilicet hanc, quia iſto ſcelere

omnia

omnia jura divina et humana, quantum in ipso est, violavit. — Liv. V, 27 Camillus ad magistrum quendam ludi pueros, quos erudiebat, in castra Camilli ducentem atque ita prodentem, loquitur, istud factum nefarium valde vituperans: *Arma*, inquit, *habemus*, *non adversus eam aetatem*, *cui etiam in captis urbibus parcitur*, *sed adversus armatos:* per *aetatem eam*, *cui etiam in captis urbibus parcitur* intelligit *pueros* s. *pueritiam*. At in illa circumscriptione latet causa: sensus enim est: *Arma habemus non adversus pueritiam*, *nam huic aetati etiam in captis adeo urbibus parci solet*, *sed tantum adversus armatos*. Conf. supra caput de *copia* (P. I, c. 9 S. 2, 10 A 2 p. 408 ss.), ubi plures periphrases. Sed istae periphrases, quae argumentum tecte continent, pertinent, ut facile patet, ad brevitatem dicendi.

7) Huc referendum est, quod enuntiationi, quae simpliciter efferri poterat et vulgo quoque solet, praeponitur enuntiatio causam ejus tecte complectens: v. c. pro *quis hoc non perspicit?* dicitur *quis est tam stultus* s. *tam rerum imperitus*, *ut non perspiciat?* Nam *stultitia* seu *imperitia* est *causa*, cur homo non aliquid perspiciat. Sic pro *Deus nobis quotidie bene facit* dici potest: *Deus est tanta benignitate*, *ut nobis quotidie bene faciat*: nam *benignitas Dei magna* est causa, cur nobis quotidie bene faciat. Sic pro *Deus omnia efficere potest* dicitur *Deus est tam potens* s. *tanta potentia*, *ut omnia efficere possit* s. *ut nihil sit*, *quod efficere nequeat*. Sic Cicero millies, v. c. Phil. II, 15 pro *Neque vero frangebar animo propter vitae cupiditatem* etc. dixit: *Neque vero eram tam indoctus ignarusque rerum*, *ut frangerer animo propter vitae cupiditatem*. — Ibid. c. 7 pro *An tu hoc ausus es dicere in eo templo*, *in quo senatum — consulebam* dixit: *Adeone pudorem cum pudicitia perdidisti*, *ut hoc in eo templo dicere ausis sis*, *in quo* etc. — Arch. 9 pro *Omnes enim mandari versibus aeternum suorum laborum facile praeconium patiuntur*, h. e. *libenter res gestas suas carmine celebrari volunt*, dixit: *Neque enim quisquam est tam aversus a Musis*, *qui non mandari versibus aeternum suorum laborum facile praeconium patiatur*. — Ibid. c. 8 in. pro *Quis morte Roscii nuper non commotus est* h. e. *doluit?* dicere maluit: *Quis nostrum tam animo agresti ac duro fuit*, *ut Roscii* (comoedi clarissimi) *morte nuper non commoveretur?* — Ibid. c. 12 in. pro *An nos omnes*, *qui in republica atque in his vitae periculis laboribusque versamur*, *arbitremur*, *cum usque ad extremum spatium nullum tranquillum atque otiosum spiritum duxerimus*, *nobiscum simul omnia moritura?* egregie ita

ita loquitur: *An vero tam parvi animi videamur esse omnes, qui in republica atque in his vitae periculis laboribusque versamur, ut, cum usque ad extremum spatium nullum tranquillum atque otiosum spiritum duxerimus, nobiscum simul moritura omnia arbitremur?* — Plura exempla congesta reperies supra in capite de *copia dicendi* (P. I, c. 9 S. 3, 2 p. 419 ff.): ibi enim de periphrasi late egimus.

SECT. VII

2) *De adjectione exemplorum.*

Alter fons perspicuitatis propior in explicatione idearum est *adjectio exemplorum.* Haec in primis valent ad rem, quam explicamus, et de qua lectori et auditori cupimus persuaderi, perspicuam reddendam. Exempla longe plus valent caussis s. argumentis e rei natura petitis. Argumenta docent, rem fieri potuisse, exempla, rem factam esse: argumenta efficiunt, ut res verisimilis videatur, exempla declarant rem esse veram. Saepe lector vel auditor argumentis fidem ita habet, ut tamen simul dubitet, an res, quae commendatur, ab hominibus vere patrata sit; at, si audit vel legit, vere patratam esse, hinc colligit, eam quoque ab aliis hominibus et a se patrari posse. Nam homo concludit vulgo sic: Si res ab aliis jam acta est, se quoque eam agere posse; contra, si res per se quidem fieri possit, sed nondum ab aliquo facta sit, nec se eam facere forsan posse. Et sic in aliis rebus auctoritas exemplorum ubique postulatur. Recte. Exempla enim veritatem, ut sic loquar, e regno possibilium in regnum visibilium transferunt, efficiuntque, ut lector vel auditor rei veritatem, quam antea in genere cognorat, nunc quasi ob oculos videat. *Exemplum* possis ita definire, ut dicas esse *enuntiationem factum aliquod continentem*, per quod docetur, rem, quam tradis et explicas, vere in natura rerum fuisse et factam esse, seu brevius sic: ut dicas esse *factum aliquod explicandae thesi accommodatum.*

De exemplorum juſto uſu haec notabimus:

1) *Exempla debent rei accurate convenire*, h. e. homines, quorum exemplum affertur, debent id vere praeſtitiſſe, quod in theſi tractatur, eodemque modo, quo dictum eſt, praeſtari debere: v. c. ſi ſermo eſt de mortis contemtu, exemplo eſſe poteſt Socrates: nam is vere mortem contemſit; non vero Cicero, qui, licet de mortis contemtu praeclare loquatur, tamen eam, ubi vere inſtabat, timuit. Sic, ſi de paupertatis ſtudio et divitiarum contemtu loqueris, idem Socrates exemplo recte eſſe poteſt, itemque Fabricius, Curius: Hi enim ſponte contemſerunt divitias, cum eas conſequi facile poſſent. Non vero ii memorandi ſunt, qui, quia pauperes eſſe cogebantur nec divitiarum conſequendarum facultatem habuerant, eas contemſerunt vel potius contemnere ſimularunt: nec ii, qui, quia divites jam ſunt, divitias ſe non appetere nec amare dicunt. — In exemplis etiam hoc videndum, ut, ſi v. c. in tractanda virtute aliqua hominem memoras ea vere praeditum, hic non ſimul aliis multis iisque notis vitiis gravioribus inquinatus ſit, ne exempli auctoritas imminuatur. Nam hominem laudari audienti mihi ſi in mentem venit cetera ejus vita prava: virtus ea, quae in illo laudatur, fit, neſcio quo pacto, ſuſpecta. Non afferrem exempli cauſa Catilinae fortitudinem in perferendis laboribus etc.

2) Deinde *exempla debent eſſe vera.* Ficta nil efficiunt, niſi apud indoctos, imperitos. At hos decipere quantae artis! quantae vero utilitatis, ſi illi aliquando vident et diſcunt, rem, quam pro certa audiverant, fabulam eſſe. Hinc forſan judicari poteſt, quantum utilitatis fabulae romanenſes, comoediae, tragoediae, carmina plena deorum et dearum lectori et ſpectatori indocto afferre poſſint in virtutis ſtudio inflammando.

3) *Exempla debent etiam recte tractari*, h. e. debet effici, ut eorum auctoritas appareat: hinc debent a) interdum explicari, ſi quidem non ſatis nota creduntur, ac v. c. doceri, quo conſilio et animo hic vel ille rem geſſerit, cur res ita geri vel non geri potuerit, neceſſe fuerit etc. b) ſaepe etiam argumento aliquo confirmari: v. c. poſtquam de contemtu divitiarum Socratis exemplum allatum eſt, poſſunt variae cauſae addi, v. c. *ſciebat enim, veras divitias in ſapientia ac virtute, non in externis rebus, cerni;* vel *didicerat enim, omnem, qui contentus eſſe poſſet, eſſe divitem* ſ. *non poſſe eſſe pauperem;* vel *qui divitias contemnere poſſet, ditiſſimum eſſe;* vel *didicerat enim iis rebus carere, propter quas divitiae inventae*

tae

tae sunt s. *quas divitiae solae suppeditant* etc. c) tandem *debent exempla non modo conjungi cum thesi* h. e. doceri, theseos veritatem ex illis sequi, *sed etiam* in primis, ut vis eorum melius appareat, *adjuvari* saepissime concludendo a majori ad minus vel a minori ad majus vel a pari ad par: v. c. *Si Socrates, qui gentilis fuit, eo progredi potuit fortitudinis, ut mortem, inimicam illam generis humani vulgo tam terribilem, contemneret, quanto magis nos decet, qui Christiani sumus, id efficere posse*, vel brevius: *Si Socrates, ut gentilis, hoc potuit efficere, quanto magis nos, ut Christiani, id efficere posse debemus*, vel: *Si philosophia gentilis tantum valuit in morte contemnenda, quanto magis debet hic valere philosophia christiana? Si Socrates solius mentis ope id effecit, quanto magis nos religione christiana adjuti* etc. Sic: *Si Socrates divitiarum inutilitatem perspexit, quanto magis nos Christiani* etc. vel: *Si Socrates contemnenda morte, despiciendis divitiis, tantam laudem consecutus est, nonne etiam nos* etc.

SECT. VIII

3) *De adjectione testimoniorum.*

Tertius fons perspicuitatis propior in explicandis ideis est *testimoniorum adjectio*. *Testimonia* 1) in rebus historicis sunt summe necessaria, si res, quae traduntur, pro certis ac perspicuis haberi debent, et plus valent, quam omnia argumenta e rei natura ducta. At, si gravia fideque digna esse debent, proficiscantur oportet ab hominibus fide dignis h. e. qui et rem, quam narrant, recte norint, atque ita recte narrare possint, et simul recte vereque narrare velint omnique mendacii vanitatisque studio careant. Sed 2) in aliis quoque rebus, v. c. in judicanda praestantia, utilitate alicujus rei, interdum *testimonia*, si quidem sunt a magnis celebribusque viris petita, perspicuitati et persuasioni prosunt h. e. efficiunt, ut res certior fiat ejusque praestantia et utilitas vel turpitudo, necessitas etc. magis perspiciatur: quia vulgo homines multum tribuunt testimoniis clarorum virorum h. e. judiciis eorum de aliqua re, hincque libenter ad eorum auctoritatem provocant. Sed

cum

cum omnes homines, licet ſint clariſſimi et de noſtra ſententia maximi, tamen ſemper maneant homines h. e. labi interdum poſſint: non teſtimoniorum auctoritati nimis confidere debet orator vel ſcriptor, neque iis antea uti, quam res ipſa, quam per ea confirmare vult, jam argumentis et exemplis ſatis confirmata et fulta eſt. Male igitur agunt, qui ſtatim, poſtquam v. c. rem philoſophicam tradiderunt et veram eſſe dixerunt, hanc cauſam addunt: *nam ita dixit Cicero* vel *Plato* etc. vel *ſic omnes docti judicant.* *Teſtimonia* hic ſunt nihil aliud quam judicia doctorum de re aliqua. Quis in judicando non interdum fallitur? At, ſi rem jam aliunde conſtat certam eſſe, non inutile eſt addere, quid eruditi de ea judicent. Hic tamen, ut ſponte patet, excipienda ſunt teſtimonia librorum divinorum, quae ſemper ſunt certa atque vim argumentorum vere habent, ut adeo orator in laudanda vel vituperanda re ad dicta biblica recte provocet, modo haec recte explicentur et oſtendatur, quibus in verbis dicti inſit teſtimonium illud, ad quod provocas: nam interdum id latet in paucis dicti verbis, ut adeo, ſi totum dictum recites nec verba ipſa, quae proprie teſtimonium ſuppeditent, memores et explices, auditor nondum vim teſtimonii perſpiciat et ſentiat.

SECT. VIIII

4) *De adjectione conditionis.*

Quartus fons perſpicuitatis propior in explicandis rebus eſt *adjectio conditionis:* quae addi ſemper debet, ſi de re ſermo eſt, quae non niſi ſub certa conditione facta eſt fierive ſolet ac poteſt, certa, utilis, noxia eſt etc. Pertinet hoc ad diligentiam ſ. ſubtilitatem dicendi, nihil omittentem, quod lector vel auditor exſpectare poſſit, et veram matrem perſpicuitatis. Ac cum pleraeque res humanae non niſi ſub certa condi-

conditione fiant, certae, utiles, noxiae, praeclarae ſint etc.: apparet innumeris in locis notionem conditionis addendam eſſe. Cicero etiam hic nobis exemplar eſſe poteſt. Nunquam is fere ſimpliciter aliquid confirmat, pollicetur, rogat etc., ſed fere ſemper adjecta conditione, utens particulis, *ſi*, *niſi*, *quoad* ſ. *quod* i. e. *quoad*, *quantum* etc.

V. c. Agr. II, 6 in. legem Rulli agrariam disſuaſurus ita loquitur: *Omni hoc vobis ratione confirmare poſſum, Quirites, hoc animo me ad legendam legem cognoſcendamque veniſſe, ut, ſi eam vobis accommodatam atque utilem eſſe intelligerem, auctor ejus atque adjutor eſſem.* Recte. An vero aliter loqui poterat? Tolle verba: *ſi eam vobis — intelligerem*, et videbis, quam imprudenter ſtulteque dictum ſit. — Ad Diverſ. XIII, ep. 28 in. ſcribit Servio, ſe quidem libenter ab eo petere, ſed multo libentius gratias agere; id quod haud dubie eſt ſignum animi generoſi. Ita ergo loquitur: *Etſi libenter petere a te ſoleo, ſi quid opus eſt meorum cuipiam, tamen multo libentius gratias tibi ago, cum feciſti aliquid commendatione mea* etc. Tollas verba *ſi quid opus eſt meorum cuipiam* et ſenties, Ciceronem locutum eſſe more plebis, quae ob humilitatem et levitatem animi ubique et a quolibet petit, ſi quid beneficii accipere poteſt, non habita ratione conditionis alicujus juſtae. — Ad Div. XV, ep. 11 extr. Marcello ſcribens, ſe propediem Romae fore, ita loquitur: *Ego, ſi me navigatio non morabitur, quae incurrebat in ipſos eteſias, propediem te, ut ſpero, videbo.* Sic omnes prudentes loqui debent: neque enim navigatio eſt in hominis poteſtate. Cicero, ſi conditionem *ſi me navigatio non morabitur* omiſiſſet, falſo locutus eſſet. — Ad Div. XIII, ep. 17 §. 6 Curium Servio commendans ita loquitur: *Spondebo enim tibi, vel potius ſpondeo in meque recipio, eos eſſe M. Curii mores, eamque tum probitatem tum etiam humanitatem, ut eum et amicitia tua et tam accurata commendatione, ſi tibi ſit cognitus, dignum ſis habiturus.* Quotus quisque recentiorum hanc conditionem *ſi tibi ſit cognitus* addidiſſet? Sed ineſt ei magna humanitas et modeſtia: quae vult, ut non ſimpliciter ab amico poſtulemus, ut aliquem ſua amicitia propter noſtram commendationem ſolam dignum judicet, ſed hactenus, ſi ipſe illum cognoverit. — Ibid. ep. 23 §. 4, ubi Anchialum Servio commendat: *Quare pergratum mihi feceris, ſi eum in*

amici-

amicitiam tuam receperis, atque eum, quod sine molestia tua fiat, si qua in re opus ei fuerit, juveris. Egregie h. e. accurate et humanissime dictum. Non vult, ut Servius Anchialum in universum et in omnibus rebus juvet, sed tantum, *si qua in re opus ei fuerit:* Non vult, ut Servius nulli labori molestiaeve in juvando Anchialo parcat, sed addit, *quod sine molestia tua fiat;* *quod* est *quoad*, *quantum*, *quatenus*, *in so fern.* Duplex igitur inest conditio. — Ibid. ep. 26 §. 6, ubi Mescinii Rufi negotia Servio commendat: *Sic enim praescripsimus iis, quibus ea negotia mandavimus, ut omnibus in rebus, quae in aliquam controversiam vocarentur, te arbitro, et, quod commodo tuo fieri posset, te disceptatore uterentur.* Verba *quod commodo tuo fieri posset* h. e. *quoad* s. *quatenus sine molestia tua fieri posset* sunt conditio humana, sub qua Cicero illud fieri velit. — Et §. 7 *Illud praeterea, si non alienum tua* (i. e. *a tua*) *dignitate putabis esse, feceris mihi pergratum, si qui difficiliores erunt, ut rem sine controversia confici nolint, si eos, quum cum senatore res est, Romam rejeceris.* Conditio *si non alienum a tua dignitate putabis esse* addita est ob humanitatem. Altera conditio *si qui difficiliores erunt* etc. a re ipsa postulabatur. — Ibid. ep. 37 extr., ubi Hippias Acilio commendatur: *Quoquo modo autem se res habet, peto a te, ut honoris mei causa eum expedias, tantumque ei commodes* (i. e. gratificeris) *et in hac re et in ceteris, quantum tua fides dignitasque patietur.* Quanta humanitas! Non vult, ut Acilius omnia omnino faciat, sed fidei suae et dignitatis rationem habeat. Ac propterea haec conditio, quae tecta quodam modo est, in petendo a nemine, nisi inhumano, omitti potest. Ac sic millies conditionem adjectam in Cicerone reperies. — Hanc rationem sedulo imitari debemus, v. c. pro *Liberi debent parentes amare* potest dici: *Liberi, si grati esse volunt, debent parentes amare.* Pro *Deus hominibus interdum bona interdum mala tribuit* possit ita dici: *Deus, quatenus sapientiae ipsius consentaneum est, hominibus modo bona modo mala tribuit*; vel *Deus modo bona, si ea nostris rebus utilia esse videt, nobis tribuit, modo mala, si ea nobis magis profutura intelligit, nobis immittit* etc.

SECT. X

5) *De adjectione modi.*

Quintus fons perspicuitatis propior in explicandis rebus est *adjectio modi*, quo res facta, vel credibilis,

certa ſit etc. Pertinet enim ad ſubtilitatem, matrem perſpicuitatis. Homines enim non contenti ſunt audire, aliquid factum eſſe, ſed quaerunt etiam, quomodo factum ſit etc. Iam ſupra P. I p. 404 ſ. hac de re, in cap. de *copia dicendi*, dictum eſt.

Hic tantum haec tria monebimus:

1) Si res fit vel facta eſt *caſu* aut *neceſſario*, addendum eſt *accidit*, *contingit*, *contigit*, *neceſſe eſt*, *forte*, *neceſſario* etc. V. c. pro *In itinere cum eſſem*, *reperi hominem*, *qui* etc. dicitur: *In itinere cum eſſem*, *accidit*, *contigit*, *ut reperirem hominem* etc. Pro *Cum pater mihi ereptus eſſet puero*, *non potui recte erudiri* dici poſſit: *Cum accidiſſet*, *ut pater mihi puero eriperetur*, *factum eſt*, *ut non poſſem recte erudiri.* Pro *Qui deditus eſt luxuriae*, *pauper tandem fiet* dici poſſit: *Qui luxuriae deditus eſt*, *pauper fiat* vel *egeſtate tandem prematur neceſſe eſt.* Pro *Qui in diſcendis literis non magnam induſtriam adhibet*, *non valde doctus fiet* dici poteſt: *Non* ſ. *nullo modo fieri poteſt*, *ut*, *qui in literis diſcendis non magnam adhibeat induſtriam*, *magnam doctrinam conſequatur;* vel etiam *Non credibile eſt hominem*, *qui non — adhibeat*, *valde doctum fieri.* Sic et per ablativos: v. c. *Cum in agro eſſem*, *vidi forte* ſ. *caſu hominem aliquem* etc. *Homo neceſſario* ſ. *neceſſitate naturae moritur.* — Not. Quamquam lector vel auditor plerumque in his locutionibus e ſequentibus eque contextu ſentit, rem factam eſſe caſu vel neceſſario: tamen humanius eſt ejus intelligentiae, ut ita loquar, obviam ire atque ita efficere, ut citius ſciat.

2) Si quid ab aliquo *bene* aut *male* actum dictumve eſt, hoc, licet e contextu perſpici poſſit, tamen addere convenit. Fit hoc maxime per adverbia, v. c. *bene*, *egregie*, *male*, *ſtulte* etc. v. c. Pro *Pompejus*, *qui rebus multis geſtis cognomen Magni acceperat*, *tandem in Aegypto periit* dici poteſt: *Pompejus*, *qui rebus multis bene geſtis cognomen Magni jure acceperat*, *tandem in Aegypto miſere periit.* Hic addita ſunt *bene*, *jure* et *miſere*, ſed ita, ut conveniant remque recte explicent. Sic ſi quem locum Ciceronis, Virgilii etc., quo praeclara ſententia continetur, afferre volo, poſſum ita incipere: *Hanc rem Cicero his verbis egregie confirmat*, vel *de hac re Cicero praeclare* ſ. *bene ait*: et tum ſequitur ipſa ſententia. Verum quidem eſt, lectorem vel auditorem ſponte, quando ſententiam videt auditve, judicare poſſe, *bene* illa verba dici: at quid obſtat, quo minus antea eum monea-

moneamus ipſiusque animum ad excipiendam egregiam ſententiam, tanquam hoſpitam, praeparemus et excitemus? Ac ſic in pluribus eſt agendum, omninoque uſus adverbiorum commendandus.

3) Si quid narramus et tradimus, hoc vel certo ſcimus vel opinamur, conjicimus, audivimus, arbitramur etc. Hinc notiones, modum hunc definientes, quo ſcimus aliquid, addendae ſunt, ut lector vel auditor ſciat, quid et quantum de illa re credere, utrum eam pro certiſſima, an pro incerta ac mera opinione habere debeat. Ancillae et homines earum ſimiles ſolent, quidquid narrant, ita tradere, quaſi certiſſimum ſit. Non ſic Cicero: qui ubique fere addit *certum*, *manifeſtum*, *indubitatum eſt*, ſi de re certiſſima ſermo, it. *conſtat*, *perſpicio*, *intelligo*, *video*, *apparet*, *ſcio*, *non neſcio* etc., contra de minus certa *arbitror*, *puto*, *exiſtimo*, *credo*, *videtur mihi* etc., de incertiſſima *opinor*, *conjicio*, *dicunt*, *ajunt*, *audivimus*, *rumor eſt* etc. Cujusmodi additamenta, quae nondum in vernaculam ſatis venerunt, quantopere perſpicuitatem adjuvent in Ciceronis libris, illorum pleniſſimis, vix dici poteſt. Paucula exempla dabimus: v. c. pro *deus eſt* dicitur *deum eſſe manifeſtum*, *certum*, *indubitatum eſt*, *aperte videmus* ſ. *intelligimus*, *nemo neſcit*, *nemo ignorat*, *quis eſt qui neſciat* ſ. *qui non videat?* — Cic. Manil. 7 *nam tum*, *cum in Aſia res magnas multi amiſerant*, *ſcimus Romae ſolutione impedita fidem concidiſſe*. Addit *ſcimus*, ut declaret, ſe de re omnibus nota loqui. Si omiſſo τῷ *ſcimus* dixiſſet *Romae ſolutione impedita fides concidit*, poterant nonnulli auditores, quibus iſta res haud nota erat vel non ſatis nota, opinari, eum tantum ita credere, nec de manifeſta re loqui. — Ad Div. IIII, ep. 14 §. 8 ſcribit Plancio exſulanti, quem conſolari volebat: *Si enim ſtatus erit aliquis civitatis*, *quicunque erit*, *te omnium periculorum video expertem fore. Nam alteros* (Caeſarianos) *tibi jam placatos eſſe intelligo*, *alteros* (Pompejanos) *nunquam iratos fuiſſe.* Addit *video* et *intelligo*, tanquam de re paulo certiori loquens, ut animum Plancii confirmet. — Sic *perſpicio* addit ad Div. II, 18 §. 4 *Nocere tibi iratum neminem poſſe perſpicio* etc., ut oſtendat, ſe de re minus dubia loqui. — Alibi addit *audivimus*, *accepimus* etc., *puto*, *arbitror*, *videtur* etc., ſi non audet pro certa rem habere; v. c. Manil. 9 *Hoc jam fere ſic fieri ſolere accepimus*, *ut regum afflictae fortunae facile multorum opes alliciant ad miſericordiam*, *maximeque eorum*, *qui aut reges ſunt aut vivunt in regno.* — Ad Div. V, ep. 21 §. 10 *Eſt enim*

res jam in eum locum deducta, ut, quamquam multum intersit inter eorum causas, qui dimicant, tamen inter victorias non multum interfuturum putem. Recte addit *putem*, quia nesciebat, an multum inter victorias ambarum partium interfuturum esset: quod si dixisset *interfuturum sit*, visus esset certo scire. — Ad Div. VI, ep. 4 §. 18 *Ego, quae te velle quaeque ad te et ad tuos pertinere arbitrabor, omnia studiose diligenterque curabo.* Recte addit *arbitrabor*, quia nescit ea omnia, quae ad Torquatum ejusque domum pertineant h. e. utilia esse possint; nescit, quae Torquatus velit. Si omisisset *arbitrabor* ac dixisset *quae tu vis, quaeque ad te et ad tuos pertinent*, falso ac simul paulo inhumanius dixisset. — Ibid. ep. 23 §. 5 *Ego, quid possim, nescio vel potius me parum posse sentio. Illud tamen tibi polliceor, me, quaecunque saluti dignitatique tuae conducere arbitrabor, tanto studio esse facturum* etc. Recte et modeste dictum. Homo homini non potest polliceri, se facturum omnia, quae illius saluti dignitatique conducant vere, sed tantum, quae *arbitratur* conducere. — Hinc et millies *videri* addit, v. c. ad Div. V, ep. 21 §. 8 *Neque me tamen ulla res alia Romae tenet, nisi exspectatio rerum Africanarum* (belli Africani). *Videtur enim mihi res in propinquum adducta discrimen.* Recte *videtur mihi adducta*, non *adducta est*: nec enim certo sciebat. — Ibid. §. 15 *Ego, si videbitur recte fieri posse, ad te veniam brevi* pro *si recte fieri poterit*; at rectius et accuratius additur *videbitur* h. e. *si credidero*: proficiscimur enim, non quia *recte* h. e. tuto proficisci possumus: quis enim mortalium hoc certo scit? sed quia credimus, nos posse. — Hinc Cicero saepe claudit periodos per *videatur*, quod non plane otiosum est, sed indicat, eum tantum *putare*, hoc vel illud ita esse; estque saepe modestius dictum: saepe tamen *videatur* est quoque idem quod *intelligatur man sieht.* Sed et de aliis hominibus Cicero, accurate loquens, ita loquitur, v. c. Cluent. 64, ubi sermo est de singulari furto Stratonis servi, qui fundum armarii exsecuerat atque ita pecuniam inde abstulerat: *Quidam ex amicis Sassiae recordatus est, se nuper in auctione quadam vidisse in rebus minutis aduncam ex omni parte dentium et tortuosam venire serrulam, qua illud* (armarium) *potuisse ita circumsecari videretur:* pro *qua illud potuisset ita circumsecari;* at recte additur *videretur*, quia mera tamen erat opinio et conjectura. — Hanc igitur rationem in primis imitemur, et v. c. pro *ego isto homine, quia probus et integer est, utar* dicamus *quia probus et integer videtur* vel, si paulo certius, *quia*

eum

eum probum et integrum esse judico, video, perspicio: sic, si librum praeclarum esse audivi et eum emere volo, non dicere possum: *Ego librum illum, quia praeclarus est, emam,* sed *Ego librum, quem praeclarum esse audivi, emam,* et sic in ceteris.

SECT. XI

6) *De adjectione instrumenti s. rerum, per quas res efficitur.*

Sextus fons perspicuitatis propior in explicandis rebus est *adjectio instrumenti* h. e. rerum earum, per quas aliquid fit, fiet vel effectum est. Pertinet ad subtilitatem explicationis. Lector vel auditor non modo vult scire, rem factam esse, cur et quomodo facta sit, etc., sed etiam quibus rebus et quibus auxiliis. Hoc nunquam omittendum est, nisi *statim sponte a quolibet* intelligatur. Stultum enim foret ubique dicere *oculis adspicere, pedibus ire, calamo scribere* etc. Ergo judicio quoque opus. Exempla pauca afferam. Quando dico: *Pompejus effecit, ut nomen Magni consequeretur,* sentio deesse *id, per quod* illud effecerit: rectius ergo dico *Pompejus multis rebus praeclare ac felicissime gestis effecit, ut nomen Magni consequeretur.* Sic pro *Ciceroni contigit, ut, licet ignobilis esset, ad summos honores perveniret* dicendum: *Ciceroni eloquentiae magnitudine contigit, ut* etc. Sic pro *Frater tuus eo felicitatis progressus est, ut ab omnibus omnino laudaretur* rectius dicitur *Frater tuus insigni humanitate, modestia,* vel etiam *summo virtutum studio* etc. *eo felicitatis progressus est, ut* etc. Nonne ita res fit magis perspicua? Sic Cicero ubique.

V. c. Marcell. 2 in laudanda magnitudine et celeritate rerum gestarum Caesaris ait: *nec vero disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis non dicam cursibus sed victoriis lustratae sunt.* Rectius et accuratius, quam si dixisset: *nec vero disjunctissimas terras*

 citius

citius a quoquam potuisse peragrari, quam a te lustratae (aliae edd. *illustratae*) *sunt.* Pro *a quoquam* non opus erat dici *passibus cujusquam:* at pro *a te* opus erat dici *cursibus*, imo *victoriis tuis*, vel *tuis non dicam cursibus sed victoriis:* at, quia hoc ponere volebat, mutabat quoque ob numerum s. concinnitatem membrorum *a quoquam* in *cujusquam passibus.* — Agrar. II, 3 med. *Neque enim ullo modo facere possum, ut, cum me intelligam non hominum potentium studio, non excellentibus gratiis paucorum, sed universi populi romani judicio consulem ita factum, ut nobilissimis hominibus longe praeponerer, non et in hoc magistratu et in omni vita sim* (sic leg. et sic Edit. Ernest., non *essem*, ut ceterae Editt. habent) *popularis.* Tolle verba *non hominum potentium studio, non excellentibus gratiis paucorum, sed universi populi romani judicio*, et omnis sententia periit. — Ibid. in fine narrans, quam misero statu rempublicam initio consulatus sui acceperit, ait inter alia miseriae illius signa: *sublata erat de foro fides*, et hic poterat desinere, sed addit: *non ictu aliquo novae calamitatis, sed suspicione ac perturbatione judiciorum, infirmatione rerum judicatarum.* Recte: ita enim intelligitur, quibus rebus fides sublata sit. — Orat. I, 9, ubi Scaevola Crassum, qui dixerat ab oratoribus civitates initio esse constitutas, refutans dicit: *Quis enim tibi hoc concesserit, aut initio genus hominum in montibus ac sylvis dissipatum non prudentium consiliis compulsum potius quam disertorum oratione delinitum se oppidis moenibusque sepsisse?* Recte additur *non prudentium consiliis compulsum potius quam disertorum* etc. — Ibid. c. 61 de Demosthene: *cumque ita balbus esset, ut ejus ipsius artis, cui studeret, primam literam non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius eo locutus putaretur.* Recte addit *meditando* h. e. *exercitatione.* — Ibid. c. 8 de praestantia eloquentiae: *Quid enim est tam admirabile — aut tam potens tamque magnificum, quam populi motus, judicum religiones, senatus gravitatem unius oratione converti?* Praeclare additum est *unius oratione.* Eadem haec sententia est fere Muren. 11 in. *Gravis etiam illa est et plena dignitatis dicendi facultas, quae saepe valuit in consule deligendo, posse consilio atque oratione et senatus et populi et eorum, qui res judicant, mentes permovere.* — Ad Div. VIIII, ep. 14 §. 14 Dolabellae, quem laudare vult, dicit: *Hoc si tibi fortuna quadam contigisset, gratularer felicitati tuae: sed contigit magnitudine tum animi tum etiam ingenii atque consilii.*

SECT.

SECT. XII

7) *De adjicienda notione temporis.*

Septimus perſpicuitatis fons propior eſt *adjectio temporis:* cujus notionem ad definite loquendum ac primariam notionem ſ. theſin plenius effingendam et explicandam pertinere, quis non videt? Volumus enim etiam ſcire, *quando res* facta ſit, *quamdiu* duraverit etc. Addere igitur illam eſt ſcriptoris et oratoris. Accuratius is v. c. loquitur, qui dicit: *heri frater tuus apud me fuit, et tres tantum horas mecum manſit*, quam qui dicit: *frater tuus apud me fuit, et non diu mecum manſit.* Nonne vero etiam prior magis perſpicue dixit? Sic, qui dicit: *amabo te, quoad vivam; beneficium tuum nunquam obliviſcar*, rectius loquitur, quam dicens: *amabo te, beneficium tuum non obliviſcar.* Cicero hanc diligentiam in addenda temporis notione ubique fere obſervat h. e. ubicunque poteſt et opus eſt.

V. c. Manil. 3 in. hortans Romanos, ut maculam in bello ſuperiori Mithridatico conceptam deleant, ita loquitur: *Et quoniam ſemper appetentes gloriae praeter ceteras gentes atque avidi laudis fuiſtis, delenda vobis eſt macula Mithridatico bello ſuperiore ſuſcepta* etc. Non dicit *macula ante ſuſcepta*, ſed *macula Mithridatico bello ſuperiore ſuſcepta*, ut tempus magis definiatur: et ſtatim explicat, qua re maculam illam conceperint, ac pergit: *quod is, qui uno die, tota Aſia, tot in civitatibus uno nuntio atque una literarum ſignificatione cives romanos necandos trucidandosque denotavit, non modo poenam nullam ſuscepit* etc. Intelligit Mithridatem: poterat verba *uno nuntio atque una literarum ſignificatione* omittere: at tum non tota notio facti illius Mithridatici patuiſſet. — Ad Div. I, ep. 1 in. *Ego omni officio ac potius pietate erga te ceteris ſatisfacio omnibus, mihi ipſi nunquam ſatisfacio.* Poterat dicere *mihi ipſi non ſatisfacio*: at quanto accuratius ac ſimul humanius *nunquam*, tanquam credat, ſe nunquam ſatis poſſe pietatis officiique Lentulo pro hujus opera in Cicerone revocando praeſtare. — Ad Div. XIII, ep. 17 in. Curii, quem commendat Servio, amicitiam laudans ait: *Nam et amicitia pervetus*

vetus mihi cum eo est, ut primum in forum venit, instituta (i. e. coepta), *et Patris cum aliquoties antea tum proxime hoc miserrimo bello domus ejus tota mihi patuit.* Attendas, quaeso, diligentiam Ciceronis! Poterat dicere: *Nam et amicitia pervetus mihi cum eo est dudum instituta et Patris cum aliquoties antea tum nuper domus ejus tota mihi patuit:* sed pro *dudum* maluit dicere *ut primum in forum venit* h. e. *togam virilem accepit*, et pro *nuper* maluit dicere *proxime hoc miserrimo bello.* — Add. Sulpicii Epist. ad Cic. in Epp. ad Div. IIII, ep. 12 §. 4 caedem Marcelli narrans: *Postridie ejus diei, cum ab Athenis proficisci in animo haberem, circiter hora decima noctis Postumius, familiaris ejus, ad me venit et mihi nuntiavit, M. Marcellum, collegam nostrum, post coenae tempus a P. Magio Cilone, familiare ejus, pugione percussum esse et duo vulnera accepisse, unum in stomacho, alterum in capite secundum aurem* etc. Quam diligenter! *postridie ejus diei, circiter hora decima noctis, post coenae tempus.*

SECT. XIII

8) *De addenda idea loci.*

Octavus fons perspicuitatis propior est *adjectio loci.* Cupimus enim quoque scire, ubi res gesta sit, acciderit, ubi aliquis nunc sit etc., in quem locum profectus sit, unde venerit etc. Et placet is scriptor et orator, qui nostrae cupiditati satisfacit et sponte it obviam, quia videtur nil reticere velle, quod ad totam rem perspiciendam pertineat; cum contra is displiceat ac perspicuitati rei officiat, qui notionem loci omittat. Cicero quidem hac in re quoque ubivis est diligens: interdum loci ideam universam tradens per *omni loco, ubique, nusquam* etc.; interdum ipsum locum accurate memorans:

V. c. Rosc. Am. 24 in. de Furiis loquens parricidas persequentibus: *Videtisne, quos nobis poetae tradiderunt patris ulciscendi causa supplicium de matre sumsisse, — ut eos agitent Furiae neque consistere usquam patiantur* etc. Abesse poterat *usquam*, at rectius adest. — Manil. 3 de caede civium romanorum jussu Mithridatis facta loquens: *quod is, qui uno die* (en notionem temporis!), *tota Asia, tot in civitatibus uno nuntio atque una literarum significatione cives*

ves romanos necandos trucidandosque denotavit. Addidit verba *tota Aſia, tot in civitatibus*, ut totius facti crudelis ratio appareret. — Add. epiſtola Sulpicii modo laudata ad Div. IIII, ep. 12 §. 4 de caede Marcelli: *pugione percuſſum eſſe et duo vulnera accepiſſe, unum in ſtomacho, alterum in capite ſecundum aurem:* et paulo ante §. 2 *cum ab Epidauro Piraeeum navi advectus eſſem* etc. §. 4 *ut ab Athenis in Boeotiam irem* etc.

SECT. XIIII

9) *De adjectione effectus ſ. conſequentiae.*

Nonus fons perſpicuitatis propior eſt *adjectio effectus* rei et eorum, quae inde ſecuta ſunt vel ſequi ſolent vel tantum concludi poſſunt. Adjuvat et hoc perſpicuitatem rei. Non enim lector vel auditor ſemper ipſe vult aut poteſt e dictis id colligere, quod ex iis conſequatur. Cicero nec hanc rationem negligit, imo in ea eſt longe diligentiſſimus:

V. c. ad Div. V, ep. 12 §. 16 *Quem enim noſtrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miſeratione delectat? qui tum denique ſibi evelli jubet ſpiculum, poſtquam ei percontanti dictum eſt, clypeum eſſe ſalvum.* Hic poterat deſinere, ſed addit: *ut etiam in vulneris dolore aequo animo cum laude moreretur.* — Manil. I extr. *Dicendum eſt enim de Cn. Pompeji ſingulari eximiaque virtute: hujus autem orationis difficilius eſt exitum quam principium invenire. Ita mihi non tam copia quam modus in dicendo quaerendus eſt.* Additur *ita mihi non tam copia* etc., quae verba per ſe poterant abeſſe, quia eorum ſententia e praecedentibus quodam modo intelligi poteſt: ſed addita augent perſpicuitatem efficiuntque, ut magnitudo Pompeji melius perſpiciatur. — Ibid. c. 6, ubi docet Aſiam provinciam propter vectigalia non modo a calamitate ſed etiam metu calamitatis defendendam: *Nam*, pergit, *ceteris in rebus, cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur: at in vectigalibus non ſolum adventus mali ſed etiam metus ipſe affert calamitatem. Nam cum hoſtium copiae non longe abſunt, etiam ſi irruptio facta nulla ſit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deſeritur, mercatorum navigatio conquieſcit.* Hic deſinere poterat, ſed addit: *Ita neque ex*

portu neque ex decumis neque ex ſcriptura vectigal conſervari poteſt. Hoc e prioribus per ſe ſequitur: nam, ſi pecora relinquuntur, perit ſcriptura; ſi agricultura deſeritur, pereunt decumae; ſi navigatio mercatorum conquieſcit, perit portorium. — Ibid. c. 9 narrans Mithridatem regum auxiliis adjuvari ait: *Hoc jam fere ſic fieri ſolere accepimus, ut regum afflictae fortunae facile multorum opes alliciant ad miſericordiam, maximeque eorum, qui aut reges ſunt aut vivunt in regno, ut regale his nomen magnum et ſanctum eſſe videatur.* Hic poterat deſinere, ſed addit, quid inde ſecutum ſit: *Itaque tantum victus efficere potuit, quantum incolumis nunquam eſt auſus optare: nam cum ſe* etc. — Ibid. c. 13 med., poſtquam de avaritia imperatorum in provinciis dixerat, addit: *Itaque propter hanc avaritiam imperatorum quantas calamitates, quocunque ventum ſit, noſtri exercitus ferant, quis ignorat?* — Agr. II, 4, poſtquam dixerat, ſe, quia ab univerſo populo factus ſit conſul, etiam popularem eſſe debere, pergit: *Quare qui poſſem non eſſe popularis* etc. — Poteſt quoque *effectus* recte adjici, de qua re ſupra in capite de *copia dicendi* p. 422 dictum eſt: v. c. pro *deus eſt longe potentiſſimus* poteſt dici: *deus eſt tam potens, ut nihil ſit, quod non poſſit efficere*: pro *homo eſt valde indoctus, imperitus*, dicitur: *homo eſt tam imperitus, ut ne minimas quidem res intelligat*, vel *ut ne legere quidem ſciat.* Sic pro *hic homo eſt amantiſſimus veritatis* dicitur: *hic homo eſt tam amans veritatis, ut mendacium ne audire quidem nedum dicere poſſit.* Sic pro *Res, quam narras, eſt falſiſſima* dicitur *Res, quam narras, eſt tam falſa, ut vel puer fidem tibi deneget* etc. Quisque videt hanc adjectionem effectus perſpicuitati rei, quae traditur, majori prodeſſe. — Interdum etiam *effectus* et *conſecutionis notio* uno vocabulo comprehendi poteſt, v. c. *victor diſceſſit* pro *fuit: omnia proſtrata jacent* pro *ſunt*: in primis apud Poetas: Phaedr. I, 20, 6 *canes rupti prius periere* pro *rupti prius ſunt.* — Ovid. Met. I, 119, 120 *Tum primum ſiccis aer fervoribus uſtus Canduit, et ventis glacies conſtricta pependit* pro *uſtus eſt, conſtricta eſt:* at praeclare additur *Canduit, pependit:* ibid. v. 124 *preſſique jugo gemuere juvenci* pro *preſſi ſunt*, at *gemuere* perficit, ut ita loquar, *notionem.* Pertinet haec res in primis ad gravitatem dicendi, de qua infra.

SECT.

SECT. XV

10) *De periphraſi.*

Decimus fons perſpicuitatis propior in explicatione rerum eſt *periphraſis* ſ. *circumſcriptio rei* per plura verba. Facile intelligitur, per plura vocabula poſſe rem magis perſpicue tradi quam per unum. Nam unum vocabulum celeriter praetervolat aures auditoris et oculos lectoris, atque ita idea in eo latens negligitur vel parum animadvertitur. — At notandum eſt, duplicem eſſe periphraſin. — Una eſt, quando notio una reducitur ad genus ſuum h. e. exprimitur verbis generalibus: haec ſervit tegendae et occultandae notioni, ſi talis eſt, ut tegi occultarique paululum mereatur. Hanc huc non pertinere per ſe clarum eſt: nam, ſi tegit notionem, non perſpicuam reddere poteſt. Talis eſt v. c. periphraſis illa ap. Ciceronem Milon. 10 extr., ubi Cicero narrans Milonis ſervos cum Clodii ſervis pugnaſſe, et ſimul tecte h. e. ita, ut vix ab auditoribus ſentiatur, memorare cupiens, in ea pugna Clodium occiſum eſſe, utitur hac generali periphraſi: *fecerunt id ſervi Milonis, quod ſuos quisque ſervos in tali re facere voluiſſet* pro *ulti ſunt dominum ſuum*, quem caeſum eſſe putabant, *atque ita occiderunt Clodium.* — Alterum genus periphraſeos, huc pertinens, eſt id, quando notio ſ. res disſolvitur in ſuas partes et attributa ſua vel omnia vel ſaltem aliquot: quo pertinent omnes definitiones et deſcriptiones.

V. c. pro *quis deum non amet* dicitur *quis eum non amet, a quo creatus eſt atque quotidie innumeris beneficiis afficitur?* Sic pro *mirum eſt Chriſtianos non legere libros ſacros* dici poteſt: *Quis non miretur, libros ſacros non legi ab iis, qui illorum auctoritate niti dicunt ſuam religionem?* — Sic ap. Cic. Roſc. Am. 22 *parentes occidere* ita circumſcribitur: *eos, per quos lucem ſuaviſſimam adſpexit, luce privare*: verba ſunt ibi *qui tantum immanitate beſtias vicerit, ut, propter* (i. e. *per*) *quos hanc ſuaviſſimam lucem adſpexerit, eos indigniſ-*

ſime

ſime luce privarit: quanto magis perſpicue dixit, quam ſi dixiſſet: *qui tantum immanitate beſtias vicerit, ut parentes ſuos occiderit?* — Manil. 3 Mithridates circumſcribitur per ſingulare factum, quod cives multos occidi juſſit. Verba ſunt: *delenda vobis eſt illa macula Mithridatico bello ſuperiore ſuscepta, quae penitus jam inſedit atque inveteravit in populi romani nomine; quod is, qui uno die, tota Aſia, tot in civitatibus uno nuntio atque una literarum ſignificatione cives romanos necandos trucidandosque denotavit, non modo adhuc poenam nullam ſuo dignam ſcelere ſuscepit* etc. Hic *is, qui uno die — trucidandosque denotavit* eſt *Mithridates.* Iam ſi Cicero dixiſſet: *delenda eſt vobis macula Mithridatico bello ſuperiore ſuscepta, quae penitus jam inſedit atque inveteravit in populi romani nomine, quod Mithridates non modo adhuc poenam nullam ſuo dignam ſcelere ſuscepit* etc. an auditores perſpexiſſent, cur macula delenda eſſet, et qua in re conſiſteret ſcelus Mithridatis, pro quo nondum poenam ſuscepiſſet? ac num Romani ad bellum cum Mithridate denuo gerendum atque ita ad imperium Pompejo in illo committendum incitati fuiſſent? Nullo modo. At in illa periphraſi latet explicatio maculae ac ſimul cauſae, cur bellum gerendum ſit: ut adeo tales periphraſes quodam modo magis ad brevitatem quam ad copiam dicendi referendae videantur. — Ibid. c. 17 in. Pompejum circumſcribens ita ait: *aut cur non, ducibus diis immortalibus, eidem, cui cetera ſumma cum ſalute reipublicae commiſſa ſunt, hoc quoque bellum regium committimus?* pro *aut cur non ducibus diis immortalibus Pompejo hoc bellum regium committimus?* Sed quis non ſentit illa periphraſi ſimul incluſum eſſe argumentum, propter quod Pompejo hoc bellum regium committi debeat, quia ſcil. ei jam cetera ſumma cum ſalute reipublicae commiſſa ſint; atque illam periphraſin magis perſpicue Romanos docuiſſe, cur Pompejo illud imperium permittendum eſſet, quam ſolum nomen Pompeji? Cf. plura exempla circumſcriptionis ſupra p. 406 ſſ. in capite de *copia dicendi.*

SECT. XVI

11) *De diſſolutione totius in partes et generis in ſpecies et individua.*

Undecimus fons perſpicuitatis propior in explicandis rebus eſt *diſſolutio Totius in ſuas partes, Generis*

in

in ſuas ſpecies atque adeo individua, ſi fieri poteſt. Poſſit haec ratio quodam modo ad periphraſin referri. Omne *Totum* et *Genus* uno vocabulo expreſſum cito praetervolat auditoris aures et lectoris oculos atque ſimul mentem: at in partes et ſpecies disſolutum diutius verſatur ante aures auditoris et oculos lectoris, atque ita facilius et planius perſpicitur. — Deinde res eo celerius et facilius intelligitur, quo propius admovetur ſenſibus. *Genus* et interdum *Totum* maxime remota ſunt ab illis: at *partes* et *ſpecies* ſunt iis propiores: proxima ſunt *individua*, quippe quae in rerum natura reperiuntur, atque ita noſtris ſenſibus nota ſunt, cum *Genus* et interdum *Totum* tantum cogitatione ſciamus. Hinc et exempla ſingulorum hominum tantopere proſunt perſpicuitati. Et quid aliud eſt exemplum afferre, quam Totum in partes vel Genus in individua disſolvere, ſi quidem accurate perpendas? — Dupliciter iſta disſolutio Totius in ſuas partes et Generis in ſuas ſpecies vel individua inſtitui poteſt. 1) *Primum*, ut praedicatum, quod ante disſolutionem iſtam Toti et Generi conveniebat, partibus deinde ac ſpeciebus vel individuis tribuatur. V. c. pro *Mors inſtat omnibus hominibus* dici poteſt *Mors pauperi et diviti, nobili et humili, docto et indocto inſtat*: hic *Homines* in partes vel ſpecies disſolvuntur, in pauperes, divites, nobiles etc. et praedicatum *inſtat* manet. 2) *Deinde* poſſunt quoque ſingulis iſtis partibus vel ſpeciebus ſingula praedicata tribui: quae ratio perſpicuitati ac deinde etiam gravitati dicendi maxime eſt conſentanea: v. c. *Mors inſtat pauperi et diviti: minatur nobili et humili: invadit domos doctorum et indoctorum*, vel auctis praedicatis potius ita: *Mors inſtat pauperi, minatur diviti: adeſt humili, non parcit nobili: intrat domos indoctorum, nec timet domicilia doctorum.* Poteſt etiam praeponi *Totum* vel *Genus* atque ita dici: *Quis eſt mortalium, qui a mortis periculo liber eſſe poſſit? Inſtat illa pauperi, minatur diviti: adeſt humili,*

mili, non parcit nobili: intrat domos indoctorum, nec timet domicilia (vel *seriam frontem*) *doctorum et sapientum.* Et sic alia ratione facile variari potest. Ciceronis libri sunt talium exemplorum plenissimi: neque enim ipse in ulla parte perspicuitatis tam regnat, quam in hac.

Prioris generis exemplum est Sext. 46 *Etenim in tanto civium numero magna multitudo est eorum, qui aut propter metum poenae, peccatorum suorum conscii, novos motus conversionesque reipublicae quaerant, aut qui propter insitum quendam animi furorem discordiis civium ac seditione pascantur, aut qui propter implicationem rei familiaris communi incendio malint quam suo deflagrare:* pro *Etenim in tanto numero civium magna multitudo est civium malorum*: at vides, quam apte *cives malos* diviserit in suas partes vel species; quamque perspicue ita locutus sit, quia hac divisione quisque auditorum poterat cives malos agnoscere. — Arch. 7 extr. laudans artes humanitatis prae aliis artibus dicere poterat: *Nam ceterae* (artes) *neque temporum sunt neque aetatum omnium neque locorum. Haec vero studia* (humanitatis) *prosunt omnibus temporibus, omnibus aetatibus et locis.* At quanto copiosius h. e. accuratius et distinctius pro eo dicit: *Nam ceterae neque temporum sunt neque aetatum omnium neque locorum. Haec studia adolescentiam alunt* (sic leg. puto), *senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.* — Posterioris generis exemplum est Milon. 8 in. dicere volebat, ironice quidem: *Omnes omnino lugent Clodium*; sed maluit ita loqui: *Luget senatus, moeret equester ordo, tota civitas confecta senio est, squalent municipia, afflictantur coloniae, agri denique ipsi tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum civem desiderant.* Plura exempla supra p. 413 et 418 in capite de *copia dicendi* dedi, ubi de periphrasi agitur.

SECT. XVII

12) *De comparatione ac similitudine addenda.*

Duodecimus fons perspicuitatis dicendi propior in re explicanda est *adjectio comparationis* s. *similitudinis.* Nihil magis rem perspicuam reddit, quam *comparatio.* Haec

Haec eſt menſura, definiens rei magnitudinem, vilitatem, omnemque qualitatem. De nullarum rerum multitudine, paucitate, magnitudine, altitudine, pulchritudine aliave qualitate definite et ſubtiliter judicare poſſumus, niſi eas cum aliqua eaque ſatis nota re comparamus. Magnus acervus frumenti e comparatione demum cum modio aliove menſurae aptae genere intelligitur. Si quis ſe multum frumenti habere dicit, nemo ſcit, an vere multum ſit, quia alii aliquid vocant multum, quod aliis videtur parum: nemo enim ſcit, quantum habeat. At, ſi modio menſus eſt, et dicere poteſt, ſe v. c. mille modios habere, tum demum de multitudine frumenti judicari poteſt. Sic vini oleique multitudo non niſi e comparatione ejus cum ſextariis, amphoris, aliisque generibus metiendi liquida, ſic panni longitudo et latitudo non niſi e comparatione cum ulna intelligitur. Sic et res omnes, quae mente, non oculis, comprehenduntur, metiri ſolemus comparandis iis cum alia re jam nota. V. c. *Helena* notae pulchritudinis fuit; it. *Venus* pro *pulcherrima* habetur vulgo: *Apelles* et *Zeuxis* ſunt noti *pictores* iique magni: Cicero et Demoſthenes ſunt noti ob *eloquentiam* ſummam: Homerus eſt notus *poeta* isque magnus: Roſcius clariſſimus *hiſtrio:* Alexander, Hannibal, Scipio, Caeſar, Eugenius noti ſunt ob *res multas bello bene geſtas:* Trajanus et Marcus Aurelius ob *bonitatem.* Sic nota eſt venti *celeritas* et *magnitudo* amoris parentum. Sic nix nota eſt ob *candorem* et *facilitatem* liqueſcendi. Sol notus eſt ob *ſplendorem* et *principatum* inter coeli corpora etc. Cum ejusmodi igitur rebus et hominibus comparamus res et homines, ſi opus erit: v. c. Cum dico *valde te amo*, *impenſe te amo*, non tam perſpicue loquor, quam ubi meum amorem cum amore magno aliorum eoque noto comparo, v. c. parentum erga liberos, vel liberorum erga parentes, et v. c. dico: *Amo te ita, ut pater filium* vel *filius patrem amat*, vel *ut pater filium*

filium non magis amare poſſit; vel *Qualis amor parentum erga liberos eſſe ſolet, talis eſt meus erga te.*

Comparatio poteſt eſſe latior, brevior, et breviſſima. — *Latior*, quando rem, cum qua aliquid comparo, antea explico, argumentis confirmo et illuſtro. V. c. Comparationem amoris mei erga aliquem cum amore paterno ita latiorem reddere poſſum: *Magnus eſſe ſolet amor parentum erga liberos, nec quidquam fere eſt, quod ad ejus ſimilitudinem accedat. Nihil enim eſt, quod illi horum utilitati, commoditati, et felicitati non tribuant. Imo parentes ſaepe ſuae commoditati et utilitati commoditatem et utilitatem liberorum anteponunt. Sed, quamquam iſte amor eximius et ſingularis eſſe ſolet, tamen dubito, an amor, quo ego in te incenſus ſum, illi amori cedat* etc. Poteſt etiam res, quacum rem comparo, comparatione cum alia re magna illuſtrari. Sic Cicero pro Marcell. 2 comparans clementiam Caeſaris Marcello praeſtitam cum ejus rebus geſtis, has antea docet eſſe maximas, et, ut hoc doceat, comparat eas cum aliorum rebus geſtis et confirmat has longe ab illis ſuperari. Poſtquam itaque planum fecit, res Caeſaris geſtas eſſe ſummas et ſingulares, tum docet, iis ſuperiorem tamen eſſe iſtam clementiam, idque argumentis confirmat. Totus locus, qui eſt paulo longior, eſt legendus. — *Brevior* eſt comparatio, v. c. quando res, cum qua aliquid comparatur, non explicatur nec argumentis confirmatur nec per aliam ſimilitudinem illuſtratur, ſed pro nota ſumitur: v. c. *Magnus eſſe ſolet amor parentum erga liberos: quis hoc negat? Attamen meus erga te amor ab illo minime ſuperatur.* — *Breviſſima* eſt, ſi paucis vocabulis conſtat, v. c. *amo te, ut patrem:* vel *Qualis liberorum amor erga patrem, talis meus eſt erga te.* Poteſt etiam interdum particula comparandi *ut* etc. omitti, v. c. *Tu pater mihi es: in te patrem veneror* etc. Haec eſt origo metaphorae: nam in ea particula ſimilitudinis tantum omittitur, atque ita tota ſimilitudo

uno

uno vocabulo exprimitur, ut in loco de metaphora p. 103 ff. dictum est.

Debet vero omnis comparatio esse *apta*. Hinc 1) res, quacum comparare aliquid cupis, debet esse *vera*. Unde res fictae omittendae sunt omnes, v. c. *Phoenix*, avis quaedam priscis nominata, *cantus cygnorum tempore mortis*, *Elysium*, *amor Pelecani erga pullos* etc. Cum talibus rebus nulla debet comparatio institui: nam si res ipsa non est nec fuit, multo minus similitudo inesse apta potest. 2) in rebus veris videndum, ut similitudo, quam quaeris, vere insit: hinc homines cum hominibus, res cum rebus, nec homines facile cum rebus vel res cum hominibus compares. Peccarunt hic interdum prisci: v. c. Caesar comparavit multitudinem interfectorum cum longitudine temporis B. Gall. II, 11 extr. ita loquens: *Ita sine ullo periculo tantam eorum multitudinem nostri interfecerunt*, *quantum fuit diei spatium*, dicere debebat: *quantam licebat per diei spatium*. 3) debet etiam in comparandis hominibus eorum dignitatis et ordinis ratio haberi, ut v. c. regem cum rege, vel saltem non multo inferiore, ducem belli cum duce belli comparemus, nec v. c. militem quemvis cum rege, licet utriusque factum simillimum sibi sit, v. c. uterque mortem aequissimo animo contemserit. Sic hominem fortissimum in bello, at simul propter alias virtutes notum, non comparare debemus cum homine, licet fortissimo, at propter malefacta noto. Sic neminem, quem ob laboris patientiam laudare velim, comparem cum Catilina, quia hic sceleribus et flagitiis simul innotuit. Omninoque in comparatione rei cum re vel hominis cum homine videndum, ne ideae secundariae tales in animo lectoris vel auditoris excitentur, quae toti rei officere possint. Sic institutionem magistri nolim comparare cum fimo, licet res utraque inter se hactenus conveniat, quia, ut fimus agrum mollit et fertilitatem adjuvat, sic institutio bona mentem

animumque emollit fertilemque reddit. Injucunda enim ſimul excitetur idea.

Porro comparatio poteſt quadrupliciter inſtitui, ut vel par cum pari, vel majus cum minori, vel minus cum majori, vel contrarium cum contrario comparemus. Quadruplex hic uſus ſaepius occurrit apud Ciceronem:

1) *Par res* vel *homo* confertur cum *pari:* v. c. victoria cum victoria, orator cum oratore, poeta cum poeta: ubi fere ſic concluditur, quod alteri convenit, id etiam alteri convenire debere. Sic Cicero Arch. 6 comparat ſuum ſtudium artium humaniorum cum aliorum ſtudio voluptatum et ait: *Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi jure ſuccenſeat, ſi, quantum ceteris ad ſuas res obeundas, quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates et ad ipſam requiem animi et corporis conceditur temporum, quantum alii tribuunt tempeſtivis conviviis, quantum denique aleae, quantum pilae, tantum mihi egomet ad haec ſtudia recolenda ſumſero?* — Ibid. c. 8 comparantur Homerus et Archias, ac docetur, multas civitates certaſſe de Homeri patria, voluiſſeque eum civem habere; hinc colligit Cicero: *Ergo illi alienum* (Homerum), *quia poeta fuit, poſt mortem etiam expetunt: nos hunc* (Archiam) *vivum, qui et voluntate et legibus noſter eſt, repudiamus?* Nonne in priori loco per comparationem fit perſpicuum, quam aequum ſit, Ciceroni ſtudia literarum non invidere, et in poſteriori loco, aequum eſſe Archiae civitatem non eripere? — Ibid. c. 9 extr. et 10 in. comparatur Archias cum Ennio: docet Cicero, quam carus fuerit Ennius Romanis, ac concludit: *Ergo illum, qui haec fecerat, Rudium hominem, majores noſtri in civitatem receperunt, nos hunc Heraclienſem* (Archiam) *multis civitatibus expetitum, in hac autem legibus conſtitutum, de noſtra civitate ejiciemus?* Nonne ita magis intelligitur, indignum eſſe, civitatem adimere Archiae, cum Ennio tributa ſit? Ac ſic ſaepiſſime.

2) *Minor res* vel *homo* cum *majori* comparatur, hactenus, ut appareat, ſi res major non magnam vim habuerit, ſi homo major non multum effecerit, non mirum eſſe debere, ſi res vel homo minor multo minus efficere poſſit etc. Hoc valet ad hominem et rem excuſandam eique adeo aliquid laudis conciliandum.

3) In primis notanda est comparatio *majoris rei* cum *minori*, qua nihil ad persuadendum et ad rem illustrandam accommodatius est. Instituitur ea sic, ut primum res minor ita explicetur et illustretur, ut etiam maximam esse appareat, deinde addatur, eam tamen parvam esse prae illa re, quam cum illa comparamus, v. c. si comparamus virtutem cum doctrina illamque hac praestantiorem esse declarare volumus, dicimus v. c. *Doctrina est haud dubie res praeclara et ab omnibus appetenda: mentem enim illustrat* etc. *At quanto praeclarior est virtus? Nam* etc. addendae enim sunt causae, cur virtus praeclarior sit. Nihil frequentius apud Ciceronem. Pertinet huc in primis locus supra laudatus Marcell. 2, in quo comparatio latissime tractata est: Docere omnino vult, clementiam Caesaris erga Marcellum praestitam esse omnium rerum summam. Comparat ergo eam cum rebus bellicis a Caesare praeclare gestis. Has primum valde extollit: *Nullius*, inquiens, *tantum est flumen ingenii, nulli dicendi aut scribendi tanta vis, tanta copia, quae non dicam exornare sed enarrare, C. Caesar, res tuas gestas possit. Sed affirmo, et hoc pace dicam tua, nullam in his esse laudem ampliorem, quam eam, quam hodierno die consecutus es.* Deinde latius instituit comparationem rerum gestarum Caesaris cum rebus gestis aliorum imperatorum, valdeque illas laudat et concludit: *Quae quidem ego nisi tam magna esse fatear, ut ea vix cujusquam mens aut cogitatio capere possit, amens sim.* Postquam has bellicas laudes summopere extulit, tum incipit sensim extenuare, ut clementia major videatur, quam rem argumentis confirmare studet. — Sunt et breviores comparationes, v. c. Arch. 8 comparatur Archias cum Roscio histrione: *Quis nostrum tam animo agresti ac duro fuit, ut Roscii morte nuper non commoveretur* (i. e. doleret)? *qui cum esset senex mortuus, tamen, propter excellentem artem ac venustatem, videbatur omnino mori non debuisse. Ergo ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat a nobis omnibus: nos animorum incredibiles motus celeritatemque ingeniorum negligemus?* Cicero hac comparatione hoc studet efficere, ut appareat, si Roscius propter artem corporis tantopere amatus fuerit, multo magis decere amari Archiam propter artem ingenii, ut sic loquar, h. e. poesin. — Ibid. c. 10 comparat Archiam cum poeta quodam malo, cui Sulla praemium dederat hac conditione, ut nil scriberet: unde Cicero colligit et verisimile reddit, Sullam multo magis Archiam expetiturum et civitate romana donaturum fuisse. Manil. 5 in. Cicero stu-

det Romanos ad bellum cum Mithridate redintegrandum incitare; quod ut efficiat, docet, quanto minoribus saepe de rebus majores bella gesserint; ut hinc appareat, eo magis nunc ob ignominiam magnam a Mithridate acceptam bellum cum hoc rege gerendum. Dicit: *Majores vestri saepe mercatoribus ac naviculariis injuriosius tractatis bella gesserunt: vos tot civium romanorum millibus uno nuntio atque uno tempore* (ab Mithridate) *necatis, quo tandem animo esse debetis? Legati quod erant appellati superbius, Corinthum patres vestri, totius Graeciae lumen, exstinctum esse voluerunt: vos eum regem inultum esse patiemini, qui legatum populi romani, consularem, vinculis ac verberibus atque omni supplicio excruciatum necavit? Illi libertatem civium romanorum imminutam non tulerunt: vos vitam ereptam negligetis? Ius legationis verbo violatum illi persecuti sunt: vos legatum populi omni supplicio interfectum inultum relinquetis?* Quis non hinc videt, Mithridatem bello esse persequendum? — Add. Arch. 12, ubi de gloriae cupiditate loquitur: *An, cum statuas et imagines, non animorum simulacra, sed corporum, studiose multi summi homines reliquerunt, consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem nonne multo malle debemus, summis ingeniis expressam et politam?* Studet planum facere, quam carus sit habendus Archias, cum ejus poesis serviat celebrandis nominibus claris: nam per *summa ingenia* intelligit poetas, quorum versibus facta clarorum virorum celebrari solebant.

4) Etiam *contrarium* cum *contrario* comparatur, ut illius vera ratio melius appareat, e vulgari regula: *opposita juxta se posita magis elucescunt.* Sic Cicero *vitam urbanam* cum *vita rustica* comparat in Orat. pro Rosc. Am. 27; *frugalitatem* cum *luxuria* Tusc. V, 33 seq.; *Verrem* cum *Pisone Frugi* Verr. IIII, 25, ubi docet, hunc nimis diligentem fuisse in provincia, ita, ut, cum annulum sibi faciendum curaret, hunc in foro coram omnibus fieri juberet, et aurum palam appenderet artifici, Verrem contra parum diligentem in vasis aureis multis faciendis: *Verrem* cum *Marcello* Verr. IIII, 54, ubi docet, hunc in bello magis pepercisse Syracusanis, quam illum in otio, et claudit: *Conferte Verrem, non ut hominem cum homine comparetis, ne qua tali viro mortuo fiat injuria, sed ut pacem cum bello, leges cum vi, forum et jurisdictionem cum ferro et armis, adventum et comitatum cum exercitu et victoria conferatis.* Sic comparat *Dionysium tyrannum* cum *Archimede* Tusc. V, 20—23.

SECT.

SECT. XVIII

13) *De repetitione idearum.*

Tertius decimus fons propior perſpicuitatis in explicandis illuſtrandisque notionibus eſt *crebra repetitio rerum ſ. notionum:* qua nihil ad perſpicuitatem ac gravitatem dicendi magis accommodatum et neceſſarium eſſe poteſt. Ea nituntur multae figurae rhetoricae; ut anaphora, epiphora etc., quae nihil aliud ſunt quam repetitiones notionum. Notiones, non omnes, ſed eae, ad quas lector auditorve praecipue attendere debet, quas ejus intereſt in primis tenere, quia illis ſuperſtructa eſt tota orationis compages et conſilium totum dicentis et ſcribentis, v. c. theſis, argumenta horumque argumenta etc., ſaepiſſime et omni occaſione repetendae ſunt, ut memoriae lectoris vel auditoris firmiter inhaereant, ex eaque ne elabantur: his enim elapſis ceterae notiones corruunt ac fruſtra prolatae ſunt. Semel enim dicta facile oblivioni traduntur, et vel attentiſſimus quisque non poteſt facere, ut non interdum hanc vel illam notionem, propter multitudinem aliarum notionum, amittat. Repetitionem igitur neceſſariam eſſe patet: quaeritur tantum, quomodo ſit inſtituenda. Fieri hoc debet plerumque tecte h. e. ita, ut lector vel auditor vix ſentiat, ſe eandem notionem iterum vel aliquoties audire aut legere. Quatuor modis hoc fieri poteſt ac debet et continuo et interjectis verbis:

1) *Continuo* una res ſ. notio bis, ter, ac ſaepius repeti poteſt, ſed aliis verbis, modo affirmative modo negative, modo tropice modo proprie, aliave ratione. V. c. *liberalitas* et *beneficentia*, *factum* et *conſilium*, *pugnare* et *eniti* (Cic. ad Div. III, 10 §. 11), *frangere* et *debilitare*, *peccatum* et *error*, *averſari* et *exſecrari*, *praeclarum nec ubivis obvium* etc. Haec de ſingulis notionibus; de quibus ſupra p. 385 ff. dixi in cap. de *copia dicendi*, ubi monui, poſſe duo ac plura verba (ad exprimendam unam notionem) jungi,

jungi, 1) quorum unum cauſam, alterum effectum, notet, 2) quorum unum exprimat notionem antecedentem, alterum conſequentem indicet, 3) quorum unum rem totam vel genus, alterum (vel cetera) partes vel ſpecies, deſignet, 4) quorum alterum ſit tropicum, alterum proprium, vel quorum unum ex hoc, alterum ex illo, tropo ductum, 5) quorum alterum fortius ſit altero, 6) quorum alterum poſitive, alterum negative, ſit dictum, omninoque 7) quorum alterum ab altero ſaltem paulum differat. — Eodem modo in junctis notionibus vel enuntiationibus (Sätzen) agendum eſt: v. c. Si thema ſit: *mors non eſt extimeſcenda*, et cauſa, *quia omnibus inſtat*, poſſim hanc cauſam fortaſſe ita exprimere varie ac repetere: *Mors enim inſtat omnibus hominibus*: *nemo ab ejus periculo liber eſſe poteſt*. *quisque*, *ſive ſit dives ſive pauper* etc., *mortalem ſe eſſe fateatur neceſſe eſt*: poſſis longius progredi, ſi velis: *Haec eſt communis ſors*, *quam fruſtra tentamus effugere*: *Nullae lacrymae*, *nullae preces*, *nullae divitiae*, *nullae opes liberare hinc poſſunt*: *Omnes exſpectat idem fatum* etc.

2) Maxime vero notiones et enuntiationes praecipuae, ut theſis, argumenta eorumque argumenta, et quidquid orator et ſcriptor pro re notabili habet, id poſt interjecta plura verba repeti debet. Hic eadem variatione, de qua paulo ante dixi, utendum eſt, ut repetitio ejusdem notionis et enuntiationis non facile a lectore et auditore ſentiatur. Aegre enim ferret lector vel auditor, ſi eandem rem iisdem verbis ſaepe repeti videret, quia crederet, ſe pro puero haberi, cui eadem res ſaepius repetenda eſſet. Nemo enim eſt, qui non credat, ſe rem aliquam memoria tenere poſſe. At, ſi lector vel auditor eandem rem alia verborum forma et veſte videt, opinatur, ſe aliud quid videre: manetque in hoc errore, niſi in arte dicendi ipſe valde exercitatus ſit: ſed vel exercitato placet iſta variatio. Cicero hac in ratione excellit, ut appareat, quam parum valeat eloquentia ſine iſta repetitione. In Agr. II, 1 ſeq. hanc notionem: *Ego homo novus factus ſum conſul meo anno*, ſaepe repetit: dicit primum: *Me primum hominem novum conſulem feciſtis*: deinde: *eum locum*, *quem nobilitas praeſidiis firmatum atque omni ratione obvallatum tenebat*, *me duce reſcidiſtis* etc. porro: *neque me tantummodo conſulem* — *ſed ita feciſtis*, *quomodo pauci nobiles conſules facti ſunt*, *novus ante me nemo*: deinde: *reperietis*, *me eſſe unum ex omnibus novis hominibus* — *qui conſulatum petierim*, *cum primum licitum ſit*; *conſul factus ſim*, *cum primum petierim* etc. Poſtea: *Eſt illud ampliſſimum*, *quod hoc honore ex novis homi-*

hominibus primum me multis poſt annis affeciſtis; quod prima petitione, quod anno meo: deinde: *me non extrema tribus — ſed una voce univerſus populus romanus conſulem declaravit:* et c. 3 *Cum me intelligam — univerſi populi romani judicio conſulem ita factum, ut nobiliſſimis hominibus longe praeponerer* etc. — Ibid. quater promittit ſe fore popularem conſulem: cap. 3 ait: *non ſolum hoc in loco dicam, ſed et in ſenatu dixi, popularem me futurum eſſe conſulem:* et paulo poſt: *Neque enim ullo modo facere poſſum, ut — non et in hoc magiſtratu et in omni vita ſim* (ſic leg. pro *eſſem*) *popularis.* Cap. 4 *Quae cum cernerem — dixi in ſenatu, me popularem conſulem futurum.* Et paulo poſt: *Quare qui poſſim non eſſe popularis* etc. In vocabulo *popularis* non poterat uti variatione ſed id ſervare cogebatur, quia tum ſolenne erat, et Cicero mentem ſuam conſiliumque ambiguo hoc vocabulo tegere volebat. — Sic idem Cicero in Maniliana quoties repetit, vectigalia eſſe in periculo, Pompejum eſſe virum magnum omnibusque virtutibus imperatoris ornatum, et digniſſimum qui mittatur adverſus Mithridatem! — Unum exemplum adhuc illuſtrationis cauſa addam hoc: Si thema ſit: *mors non eſt extimeſcenda nimis hominibus*, ejusque primum argumentum ſit hoc: *quia omnibus inſtat:* hoc argumentum ſ. notio haec: *mors inſtat cuique*, ſaepiſſime ac ſaltem toties, quoties hoc argumentum novo argumento confirmatur, repeti debet. Poſſit ergo fortaſſe ita dici: *Prima cauſa, cur mortem non nimis extimeſcere debeamus, eſt, quia omnibus inſtat, atque adeo fruſtra eam effugere tentamus. Hoc primum docet experientia quotidiana: Non fere eſt dies, qui iſtam vim mortis non declaret. Quotidie videmus vel audimus homines omnis generis ad locum ſepulturae efferri. Nec mors tantum pauperes, debiles, humiles et contemtos vocat, ſed et divites, robuſti, principes et honorati triſte ejus imperium experiuntur. Quis itaque id, quod effugere nequeat, nimiopere extimeſcat? Quis eſt tam infirmo animo, ut, quod omnibus commune eſt, quod certo ſcit ad ſe venturum, hoc ei angorem vel horrorem incutiat?* etc. *Corporis deinde* (alterum argumentum primi argumenti) *noſtri ſtructura ipſa nos docet, nos non immortales natos eſſe. Tam fragile enim eſt atque caducum, ut facile praevideamus, fore, ut aliquando corruat. Quod ſi ita ſe res habet, quis tam ſtultus eſſe poteſt tamque parum ſui memor, ut, quod fore aliquando certo praevideat, id adeo horreat, ſi quando fiat; et ut hoſpitem illam, cujus adventum certiſſimum eſſe dudum norit, ſummo horrore et tremore exſpectet. Non ſapi-*

ſapientis eſt, id anxie horrere, quod mutari evitarique nequeat etc. Poterant ac debebant haec longe latius explicari, illuſtrari etc., ſi neceſſe eſſe hoc loco putaſſemus.

3) Figurae illae rhetoricae, *anaphora, epiphora, ſymploce* et *epizeuxis*, huc pertinent: repetunt enim hae eandem notionem efficiuntque, ut ea menti lectoris et auditoris ſaepius obverſetur; qua re ut perſpicuitatem ita deinde ſimul gravitatem adiuvari quis non videt? *Anaphora* repetit notionem eandem in principio enuntiationum connexarum, v. c. *Deus nobis vitam dedit, Deus nos ſanitate donavit, Deus nos mente inſtruxit* etc. *Epiphora* repetit notionem in fine enuntiationum, v. c. *Doletis tres exercitus populi romani interfectos? interfecit Antonius. Deſideratis clariſſimos cives? eos quoque vobis eripuit Antonius. Auctoritas hujus ordinis afflicta eſt? afflixit Antonius. Symploce* eſt conjunctio anaphorae et epiphorae, v. c. Cic. Agr. II, 9 *Quis legem tulit? Rullus. Quis partem populi privavit ſuffragiis? Rullus. Quis comitiis prohibuit? Rullus. Quis tribus, quas voluit, vocavit, multo cuſtode ſortitus? Quis decemviros, quos voluit, renuntiavit? Idem Rullus. Quem principem renuntiavit? Rullum.* Quis inde non perſpicere poterat, quam periculoſa Rulli lex foret? *Epizeuxis* repetit eandem notionem continuo iisdem verbis, v. c. *Deus, deus hoc fecit:* ſic Cic. Catil. I, 1 *nos, nos, dico aperte, conſules deſumus* h. e. nos conſules ſoli ſuſtinemus cauſam, cur nondum Catilina ſupplicio affectus ſit. Font. 7 in. *Fuit, fuit illis judicibus divinum ac ſingulare conſilium* etc.

4) Tandem in fine orationis, qui epilogus vocatur, ſolent argumenta eorumque argumenta, ſed haec breviſſime, una cum theſi repeti, ut lector vel auditor denuo ſummam dictorum colligere et argumenta cum theſi comparare atque ita ſibi de theſi perſuadere poſſit. Hac de re nihil dicere hic attinet. Quis enim hoc non obſervet?

SECT. XVIIII

14) *De pictura rei addenda.*

Quartus decimus fons propior perſpicuitatis in explicandis illuſtrandisque rebus ſ. notionibus eſt *pictura rei* ſ. *deſcriptio rei vivida*, quam vulgo diatypoſin et hypotypoſin, nomine graeco eoque notiori, appellant. Cernitur illa in eo, cum res aliqua ita narratur vel potius

tius depingitur, ut ei intereſſe et oculis ipſam fere cernere videamur. Id quod fit, ſi quaedam ejus partes ſeu circumſtantiae, ſenſibus ſubjectae, in primis eae, quae oculis percipiuntur, recenſentur. Qua re quin perſpicuitas rei valde adjuvetur, quis dubitat? ſic Livius praelia ſaepe ita depingit, ut iis intereſſe et pugnantes videre videamur. Sic Cicero, Antonii compotationem deſcribens, Phil. II, 41 hanc ita auditoribus perſpicuam reddit, ut auribus et oculis ſubjiciat: Ait: *perſonabant omnia vocibus ebriorum: natabant pavimenta vino: madebant parietes* etc.: ſic Ligar. 3 extr. *Quid enim, Tubero, deſtrictus ille tuus in acie Pharſalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat?* etc. — At cavendum eſt, ne particulas rei ſeu circumſtantias eas, quae nauſeam creare poſſint, memoremus. Peccavit hic Cicero Phil. II, 25 extr. *In coetu vero populi romani, negotium publicum gerens, magiſter equitum, cui ructare turpe eſſet, is vomens, fruſtis eſculentis, vinum redolentibus, gremium ſuum et totum tribunal implevit.* Quis verba haec ſine nauſea legere poteſt? Cicero ergo peccavit, odio graviſſimo in Antonium incenſus, quem omni occaſione Romanorum contemtui exponere et omnibus deridendum propinare ſtudebat. Hoc odium eum abripuit eo, ut pudorem adeo offenderet.

SECT. XX

15) *Additamentum ad fontes perſpicuitatis rerum.*

Hi erant fontes perſpicuitatis rerum praecipui. Plures haud dubie detegi poterunt, ſi quidem in legendis magnis oratoribus ſingula accurate contemplemur, et, unde ducta ſint, inquiramus. Nam ipſi oratores ſaepe neſciunt, unde ſingula, quae protulerint, hauſta ſint: unde errant, ſi qui opinantur, e Ciceronis libris rhetoricis omnia praecepta perſpicuitatis atque etiam eloquentiae diſci poſſe. Poſſunt v. c. ad perſpicuitatis fontes in rebus explicandis referri

1) *Brevitas:* Saepe enim brevitas magis prodest perspicuitati quam copia. Interdum interest lectoris et auditoris notiones quasdam statim et simul audire, ut adeo peccet orator et scriptor, si divellat et singulas late explicet. In narrando in primis saepe decet nonnullas res, quam celerrime et arctissime fieri potest, jungi. Cf. supra p. 490 ff. caput de *brevitate* dicendi.

2) *Ordo idearum.* Ideae debent conjungi, prout earum natura postulat: de qua re supra in Parte priori p. 210 ff. late dictum est. Non facile alienae ideae debent immisceri, saltem non multae: vocatur haec parenthesis. Hinc longas parentheses easque crebras, quantum quidem fieri potest, vitare debemus: saltem, si parenthesi paulo longiori supersedere non possumus, debemus post illam repetere notiones priores, saltem notionem primariam, ut contextus interruptus quodam modo restituatur.

3) Modestia in acumine adhibendo. Qui acute loqui nimis cupit, saepe incidit in obscuritatem.

4) Subtilitas in omni re attendenda, v. c. ut videamus, utrum praedicatum toti subjecto an ejus parti rectius conveniat: v. c. *offendere alicujus animum* pro *offendere aliquem: vulnerare alicujus corpus* pro *vulnerare aliquem:* sic *puppim advertere litori* vel *ripae* pro *navem advertere* etc. Huc pertinet subtilitas in jungendis duabus ideis, ut v. c. praedicata conveniant subjectis, v. c. ut dicamus *gradus altus*, non *gradus magnus* etc. Referuntur talia vulgo ad vocabula: hinc et ibi de ista re dicemus.

SECT. XXI

B) De fontibus perspicuitatis propioribus in usu vocabulorum.

Sequitur *alterum genus fontium perspicuitatis propiorum* pertinens ad *verba* eorumque usum. Magna, imo interdum omnis, perspicuitas in eo nititur. Nam, nisi verba talia sunt, ut per ea res vere exprimatur; nisi singulis notionibus accurate respondent; nisi recte juncta et collocata sunt; nisi, quidquid dilucide cogitavimus, id aeque dilucide oculis lectorum et auribus auditorum exponere possumus: nunquam dicemur perspicue dicere vel scribere. Iam de recto verborum

uſu etſi ſupra in Parte hujus libelli priore c. 2 multa diximus, tamen et hic nonnulla monere non inutile erit. Perſpicuitas dicendi, quod ad verba attinet, quatuor rebus conſiſtit: 1) vocabulorum ſingulorum delectu 2) compoſitione 3) ordine 4) connexione. De his igitur pauca dicentur, ſed ita, ut lectores cum his ea quae Parte priore dicta ſunt, conjungere velim, quia ſine ſupra dictis haec, quae nunc dicentur, non ſatis intelligi nec ſatis prodeſſe poſſunt.

SECT. XXII

1) *De delectu vocabulorum ſingulorum.*

Primus fons propior perſpicuitatis in vocabulorum uſu eſt *delectus* isque rectus *vocabulorum ſingulorum.*

Hic notanda ſunt haec:

I) *Primum debent eligi vocabula vera*, h. e. ea, quae vere apud priſcos Latinos occurrunt, atque ita vere latina ſunt. Nam, ſi non leguntur apud priſcos Latinos, non credibile eſt ea ab auditoribus et lectoribus intelligi. Omittenda igitur ſunt

1) *Graeca vocabula* omnia, ſi quidem fieri poteſt h. e. ſi latine exprimi poſſunt. Peccant hic multi, qui libenter immiſcent graeca latinis, v. c. ubique dicunt κατ' ἐξοχὴν, ὡς ἐν παρόδῳ, ὁ πάνυ *Caſaubonus* h. e. *celeberrimus* etc. Nam non omnes lectores et auditores intelligunt graeca, qui latine ſciunt. — Excipiuntur graeca vocabula a Latinis jam recepta et latina veſte donata, v. c. *muſeum*, *tropaeum* etc. Tolerari haec poſſunt, quia jam ſatis nota ſunt et intelliguntur. Tolerari etiam poteſt, ſi quis quid graeco vocabulo exprimit, quia latino non poteſt: at hoc raro fieri ſolet, modo latine loqui velis. Pertinent huc figurae rhetoricae, quae forſan omnes latine verti vel ſaltem veſte latina indui poſſint: ſed illud longe melius. Nihil magis perſpicuitati nocet, et ambiguitati magis prodeſt, quam vocabula peregrina in eam linguam, qua in ſcribendo et dicendo uteris, recipere. Si omnes et dicentes et ſcribentes inde ab omni tempore hoc vitaſſent,

vitaſſent, et omnia vocabulis linguae ſuae, iisque popularibus, expreſſiſſent, multae disſenſiones et ſectae non exſtitiſſent. — Verba peregrina in linguam aliam invecta amittunt ſenſim aliquid notionis vel aliquid adſciſcunt: donec tandem vera notio vel pereat vel valde obſcura et ambigua fiat. Docent hoc vocabula *Logice*, *Philoſophia*, *Philologia*, *Evangelium Matthaei*, et ſexcenta alia. Quis haec nomina intelligit ſine explicatione et definitione? At, ſi cui nomini demum explicatio ſeu definitio addenda eſt, nonne hoc indicat, illud eſſe per ſe obſcurum vel ambiguum? Huc pertinent ea, quae ad verbum ſunt translata, v. c. *regeneratio*, *fides in Chriſtum*, *conſummatio ſaeculi* etc. Iam, ſi vocabula peregrina ſunt praeterea tropica, difficultas eorum et obſcuritas magis augetur.

2) Omittenda ſunt vocabula recens inventa, et in Theologorum, Iureconſultorum, Medicorum, Philoſophorum, aliorumque libris et orationibus interdum obvia: quia non ſunt vocabula vere latina. Tolerari tamen debent, ſi ſunt per neceſſitatem inventa, v. c. *infuſum*, ut a *decocto* discernas etc. Sed unde diſcimus, quae vocabula ſint priſcorum, et quae ſint recens inventa? Maxime e lectione priſcorum: haec eſt certiſſima magiſtra: at, quia ea ab omnibus poſtulari non poteſt, prodeſt lectio librorum, in quibus vocabula recens facta collecta ſunt, quales ſunt *Cellarii Antibarbarus* et *Curae poſteriores*, *Vorſtii libelius de latinitate merito ſuſpecta*, *Ienſii Collectanea purae et impurae latinitatis* etc., it. uſus Lexici boni. Attamen non credendum eſt in his libris omnia contineri. Quis enim mortalium omnia iſta colligere poſſit? Talia vocabula ſunt v. c. *abbreviatura*, *aequipollentia*, *aptitudo*, *coacte*, *concivis*, *confrater*, *condeſcendere*, *controvertitur*, *correcte*, *extemporaneus*, *filialis*, *gratitudo*, *impraegnare* etc.

3) Omittenda ſunt vocabula dubiae auctoritatis, h. e. quae quidem adhuc in ſcriptoribus priſcis, ſaltem in multis eorum editionibus, leguntur, ſed quae Critici vel ejecerunt, vel ejicienda adhuc cenſent, quia non videntur a ſcriptore profecta, vel quae aliis de cauſis incerta ſunt. Talia ſunt *accerſo*, *accenſeo*, *divertere einkehren*, *multare* pro *mulcare* i. e. *verberare*, *percutere*, *periculum* ap. Nepot. in Epam., *vendico* pro *vindico* etc. Sed unde haec et ſimilia diſcas? E lectione priſcorum, ſi quidem uteris editionibus Criticorum, v. c. Gronoviorum, Graevii, Burmanni, Geſneri, Erneſtii etc.: in primis ſi ipſe es Criticus eque contextu et ope Codicum manu ſcriptorum atque ingenio lectione priſcorum ſubacto judicare potes, quid priſci

prisci scripserint, quid non. Ac dolendum est, in scholis tractari vulgo ab adolescentibus, imo saepe ab ipsis magistris, editiones vulgares et ab imperito homine profectas: unde falsa vocabula inde a prima aetate discuntur. Quid juvat opera Criticorum hanc in rem adhibita, si eam ignoramus, nec uti possumus aut volumus? Sed hinc apparet etiam utilitas et necessitas artis criticae in explicandis priscis, et quam perperam agant ii, qui ad aetatem adolescentum in scholis non accommodatam esse dicant: Imo nullam sententiam in ullo prisco scriptore ac ne vocabulum quidem explicare tuto possum, nisi scio hoc esse a scriptore profectum. Alioquin vitia explico et discenda tironibus trado.

Ceterum, etsi vocabula diximus vere latina esse debere, tamen id hactenus volumus intelligi, quatenus sufficiunt ea ad explicandas nostras notiones. Hinc toleranda sunt multa recentiora, v. c. *Archidux*, *Abbas*, *Vasallus*, *angelus*, *infusum* etc., ut infra dicetur. Nam non habemus vocabula vere latina, quae iis salvo sensu substituantur.

II) *Deinde* in exprimendis ideis *eligi debent vocabula nota*, ut lectores et auditores intelligant, quid dicamus. Difficile est dictu, quid cuique notum sit. Nam aliis ea sunt nota, quae aliis ignota sunt. Per *nota vocabula* intelligo ea, quae credere possumus ab omnibus, qui linguam latinam quodam modo callent, intellectum iri. Hinc usurpanda sunt non nisi ea, quae a) in aetate aurea, quae vocatur, usitata fuere: nam libri hujus aetatis maxime leguntur; hinc vocabula in illis obvia lectoribus et auditoribus nota esse credibile ac notiora, quam quae sunt aliarum aetatum, in primis vocabula Ciceronis: hujus enim libri praecipue leguntur, ut propterea vocabula in illis occurrentia sint notiora quam alibi obvia. b) Deinde in his *usitatis* vocabulis eligenda sunt *maxime usitata* h. e. ea, quae in scriptoribus aureae aetatis, in primis in Cicerone, creberrime occurrunt. Nam, talia notiora esse omni lectori et auditori debere quam raro occurrentia, sponte intelligitur. Hinc sequitur, ut, quantum res patiatur, omittantur

1) Vocabula ea, quae non in aurea aetate occurrunt. Sed unde ea novimus? E lectione maxime ipsa istorum scriptorum, et e bono Lexico. Recensebo magnam partem eorum, quae nunc quidem, quantum scio, in libris priscorum aureae aetatis non leguntur: annon vero aliquando ab editoribus inseri

inseri possint nonnulla illorum, non confirmare possum: *Abbas* et *Abbatissa*, *abbreviatura*, *abbreviare*, *abominabilis* et *abominatio*, *acquisitio*, *additicius*, *adoptatio*, *aequanimiter*, *aequanimis*, *aequipollentia*, *affectuosus*, *affirmativus*, *affirmative*, *agonizare*, *albedo*, *aliqualiter*, *aliquanti* i. e. *aliquot*, *aliquatenus*, *amanuensis*, *amicabiliter*, *anathema*, *angustiare*, *animalculum*, *animitus*, *annihilare* et *annullare*, *annuatim*, *apostata*, *appropriare*, *aptitudo*, *Archidux* etc., *archivum*, *armistitium*, *assistentia*, *assuefactio*, *augmentare*, *balbuties*, *baptismus*, *baptizare*, *benefactor*, *beneplacitum*, *bestialis*, *blasphemia*, *bibliothecarius*, *bibo* subst., *boatus*, *bovinus*, *breviarium*, *caespitare* s. *cespitare*, *cambium*, *calculare*, *canonizare*, *captivare*, *carentia*, *carminice*, *carnalis*, *carnaliter*, *casualis*, *casualiter*, *certitudo*, *coacte*, *coadjutor*, *coaequalis*, *coaetaneus*, *coaevus*, *coelitus*, *coincido*, *combinare*, *Comitissa*, *commendatorius*, *commensalis*, *compater*, *compatior*, *complacentia*, *complices*, *computus*, *concernit* (i. e. attinet ad) *concivis*, *concordantia*, *concupiscentia*, *condescendere*, *condolentia*, *confiscare*, *confoederare*, *confoederatio*, *confortare*, *confrater*, *congrue*, *connumerare*, *consistorium*, *consortium*, *constellatio*, *contrariari*, *contradictorius*, e, *contribulis*, *controvertitur*, *conversari* i. e. *umgehen*, *sich aufhalten*, *coordinare*, *cordialis*, *cordialiter*, *cordicitus*, *corporalis*, *corporaliter*, *correcte*, *correspondere*, *crapulari*, *creatura*, *crucifigere*, *cuprum*, *cursorius*, *cursorie*, *dapifer*, *decollare*, *decrementum*, *deitas*, *depraedari*, *derisio*, *desertum*, *desolatio*, *deteriorare*, *deviare*, *diescit*, *dietim* i. e. quotidie, *dignanter*, *districtus* subst., *diversicolor*, *diversimode*, *divisim*, *dolorificus*, *dolorosus*, *dubietas*, *Ducissa*, *econtra*, *edecumatus*, *efficaciter*, *effigiare*, *efformare*, *eleemosyna*, *elucescit es erhellt*, *epitomare*, *epitomator*, *eremita*, *ethnicus*, *excommunicare*, *exhibitor*, *exinanitio*, *exorbitare* cum derivatis, *extemporaneus*, *extraordinarie*, *extrinsece*, *facilitare*, *famigeratus*, *favorabiliter*, *feriari*, *ficticius*, *fidejussor*, *figmentum*, *filialis*, *filialiter*, *finalis*, *finaliter*, *flavedo*, *fluxus* substant., *forpex*, *fortificare*, *frontispicium*, *fructificare*, *frustraneus*, *fundamentalis*, *fundamentaliter*, *gehenna*, *glorificare*, *gratanter*, *gratitudo*, *habitaculum*, *hebdomadatim*, *hereditare*, *historiographus*, *homagium*, *hortulanus*, *humiditas*, *humiliare*, *hypocrita*, *idololatria*, *jejunare*, *ignominiose*, *ignoranter*, *illatio*, *illativus*, *illegitimus*, *immediatus*, *immediate*, *immoriger* et *immorigerus*, *impertinens*, *impoenitens*, *impoenitentia*, *importantia*, *impossibilis*, *impossibilitas*, *impraegnare*, *inadvertentia*, *incapax*, *incertitudo*, *incessabilis*, *incessabiliter*, *incessanter*, *incidenter*, *incolatus*, *incongruus*, *inconsideranter*, *inconsideratio*, *incoram*, *incorporalis*, *incorporaliter*, *incorrigibilis*, *incorrigibiliter*, *incredulitas*, *incunctanter*,

tanter, incurabilis, incurabiliter, indeſinenter, indigitare, indiſciplinatus, infernalis, infinities, influxus, ingratitudo, inobediens, inſimul, inſipidus, inſolite, inſufficiens, entia, enter, intelligibilis, intimare, intimior, intrinſece, invariabilis, invaſor, inverecunde, inverecundia, irrationalis, irrationaliter, irrationabilis, irrationabiliter, irreconciliabilis, irregularis, irregulariter, irremiſſibilis, irreverenter, tia, inviſibilis, inviſibilitas, inviſibiliter, itinerarium, juramentum, juſtificare, labilis, licite, liga, longanimus, longanimitas, lubricitas, lucta, maledictus, manuductio, martyr, martyrium, matricula, medie, medietas, mediate, mediator, meliorare, menſurare, meridionalis, minorare, miraculoſus, modernus, moleſtare, momentaneus, momentaliter, monachus, monialis, monoculus, mortificare, multoties, neceſſitare, negativus, negative, neotericus, neutralis, nigredo, nimietas, notorius, notorie, novendecim, nullatenus, nullibi, obtenebrare, obviare, occidentalis, octodecim, ocularis, oculariter, orthodoxus, orthodoxe, ordinarie, oscitantia, pacifice, paenultimus, parochia, partialis, paſſio, peccamen, peccaminoſus, peccator, peccatrix, perlator, perpendiculariter, pientiſſimus, pinnaculum, plauſibiliter, pompoſe. populoſus, poſſibilis, poſſibilitas, praenominatus i. e. praedictus, *praeprimis, praeſentaneus, praeſentare, praeſervare, praeſupponere, primicerius, primordialis, primogenitus, prioritas, profunditas, proficuus, prolongare, promanare, promtitudo, propalare, prophetare, proportionaliter, protectio, protector, protoplaſti, purificare, puritas, puſillanimis, puſillanimitas, qualisqualis, quantocius, ratificare, realis, realiter, recenter, recommendare, recompenſare, rectitudo, redargutio, redhoſtimentum, refrigerium, reiteratio, repedare, reſpective, reſtaurare, reſurrectio, reverenter, reverendiſſimus, reviſio, rigoroſus, ſalvator, ſalvificare, ſanctificare, ſanctificatio, ſapidus, ſcandalum, ſcandaloſus, ſcholaris, ſcibile, ſcortatio, ſcrutinium, ſeptimana, ſeptimanatim, ſignanter, ſituari, ſituatio, ſolummodo, ſomnolentus, ſomnolentia, ſordities, ſpecialis, ſpecialiter, ſpondaicus, ſpontaneus, ſtannum, ſternutatio, ſubalternus, ſubalternare, ſubalternatio, ſubaudire, ſubintelligere, ſubjugare, ſublimare, ſubſiſtentia, ſubſtantia, ſucceſſivus, ſucceſſive, ſufficientia, ſufficienter, ſummitas, ſuperciliоſus, ſuperfluus, ſuperioritas, ſupernaturalis, ſuppedaneum, ſupremitas, ſuſtentaculum, tortura, totalis, totaliter, transmutatio, transſubſtantiatio, triumphator, vacantia, vane, variabilis, vaſallus, vaticinium, vegetativus, verificare, vernalis, viceverſa, viror, viſibilis, viſibilitas, viſibiliter, ullibi, ultime, ultimo* et *ultimato, unanimiter, uniformis, unigenitus, voluptuoſus, voracitas, uxoratus*, et ſexcenta alia: quis enim cuncta commemorare vel tantum ſcire queat? Haec igitur vocabula omit-

omittenda ſunt, ſi fieri poteſt h. e. ſi iis carere poſſumus. Multis enim horum vocabulorum carere poſſumus, iisque alia ſubſtituere, v. c. pro *adoptatio* dici poteſt *adoptio*, ſic *aequanimiter* mutari poteſt in *aequo animo*, *affirmativus* in *affirmans*, *ajens*, v. c. *enuntiationes ajentes*: *armiſtitium* in *induciae*, *archivum* in *tabularium*, *aſſiſtentia* in *auxilium*, *aſſuefactio* in *conſuetudo*, *boatus* in *mugitus*, *coaequalis*, *coaetaneus*, *coaevus* in *aequalis*, *concivis* in *civis*, *cordicitus* in *ex animo*, *correcte* in *emendate*, *nullibi* in *nusquam*, *multoties* in *ſaepe*, *novendecim* in *undeviginti*, *nigredo* in *nigror*, *proficuus* in *utilis*, *profunditas* in *altitudo*, *reſtaurare* in *inſtaurare*, *ſalvator* in *ſervator* (i. e. *Erretter*), *ſalvificare* in *ſervare*, *ſolummodo* in *tantummodo*, *ullibi* in *usquam*: et ſic in aliis agi poteſt: interdum et circumſcribere licet. Sunt vero etiam non pauca, quae non bene commutari poſſint, niſi ubique lata circumſcriptione uti velis, quae tandem taedio eſt, praeſertim ſi nota jam ſunt vocabula: v. c. *Abbas*, *Abbatiſſa*, *Archidux*, *Archi-Mareſchallus*, etc., *angelus*, *diabolus*, *bibliothecarius*, *canonizare*, *Comitiſſa*, *Monachus*, *Monialis*, *Paſtor* v. c. eccleſiae alicujus, *Diaconus*, *Archidiaconus*, *Papa*, *Vaſallus*, *paenultimus*, *occidentale imperium*, et alia multa nomina ordinis, dignitatis, et honorum, v. c. *Miniſter* regis etc., it. adjectiva honores deſignantia, *reverendiſſimus*, *praenobiliſſimus* etc., quae ejicere durum foret atque inhumanum. Sunt nota, et, quidquid vocabuli Ciceroniani iis ſubſtituas, nunquam id exprimit, quod vocabulum barbarum, more receptum, exprimit vel exprimere videtur. Sic et in rebus philoſophicis, theologicis etc., agendum.

2) Sequitur deinde, ut omnia raro apud ſcriptores aureae aetatis et Ciceronem occurrentia vocabula omittamus, ſi quidem fieri poteſt, quia credibile eſt ea non cuivis lectori et auditori nota eſſe; ut taceam, talia vocabula his ſcriptoribus excidiſſe videri, atque ipſos non ea pro bonis habuiſſe, quia alioquin crebrius iis uſi eſſent. Talia ſunt v. c. *absque*, *cauſari*, *infideliter*, *genitor*, *genitrix*, *vituperium*, *ſervitudo* etc.

3) Etiam *poetica* h. e. quibus tantum poetae delectantur; ea ſunt paulo duriora et communi dicendi uſui plerumque ignota. Nam non omnia, quibus poetae utuntur, ſunt *poetica* vocanda, ſed quibus illi ſoli: quo forſan pertinet *imputare*, *aequor* de mari etc. At de his non judicare poteſt, niſi qui lectioni priſcorum jam aſſuetus eſt. In primis huc pertinent epitheta v. c. *altiſonus*, *horriſonus*, *velivolus*, *flammiger* etc., quae nota eſſe debent ei, qui vitare vult.

4) Graeca,

4) Graeca, ut ſupra n. 1 dictum, quantum fieri poteſt, quia non omnibus lectoribus et auditoribus ſunt nota.

5) Omnia recentiora, ſi iis carere poſſumus, quia non auditoribus et lectoribus omnibus nota.

6) Etiam in uſu vocabulorum e mythologia et antiquitatibus doctorum cautio magna eſt adhibenda. Non ſemper ſcimus, an auditores illa omnia intelligant: non omnes mythologiam et antiquitates eadem opera diſcunt: Imo ſaepe ne lectores quidem ſemper intelligunt, licet his tempus ſuppetat ad conſulendos libros: ut taceam humanitatis eſſe, lectores, quantum poteſt fieri, hac moleſtia evolvendi libros liberare, ac propterea potius vocabula popularia ſumere. Et quo quis peritior eſt linguae latinae, eo minus ſolet vocabula ex antiquitatibus romanis petere: praeſertim cum, ut infra dicetur, raro in noſtra tempora recte transferri poſſint.

III) *Vocabula debent ſumi ſignificatione nota.* Significatio nota eſt ea, quam ſaepiſſime apud priſcos, in primis Ciceronem, occurrere certum eſt: nam tales ſignificationes etiam iis notae ſunt, qui non ſubtiliſſima linguae cognitione inſtructi ſunt. Habent enim vocabula, per ſe bona et optima, interdum

1) *ſignificationes rariores*, quae paucis notae ſunt, quia non omnes linguam diligentiſſime diſcunt, v. c. *notatio* occurrit pro *etymologia* ap. Ciceronem; ſic *gaudeo* interdum pro *habeo; utor* pro *indigeo*; *evadere* pro *fieri; ſupplicium* pro *ſupplicatio; ex tempore* pro *ſtatim*, *ſubito*, ſemel dixit Cicero Arch. 8; *quaſi* additum numeris pro *fere*, *circiter* etc., his abſtinendum cenſeo.

2) habent nonnulla vocabula ſignificationes dubias, de quibus adhuc lis eſt inter doctos vel quae nondum ſatis confirmatae ſunt, v. c. *periculum* apud Nepotem in Epamin. 8, quod alii explicant per *columnam*, alii per *tabulas publicas*, *das Protocoll*, provocantque ad Ciceron. Verr. III, 7, ubi *ſcribis tabulae publicae periculaque magiſtratuum committi* dicuntur: ſed nondum clarum eſt, Ciceronem per *pericula magiſtratuum* intellexiſſe *tabulas publicas*, praeſertim cum hae ipſae jam nominentur, ut taceam Ciceronem dixiſſe *pericula magiſtratuum*, quod ſecus in Nepote, ubi Epaminondas petit a judicibus, ut ſuo periculo certa verba inſcribant: alii *periculum* tolli et cum alio vocabulo commutari volunt. — Sic denique Graevius explicat *ut paucis dicam*, *me expediam*, *kurz zu*

sagen: at potest hoc vocabulum plerumque per *tandem*, *postremo*, vel etiam per *adeo sogar* explicari, ut adeo ista Graeviana significatio inter fictas referri posse videatur. — Sic *humare* h. e. *humo tegere* explicant nonnulli per *cremare*, laudantque Ciceron. Leg. II, 22, ubi dicit, *sepultos* dici sua aetate quoque *humatos;* et Nepot. Eum. 13 extr., qui ait: *hi — humaverunt, ossaque ejus ad matrem — deportanda curarunt.* Quomodo potuerunt Eumenem *humare* i. e. *humo tegere* et deinde *ossa ejus ad matrem deportanda curare?* hinc colligunt, *humare* esse *cremare.* At a) Ciceronis locus non docet *humari* esse *cremari.* Cicero dicit tantum, sua aetate omnes sepultos i. e. *crematos* dici *humatos.* Recte: omnes sepulti i. e. cremati possunt dici humati, quia omnes homines, ubi combusti erant, humabantur h. e. humo tegebantur, ossa scilicet eorum: hinc per metonymiam *crematum* vocare possum *humatum*: at propterea *humari* non est plane *cremari:* ut nos quoque hominem *sepultum* pro *mortuo* dicimus: at propterea *mori* et *sepeliri* non eadem sunt. b) locus Nepotis haud dubie corrigendus est, et leg. *cremaverunt* pro *humaverunt*, ut jam Lambinus, praeclarus judex bonae latinitatis, vidit. Rectius ergo ubique *humare* explicamus *humo tegere.* Ab ejusmodi igitur significationibus, nisi plane fictis, at dubiis saltem, abstinere debemus. Possint huc multa adhuc referri vocabula; itemque multae phrases, v. c. *ad scenam ire* ap. Nepot., quod nondum clarum est esse idem quod *in scenam prodire* etc.

3) habent et multa vocabula adeo fictas significationes, quae apud priscos aureae vel argenteae aetatis non occurrunt, sed a recentioribus interdum vocabulis nonnullis tribui perperam solent: v. c. *advocare* pro *causas agere* s. *patronum causarum esse; ambitio* pro *superbia* et *ambitiosus* pro *superbia inflatus*, cum priscis sit *studium aliis valde placendi* etc.; *angustia die Angst; apparere* pro *videri*, cum sit *manifestum esse; avarus* pro *nimis parco et tenace*, cum sit *pecuniae nimis cupidus; bona opera* de *beneficentia* erga *egenos*, *miseros* etc.; *brachium saeculare* de *magistratibus; calumnia* pro *criminatione* alicujus coram aliis quacunque in primis privata et tecta, *Verläumdung; calamitas* pro *omni malo*, *fortuna adversa Unglück*, cum sit *jactura rei gravior* vel *malum gravius; clemens* pro *benefico*, *benigno*, cum sit tantum *facilis in venia alicui danda; communiter* pro *vulgo*, *plerumque*, cum sit i. q. *sine partitione*, Cicero ad Div. XIII, ep. 12 in. opponit *communiter*

ter

ter et *ſeparatim; compilare* pro *colligere* in univerſum, cum ſit tantum *ſpoliare; confundi* pro *pudore adfici* ap. ſcriptores eccleſ. ex hebraico; *conſulere alicui* pro *ſuadere*, cum ſit *proſpicere; convincere* pro *perſuadere*, cum ſit nihil aliud, quam oſtendere aliquem aliquid (mali) feciſſe vel rem (malam) ita ſe habere, licet aliquis neget; ergo tantum in mala re occurrat; *copia* pro *exemplo*, *die Copie; cordatus* pro *animoſus*; *crux* pro *malis* ſ. *rebus adverſis* apud Theologos; *damnati* pro *iis, qui in orco ſunt* vel *ſuppliciis aeternis afficiuntur*; *deputare* pro *deſtinare*, hinc *deputatum*, cum ſit priſcis *amputare*; *deſtitui* pro *carere* in univerſum, cum ſit *deſeri; devotio* pro *ſumma ardentique pietate erga deum; diligens* de *valde et libenter occupato*, cum ſit *accuratus*, *providens*, *ad ſingula attentus*, ſic *diligentia* male ponitur pro *induſtria*, *der Fleiß*; *discurro* pro *loquor, discurſus* pro *ſermo; discretus* pro *humanus*, *modeſtus; exceſſus*, *ein Exceß*, *grave peccatum*; *feſtivitas* de *die ſolenni; fides* v. c. in Chriſtum ap. Theologos, *der Glaube*, ſic et *fideles die Gläubigen; fornicatio* de *ſcortando*; *gentilis ein Heide; hactenus* de *tempore bis itzt* (ſaltem a multis haec notio dubitatur); *humilis* ſenſu bono et *humilitas* de virtute certa, *Demuth*, cum priſcis ſit *niedrig*, *Niedrigkeit*, v. c. *virgultum humile*, ac per contemtum dicatur, v. c. *animus humilis ein niedriges*, *niederträchtiges*, *Gemüth; impingere* neutraliter pro *offendere anſtoßen*, cum ſit priſcis activum; *infernus die Hölle*; *infideles die Ungläubigen; infidelitas der Unglaube* ap. Theologos; *inferre* pro *concludere*, *argumentari*, apud nonnullos philoſophos; *infucatus* pro *non fucatus*, cum priſcis ſit idem quod *fucatus*; *inquam*, ſi eſt revocantis ſe in verbis perperam dictis *ich wollte ſagen*, priſci utuntur eo in repetitione verborum poſt parentheſin, at, ubi perperam dicta corrigere volunt, dicunt, *volui dicere*, non *inquam*; *intercedere* pro *rogare alicujus cauſa*; *iterum* pro *rurſus* in univerſum, priſcis eſt pro *ſecundo*, *deinde*, *zum zweyten Male; juxta* pro *ſecundum*, *ex*, v. c. *juxta Platonem hoc verum eſt*, priſcis eſt idem quod *prope; laqueus* pro *fune omni*, priſcis pro *fune*, cui nodus ineſt, et reſpondet noſtro *Schlinge*, *Fallſtrick*; *levis* pro *facilis*, priſcis pro eo, quod caret pondere, deinde pro *vano*, *contemnendo*, *vulgari*; *linea* pro *verſu eine Zeile*; *magiſtratus* pro toto *ſenatu*; *maxima* pro *regula*, *principium*, quod ſequimur in agendo; *medium* pro *re*, *qua aliquid efficitur*, *das Mittel; miniſterium* de *ordine ſacerdotum; momentum* pro *pretio*, v. c. *res magni momenti* dicunt pro *re magni pretii*, cum ſit *res magni ponderis* ad aliquid bene peragendum,

momentum enim eſt *pondus*; *mundus* pro *hominibus*, in primis pro *malis*; *multare* pro *verberare*, hic debet uſurpari *mulcare*; *omnino* in affirmante reſponſione; *opinio* de omni ſententia, etiam certa, ſic et *opinari*; *paganus ein Heide*; *perſecutio* de malis illis, quae Chriſtiani paſſi ſunt ſub Imperatoribus primis; *poenitentia die Buße*; *praeciſe* pro *accurate*, cum ſit *breviter*; *praeſumo* pro *audeo*, priſcis eſt *ante ſumo*; *pro tempore* pro *nunc*; *prolixus* de verbis, v. c. epiſtola prolixa; *promovere* pro *adjuvare befördern*; *proximus* de *homine* in univerſum; *publicus* pro *manifeſtus*, cum ſit priſcis id, quod nomine populi fit, ad eum vel ejus commodum pertinet etc. ſic et *publice*, v. c. *publice miſſus eſt ad hoc bellum*; *quoad* cum accuſat. pro *quod attinet ad* etc.; *reſurgere* pro *ab inferis aliquando redire*; *remedium* pro re, qua aliquid efficitur, bono ſenſu, priſcis dicitur de re, qua aliquid avertitur; *ſcientia* pro *diſciplina* in libris tradita, v. c. Philoſophia, Theologia, priſcis eſt *id, quod ſcimus*, ſeu idem quod *notitia, cognitio*; *ſaecularis weltlich*; *ſeducere* pro *decipere*; *ſuspenſus ab honoribus*, *munere*; *teneor* pro *debeo* ſeq. infinitivo; *vergo gereichen*, v. c. *in honorem*; *verba facere* pro *loqui* in univerſum; *vice* conjunctum cum nomine numerali, v. c. *prima vice*, *ſecunda vice* etc.; *unio* pro *conjunctione*; *vocatio* de munere alicui committendo; *votum* pro *ſuffragio das Votum* etc. His igitur ſignificationibus abſtinendum: cum vero plura vocabula hujus generis ſint, iſta res non niſi e lectione priſcorum tuto diſci poteſt. Nonnullae etiam ſignificationes in aurea aetate non videntur in uſu fuiſſe; hinc multi iis abſtinent; huc pertinet *privilegium* bono ſenſu; *quandoque* pro *interdum* etc.

4) ſunt et ſignificationes vocabulorum poetis forſan propriae; v. c. *ſalutor* pro *appellor*, ſic et *audio* pro *vocor*, *eſt* pro *licet*, v. c. *hinc videre eſt*, *hieraus kann man ſehen.* At non omnes lectores et auditores ita legerunt poetas, ut ſignificationes ibi tantum obvias tenerent.

IIII) *Vocabula debent quoque eſſe apta* h. e. *notioni*, *quam mente tenes*, *accurate reſpondere eamque plane exprimere*, atque ita neque nimis multum neque nimis parum dicere. Haec eſt certiſſima ad perſpicuitatem via. Tripliciter igitur hic peccari poteſt:

1) *primum*, quando orator vel ſcriptor cum vocabulo aliquo *aliam* ideam conjungit, quam illud habet h. e. quam priſci

priſci cum eo olim conjunxerunt, v. c. quando *conſulere alicui* uſurpat pro *ſuadere* ſ. *conſilium dare*, ut vulgo faciunt, *diligentia* pro *induſtria Fleiß; omnino* in reſponſione affirmante, *quandoque* pro *interdum*, *ſcientia* pro *arte* vel *diſciplina* in libris tradita etc. add. vocabula paulo ante recenſita.

2) *deinde*, quando loquens vel ſcribens majorem ideam cum vocabulo conjungit, quam hoc habet, v. c. quando uſurpat *opinio* pro *certa ſententia; opinari* pro *judicare*, *ſibi perſuadere*, vel etiam *arbitrari*, eſt enim tantum *credere ſine cauſa*, *vermuthen; parum doctus* pro *paulum docto*, cum ſit fere i. q. *indoctus*, *parum* enim per contemtum dicitur, et vix differt a *non*; ſic et *vix* parum abeſt a *non*, v. c. *vix credi poteſt* et *non credi poteſt* fere eadem ſunt, et apud priſcos inter ſe commutantur. Qui itaque alicujus laudandi cauſa dicit, eum *parum doctum eſſe*, *ingenio parum felici praeditum eſſe*, is illum non laudat, et errat, cum putat ſe vernaculum *ein wenig*, quod fere convenit cum *ziemlich* et medium eſt inter *viel* et *nichts*, expreſſiſſe. Sic *mediocris*, *mediocriter*, non ſemper cum laude dicitur; v. c. *eruditio mediocris* eſt tum *mittelmäßige*, i. e. *ziemliche*, tum *mittelmäßige* i. e. *ſchlechte Gelehrſamkeit.* Sic *mediocriter doctus.*

3) *tandem* peccatur, quando in loquendo vel ſcribendo *minorem* ideam cum vocabulis conjungimus, quam ea vere continent, v. c. quando dicitur *ira inflammatus* pro *iratus*, cum illud *graviter iratum* hoc ſimpliciter *iratum* indicet; *perſuadere ſibi* pro *putare*, *credere*, cum illud ſit *certo credere*, *pro certo habere*; *honoratiſſimus* in titulis *hochgeehrteſter*, cum apud priſcos de vero *honore* vel de *munere honorifico* tantum dicatur etc.

Iam quomodo agendum eſt, ut vocabula ubique ideis recte reſpondeant? Debemus et rem, quam exprimere verbis ſtudemus, et vocabula ipſa, quibus exprimenda ſit, accurate intelligere. Quod utrumque ſi obſervamus, nunquam peccabimus. Nam tum videbimus multas ideas ſ. res, Romanis olim notas, nobis hodie ignotas eſſe et contra multas res nobis hodie cognitas illis ignotas fuiſſe: unde patebit, non omnia priſca vocabula hodie uſurpari amplius poſſe, quia non ſingulis ideis hodiernis reſpondent. Huc pertinent v. c. *legio*, *cohors*, *tribunus*, *haſtati*, *triarii*, *ſeſtertius*, *denarius*,

 munici-

municipium etc.: *legio* vix reſpondet ei multitudini militum, quae vocatur hodie *ein Regiment:* et, cum *cohors* fuerit priſcis *decima pars legionis*, quaeritur, an reſpondeat ei numero, qui vocatur *Bataillon: municipium* hodie plane non exſtat amplius, eſt enim *oppidum ſuis legibus ſuisque magiſtratibus ſe regens ac ſimul jure civitatis romanae utens*, ubi eſt tale oppidum? Et innumera talia ad antiquitates pertinentia non ſatis conveniunt noſtris temporibus, ac ne *ſervus* quidem, it. *toga*, *tunica* etc. Noſtri *ſervi* ſunt liberi; ac, quod nobis vocatur *Rock*, *Weſte*, diverſum eſt a *toga*, *tunica*. Quid igitur agemus? Sumamus, fateor, neceſſe eſt vocabula priſca, quae habemus, et ignoſci nobis ſaepe debet, quia melioribus caremus. Hinc in rebus, quae recens inventae ſunt et priſcis plane ignotae fuere, non vitio verti debet iis, qui recentiora vocabula uſurpant, v. c. *bombarda*, *pulvis pyrius*, *Archidux*, *Confeſſionarius*, *Miniſter regis* pro *amico* etc. An etiam *Regimentum*, *Batalio* etc. dicamus? Equidem putaverim. Sunt, qui circumſcribere malint tales res: quod non omnibus placet, qui brevitatis ſunt ſtudioſiores. Hic omnia iſta vertuntur in conſenſu eruditorum: ab his pendet *uſus* atque ita lex et norma loquendi. Pertinent huc etiam multa Theologica, Iuridica, Medica. Theologo v. c. non vitio verto, quando de *angelis*, *diabolo*, *Meſſia*, *epiſcopo*, *diacono*, *ſpiritu* etc. loquatur, quia haec vocabula omnibus nota ſunt: Sic Iureconſulto facile ignoſco loquenti de *feudis*, *Allodiis*, *Vaſallo*, *Gerada*, *jure patronatus*, *praeſcriptione longi temporis* etc. Medico, quando de *pilulis*, *infuſo*, *decocto*, *extravaſatione*, *electuariis* etc. loquitur et ſcribit. Si quis tamen velit ac poſſit apte i. e. ſalva perſpicuitate circumſcribere, ei non invidebo. — Philoſophi non tanta neceſſitate premuntur, quia Cicero jam philoſophiam latine tractavit: at Theologiae noſtrae, Iurisprudentiae, et Arti medendi illud non contingere potuit. Ac docuit Erneſti Initiis philoſophicis, poſſe nos de philoſophia, dummodo velimus, bene latine ſcribere. Ceterum cogitemus, in verbis non ineſſe pulchritudinem ſed in ideis latentibus in illis et in conjunctione vocabulorum. Hinc, qui barbara (ut vulgo vocantur h. e. non occurrentia apud priſcos) vocabula uſurpat, at praeclare in iis cogitat, et ea praeclare et ad perſpicuitatem accommodate conjungit, is pulchrius ſcribit et magis placet, quam qui vocabula non niſi e Cicerone hauſta adhibet, ſed in iis non praeclare cogitat, et ea imperite obſcureque conjungit.

V) *Debent*

V) *Debent* tandem *vocabula omni ambiguitate* carere h. e. vel per ſe definitam certamque vim habere vel haec vis debet per contextum aut etiam aliunde certo definiri. Hinc 1) vel legenda ſunt vocabula, quae ſunt unius ejusque certae ſignificationis, v. c. *homo*, *ſum*, *ſcando* etc.: id quod in primis agendum, ſi contextus ea non explicat; 2) vel, ſi vocabulum homonymum h. e. duarum aut plurium ſignificationum ſumitur, id quod propterea, quia illorum numerus eſt major ac praeterea res ſaepe tale verbum poſtulat, fieri ſaepiſſime neceſſe eſt, debet a) aut contextus talis eſſe, ut, quam vim cum illo vocabulo conjungamus, ſtatim appareat, h. e. vel verba ſtatim addita vel antecedentia vel ſaltem conſequentia debent manifeſte declarare, quae vis ſit illius vocabuli; b) aut ſaltem res illo vocabulo homonymo h. e. ambiguo expreſſa debet tam nota eſſe, ut lectori et auditori ſtatim in mentem veniat, quid vocabulum iſtud indicet. Exemplis hoc illuſtremus. *Conſilium*, *conſuetudo*, *uti* ſunt vocabula homonyma. Si quis dicit mihi: *audiſtine aliquid de conſilio patris?* nec quidquam aliud addit, ego non intelligo, quid *conſilium* hic notet: poteſt enim *Rath*, *Entſchluß*, *Klugheit* eſſe. At, ſi quis dicit: *Pater mihi ſuaſit, ut ita rem inſtituerem. Quomodo placet tibi hoc conſilium?* hic aperte video, *conſilium eſſe der Rath:* atque ille locutus eſt perſpicue. Si quis dicit: *Marcelli conſilium multi vituperarunt*, nemo hoc intelligit; at, ſi dicit: *Marcelli conſilium, qui in patriam redire nolebat, multi vituperarunt* vel *cum Marcellus in patriam reverti nollet, multi hoc conſilium vituperarunt*, perſpicue loquitur: nam manifeſtum eſt, *conſilium eſſe der Entſchluß.* Sic dicens: *Cicero Catilinae furorem non vi et armis ſed conſilio et calliditate oppreſſit*, perſpicue loquitur, quia contextus docet, *conſilio* eſſe *durch Klugheit.* Qui dicit: *conſuetudine hoc didici* pro *familiaritate* etc., is obſcure loquitur, at, ſi dicit: *Ab hominibus, quibus utimur, multa diſci poſſunt; ego ipſe conſuetudine hominum multa didici*, perſpicue loquitur: nam vocabulum *hominum* declarat, quid *conſuetudo* hic ſit: et praecedentia multo magis. Sic *uſus ſum multis hominibus* pro *uſus ſum opera multorum ich habe mich vieler Menſchen bedient*, v. c. ad aliquid efficiendum, ambigue dictum eſt, quia et notare poteſt *vixi cum multis ich bin mit vielen Menſchen umgegangen:* hinc rectius eſt addere *opera:* v. c. *Ad iſtam rem efficiendam multorum opera uſus ſum.* Et hinc dicit Cicero, niſi fallor, ſemper *uti aliquo mit einem umgehen*, *uti alicujus opera ſich jemandes*

bedienen: nec unquam, puto, dixit *uti homine* pro *gebrauchen:* et ſic omnis ambiguitas vitatur. Huc pertinent multa vocabula, v. c. *imperium*, *oratio*, *perſona*, *dignitas*, *auctoritas* etc., in quorum uſu ſemper vel contextus vel hiſtoriae ratio habenda: v. c. *imperium Sullae*, *Scipionis* etc., quisque intelligit eſſe *das Commando*, quia hi viri ſunt noti; ſic *auctoritate ſenatus Caeſar ignovit Marcello* per ſe ambigue dictum eſt, at hiſtoria docet, *auctoritatem* eſſe hic *das Zureden*, *Vorſtellung*. At, ſi de re ignota loquens uterer *auctoritate* iſto ſenſu, nemo me intelligeret, quia *auctoritate* poſſet eſſe quoque *imperio auf Befehl* vel *conſilio* etc. Sic Cicero ſaepe in epiſtolis, praeſertim ubi jocatur, utitur vocabulis ambiguis, quorum ſententia, quia contextus nil explicat, nobis obſcura eſt; ſed quae is, ad quem ſcripſit, praeclare intellexit, quia rem, ad quam Cicero reſpiciebat, norat, ut ideo Cicero non illi ſed nobis tantum obſcure ſcripſerit, neque ita obſcuritatis nomine accuſandus ſit. Ceterum in delectu verborum ſingulorum recte ſervando omnia vertuntur in eo, ut ea recte intelligamus, in primisque eorum vim propriam et primam teneamus, de qua re ſupra p. 85 ff.

SECT. XXIII

2) *De perſpicuitate in conjungendis vocabulis.*

Alter fons propior perſpicuitatis in vocabulorum uſu eſt *eorum conjunctio recta*. Et haec eſt res princeps: nam, qui vocabula latina bene deligit et male conjungit, is ſemper male ſcribit.

Tenenda hic ſunt maxime haec:

I) *Nominibus ſubſtantivis addi debent verba, proprie dicta, quae illis conveniant*, v. c. vocabulo *viae*, quando pro *ratione*, qua quid conſequimur vel conſequi ſtudemus, ponitur, *das Mittel*, non convenit *eripere*, *dare*, quia proprie *via der Weg* non poteſt *eripi*, *dari*. Male ergo loquamur: *Omnes viae mihi ſunt ereptae*, *mir ſind alle Mittel benommen*, imo *occluſae*, *obſeptae*, *interſeptae* etc. Non accurate dicitur *dedit mihi viam ad illud conſequendum*, imo: *patefecit mihi viam*, *aperuit*, *munivit* etc. Attamen *tradere vias* eſt Cic. Leg. I, 6. Non dici poteſt *honoris gradum accipere*, *eine Ehrenſtelle bekommen*, ſed *adſcendere*, *ad honoris gradum pervenire*.

venire. Sic non dici potest *poenas accipere*, sed *poenas dare, pendere, dependere, persolvere.* Sic prisci: unde patere puto *poenam* non proprie esse *die Strafe* sed *die Rache;* hinc, qui punitur, *dat alii quasi ultionem sui* s. facit, ut alius se ulciscatur vel ultus sit. Non dici debet *naufragium pati Schiffbruch leiden* i. e. *das Unglück haben, daß das Schiff scheitert,* licet Seneca Herc. Oet. 118 ita loquatur, sed *facere*, cum Cic. ad Div. XVI, 9; quia illud posset et verti *Schiffbruch erdulden, sich gefallen lassen.* Sic *damnum facere* vel *accipere Schaden leiden* i. e. *bekommen* rectius dicitur, quam *damnum pati,* quia hoc quoque foret *damnum aequo animo ferre:* nam *pati* pro *aequo animo pati erdulden, sich gefallen lassen, nicht dawider murren*, saepe a priscis dicitur. Non dicitur *peccata remittere,* nam non possunt *peccata remitti erlassen werden,* at *poenam remittere die Strafe erlassen* recte dicitur: nam haec potest alicui remitti. Non dixerim *rogare munus* s. *honores, magistratum, um ein Amt bitten, anhalten,* sed *petere*, quia prisci fere semper ita: *rogare* per se non falsum; sed Cicero distinxit *rogare* et *petere* Planc. 10 in.: Phil. II, 30 extr; forsan *rogare* est in universum *bitten*, sed *petere förmlich darum anhalten.* Et sic in aliis multis. Sed hic omnia vertuntur non modo in lectione priscorum, sed in primis in cognitione primae notionis vocabulorum: quam qui tenet, semper scit, qualia verba iis addi possint. Qui eam nescit, semper dubius haeret, nec ullum vocabulum antea cum alio vocabulo conjungit, quam sciat, priscos eodem modo ea conjunxisse. Sic, ubi de rebus romanis loquimur, servanda sunt *verba*, substantivis convenientia, v. c. consulem, praetorem, *creare*, saltem sic creberrime dicitur, quamquam et *facere* rectum est: dictatorem *dicere*, quia unus v. c. consul eum *dicit;* quamquam et *creare*, *facere*, occurrit: senatorem *legere*, quia delectus habebatur; legem *ferre* (proprie *tragen*) de magistratu, qui eam ad populum fert (i. e. *an das Volk hinträgt, vor das Volk bringt*), h. e. ei proponit et recitat; legem *jubere, sciscere*, de populo illam jubente ratam esse, quia populus solus, h. e. universi Romani, poterat jubere, legem ratam esse; Vestalem *legere* vel *capere;* Flaminem et Interregem *prodere.* Sic *senatum habere*, *concionem habere* etc.

II) *Verbis*, proprie dictis, addi debent adverbia illis convenientia: v. c. *enixe rogare*, non *obnixe; facile pati sich etwas gern gefallen lassen,* non *libenter pati:* sic prisci semper, nec aliter res patitur: nam *libenter* est *cum voluptate*

mit Vergnügen, et *pati* est *tolerare erdulden:* quis dicat *mit Vergnügen erdulden?* Et, qui apud nos dicunt: *sich etwas gern gefallen lassen*, ii non cogitant in his verbis illud: *etwas mit Vergnügen erdulden*, sed hoc: *nicht dawider murren, damit zufrieden seyn:* ut vel hinc pateat, perperam dici *libenter pati:* At, si quis in perferenda re adversa voluptatis aliquid perciperet (quales homines vix reperiri putaverim), tum posset iste homo dici *libenter pati.* Sic non dici potest: *hic cibus sapit pulchre*, ut nostri interdum loquuntur, *schmeckt schön;* nec *hic flos olet pulchre*, *riecht schön;* nam *pulchritudo* omnis inest in *externa specie*, non in *natura* et *interna conditione rei:* rectius ergo dicitur *bene sapit*, *olet* etc. Ceterum et hic omnia pendent a recta notitia vocabulorum maximeque primae eorum significationis.

III) *Nominibus substantivis addi debent adjectiva* tum *convenientia* tum *sufficientia* s. satis multa.

1) *Convenientia* h. e. quae a priscis addi solent, et quorum ideae conveniunt ideis substantivorum: v. c. recte dicitur *consilium bonum ac fidele; bonum*, si cum *prudentia* datur, *fidele*, si cum *fide:* qui enim consilium nobis dat, is debet hoc primum *posse*, deinde etiam *velle*: *posse* pertinet ad scientiam ejus, et tum consilium est *bonum; velle* pertinet ad fidem et voluntatem ejus, ut ea loquatur, quae sentiat; tum consilium est *fidele.* Non recte proprie dicitur *consilium prudens, sapiens;* homines sunt *sapientes, prudentes*, non consilia eorum: hinc nec satis accurate dici potest *res prudens, sapiens;* nec *hoc est prudens das ist klug*, sed *hoc est prudentis:* v. c. *es ist klug oder einfältig, wenn man so handelt, est prudentis vel stulti ita agere.* Nec tamen dissimulandum, priscos *τὸ prudens* et *sapiens* dixisse de rebus, v. c. *prudentissimum consilium* Nep. Eum. 3: *Sapiens excusatio* Cic. Att. VIII, 12: *sapiens consilium*, Ovid. Met. XIII, 433 et saepius; ut hic usus damnari nequeat. *Pulcher* dicitur de *externa specie*: ergo recte dixeris *horti pulchri*, *vestis pulchra*, si ad externam speciem respicis: at non *ager pulcher* de fertilitate, sed *bonus:* sic Graecis *καλὸς* est *pulcher*, *ἀγαθὸς bonus*, unde patet *καρπὸς καλὸς* in N. Testam. de bonitate fructus non recte dici. *Homo senex* recte de *annis* et *homo antiquus* de *moribus* dicitur. *Homo magnus*, *vir magnus*, de ejus *statura* s. *corporis longitudine* perperam dicitur, sed dici debet *longus:* nam *magnus* de hominibus dictum pertinet tantum ad eorum virtutes et res gestas: v. c. *Pompejus fuit*

fuit vir magnus, hinc *Alexander magnus* etc. *Conditio amoena ein angenehmer Zustand*, *res amoena angenehme Sache*, *fortuna amoena ein angenehmes Schicksal*, *angenehmer Zufall* non accurate dicitur: nam *amoenus* tantum de suavitate, quae ope sensuum, inprimis oculorum, percipitur, v. c. regionis dicitur, v. c. *regio amoena*, *praedium amoenum* h. e. *ein angenehm gelegenes Landgut* s. *welches in einer angenehmen Gegend ist*. Rectius itaque dicitur *conditio*, *fortuna*, *res laeta* etc. *Manus propria* pro *mea*, *tua*, *sua* cet. stulte dicitur, quia *proprius* est tantum *eigenthümlich* et opponitur *communi*, v. c. *rei vis propria die Kraft*, *die der Sache eigen ist und die andere Sachen nicht haben: domus propria* est, quae non est communis cum aliis: v. c. *aedes* non domus est propria singulis hominibus, sed omnibus communis. Hinc *manus propria hominis* est *manus*, quam non is habet communem cum aliis; nonne hoc per se intelligitur, manum cujusvis hominis esse ei propriam? Cur igitur addimus? Ergo *manu propria scripsi* foret *ich habe es mit der Hand geschrieben*, *die mir eigenthümlich zugehört:* nonne hoc dictum esset, quasi haberem adhuc alias manus cum aliis hominibus communes. Nonne igitur ridiculum est dicere *manu propria?* At, qui sic loquuntur, cogitant vernaculum *mit meiner eigenen Hand:* sed hoc est *manu mea*. Intelligunt ergo lectores, *manu propria* non per se sed tantum propterea perperam dictum esse, quia *propria* jam per se intelligitur, atque ita hoc epitheton supervacaneum est. Si quis vero jocose dicat: *diese Hand ist mir eigenthümlich*, vel si quis habeat unam manum ligneam pro naturali, quae v. c. abscisa sit vel alio modo perierit, ac de altera manu, salva adhuc, loquatur, *diese Hand ist mir eigenthümlich*, tum debet hoc verti *haec manus est mihi propria*, i. e. *sie gehört mir allein zu* etc. *Gradus honoris* (Ehrenstelle) non potest dici *magnus*, *praeclarus*, *egregius*, *pulcher* etc., sed *altus*, *excelsus*, quia in *gradu* proprie sumto *die Stufe* non magnitudinis, excellentiae, pulchritudinis sed altitudinis ratio habetur. *Vestigia* v. c. hominis possunt dici *perspicua*, *expressa*, at non *magna*, *pulchra* etc., quia in vestigiis hominis, quae debemus sequi, non ratio habetur, quam vel magna vel pulchra sint, sed quam expressa, ut ea videamus. Qui itaque de principe aliquo dicit, eum *vestigia magna patris sui magni sequi*, is peccat, ut taceam magna vestigia hominis declarare *magnum pedem* vel *laxos calceos*, ut eo minus hoc possit laudi duci. *Finis*, pro *consilio Absicht* sumtus, non potest dici *bonus*, *praestans*, *pulcher*, *egre-*

gius, *excelsus*, *laudabilis*, *humilis* etc. *eine schöne*, *vortreffliche*, *erhabene*, *löbliche*, *niedrige Absicht*, sed *certus*, *definitus*: nam *finis* proprie est *id*, *in quo consistimus*, *das Ende*; et, quia *consilium* est id, ubi consistimus, si eo pervenimus, hinc recte *finis* pro *consilio* dici potest. Quia vero in *fine* proprie sumto non consideramus nec considerari potest, an sit *bonus*, *pulcher;* multo minus, an sit *humilis*, *excelsus* (haec ne cogitari quidem possunt in *fine*), et in omni translatione vocabulorum ad propriam eorum vim, ope phantasiae nostrae, respicimus, hinc patet nec posse illa adjectiva *fini* tropice sumto convenire. Sic nec *finis prudens*, *sapiens*, *callidus* etc., tum propter modo dictam caussam, tum propter supra allatam; quia non nisi homines sunt *prudentes* (i. e. *providentes vorsichtig* proprie), *sapientes*, *callidi* etc. At decipit tirones interdum linguae vernaculae usus. Sic *lingua vernacula* dicendum, non *materna*, *die Muttersprache:* non enim tantum mater ea utitur sed et pater, fratres et omnes in terra eadem nobiscum viventes. Sic nec dixerim *bona* vel *mala conscientia*, *das gute oder böse Gewissen;* sed *conscientia recte* vel *male actorum*, seu *conscientia rectorum* vel *malorum consiliorum:* nam *conscientia* est *das Bewußtseyn einer Sache*, *die man gethan*, *scientia eorum*, *quae egeris*: haec nec bona nec mala esse potest; at ea, quorum conscii sumus, possunt esse vel bona vel mala, et in idea *Gewissen* nos ad ea semper respicimus, quae egimus. Equidem scio, Ciceronem dixisse *praeclara conscientia*, at semel ita locutus est tantum ad Attic. X, ep. 4 *Praeclara igitur conscientia sustentor*, *cum cogito*, *me de re publica aut meruisse optime*, *cum potuerim*, *aut certe nunquam nisi divine cogitasse* etc.: occurrit etiam apud eundem semel *recta conscientia* ad Attic. XIII, ep. 20 *in omni vita sua quemque a recta conscientia traversum unguem non oportet discedere;* quae verba ne videntur quidem ipsius esse, sed sententia potius e libro aliquo philosophico sumta. Apud Sallust. Iugurth. 62 §. 8 legitur quoque: *coepit flectere animum et ex mala conscientia digna timere:* at semel hic dicitur *mala conscientia das böse Gewissen*, et Cortius ait: „pro *mala* aliud primum fuit perscriptum in Guelf. 12. Forte nudum dederat Crispus *ex conscientia.*" Respicit Cortius ad Sallust. Iug. 32 §. 5, ubi legitur: *ei timido et ex conscientia diffidenti rebus suis* etc., ut adeo *mala conscientia* non satis firma auctoritate nitatur. Quamquam igitur Cicero dixit *praeclara conscientia*, *recta conscientia*, tamen hoc non imitandum puto, quia semel dixit; dicendus potius est

peccasse,

peccasse, quam recte locutus esse. Multo minus dixerim *conscientia bona* vel *mala*. Locuti sic sunt scriptores posteriores, Quintilianus, Plinius, Tacitus, Seneca etc. Quos imitetur, qui volet. Ac, cum Cicero longe saepius dixerit *conscientia* cum genitivo, v. c. *recte factorum*, *rectorum consiliorum* etc., cur non hoc potius imiter, praesertim cum et per se rectius sit dictum? — Huc retulerim quoque nonnulla participia, quae pro substantivis usurpantur: at, quia participia proprie sunt, non possunt adjectiva juxta se ferre, sed pro iis adverbia postulant, quia sunt particulae verborum proprie dictorum, et adverbia solent addi verbis: v. c. *dictum*, *factum*, *doctus*, *sapiens* etc. Non dici potest *verus doctus ein wahrer Gelehrter*, nec *magnus doctus ein großer Gelehrter* etc., sed *vere doctus*, *valde doctus*, dicendum est; sic non *verus sapiens*, sed *vere sapiens ein wahrer Weiser*. Non dici proprie potest *praeclarum*, *acutum*, *venustum*, *facetum dictum*, sed *praeclare*, *acute*, *venuste*, *facete dictum*: hinc saepe occurrunt *acute*, *facete*, *dicta bons mots*. Non dici proprie potest *rectum*, *bonum*, *malum*, *sapiens*, *stultum factum eine rechtschaffene*, *gute*, *böse*, *weise That*, sed *recte factum*, *bene factum*, *male factum* etc. Quamquam non negandum, priscos saepe τοῖς *factum* et *dictum* substantive uti, atque iis adjectivum addere, v. c. *factum laudabile*, Cic. Dom. 36: *factum praeclarum atque divinum*, Cic. Phil. II, 44 et *pulcherrimum factum*, Ibid.: *facta illustria*, Cic. Fin. I, 11: *ecquod ejus factum*, Cic. Sull. 26: *factum illustre* Nep. Arist. 2 et saepius: Nullum meum *minimum dictum*, Cic. ad Div. I, 9: *Mutua dicta*, Ovid. Met. VIII, 717: *Bona dicta*, Cic. Or. II, 54: *Dictis meis*, Plaut. Pseud. I, 3, 125 et saepius; ut adeo ei, qui vocabulo *factum* velit jungere adjectiva, ignosci possit.

2) *Sufficientia* adjectiva addi debent substantivis, h. e. tot, quot sufficiant ad subjectum aliquod pro ratione contextus rite describendum. Adjectiva exprimunt attributa subjecti: videndum igitur, quae et quot attributa res quaeque postulet, si definite loqui velimus. V. c. in *consilio* requirimus duo attributa, ut primum sit *bonum*, deinde *fidele*: recte ergo dixeris *consilium bonum ac fidele*. In beneficiis spectatur hoc, ut sint *multa* et *magna*. Qui itaque loquitur: *Deo ob magna ejus beneficia amorem debemus*, vel sic: *Deo ob multa ipsius beneficia amorem debemus*, non tam recte ac perspicue loquitur, quam qui dicit: *Deo ob ejus et multa et magna beneficia amorem debemus*. Accuratius vero loquitur, qui ita dicit: *Deo ob ejus et multa et magna beneficia*

ficia amorem magnum ac perpetuum debemus; nam sic et adjectiva sufficientia addidit substantivo *amorem*. Accuratissime omnium et maxime perspicue loquitur dicens: *Deo benignissimo et liberalissimo ob ejus et multa et magna beneficia magnum perpetuumque amorem debemus*. Sic enim substantivo *Deo* addidit quoque adjectiva, illud ac simul totam sententiam illustrantia. Qui hominem doctum ac simul modestum ita laudat, ut dicat, eum esse *doctum*, non tam perspicue loquitur, quam qui addit *modestum*. Et sic in ceteris. Cic. Verr. I, 1 med. ait: *Nam si iste* (Verres) *id fecisset, quod primo statuerat, ut non adesset, minus aliquanto, quam mihi opus esset, cognosceretur, quid ego in hac accusatione comparanda constituendaque elaborassem; vestra vero laus tenuis plane atque obscura, judices, esset*. Recte dicit, laudem judicum *tenuem* et *obscuram* fore: Non sufficiebat *tenuis* h. e. *parva:* nam laus potest esse tenuis, at nota: hinc addit *obscura* h. e. *ignota*, vel *non satis nota*, *non omnibus nota*. — Fontej. 16 in. *nos vero, judices, non et multis et firmis praesidiis, vobis adjutoribus, isti immani atque intolerandae barbariae resistere?* Recte. Non sufficiebat *multis*, addi debebat *firmis:* praesidia enim possunt esse *multa*, sed non *firma*, et contra; utrumque jungi debet. Nec *immani barbariae* sufficiebat; addebat *intolerandae*. — Sic Manil. 2 *pro qua* (salute sociorum) *multa majores vestri magna et gravia bella gesserunt;* et statim: *aguntur certissima populi romani vectigalia et maxima:* nec *certissima* nec *maxima* omittere poterat, si quidem recte ac perspicue volebat loqui: possunt enim vectigalia esse *certa*, at non *magna*, itemque *magna*, at non *certa*. — ibid. c. 9 *fani locupletissimi et religiosissimi diripiendi causa in eas oras nostrum exercitum esse ductum: fanum* est *locupletissimum*, si divitiis et ornamentis abundat, *religiosissimum*, si summa religione colitur ab hominibus: neutrum itaque abesse poterat, praesertim cum in utroque sit causa, cur nationes timuerint, ne fanum illud diriperetur.

Sed quaeritur hic, an etiam duo adjectiva sine copula *et* possint uni substantivo addi. — Possunt utique, at non nisi tum, cum unum adjectivum una cum substantivo cogitari potest tanquam unum subjectum, v. c. *Codex Lipsiensis primus*, ubi *Codex Lipsiensis* jam pro noto subjecto habetur. Sic *meus magnus amor, tuum longum iter; multi magni morbi curantur abstinentia et quiete;* ubi *magnus amor*, *longum iter*, *magni morbi* pro singulis subjectis habentur: sic Cic. Manil. 9 *magnis adventiciis auxiliis regum;* Cic. Phil. I, 14 *acerbissi-*

mum

mum ejus diem supremum: Cic. Phil. V, 15 *periculosissimum civile bellum;* et ibid. *bellum acerbissimum civile:* Cic. Tusc. II, 11 *ad malam domesticam disciplinam.* In quibus *auxiliis adventiciis*, *diem supremum*, *bellum civile* et *domesticam disciplinam* tanquam unum subjectum cogitatur. — Imo tres adjectiva jungi possunt, si duo una cum substantivo, tanquam unum subjectum, cogitari possunt, v. c. *carissimus tuus parvulus filius*, Cic. Phil. I, 13: *etiam externos multos claros viros nominarem* Cic. ad Div. VI, 6 §. 24: in quibus *tuus parvulus filius* et *externos claros viros* jam ante conjunctim cogitata sunt, quam *carissimus* et *multos* accederet. — In primis duo adjectiva sine τῷ *et* recte jungi possunt substantivo, si alterum indicat *qualitatem*, v. c. *magnus*, *brevis*, *ruber*, *niger*, *clarus* cet., alterum vel exprimit *numerum*, *multitudinem*, *paucitatem* (v. c. *omnes*, *pauci*, *nullus*, *multi* cet.) vel indicat *locum*, aut *gentem*, *urbem*, *terram* cet. (v. c. Latinus, Romanus cet.) vel significat possessionem, quo pertinent pronomina *meus*, *tuus*, *suus*, *noster*, *vester;* itemque *hic*, *ille*, *qui* cet. v. c. *multi magni morbi: hi magni viri: nostra fortia facta:* sic *recenti adventu meo* Cic. ad Div. V, 17 §. 3: *vestri pulcherrimi facti*, Ibid. XII, 3 §. 2: *multa magna bella*, Cic. Manil. 2: Imo ista omnia jungi possunt, v. c. *externos multos claros viros*, Cic. Ibid. VI, 6, ubi notandum est, tria adjectiva addi: at non aliter dicere fere poterat: *externos claros viros* tanquam notum subjectum considerabat, et tum putabat addi posse *multos:* vel *externos* indicat terram; *multos* numerum. Poterat tamen dicere: *multos externos*, *eosque claros*, *viros nominarem:* ac sic forsan suavius dixisset. — Not. Apud Nepot. Eum. 13 extr. legitur: *hi militari honesto funere*, *comitante toto exercitu*, *humaverunt.* Hic aliter se res habet atque in supra memoratis locis Ciceronis. Hic et *honesto* et *militari* indicat qualitatem. Quaeritur, utrum *honesto funere*, an *militari funere*, pro subjecto uno habendum? Ordo quidem verborum suaderet, ut *honesto funere* jungeretur: at *militari* videtur esse adjectivum primarium atque ita *militari funere* jungendum: at tum *honesto* non quadrat: nam haec adjectio videatur indicare, militare funus esse duplex, alterum honestum, alterum inhonestum: quod Nepos dicere haud dubie noluit. Quare vel dicamus duram esse hanc conjunctionem adjectivorum ap. Nepotem, vel, si culpam magis librariis tribuere placet, cum Lambino bonae latinitatis praeclaro judice, sed a Criticis nonnullis, dura ac nova amantibus, qualis Cortius erat etc., inprimis a Gebhardo valde contemto, deriso et reprehenso, legamus:

militari

militari honeſtoque funere, ut *honeſtoque* ſit explicatio τῶ *militari*, ut ſaepiſſime apud Ciceronem.

IIII) *Adjectiva* poſſunt ac debent ſaepe in *ſubſtantiva* mutari, ſi in iis ineſt notio primaria: et tum ſubſtantiva vel pronomina, quibuscum conjuncta erant, abeunt in genitivum. V. c. Cic. Roſc. Am. 17 extr. *ſi in calamitatem venit propter praediorum bonitatem et multitudinem* pro *propter praedia bona et multa:* at non *praedia* per ſe ſed eorum *bonitas* et *multitudo* erant cauſa calamitatis illius, ergo *bonitas* et *multitudo* ſunt hic ideae primariae. Sic ad Div. V, ep. 2 §. 22 *Hujus ego temeritati ſi virtute atque animo non reſtitiſſem* etc. pro *Huic temerario homini ſi* etc. At *temeritas* eſt idea gravior; *temeritati* enim, non ipſi homini, reſiſtendum putavit. Ad Div. VI, ep. 6 §. 19 *In quo admirari ſoleo gravitatem et juſtitiam et ſapientiam Caeſaris* pro *In quo admirari ſoleo Caeſarem, quod tam gravis, juſtus, et ſapiens eſt:* ſed illud accuratius. Caeſ. B. G. IIII, 17 §. 2 *Itaque, etſi ſumma difficultas faciundi pontis proponebatur propter latitudinem, rapiditatem, altitudinemque fluminis* etc. pro *propter latum, rapidum,* et *altum flumen:* ubi notes eandem diligentiam, de qua paulo ante in uſu adjectivorum diximus, ſervatam eſſe, h. e. nullum attributum omiſſum eſſe, quod flumini, transitum difficilem reddenti, conveniret: poterat nec *latitudo* nec *rapiditas* nec *altitudo* omitti. Nam flumen poteſt eſſe *latum*, nec tamen *rapidum*; poteſt eſſe *rapidum*, nec tamen *altum* et *latum* etc. Plura dicta de hac re ſunt ſupra p. 308 ſſ. in cap. de *variatione vocabulorum.*

V) *Uni ſubſtantivo* (quo pertinent pronomina) *aliud ſubſtantivum interdnm additur*, per quod illud magis definiatur, atque ita perſpicuitas magis adjuvetur: atque ita prius ſubſtantivum (it. pronomen *hic*, *ille* cet.) abit in genitivum. Subſtantivum, quod additur, notat plerumque vel partem vel attributum ſubſtantivi, cui additur, vel cauſam. Quod ut recte intelligatur, notandum eſt hoc. Vulgo h. e. ſermone populari vel plebejo, qui non nimis ſubtilis accuratusque ſolet eſſe, tribuitur rei toti aliquid, cum tamen hoc ejus tantum parti vel attributo latiſſime ſumto conveniat h. e. dicitur de re aliqua (vel homine) ita, tanquam hoc, quod dicitur, ad illam totam pertineat, cum tamen hoc vere parti vel attributo ejus tantum tribui debeat. Porro dicitur ſaepe de re ita, ut cauſa omittatur. Haec igitur pars, hoc attributum, haec cauſa ab iis, qui accuratius lo-

quun-

quuntur, peculiari vocabulo exprimitur et illi rei additur. Sic intelligendum eſt illud, quod diximus de ſubſtantivo addendo alii ſubſtantivo; ne quis forte putet, ubique ſubſtantivum addi vel, ut nonnulli loquuntur, ex uno ſubſtantivo duo fieri poſſe. V. c. pro *vulnerare hominem* rectius dixeris *vulnerare hominis corpus;* quia *vulnerare* non ad *totum hominem*, h. e. ad *animum* et *corpus*, ſed ad *corpus* ſolum pertinet. Sic *ſedere in puppi* rectius eſt, quam *ſedere in nave*, de gubernatore: nam is ſedet tantum in puppi. Quod qui non intellexerunt, putarunt hic partem pro toto poni: male. Sic *femina pulchrae formae* eſt accuratius dictum quam *femina pulchra.* Sic *offendere animum hominis jemand beleidigen* rectius dicitur quam *offendere hominem:* nam *offenſio* non ad totum hominem ſed ad ejus animum pertinet. Sic *ſpes, opinio, me fefellit* rectius quam *ego me fefelli in ſpe, opinione*, et priſci illud ſemper hoc nunquam dicunt. — Apud priſcos nihil frequentius iſta ratione: hinc ex illis perſpicuitatem dicendi diſcere facillimum eſt. Cic. ad Div. V, ep. 2 §. 14 *Si vero meam ſalutem contra illius impetum in me crudeliſſimum defenderim, ſatis habeas, nihil me etiam tecum de tui fratris injuria conqueri:* ubi notes *meam ſalutem* pro *me*, *illius impetum* pro *illum*, poni: at, cum dixiſſet *impetum*, addere facile erat *crudeliſſimum;* deinde *de tui fratris injuria* dictum pro *de tuo fratre:* ſed quam praeclara h. e. ad perſpicuitatem accommodata eſt illa mutatio! — Ibid. §. 15 *Quem ego cum comperiſſem omnem ſui tribunatus conatum in meam perniciem parare* etc., ubi notes *tribunatus conatum* pro *tribunatum* dici: poſſit et huc referri *in meam perniciem* i. e. *in me, contra me.* — Ibid. §. 22 *Hujus ego temeritati ſi virtute atque animo non reſtitiſſem* etc., ubi notes *hujus temeritati* dictum eſſe pro *huic.* Paulo ante quidem diximus, *hujus temeritati* dictum eſſe pro *huic temerario homini;* et nunc dicimus poni pro *huic.* Nonne hoc eſt repugnantia loqui? Minime. Teneamus igitur, Ciceroni primum in mentem veniſſe haud dubie *huic ego ſi* etc., deinde cogitanti illi accuratius τὸ *huic* in mentem venit vel ſtatim *temeritati* addere et *huic* in *hujus* mutare, vel *temerario* addere ac deinde τὸ *huic temerario* mutare in *hujus temeritati.* Quidquid eſt, nam certo dici nequit, quam viam cogitandi hac in ſententia formanda ingreſſus ſit, certe apparet, *hujus temeritati* tandem poſitum eſſe pro *huic:* et utile eſt mutationem ſententiae duobus modis indagare, ut deinde diſcamus vel adjectivum in ſubſtantivum novum mutare vel ſtatim ſubſtantivum ſubſtantivo addere. — Ibid.

§. 28 *ego dolori tuo non ſolum ignoſco* pro *tibi*; et ſtatim: *meus enim me ſenſus, quanta vis fraterni ſit amoris, admonet* pro *quantus ſit fraternus amor.* — Ibid. ep. 12 §. 5 *Neque tamen, haec cum ſcribebam, eram neſcius, quantis oneribus premerere ſusceptarum rerum et jam inſtitutarum:* ubi *quantis oneribus rerum* pro *quantis* vel etiam *quot rebus* etc. — Ibid. §. 7 *Et ſimul ſi uno in argumento unaque in perſona mens tua tota verſabitur* etc., ubi *mens tua tota verſabitur* dictum pro *tu totus verſaberis:* at quanto accuratius illud! — Ibid. §. 8 *Neque tamen ignoro, quam impudenter faciam, qui primum tibi tantum oneris imponam; poteſt enim mihi denegare occupatio tua* etc., ubi *poteſt enim mihi denegare occupatio tua* dictum eſt pro *potes enim mihi tu denegare:* poſtea Ciceroni in mentem veniebat cauſa, cur denegare poſſet, hocque denegari poſſe *propter occupationem*, hinc pro *tu enim potes* cet. ponebat *poteſt enim mihi denegare occupatio tua.* Quis non ſentit ita magis perſpicue Ciceronem ſententiam expreſſiſſe? — Caeſ. B. G. II, 22 in. *Inſtructo exercitu, magis ut loci natura, dejectusque collis et neceſſitas temporis, quam ut rei militaris ratio atque ordo poſtulabat.* Quam accurate, quam perſpicue dictum! pro *Inſtructo exercitu, magis ut locus, collisque et tempus, quam ut res militaris poſtulabat.* Nullum additorum ſubſtantivorum otioſum eſt, ut ii forſan opinantur, qui libenter credunt, priſcos pro *uno vocabulo* temere duo ponere. *Dejectus* vero eſſe ſubſtantivum i. e. *declivitas*, nec participium, e tota verborum compage apparet. Add. Cic. in epiſt. modo laudata §. 4 *ſed etiam illa cupiditas, vel ut auctoritate teſtimonii tui, vel indicio benevolentiae, vel ſuavitate ingenii, vivi perfruamur*, ubi *auctoritate teſtimonii* dictum eſt pro *teſtimonio*, *indicio benevolentiae* pro *benevolentia*, et *ſuavitate ingenii* pro *ingenio.* Cupit Cicero res ſuas per Lucceium hiſtoricum celebrari: hoc ita circumſcribit, *ſe cupere teſtimonio ejus, benevolentia, et ingenio frui,* quia laus Lucceji eſt *teſtimonium*, indicat *benevolentiam* ſcriptoris, nec ſine *ingenio* res apte laudari poteſt: Iam pro *teſtimonio* dicit *teſtimonii auctoritate*, quia teſtimonium Lucceji multum valebit apud lectores; pro *benevolentia* ponit *benevolentiae indicio*, quia illud teſtimonium et illa laus indicat benevolentiam; pro *ingenio* dicit *ſuavitate ingenii*, quia ingenium ſcriptoris eſt legenti ſuave. — Sic Phaedr. I, 4 de cane carnem ferente per fluvium: *lympharum in ſpeculo vidit ſimulacrum ſuum* pro *in lymphis vidit ſe;* at illud accuratius: addit *ſpeculum*, ut appareat, cur ſe potuerit videre; deinde *ſe* non proprie

pote-

poterat videre sed tantum *simulacrum suum*. — Sic fab. 12 *Ad fontem cervus, cum bibisset, restitit, et in liquore vidit imaginem suam. Ibi dum ramosa mirans laudat cornua, crurumque nimiam tenuitatem vituperat, venantum subito vocibus conterritus per campum fugere coepit* etc., ubi primum *imaginem suam* pro *se*, propter causam modo dictam; deinde *crurum tenuitatem nimiam* pro *crura*; sed addere quoque volebat causam, cur crura vituperaret, hinc ait *crura nimis tenuia* seu *crurum tenuitatem nimiam*; tandem *venantum vocibus conterritus* pro *per venantes* vel *a venantibus conterritus*. — Fab. 14 v. 10 *Timore mortis ille* (e sutore medicus factus) *tum confessus est, non artis ulla medicae se prudentia, verum stupore vulgi factum nobilem* pro *confessus est, se non per artem medicam, verum per vulgum, factum esse nobilem*; at illud accuratius: nam *ars medica* per se non affert nobilitatem s. famam, sed, quoad ejus es peritus s. *peritia ejus*; hinc pro *per artem medicam* dicit *artis medicae prudentia*: deinde *vulgus* non per se affert nobilitatem seu famam, sed quoad est stultus, stupidus, s. *stupor vulgi*: hinc pro *per vulgum* dixit *vulgi stupore*. — Fab. 15 in. *In principatu commutando civium nil praeter domini nomen mutant pauperes.* Recte pro *praeter dominum* dixit *praeter domini nomen*: nam vere tantum mutant *nomen domini*, ut, si ante vocabatur Augustus, nunc vocetur Tiberius: dominus semper manet, semper manent sub domino. Et statim: *Is hostium clamore subito territus* pro *ab hostibus, per hostes territus* s. *hostes timens*: at accuratius additur *clamore*: hic enim proprie terrebat; hostes nondum apparebant. Ex his exemplis facile intelligimus, quando deceat substantivo substantivum addere, et quomodo hoc excogitari possit. Addi possunt supra p. 394 ff. dicta in cap. de *copia verborum*.

VI) *Non peccari debet in casu, numero, genere substantivorum, in tempore, modo verborum* etc., quia haec peccata perspicuitati officere interdum possunt: v. c.

1) Non debet peccari in *casu*. Non dici v. c. debet *condolere alicui, communicare alicui*, pro *cum aliquo*: quia prisci non ita loquuntur, ac lector peritus possit incertus fieri, unde pendeat iste dativus. Sic non dicendum est *jubeo tibi, erubescere alicujus*, ob eandem causam. Sic non dicendum est *incumbere literis* pro *in* vel *ad literas*. *Incumbere* est proprie *niti sich auf etwas stemmen, auflegen*; et tunc res, qua nitimur, ponitur recte in dativo, v. c. *baculo, mensae* etc. Ergo *incumbere literis* recte diceretur hoc sensu, ut significaret *niti literis* proprie, h. e. *sich auf die Buchstaben stemmen*,

men, *auflegen*, non vero *Mühe auf das Studiren wenden*, *fleiſſig ſtudiren:* h. e. *incumbere ad literas*, quod notat proprie *ſich anſtemmen* ſ. *anſtrengen* h. e. *ſich groſſe Mühe geben wegen* ſ. *in Anſehung des Studirens* ſ. *der Gelehrſamkeit:* *ad* non pendet ab *incumbere*, ſed eſt i. q. *ratione* vel *propter*. Hinc vero etiam intelligitur, *incumbere ad rem* gravius eſſe dictum quam *operam dare* ſ. *ſtudere rei*, et, qui dicitur *incumbere ad literas*, eum dici longe majorem iis operam dare, quam qui dicitur *literis operam dare* ſ. *ſtudere*. Interdum verbum dupliciter conſtruitur; v. c. *ponere* (vel *collocare*) *in menſa* et *in menſam*; ſic *ponere in gratia* Cic. Att. VI, 6 extr. et *in gratiam*, Ibid. V, 3: ſic *latere* i. e. *ignotum eſſe* habet et *accuſativum*, v. c. *quod latet noſtrum ſenſum*, Varr. R. R. I, 40; cf. Ovid. Pont. IIII, 9, 126: Virg. Aen. I, 134 *latuere doli fratrem*, ac ſaepius; et *dativum*, v. c. *quod mihi latere valeat*, Cic. Catil. I, 6: *mihi late*, Lucan. I, 418: *hoſti Roma latet*, Sil. XII, 614: *quae oculis et auribus latere ſoleat*, Varr. L. L. VIII, 52.

2) Non debet peccari in *numero*. Decipit hic facile tirones lingua vernacula, quae interdum, etiam ſi de pluribus rebus loquitur, tamen ſingulari perperam utitur, v. c. *Vater und Mutter lebt noch*, *iſt noch geſund*, *iſt geſtorben*, ubi falſo dicitur *Pater et mater vivit adhuc*, *ſanus eſt*, *mortuus eſt*, ſed *vivunt*, *ſani ſunt*, *mortui ſunt*. Sic vernacula dicit *viel*, *wenig* pro *viele*, *wenige Dinge*: v. c. *In dem Buche ſteht viel vom Kriege*, *ich habe viel geleſen*, *viel gehört*, *wenig gelernt* etc., quod male vertas: *In hoc libro multum de bello occurrit*, *multum legi*, *multum audivi*, *paucum didici:* debet dici *multa*, *pauca*, quia ſermo eſt de *multis rebus* vel ſaltem *pluribus quam una:* praeſertim cum *multum* ſit quoque adverb. notans *ſaepe*, *valde*, ut adeo confuſio oriri queat. Sic etiam *etwas weniges* verti debet *pauca*: poteſt tamen etiam *parum* dici. In primis huc pertinent pronomina *dieſes*, *jenes*, *daſſelbe*, *welches*, quae, cum proprie unam rem notent ſintque ſingularis numeri, vulgo uſurpantur de multis rebus: hinc nonnulli eodem modo hodie *haec*, *illa*, *ea*, *quae* de *una re* uſurpant, ut contra *hoc*, *illud*, *id*, *quod* de *pluribus*, quia opinantur non ineſſe diſcrimen. Male. Notandum igitur, de una re dici rectius *hoc*, *illud*, *id*, *quod*, de pluribus *haec*, *illa*, *ea*, *quae*: v. c. *Pater meus mortuus eſt. Hoc ſcribere tibi volui.* Recte *hoc*, quia unam rem indicat, ſcilicet *patrem mortuum eſſe:* et male *haec* uſurpetur. Sic *an tu id, illud, neſcis, mihi bello omnia erepta eſſe?* Male ponatur *ea*, *illa* pro *id*, *illud*, quia de *una re* ſermo ſcil. de

eo,

eo, *quod mihi bello omnia erepta ſint.* Contra, quando dicerem: *amiſi parentes*, *amiſi fratres*, *perdidi facultates meas*, *patria mihi erepta eſt: nonne hoc mihi dolorem injiciat neceſſe eſt* vel *nonne propter id doleam?* perperam loquerer: debet eſſe *nonne haec mihi dolorem injiciant neceſſe eſt* vel *nonne propter ea doleam?* nam praecedunt res plures a) *amiſi parentes*, b) *amiſi fratres*, c) *perdidi facultates*, d) *erepta mihi eſt patria.* Sic perperam loquitur dicens: *filius meus non eſt diſcendi cupidus*, *praeceptis meis adverſatur*, *virtutemque odit: hoc aequo animo ferre non diutius poſſum;* nam praecedunt plura a) *non eſt diſcendi cupidus* b) *praeceptis meis adverſatur* c) *virtutemque odit:* ad haec tria refertur *hoc* male: ergo debet eſſe *haec.* In nonnullis peccant ipſi priſci, v. c. *omne* pro *omnia* ſaepe dicunt, ſic et *quidquid* pro *quaecunque* ſexcenties occurrit: interdum etiam *hoc*, *quod* etc., licet ad plura referatur: at *haec*, *ea*, de una re praecedente nunquam dicunt. Qui itaque *omne* pro *omnia* dicere vult, habet, quo ſe defendat; attamen ſemper *omnia* malim dicere quam *omne*, licet priſci ita locuti ſint: *quidquid* pro *quaecunque* tolerari poteſt, quia quam ſaepiſſime occurrit: at *hoc*, *id* etc. pro *haec*, *ea*, et *haec*, *ea*, etc. pro *hoc*, *id*, tolerari non poteſt. Sed quaeritur, quomodo iſta commutatio numeri vitioſa perſpicuitati officere queat. Lector vel auditor linguae peritus, reperiens pluralem, cogitat pluralem h. e. plures res, et has non reperiens credit omiſſas eſſe aliquot: contra, ubi videt auditve ſingularem, cogitat quoque ſingularem h. e. unam rem, cum tamen orator vel ſcriptor iſtum ſingularem ad plures res referri velit: nonne igitur ita fit, ut lector vel auditor cum verbis ſcriptoris vel oratoris non poſſit easdem plane ideas conjungere, quas ſcriptor oratorve cum iis conjunxit?

3) Non debet peccari in *genere.* Hic duo notanda: a) ne uſurpemus genus ſubſtantivorum rarius, v. c. *finis* interdum in genere feminino uſurpatur, v. c. Cic. leg. II, 22 *quae finis:* ſic ſaepius, v. c. Cic. ad Div. XII, ep. 1 in. legitur defendentibus Criticis: *Finem nullam facio* etc., et in epiſtola Pollionis ad Cic. X, ep. 32 §. 9, *quorum quis ullam finem* etc. Melius tamen eſſe putem *finem* in maſculino ſemper ponere, quia ſic uſitatius. — Sic *deus* pro *dea* interdum apud poetas e graeca ratione reperiri eruditi dicunt: v. c. Virg. Aen. II, 632 *ducente deo*; VII, 497 *deus abfuit.* At licet credam in his locis *deum* proprie intelligi (*Gott*), non *deam* certam, tamen conceſſerim, poetas ita poſſe dicere,

 quia

quia rariorem dicendi rationem amant: non item profaicos. Dicitur quidem in Clave Cic. Erneftiana apud Ciceronem quoque *deus* pro *dea* dici, ibique duo loca memorantur; fed ex his parum vel nihil pro illa re fequi puto. Unus locus eft Tufc. I, 47, ubi Ernefti dicit de *Iunone* dici *deum*. Narratur ibi illa fabula de Cleobi et Bione, qui, cum jumenta morarentur, ipfi ad jugum accefferunt et matrem facerdotem ad facrificium folenne vexerunt: nunc fequuntur verba, ad quae Ernefti, ut puto, refpexit: *Ita facerdos advecta in fanum, cum currus effet ductus a filiis, precata a dea* (i. e. Iunone) *dicitur, ut illis praemium daret pro pietate, quod maximum homini dari poffet a deo:* quaeritur, an poftrema verba *a deo* referantur ad Iunonem; quod fi eft, *deus* hic dicitur pro *dea:* at, fi Cicero voluiffet intelligere Iunonem his verbis, haud dubie dixiffet *ab ea, ab illa:* ac ne *a dea* quidem apte dixiffet, quia jam *dea* modo praeceffit, nec repetitione opus erat. Haud dubie *a deo* Cicero intellexit *a deo aliquo von einem Gotte*, fenfus eft: *foll die Göttinn gebethen haben, fie möchte ihnen doch für diefe kindliche Liebe die gröfste Belohnung geben, die nur einem Menfchen von einem Gotte gegeben werden könnte.* Latini carentes fcilicet articulo non poffunt *der Gott* et *ein Gott* discernere, nifi per contextum. *Deus* ergo hic eft *genus* f. *deus* in univerfum, non *certus deus*. Sic et eft in altero loco Invent. II, 31. Locum ipfum ponam: *Imprudentia eft, cum fciffe aliquid is, qui arguitur, negatur: ut apud quosdam lex erat, Ne quis Dianae vitulum immolaret. Nautae quidam, cum adverfa tempeftate in alto jactarentur, voverunt, fi eo portu, quem confpiciebant, potiti effent, ei deo, qui ibi effet, fe vitulum immolaturos. Cafu erat in eo portu fanum Dianae ejus, cui vitulum immolari non licebat. Imprudentes legis, cum exiffent, vitulum immolaverunt. Accufantur. Intentio eft, vitulum immolaftis ei deo, cui non licebat.* Verba poftrema, ad quae Cel. Ernefti refpexiffe videtur: *vitulum immolaftis ei deo, cui non licebat*, funt nihil aliud, quam quaeftio rhetorica univerfalis, et quamquam in applicatione tandem ad Dianam refpicitur, tamen hic vocabulum *dei* ut vocabulum generis confideratur: *ihr habt dem Gotte ein Kalb geopfert, dem man keins opfern foll.* Nec forfan alicui, nifi graece perito, in mentem veniffet, verba *ei deo* non nifi de *Diana* illo loco intelligenda effe. Ergo et hoc ufu abstinendum cenfeo. — Latini, perfpicuitatis cupidiffimi a *filia*, *dea* etc., interdum fecerunt *filiabus*, *deabus*, ut discernerent a *filiis*, *diis*; factis a *filius*, *deus*;

deus: licet scirent, *filia*, *dea*, et similia feminina habere aeque *is* in dativo et ablativo ac masculina illorum: sic Cicero dixit *diis deabusque* pro *diis diisque* Rabir. perd. 2. Cogebatur ita facere. At, ubi talis necessitas non urget, abstinendum est ista terminatione *abus*: v. c. *ambabus diis beyden Göttinnen* dicendum, non *ambabus deabus*, quia jam ex *ambabus* apparet, *diis* esse a *dea:* sic, si de certamine illo inter Iunonem, Minervam et Venerem, de malo aureo loquerer, recte dicerem, postquam nominatae ipsae essent, *his tribus diis* vel *his diis inter se dissentientibus:* quia sponte patet, tres deas, non tres deos, intelligi. Hinc Varro de re rust. III, 16 §. 7 de Musis locutus ait: *His diis* (i. e. Musis) *Heliconem attribuerunt homines* pro *deabus.* Hoc addendum putavi, ne crederet aliquis, ab *asina*, *dea*, *liberta*, *anima* etc. semper *asinabus*, *deabus* etc. formari ac sic dici necessario debere. b) deinde videndum, ne vocabula, quae, ut significatione, ita genere differunt, licet iisdem literis constent, confundamus, v. c. *malus* pro arbore in horto, est generis feminini, sed pro *arbore* in navi, ut sic loquar, *Mastbaum*, est masculinum: *Calx* pro *postrema pedis parte*, *die Ferse*, est generis communis, saepius tamen feminini; pro *materia lapidis cocti*, *der Kalk*, generis feminini: sic *Adria* masc. est mare Adriaticum, *Adria* fem. est oppidum; *Cupido* fem. est *cupiditas*, *Cupido* masc. est *deus ille amoris* etc.

4) Non debet peccari in *tempore:* quia talia peccata perspicuitatem offendunt facillime; v. c. qui vernacula verba: *ich weis nicht, wann der Vater schreiben, kommen, wird* verteret, *nescio*, *quando pater scripserit*, *venerit* pro *scripturus sit*, *venturus sit*, quia crederet, *scripsero*, *venero*, esse futurum conjunctivi, is non perspicue loqueretur: nemo eum intelligeret, sed quisque lectorum vel auditorum linguae peritorum crederet, *scripserit*, *venerit*, esse perfectum conjunctivi, atque ita verteret: *wann der Vater geschrieben hat*, *gekommen ist.* Sic, si quis futurum indicativi simplex pro futuro exacto usurpat, vernacula deceptus, v. c. *quando veniam*, *tibi dicam* pro *venero*, is aliud dicit, aliud cogitat; atque ita obscure loquitur. Sic aliud est dicere *fratris culpa factum est*, *ut miser sit*; aliud *ut miser esset:* prius indicat, eum adhuc miserum esse, posterius, eum fuisse quidem sed non amplius esse miserum. De vero usu et consecutione temporum supra p. 173 ff. in Parte priore late dixi, quo lectores rejicio.

5) Non peccari debet in *verborum modis*: v. c. *cum*, ſi cum indicativo ponitur, eſt particula temporis ac ſignificat *quando*, ſin cauſalis eſt, regit ſemper conjunctivum. Iam, ſi quis vernaculum *wenn ich kann* exprimit *cum poſſim*, perperam loquitur: lectores et auditores intelligunt *da ich kann*, idque recte, ut ideo ille mentem ſuam non perſpicue declaraverit. Sic *dum indem*, *während daß*, regit indicativum, *dum bis* indicativum et conjunctivum: qui haec confundit, is perſpicuitatem laedit. Sic, qui dicit alicui: *Etſi ſis doctiſſimus, tamen non omnia te ſcire fatebere* hoc ſenſu: *Ob du gleich ſehr gelehrt biſt* etc., is mentem ſuam non perſpicue exprimit: nam verba iſta notant haec: *Ob du gleich ſehr gelehrt wäreſt*, *ſeyn magſt* etc., atque ita ille de doctrina ejus, quem valde doctum appellare cupit, dubitanter loquitur, idque imprudens. Debet igitur dicere: *etſi doctiſſimus es*, ſi perſpicue loqui cupit. Sic *ſi vides* eſt *wenn du ſiehſt*, *ſi videas wenn du ſehen ſollteſt.* In oratione tamen obliqua, quam appellant, h. e. quando vel conjunctivus vel accuſativus cum infinitivo praeceſſit, *ſi videas* poteſt etiam eſſe *wenn du ſiehſt:* cauſa pendet ab illa oratione obliqua. Hac de re ſupra p. 157 ſatis multa diximus, quae hic repetere taedio foret.

6) *Nec peccari debet in terminatione verbi perſonali*, quam vulgo *perſonam* appellant; pertinet huc illa enuntiatio univerſalis, quae vernacule per *man* exprimitur, v. c. *man ſagt*, *man iſt*, *man glaubt* etc.: videndum hic eſt, utrum per tertiam ſingul. vel plural., an per primam pluralis, an per ſecundam ſingularis exprimi debeat: v. c. *Non omnia credenda ſunt, quae dicuntur, was man ſagt*, it. *non, quidquid dicitur, ſemper verum eſt, nicht alles, was man ſpricht, iſt allezeit wahr*: haec recte dicuntur: male loquaris: *Non omnia credenda ſunt, quae dicimus* vel *quae dicis: non, quidquid dicimus* vel *dicis, ſemper verum eſt.* Judicio hic opus eſt. Contra recte dicitur: *pulchrum eſt ea, quae ſcias* vel *ſciamus, quae didiceris, didicerimus, alios docere* h. e. *Es iſt ſchön, wenn man das, was man weis* vel *gelernt hat, andere lehrt.* Etiam hac de re ſupra p. 171 ſ. ſatis ſuperque dictum eſt. Videndum ſcilicet, an res ei perſonae proprie conveniat, quam eligas.

VII) Non debet peccari in uſu *participiorum.* Tirones plerumque participia diſcunt paulo ſerius, quia haec, neſcio quomodo, inter difficillimas res numerantur, et vel putant vel audiunt ea eſſe ſingularia quaedam linguae latinae: hinc

vulgo

vulgo fit, ut in eorum uſu ſingularem *pulchritudinem*, ſeu, ut ipſi vocant, elegantiam ineſſe credant, atque ita, quo crebrius illa uſurpent, eo pulchrius ſibi ſcribere videantur. Hoc non verum eſſe ſupra docui. Duo tantum monebo 1) participia debent ita uſurpari, ut ſtatim appareat, an per *qui*, *poſtquam*, *quando* etc. explicari debeant. In duobus ablativis abſolutis h. e. qui non ab aliquo verbo vel praepoſitione reguntur, et qui vulgo ablativi conſequentiae (ſatis obſcure, ut fere omnia in libris grammaticis) appellantur, nulla eſt difficultas: hi enim per *cum*, *dum* vel *poſtquam*, explicantur. At in aliis major difficultas. In his igitur, qui perſpicuitati ſtudet, is v. c. vernaculum, *wenn* (*wann*) nonniſi tum, cum eſt particula temporis, in participium, ſi ita lubet, mutat; at, ſi *τὸ wenn* conditionem ſignificat vel de re dubia loquitur ac *τὸ möchte*, *ſollte*, *würde* ſecum habet, non illud cum participio facile commutat, v. c. hoc: *ſi patrem videam*, *dicam ei*, *wenn ich den Vater ſehen ſollte* etc., non poteſt mutari ſic: *videns patrem dicam ei:* quia *videns* poſſit quoque explicari *cum video*, *wann ich ſehe:* tolerabilius foret, ſi quidem participium fieri neceſſe eſt, dicere *viſurus patrem* etc., at et hoc tantum eſt: *quando videbo*, *wann ich ſehen werde*, loquiturque de *videndo* tanquam de re certa, cum *ſi videam* dubitanter illud exprimat. Tantae difficultatis eſt ita loqui, ut vel minima particula cogitationum noſtrarum plane et ſtatim intelligatur. 2) participia non debent nimis coacervari. In omni participio eſt quaedam brevitas dicendi: quae ſi continuatur, mens auditoris et lectoris, quae breviter et celeriter dicta latius cogitare cogitur, tandem defatigatur. Hinc lectio Livii magis defatigat mentem lectoris, praeſertim non valde exercitatam, quam lectio Nepotis, Caeſaris ac fere Ciceronis. Et in tanta coacervatione participiorum vix fieri poteſt, quin aliqua obſcuritas in mente legentis et maxime audientis ſuboriatur. Inprimis cavenda ſunt participia, ſi propter ſimilem caſum ſubſtantivi inde pendentem ambiguitas exſiſtere poteſt: v. c. non dixerim: *Tu uteris hominibus voluptatibus fruentibus* vel *hominibus fruentibus voluptatibus*; ut taceam injucundum eſſe: ſed hoc pertinet ad ſuavitatem. De participiorum uſu ſupra p. 165 ſſ. in Parte priore fuſe diximus.

VIII) *Subjecti idea ab idea praedicati debet ſtatim et facile diſcerni poſſe.* Peccari hic poteſt in omnibus fere caſibus, maxime in his: 1) *in duobus nominativis:* qui v. c. argutiarum amore ductus dicit: *triſtitia laetitia eſt*, nec ali-

quid praeterea addit, quo illam sententiam explicet, is obscure loquitur; nam sensus potest esse quoque: *laetitia est tristitia;* nam subjectum non semper primum locum occupat: sic Cic. ad Div. III, 10 §. 9 *dubitare non possum, quin tibi amplitudo ista sollicitudo futura sit*, ubi *sollicitudo* est subjectum. Sic Terent. Hec. II, 1, 4 ambigue dixit: *Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus*: quia per se dubium est, utrum *socrus oderint nurus*, an *nurus* oderint *illas*: at contextus ibi ambiguitati occurrit. 2) *in duobus dativis*: v. c. non dixerim *mihi est parcendum homini* pro *meum est parcere homini*, quia et explicari possit *hominis est mihi parcere*, nec *tibi persuadendum est patri* etc., ac ne haec quidem: *medico medendum est morbo*, *fratri opera danda est literis*, *tibi studendum est literis;* licet nulla ambiguitas inesse possit, et hactenus toleranda videantur. 3) in duobus accusativis: v. c. non dixerim *hominem amantem deum amo* vel *hominem deum amantem amo:* inest enim ambiguitas. Multo minus dixerim: *Miror homines videntes alios virtutes colentes nolle ipsos eas amare* vel *earum amantes esse.* Hoc foret profecto lectoris attentionem et patientiam vexare, eique difficultates sine necessitate objicere, vel potius fluctus movere in simpulo, ut ajunt. Qui facilius loqui potest, cur is tam contorte loquatur? At amor participiorum et reverentia nimia facile ad tales argutias abripit. Inprimis huc pertinent duo accusativi substantivorum cum infinitivo juncti, qui plerumque ambiguitatem creant, praesertim si duos homines omninoque duo animalia indicant, v. c. *audio patrem filium non amare.* Uter eorum amat? pater an filius? Uterque intelligi potest. Notum est illud oraculi: *Ajo te, Aeacida, Romanos vincere posse.* Ambigue locutus est Plautus Merc. II, 4 in. *Pentheum diripuisse ajunt Bacchas:* ubi subjectum est *Bacchas*, quod nemo scire potest, nisi cui ista fabula nota est. Aeque ambigue locutus est Terent. Hec. V, 1, 6 *Credo edepol te nonnihil mirari, Bacchis, quid sit, quapropter te huc foras puerum evocare jussi:* ubi per se non liquet, utrum Bacchis puerum an puer Bacchidem evocaverit, imo magis videatur Bacchis puerum evocasse, quia *te* praeponitur: at ex contextu intelligitur, puerum fuisse, qui evocaverit Bacchidem. Neque vero Cicero istis duobus accusativis abstinuit; v. c. ad Div. V, ep. 20 §. 8 *Itaque huic loco primum respondeo, me, quamquam justis de causis rationes deferre properarim, tamen te exspectaturum fuisse, nisi in provincia relictas rationes pro latis haberem:* ubi per se quidem ambiguum, utrum *me* an *te*

sub-

ſubjectum ſit: at contextus facile docet, *me* eſſe. Et quomodo Cicero, iſtud mutare potuiſſet? Evitari quidem iſta conjunctio duorum accuſativorum facile alioqui poteſt mutando activo in paſſivum, v. c. *Pentheum direptum eſſe a Bacchis: audio filium a patre non amari* pro *patrem filium non amare:* at in illo Ciceronis loco iſta mutatio non quadrat. Poterat tamen, ſi voluiſſet, ita dicere: *reſpondeo, me hoc facturum fuiſſe, ut te exſpectarem:* ſic nulla ambiguitas, nulla difficultas. Et hac ratione ejusmodi duo accuſativi facile evitari poterunt. Ac profecto eorum conjunctionem omni modo vitare eſt perſpicue loquentis; et, quo magis perſpicue loquimur, eo melius loquimur.

VIIII) *Nominativus princeps, Verbo legitime praecedens*, qui vulgo *nominativus* ſimpliciter vocatur, idque ſatis obſcure *), h. e. *ſubjectum* (ſic enim rectius dicitur) non facile omitti debet, niſi paulo ante praeceſſit, atque ita facile intelligi poteſt. Omittunt eum pueri libenter, credentes illum in verbo jam *latere* (*er ſtecke im Verbo*; quam obſcure dictum!) quia didicerunt *amat er liebt*, *legit er lieſt*, hinc *τὸ er* verti non opus eſſe putant. V. c. *Da ich mit deinem Vater geredet hatte, ſo ging er nach Hauſe; da ich deinen Bruder davon überzeugen wollte, ſo ſprach er*, vertendum: *Poſtquam cum patre tuo locutus eram, hic* vel *is domum abiit*: *Cum fratri tuo perſuadere de iſta re conarer, is* vel *ille mihi reſpondit:* Non ſatis accurate loquaris: *domum abiit; mihi reſpondit*, omiſſo pronomine *hic*, vel *is*, *ille:* nondum enim nominativus adfuit. Sic: *Nuper tuum fratrem vidi apud patrem meum: quaeſivit ex eo* etc. obſcure dictum eſt: quis enim quaeſivit? *pater* an *frater?* Dicendum potius, ſi *pater fratrem* interrogavit: *hic quaeſivit ex illo*, vel, ſi frater interrogavit patrem; *ille ex hoc quaeſivit*: ſic omnia plana. Etiam in vernacula falſo dictum eſt: *Neulich ſah ich deinen Bruder bey meinem Vater: da fragte er ihn*, quia aeque neſcio, ad utrum illorum *τὸ er* et ad utrum *τὸ ihn* pertineat. Sic ambigue loquitur dicens:

*) Male vulgo in ſcholis quaerunt ex pueris: *ubi eſt nominativus?* cum tamen duo vel plures adſint. Si igitur puer unum eorum ſumit prius, peccare dicitur, et tamen quaeſivit et invenit nominativum. V. c. *Egregius vir ſemper habitus eſt Epaminondas, dux Thebanus.* Hic et *vir* et *Epaminondas* et *dux* eſt nominativus. At, ſi quaerere juberetur ſubjectum, ac ſciret, quid ſubjectum eſſet, id quod puer facile diſcit, ſtatim diceret *Epaminondas* eſſe ſubjectum.

cens: *Cajus et Titius de variis rebus disputarunt. Quaerenti, quid sentiret, respondit* etc. Dicendum, si Cajus quaesivit: *quaerenti illi — respondit hic*, vel *Cum ille quaesisset, respondit hic:* sin Titius quaesivit, dicendum: *Huic quaerenti*, vel *Cum hic quaesisset, respondit ille.* Prisci hoc plerumque observarunt; hinc τὸ *is* et in primis τὸ *qui*, quod salvo sensu saepe abesse poterat, tamen ab initio enuntiationis principalis, post interpunctionem maximam saepissime ponunt. V. c. *Caesar in Galliam profectus est. Qui cum ibi reperisset* etc., ubi nulla ambiguitas foret, etiamsi *qui* abesset. — Cic. Rosc. Am. 25 *Quanto majores nostri sapientius? Qui cum intelligerent, nihil esse tam sanctum* etc., ubi, etiamsi *qui* abesset, tamen *majores* intelligerentur facile. — Divin. in Caecil. I de Siculis loquens ait: — *factum est, uti cum summum in veteribus patronis multis tum nonnullum etiam in me praesidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur. Qui nunc populati atque vexati cuncti ad me publice saepe venerunt* etc. *Qui* i. e. *Siculi:* sed quis hoc e contextu non intelligat? — Manil. 4 in. *Mithridates autem omne reliquum tempus non ad oblivionem veteris belli sed ad comparationem novi contulit. Qui posteaquam maximas aedificasset ornassetque classes* etc. *Qui* i. e. *Mithridates*: hoc contextus docet: at facilius est lectori et maxime auditori, subjectum enuntiationis sequentis statim nosse. — Sic *is* et *id* ponitur, atque ita subjectum repetitur a Cicerone, ubi e contextu jam intelligi poterat, v. c. Verr. III, 50 in. *Numos dabat arator. Quomodo? aut unde? Qui, si largissimus esse vellet, cumulatiore mensura uteretur, ut antea solebant facere in decumis, cum aequa lege et conditione venibant. Is numum dabat. Unde? de frumento?* Et *qui* et *is* abesse poterat; quis enim alius quam *arator* intelligendus? — Ad Div. I, ep. 3 in. *Aulo Trebonio, qui in tua provincia magna negotia et ampla et expedita habet, multos annos utor valde familiariter. Is cum antea semper — gratissimus fuit* etc. — XIII, ep. 49 in. *Q. Pompejus, Sexti filius, multis et veteribus caussis necessitudinis mihi conjunctus est. Is cum antea — consueverit* etc. — Epist. 56 in. *Cluvius Puteolanus valde me observat, valdeque est mihi familiaris. Is ita sibi persuadet* etc. — Ibid. §. 3 *Dixerat mihi Euthydemus, cum Ephesi essem, se curaturum, ut ecdici Mylasii Romam mitterentur. Id factum non est, Es ist nicht geschehen.* — Epist. 58 in. *L. Custidius est tribulis et municeps et familiaris meus. Is caussam habet* etc. — Epist. 64 §. 6 *Tantum a te petimus, ut agas eam rem, ne relinquas hominem innocentem ad alicujus tui dissimilis quaestum. Id cum gratum mihi erit, tum* etc. — Epist. 67 §. 4 est *hoc: Feceris igitur mihi gratissi-*

gratiſſimum, ſi eum — adjuveris. Hoc mihi vehementer erit gratum etc. Haec pronomina non omnes hodie ſcribentes forſan addidiſſent: ſed non omnes hodie perſpicuitatis tam ſtudioſi ſunt, quam Cicero erat.

X) Praepoſitio *a*, quando initium temporis (vulgo terminum *a quo*) ſignificat, ante ſe libenter habere ſolet *inde;* v. c. *inde a primis annis; inde a principio hujus imperii; inde ab adoleſcentia ita factum.* Sic omnis ambiguitas tollitur; et lector ſtatim praevidet, *a* non *cauſam efficientem* ſed *tempus* indicaturum. *Ab adoleſcentia factum eſt* eſſe quoque per ſe poteſt *adoleſcentia fecit* i. e. *adoleſcentes.*

XI) Parentheſes, niſi omnes, longae tamen et crebrae in eadem ſententia, quantum fieri poteſt, vitandae ſunt: interrumpunt enim contextum verborum antecedentium et conſequentium. Res per ſe loquitur.

XII) Poſt parentheſin paulo longiorem Cicero, ut contextum interruptum reſtituat atque ita perſpicuitatis cauſa, repetit unum vel etiam aliquot vocabula addito vel Verbo *inquam*, ut noſtri *ſage ich*, vel particulis *igitur, ergo*, interdum *ſed, veruntamen, ſed tamen:* v. c. Orat. III, 31 in. *Noſtra eſt enim (ſi modo nos oratores ſumus, ſi in civium disceptationibus, ſi in periculis, ſi in deliberationibus publicis adhibendi auctores et principes ſumus) noſtra eſt, inquam, omnis iſta prudentiae doctrinaeque poſſeſſio* etc. — ſic ad Attic. I, ep. 16 med. *Idem ego ille (non enim mihi videor inſolenter gloriari, cum de me apud te loquor) idem, inquam, ego recreavi afflictos* etc. — *Igitur:* ad Div. I, ep. 9 §. 67 *Scripſi etiam (nam ab orationibus dijungo me fere referoque ad manſuetiores muſas, quae me maxime, ſicut jam a prima adoleſcentia, delectarunt) ſcripſi igitur Ariſtoteleo more* etc. — ad Attic. XVI, ep. 3 in. *Tu vero ſapienter (nunc demum enim reſcribo his literis, quas mihi miſiſti, convento Antonio Tiburi) ſapienter igitur, quod* etc. — Tuſc. IIII, 15 in. *Quando et aliis locis de virtute diximus et ſaepe dicendum erit (plerumque enim quaeſtiones, quae ad vitam moresque pertinent, a virtutis fonte ducuntur) quando igitur virtus eſt affectio animi* etc. Not. hic aliam ſententiam ſequi. — Fin. IIII, 20 in. *Poſtea tuus ille Poenulus (ſcis enim Citiaeos, clientes tuos, e Phoenicia profectos) homo igitur acutus* etc., ubi alia vocabula repetuntur, ſcilicet *homo acutus* pro *ille Poenulus.* — Sic Fin. V, 32 *Laetor quidem, philoſophiam, cujus antea ſupellectilem pluris aeſtimabam, quam poſſeſſiones reliquorum,*

quorum, ita mihi dives videbatur, ut ab ea petere possem, quidquid in studiis nostris concupissem, hanc igitur laetor etiam etc., ubi *hanc* pro *philosophiam* ponitur. Omisi hic semilunia ( ) signa nota parentheseos, quia non exstant in editionibus ac sine iis parenthesis agnoscitur. — *Ergo*: ad Div. XV, ep. 10 in. *Quando id accidit, quod maxime mihi fuit optatum, ut omnium Marcellorum, Marcellinorum etiam (mirificus enim nominis ac generis vestri fuit erga me semper animus), cum ergo ita accidit, ut* etc. — Tusc. I, 7 *An tu dialecticis ne imbutus quidem es? in primis enim hoc traditur: omne pronuntiatum (sic enim mihi in praesentia occurrit, ut appellarem* ἀξίωμα: *utar post alio, sed, si invenero melius), id ergo est pronuntiatum, quod est verum aut falsum* etc. — *Sed:* v. c. ad Quint. frat. II, ep. 3 non procul ab in. *Qui* (Pompejus) *ut peroravit: nam in eo sane fortis fuit: non est perterritus: dixit omnia: atque interdum etiam silentio cum auctoritate peregerat: sed, ut peroravit, surrexit Clodius:* Not. verba *nam in eo* usque ad *peregerat* sunt parenthesis, licet signum ejus desit; tum repetuntur *sed ut peroravit.* — Offic. I, 30 *Quin etiam si quis est paulo ad voluptates propensior, modo ne sit ex pecudum genere (sunt enim quidam homines non re sed nomine), sed si quis est paulo erectior* etc., ubi tamen alia sententia infertur post *sed:* sic fere Orat. III, 12 in. *Equidem cum audio socrum meam Laeliam (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant, quod multorum sermonis expertes ea tenent semper, quae prima didicerunt,) sed eam sic audio, ut Plautum mihi videar audire.* Not. in his praecedentibus exemplis *sed* habet tantum vim connectendi aliquam. — *Sed tamen:* ad Div. VIIII, ep. 16 §. 2 *quidquid arte fieri poterit (non enim jam satis est consilio pugnare, artificium quoddam excogitandum est), sed tamen quidquid elaborari aut effici potuerit ad istorum benevolentiam conciliandam* etc. respondet nostro *unterdessen aber* i. e. *es sey aber wie ihm wolle* etc. — sic Orat. II, 90 non proc. ab in. *Saepe ego doctos homines, quid dico saepe? imo nonnunquam: saepe enim qui potui, qui puer in forum venerim, neque inde unquam diutius quam quaestor abfuerim? sed tamen audivi, ut heri dicebam, et Athenis cum essem, doctissimos viros, et in Asia* etc. — *Veruntamen:* ad Div. V, ep. 21 §. 9 *Puto autem mea nonnihil interesse (quamquam id ipsum, quid intersit, non sane intelligo), veruntamen, quidquid illinc nuntiatum sit, non longe abesse velim* etc., ubi tamen non tam restituere contextum quam verbis parentheseos signo inclusis respondere videtur, ut supra *sed tamen* h. e. *es sey wie ihm wolle, unterdessen aber*, etc. Melius huc quadrat ad Attic. I, ep. 10 in.

Cum

Cum essem in Tusculano (erit hoc tibi pro illo tuo Cum essem in Ceramico), veruntamen cum ibi essem etc.

XIII) *Si quod vocabulum paulo obscurius esse credimus, eoque tamen uti cogimur, id explicare debemus* v. c. per *hoc est, sive, seu,* aliove modo. Exempla afferre non possum: quia aliud alii difficile et obscurum est: et hic ad lectorum et auditorum captum se quisque accommodare debet. Potest etiam interdum, si quidem lubet ac propter reverentiam erga auditores per *hoc est* explicare dubitas, explicatio tecte institui; id quod fit 1) quando statim synonymum adjicis, v. c. *auctoritas et consilium: subtilitas et diligentia.* Divin. in Caecil. 7 *Da mihi hoc et concede.* Verr. III, 7 *Do hoc tibi et concedo.* De qua re supra p. 385 in Cap. de *Copia dic.* late dictum est. 2) quando rem eandem et negative et affirmative effers: v. c. *in luce clarissima res versatur, nec ullo modo negari potest.* 3) repetitione ejusdem rei per aliud vocabulum vel per circumscriptionem. Sic Cicero millies. Cf. p. 390 ff. et 406 ff.

XIIII) *Repetitio ejusdem ideae, praesertim si ad eam in primis attendere lectorem et auditorem volumus, valde necessaria est perspicue loqui cupienti,* ut supra p. 557 ff. in explicatione rerum s. idearum diximus. Lector vel auditor semel dicta obliviscitur vel non attendit: at repetita non potest oblivisci, cogitur attendere. Fit ista repetitio tum statim tum omni occasione per totam rei tractationem, placetque in primis, si ita fit, ut vix sentiatur a legente et audiente, nisi valde docto, repetitionem ejusdem ideae tam saepe factam esse. Si quaeris, quibus modis ea instituatur, tres hic proponam:

1) *Idem vocabulum repetitur:* v. c. Cic. Rosc. Am. 26 *Tanti maleficii crimen, cui maleficio tam insigne supplicium est constitutum, probare te, Eruci, censes posse talibus viris, si ne causam quidem maleficii protuleris?* ubi *maleficium* repetitur. — Verr. III, 6 *Perpaucae Siciliae civitates sunt bello a majoribus nostris subactae: quarum ager cum esset publicus populi romani factus, tamen illis est redditus. Is ager a censoribus locari solet:* poterat dicere *Is a censoribus,* at vocabulum *ager* simul repetere maluit ob perspicuitatem. — Manil. 12 extr. *Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longe lateque dispersum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompejus extrema hyeme apparavit, ineunte vere suscepit, media aestate confecit.* Repetit ideam *belli*, ut appareat, quanta virtute sit Pompejus, qui tantum bellum tam celeriter confecerit. — Cluent. 57

A. Clu-

A. Cluentius, eques romanus, causam dicit ea lege, qua lege senatores et ii, qui magistratum habuerunt, soli tenentur: ubi *qua* sufficiebat per se. — Mil. 20 in. *Ante fundum Clodii: in quo fundo propter insanas illas substructiones facile mille hominum versabatur valentium*: abesse *fundo* poterat; sed repetit, ut judices magis videant, quam incredibile sit, Milonem talem locum ad pugnandum cum Clodio elegisse. — Pertinet huc illa *anaphora*, quae nihil aliud est quam repetitio ejus vocabuli, ad quod attendi volumus: v. c. Verr. III, 9 *Hunc in omnibus stupris, hunc in fanorum expilationibus, hunc in impuris conviviis principem adhibebat* sc. Verres: sermo est de Apronio. Huc pertinet *Epizeuxis* v. c. *dolebam, dolebam* etc. Phil. II, 15; it. *epiphora*, clausulam repetens.

2) *Vocabulo, cujus ideam repetere volumus, substituitur pronomen aliquod*, v. c. *is*, *ille*, *hic*, *qui*, v. c. Verr. II, 53 de Timarchide loquens Cicero ait: *Exquisitis palam pretiis et licitationibus factis describebat censores binos in singulas civitates Timarchides. Is suo labore — consequebatur, ut ad istum* (Verrem) *sine ulla sollicitudine summa pecunia referretur*: ubi *is* est idem Timarchides; ac paulo post: *Sed ne miremini, qua ratione hic* (Timarchides) *tantum apud istum* (Verrem) *libertus potuerit* etc. Recte: nam Timarchides profecto erat homo notabilis. Add. dicta n. VIIII.

3) Vocabulo illi substituitur aliud ejusdem generis h. e. nomen nomini, Verbum Verbo, interdum etiam plura verba, atque ita eadem res aliis verbis diverse exprimitur, v. c. Cic. Verr. I, 1 in. *Neminem vestrum ignorare arbitror, judices, hunc per hosce dies sermonem vulgi atque hanc opinionem populi romani fuisse, C. Verrem altera actione responsurum non esse neque ad judicium adfuturum. Quae fama non idcirco solum emanarat* etc. Hic *fama* nihil aliud est quam *sermo vulgi*. Verr. III, 6 primum dicit: *Ita decumas lege Hieronica semper vendundas censuerunt* etc. Deinde: *Hoc jure ante Verrem praetorem Siculi semper usi sunt:* ubi *hoc jure* est idem quod *lege Hieronica*. In primis notanda haec duo loca: Verr. I, 5 in. *Meditetur de ducibus hostium, quos accepta pecunia liberavit: videat, quid de illis respondeat, quos in eorum locum subditos domi suae reservavit: quaerat non solum, quemadmodum* etc., ubi *meditetur*, *videat*, *quaerat* posuit, cum uno horum contentus per se esse potuisset. Sed omnis repetitio vocabulorum, modo sit apta, est repetitio idearum h. e. efficit, ut rem planius perspiciamus: hinc pertinet in primis ad gravita-

gravitatem dicendi. Alter locus eſt Cluent. 2 in. *Dominetur* (falſa invidia oppoſita veritati) *in concionibus, jaceat* (i. e. nil valeat) *in judiciis: valeat in opinionibus ac ſermonibus imperitorum, ab ingeniis prudentium repudietur: vehementes habeat repentinos impetus, ſpatio interpoſito et cauſa cognita conſeneſcat!* Egregie dictum! *Dominetur, valeat, vehementes habeat impetus*, et *jaceat, repudietur, conſeneſcat:* quae copia dicendi! Poterat *dominetur* vel *valeat* etc. ac *jaceat* vel *repudietur* ſufficere. Cicero his omnibus vocabulis vult dicere, falſam invidiam (*die ungegründete üble Nachrede, Blame,*) apud judices nil valere atque ita Cluentio nil nocere debere.

XV) *Ut rara vocabula*, quia ſunt paulo ignotiora, ſic quoque *in primis raras conſtructiones, licet auctoritate priſcorum ſe tueantur, fugere debemus:* v. c. *fruor* cum genitivo etc. Nam lector vel auditor, qui uſitata tantum et nota meminit, non ſtatim intelligit, unde iſte genitivus pendeat, et opinatur, aliquid forſan omiſſum eſſe, quo ille caſus referatur. Sic non dixerim: *priſcis ita dicitur* pro *a priſcis*: nec *cunctis laudatur* pro *a cunctis*, licet iſte dativus ſic occurrat apud Ciceronem interdum poſt paſſiva: poetae ita ſolent loqui. At poſt gerundium neceſſitatis, ut dicitur, et participia in *dus* recte dativus pro *a* cum ablat. ponitur: v. c. *mihi Deus eſt amandus* pro *a me*: *liberis parentes ſunt colendi* pro *a liberis*: *libri nobis ſunt legendi* pro *a nobis*. Imo in hac forma dativus eſt rectior, et tam uſitatus apud priſcos, ut altera forma per *a* pro vitio habenda videatur. Omnia enim hic nituntur uſu dicendi. — Sic nolim dicere *in poteſtatem eſſe* pro *in poteſtate*, licet Cicero ita dixiſſe dicatur Manil. 12, ubi haec in nonnullis Editt. leguntur: *cum veſtros portus in praedonum fuiſſe poteſtatem ſciatis?* at Edit. Erneſt. *poteſtate:* ſic *in poteſtatem ditionemque eſſe* legitur Cic. Divin. in Verr. 20 extr. ut in aliis Editt. ita in Erneſt.; id quod mihi perinde eſt, ac ſi quis vernacule dicat *in die Gewalt ſeyn* etc.: ut alia loca taceam, quorum nonnulla tamen explicatione adjuvari poſſunt, nonnulla dubia habentur: it. Liv. XXIIII, 8 *ſtantibus vobis in aciem armatis* pro *acie*: vid. Vechn. Hellen. ed. Heuſ. p. 258 ſeq. Forſan hic accuſativus non niſi manui librariorum tribuendus eſt. — Non facile dixerim *tempus eſt dicere* pro *dicendi*, licet ita dicat Cicero Orat. II, 42 extr. Top. 1: ſic Liv. VI, 18 extr. *tempus eſt jam majora conari*; VIII, 5 in. *tempus erat nihil agere* etc. Nep. Ageſ. 3 *tempus copias extrahere ex hibernaculis;* Hannib. extr. *nunc tempus eſt hujus libri facere finem;* non, quod falſo ita dicatur; nam

ſi priſci ita non raro loquuntur, quis pro falſo habeat? ſed quia haec conſtructio non cuivis lectorum vel auditorum nota eſt, ut timendum ſit, ne eorum mens perturbetur. Sic non raro ſequitur accuſativus cum infinitivo apud priſcos, v. c. Cic. Att. IIII, 5 *jam tempus eſt, me ipſum a me amari.* Nep. Dat. II in. *tempus eſſe, majores copias parari* etc.: quae ratio non ſpernenda eſt, tum quia priſci ita loquuntur, tum quia cum alia ubique commutari non poteſt. — At nemo raras conſtructiones fugere poteſt, niſi qui eas novit h. e. qui lectioni priſcorum aſſuetus eſt, atque ita ſuis oculis cernit, quid rarum, quid uſitatum in conſtructione ſit vel ſaltem a viro perito admonetur. — Cavendum hic quoque eſt, ne ſtatim fidem habeamus omnibus iis, qui confirmant, priſcos hoc vel illo modo locutos: v. c. non equidem dixerim *mei unius opera, tui unius ſtudio* pro *mea unius, tuo unius*, licet poſt alios Cortius, defenſor ille omnium durarum locutionum, ad Cic. Epp. ad Div. II, 6 extr. defendat, Ciceronem ibi *tui unius ſtudio*, Marcell. 7 *ex unius tui vita*, Vatin. 3 extr. *cum mei unius ſalute* ſcripſiſſe. Edit. Erneſt. habet ad Div. II, 6 quidem *tui unius*, ſed Marcell. 7 Vatin. 3 habet *tua, mea.* add. de hac re Perizon. ad Sanct. II, 13, 3 p. 251, quem Cortius ſecutus eſt. — Sic nec dixerim: *illum, ut vivat, optant* cum Terent. Adelph. V, 4, 20, qui ſaepius ita loquitur, ex graeciſmo: vid. Perizon. ad Sanct. p. 188.

XVI) In recto *uſu particularum*, quibus vocabula et membra conjungi ſolent, *et, aut, vel*, it. *ſi, cum* etc. ineſt magna *perſpicuitas.* Notandum igitur

1) *Et* non omittendum eſſe facile, v. c. *dixit, abiit*: quia lector vel auditor tum adhuc aliquid exſpectat; praeterquam in ſermone gravi, ubi aliquis commoto animo loquitur: hic enim ſonus vocis ipſe indicat, finem eſſe ſententiae: Et in legendo vel per diſtinctionis ſigna animadvertitur vel e contextu.

2) Libenter priſcos duplex *et* ac duplex *aut* ponere, ubi vernacula uno contenta eſt, ſupra jam in Parte priore dictum eſt. Fit hoc ob perſpicuitatem: ſic enim ſtatim lector auditorve videt, duo vocabula ita juncta cohaerere et ad eandem enuntiationem pertinere, ac duo membra ita juncta ſecum cohaerere et ad eandem pertinere ſententiam. Quando quis v. c. dicere vult, ſe ab hominibus amari et laudari, idque his verbis exprimit: *Homines me et amant et laudant*, nonne ſentis, lector, te, ſimulac verba *et amant* le-

geris

geris vel audiveris, ſtatim exſpectare adhuc aliud *et*, atque ita aliud praedicatum, atque ita quaſi jam praeparari tuam mentem ad id percipiendum et attentam fieri? Sin ille ita loquitur: *Homines me amant et laudant*, nonne poſt *amant* videtur enuntiatio clauſa eſſe, et poſtea nova incipere, donec videas tandem τὸ *laudant* etiam eo referri? Id quod in latioribus enuntiationibus magis perſpicitur. V. c. *Si te ſemper inde ab adoleſcentia valde amavi, et pro magna meritorum tuorum multitudine et excellentia maximi aeſtimavi, (quis hoc non faciat?) intelligere faciliime potes* etc. Hic initio dubius ſum, utrum τὸ *amavi* claudat enuntiationem, ac τὸ *et* membrum conſequens incipiat, ſitque per *etiam* explicandum, an verba *et pro magna* etc. ad illam pertineant, ſitque vertendum *und*. Hoc antea non certo ſcio, quam ad *intelligere potes* veniam. At haec dubitatio ſtatim evaneſcit, ſi ſcribis ac dicis: *Si te et ſemper amavi et pro* etc. Sic malim dicere: *Et patrem et matrem amo* pro *patrem et matrem amo*. Sic et *aut*: v. c. *Liber tibi aut jam redditus eſt aut brevi reddetur*, rectius et magis perſpicue eſt dictum quam *liber tibi redditus eſt* etc. Saepe etiam τὸ *et* ter ponitur: v. c. *et patrem et matrem et fratrem amo*. — Pertinet huc quoque *nec* ſ. *neque* bis ponendum pro uno. V. c. pro *librum hunc non vidi nec videre volo* dicitur *librum hunc nec vidi* etc. Cic. ad Div. IIII, ep. 7 §. 13 *propterea quod neque is, qui tenet rempublicam* (i. e. Caeſar), *patietur, neque ipſa reſpublica*: pro *propterea quod non is* etc. Melius τὰ *neque, neque*, ſ. *nec, nec* conjungere verba et membra, quam *non, neque*, atque ita melius ſervire perſpicuitati, facile intelligitur. Qui plura exempla cupit, conſulat Partem priorem, in Cap. de *Connexione* Sect. I et II, p. 281 ff., ubi de tota re accurate et late egimus.

3) *Et*, licet ſaepiſſime pro *etiam* poni poſſit, tamen, ſi contextus talis eſt, ut videatur quoque per *que* (*und*) explicari poſſe, non ponendum, ſed dicendum eſt *etiam*, *quoque*. V. c. *Cum vidiſſem te brevi perlegiſſe et Virgilium et Homerum, et Horatium tibi mittendum cenſui*: h. e. *etiam Horatium*: at ego hic poſuerim *etiam Horatium*, vel *Horatium quoque*; quia *et Horatium* videri poſſit ad praecedentia referri, et contextus demum conſulendus eſt: et in legendo ſignum diſtinct. minimae opem ferre debet. — Sic pro: *cum iſtum librum et emiſſem et legiſſem, et vidiſſem, nihil praeclari eo contineri* etc. malim dicere: *Cum iſtum librum et emiſſem et legiſſem, vidiſſemque* vel *ac vidiſſem* etc., ut lector vel auditor ſtatim videat, verba *librum et emiſſem et legiſſem* unam enuntiationem effi-

 cere,

cere, et verbis *ac vidiſſem* vel *vidiſſemque* aliam incipi. — Sic priſci plerumque; nam interdum etiam Ciceronem tria *et* jungere, ubi duo tantum inter ſe arcte cohaereant, negari non poteſt.

4) *Si* non confundendum eſt cum particula *cum wann*, quae eſt temporis, illa plerumque conditionis. Aliud eſt *faciam cum poſſum* et *faciam ſi poſſum;* in vernacula quidem utrumque eſt *wenn ich kann:* at *cum poſſum* eſt *eo tempore, quo poſſum*, et *ſi poſſum* eſt *ea conditione, per quam liceat facere: hoc* dubitanter loquitur, *illud* non. Sic *cum volo* eſt *zu der Zeit, da ich will: ſi volo unter der Bedingung, daß ich will* ſ. *wofern ich anders will.* — Ex iſta commutatione harum duarum particularum, quae hodie valde uſitata eſt, oriri poteſt alia obſcuritas; v. c. multi neſciunt, *cum wann* jungi per ſe indicativo: dicunt ergo v. c. *cum ſciam, poſſim*, hoc ſenſu, ut ſit *wann ich weis, kann*, cum omnes lectores et auditores, linguae gnari, hoc intellecturi ſint ita, ut ſignificare putent *da ich weis, kann* etc. Nec tamen negandum, *ſi* apud priſcos de tempore non raro occurrere, v. c. *tum exſiſtere, ſi* etc. Cic. Tuſc. III, 22 in. et ſaepius.

5) *Cum* ſ. *quum* non commutari debet cum *dum:* hoc enim ſemper indicat tempus adhuc durans per eam actionem, quae in illo fit: v. c. *dum ſcribebam, venit pater während daß ich ſchrieb, im währenden Schreiben* (ſic forſan rectius quam *während des Schreibens*, nam *während* eſt particip.): hic *dum* indicat, patrem veniſſe in media ſcriptione mea, ut ita loquar, at *cum ſcribebam* non accurate hoc indicat.

6) Sic et aliae conjunctiones, v. c. *etiamſi wenn auch, ut (geſetzt daß)*, non confundendae ſunt cum *quamquam*, ut vulgo fit etc. De his et pluribus ſupra in P. I, p. 157 ſſ. et 366 ſſ., dictum eſt late: hic loquor de iis, quatenus perſpicuitati ſerviant. Quaecunque vero accurate dicuntur, ſunt perſpicua magis quam quae vitioſe.

XVII) *In vocabulis, quae externa literarum forma inter ſe conveniunt, ſignificatione differunt, videndum, ne lector auditorve ea confundat et unum pro altero habeat, vel nimis diu quaerere cogatur, utrum intelligat.* Talia verba ſunt multa: v. c.

1) *Uti* pro *ut* et *uti* ab *utor*. V. c. Nolim dicere: *Satis multa de animi voluptate dixi. Qua uti quisque ſtudet potiri, ita* etc. Malim dicere: *Qua ut* etc. Poſſit per *uti* lectoris vel auditoris mens perturbari vel paululum retardari; quia

initio

initio *uti* videatur eſſe ab *utor* propter ablativum *qua;* poſtea quidem facile apparet manifeſte eſſe particulam ſimilitudinis. Debemus omnia removere, quae vel paululum impedire queant legentem et audientem.

2) *Quodque, quaeque: quod* poteſt compoſitum eſſe e duobus vocabulis *quod* et *que: quae* et *que:* poteſt vero quoque eſſe a *quisque.*

3) *Quin* pro *imo* interdum non poſuerim v. c. poſt *non dubito:* v. c. haec verba: *Ich zweifle nicht, ja ich bin ganz gewiß überzeugt,* non verterim: *Non dubito, quin certiſſime mihi perſuaſum eſt.* Nam quamquam ex indicativo *perſuaſum eſt* patet, *quin* hic eſſe adverbium *ja:* tamen initio lectori, ob praecedentia verba *non dubito*, facile in mentem venit credere, eſſe conjunctionem *daß* ſ. *daß nicht.* Malim itaque dicere: *Non dubito, imo* ſeu *atque adeo certiſſime* etc.

4) *Eſt* a *ſum* et *eſt* ab *edo:* v. c. ſi quis dicat: *habet cibum, nec tamen eſt ſtultus* hoc ſenſu: *Er hat Speiſe und der Narr ißt doch nicht*, is valde obſcure loquatur: Pauci conjectura forſan aſſequantur, *eſt* pro *edit* poſitum eſſe. In jocando ita liceat ambigue loqui.

5) *Ut* adverb. et *ut* conjunct. v. c. *video, ut venerit, ich ſehe wie er gekommen* paulo obſcurius dictum eſt pro *quomodo*: et tamen Cicero aliquoties ita loquitur: Roſc. Am. 24 in. *Videtisne, quos nobis poetae tradiderunt patris ulciſcendi cauſa, ſupplicium de matre ſumſiſſe, cum praeſertim deorum immortalium juſſis atque oraculis id feciſſe dicantur, tamen ut eos agitent Furiae* etc. Cohaeret *Videtisne* cum *ut eos agitent* etc. Hoc in loco facile tiro haerere ſolet, tum quod verba *ut eos agitent* tam longe ſejuncta ſunt a *videtisne*, tum quod *ut* pro *quomodo* explicandum eſt; quod mirum illi ſolet eſſe propter additum conjunctivum. — Locus Agrar. II, 1, ut Graevius quidem eum legit (nam in vulgatis ſenſu caret): *ipſe modice dicam* (ſcil. de meis meritis), *ut, ſi neceſſe erit, vos eosdem exiſtimaturos putem, qui judicaſtis:* paulo difficilior videtur ob particulam *ut:* quaeritur, utrum ſit adverbium *wie*, an conjunctio *daß:* Ego pro *adverbio* habeo ac ſic verto: *Warum ich aber dieſer ſo groſſen Ehre*, i. e. *des Conſulats, würdig bin, davon will ich ſelbſt mäßig reden, nämlich* ſo, *wie ich glaube, daß ihr ſelbſt davon urtheilen werdet* (exiſtimaturos), *ihr, die ihr bereits euer Urtheil geäußert habt* (*qui judicaſtis*) ſcil. *dadurch, daß ihr mich zum Conſul gemacht habt.* Cui haec pars orationis Agrariae ſatis nota eſt, is novit, quantopere Cicero glorietur, quod ſuo anno factus ſit conſul, et quantopere ſe laudare cupiat, nec tamen palam

 hoc

hoc facere audeat: hinc tam tecte de sua laude loquitur, ut vix ab attento intelligi mens ejus plane possit. At rectius puto *ut* per *wie* quam per *daß* explicari.

6) *Sis* a *sum* et *sis* pro *si vis*, quod posterius est Cic. Rosc. Am. 16 extr. *Age, refer animum, sis, ad veritatem.* Hoc in contextu quodam potest ambiguitatem afferre.

7) *Regis* a *rex* et *regis* a *rego;* sic *legis*, *sedes* etc. sic *videris*, *legeris* etc. sic *exstitit* ab *exsisto* et ab *exsto* etc. it. *constitit* a *consto* et a *consisto* etc.

8) *Eo* adverb. (quamquam proprie est ab *is*) et *eo* ab *is*. V. c. *Eo homine profecto* potest per se esse tum *postquam is homo profectus est*, tum *postquam homo eo profectus est.* Hinc *eo*, si *istuc* notare debet, malim in *istuc* hoc loco mutare ad vitandam ambiguitatem.

9) *Etsi obgleich* cum *et si und wenn* facile confundi potest a lectore et auditore. Hinc posterius mutatur rectius in *ac si*: Cicero tamen habet non raro *et si* pro *und wenn.*

10) Eaedem terminationes vocabulorum in casibus interdum obscuritatem efficere possunt, v. c. *tu suavior es omnibus*: ubi *omnibus* per se potest esse et ablativus pro *quam omnes*, et dativus: sic, si quis dicat: *fratres peregrinantes viderunt;* ubi per se dubium, utrum fratres viderint peregrinantes, an peregrinantes viderint fratres. Hinc vocabulum *talis* ap. Horat. I, od. 4, 18 difficile est: ac sensus verborum *regna vini talis* semper dubius manebit h. e. tamdiu, quoad Horatius ipse dicat. Nescimus, utrum Horatius istud scribens poculum tenuerit manu sublata, ut Baxt. et Gesn. putant, nec male quidem; an *talis* sit a *talus*. Nil antea Horatius de vino dixerat, ut imprudenter locutus sit, si *talis* i. e. *τοῖς* intellexerit. Quamquam quis poetam legibus coerceat vel imprudentiae accuset? — sic Cicero obscure (saltem nobis) locutus ad Div. VIIII, ep. 20 in. dicens: *Me autem a te, ut scurram velitem, malis oneratum esse non moleste tuli.* Forsan difficultas latet in *malis*. Explicationem, si qua esse hujus loci potest, dedit summus Ernesti in clave Cic., quamquam de *malis* Ciceroni missis nihil antea ibi dicitur. — Sic ap. Virgil. Aen. VII, 411 de Ardea oppido: *Locus Ardea quondam dictus avis: et nunc magnum manet Ardea nomen:* ubi *avis* ambiguum est. Ego sumo *avis* ab *avus*, ut sit *a majoribus*: sic et Cel. Heynium explicare video. Donatus *avem* intelligit; quod puerile mihi videtur: quis enim nescit *Ardeam* esse quoque avem? Hoc addere non decebat Virgilii gravitatem: et quaeritur adeo, an Virgilius ad avem illam omnino respexerit.

11) Eae-

11) Eaedem terminationes vocabulorum in Genere ſaepe poſſunt lectoris et auditoris mentem dubiam, ſaltem aliquamdiu, reddere. V. c. *multorum* eſt genit. maſculin. et neutrius: Non dicendum igitur eſt: *haec eſt cauſa multorum* pro *multarum rerum;* ſed rectius *multarum rerum.* Et ſic priſci ſemper. — Sic *hujus*, *cujus*, non in neutro abſolute dici debet, v. c. *hujus cauſa*, *die Urſache hiervon:* ſic malim dicere *qua re*, *hac re hierdurch* quam *quo*, *hoc:* tolerabilius eſt *quo* quam *hoc*, quia hoc poſſit videri quoque Nominativus vel Accuſativus, v. c. *Hoc factum eſt hierdurch iſts* etc. Sic vernaculum *hieraus*, v. c. *hieraus ſieht man* rectius vertitur *hac ex re*, quam *ex hoc*, quia *hoc* poſſit et pro maſculino haberi: ſic malim dicere *qua ex re*, quam *ex quo*, ſaltem illud crebrius uſurpem, quam hoc: et rarius priſci *ex quo* quam *qua ex re* dixerunt. Sic ſi quis dixiſſet: *Suum cuique pulchrum eſt*, ac tum ex me vernacule quaereret: *was iſt die Urſache hiervon?* haec quaeſtio vertenda eſt *quaenam eſt hujus rei cauſa?* Male loquaris: *quaenam eſt hujus cauſa?* hoc neutrum *hujus* nemo intelligeret: multo pejus diceret: *quaenam eſt cauſa de hoc:* quod vix pueris ignoſcendum. — Apud Liv. II, 9 ambiguitas generis locum reddit paulo obſcuriorem. Verba ſunt Tarquiniorum Porſenam rogantium, ut ſibi regnum romanum reſtitueret. Dicit Livius: *monebant* (Tarquinii Porſenam) *etiam, ne orientem morem pellendi reges inultum ſineret. Satis libertatem ipſam habere dulcedinis. Niſi, quanta vi civitates eam expetant, tanta regna reges defendant* etc., *tanta* ſcil. *vi:* et *regnum* eſt *die königliche Würde*, non *das Reich*, ut *regnare* eſt *regem eſſe* v. c. Liv. I extr. Melius tamen Livius feciſſet, ſi ſcripſiſſet: *tanta reges regna* etc., ne tiro in errorem induceretur, ac crederet, ſaltem initio, *tanta* conjungendum eſſe cum *regna.* — Multo obſcurior eſt locus Liv. VIIII, 13 med. *Quae regio ſi fida Samnitibus fuiſſet, aut pervenire Arpos exercitus romanus nequiſſet, aut interjecta inter Romam et Arpos, penuria rerum omnium, excluſos a commeatibus abſumſiſſet.* Quaeritur enim, quo *interjecta* ſit referendum. Glareano non vitio nimis vertendum, quod *interjecta* ad *penuria* retulerit. Locus enim eſt obſcurus. Gronovii explicatio et correctio eſt aeque contorta nec ſufficiens. Locus haud dubie critica indiget adhuc manu: interim intell. *regio.* Ceterum hinc puto multa *ſupina Verborum* rarius occurrere apud priſcos, quia ambigua ſunt ac cum participiis paſſivorum confundi a lectoribus et auditoribus poſſunt: hinc puto quoque factum, ut priſci dixerint *dic*,

duc, *fac*, *fer* pro *dice*, *duce* etc., ne cum *dice*, quod olim in uſu fuiſſe e *dicis cauſa* patet, *duce* a *dux*, *face* a *fax*, et adverbio *fere* confunderentur. Hinc *aſſiduus* ab *aſſe dando* forſan obsolevit, ne cum *aſſiduus* ab *aſſideo* permutaretur etc.

XVIII) *Caveamus, ne nimis longis iisque crebrioribus, ut omnino complexionibus verborum, ita maxime periodis utamur*: quia attentionem lectoris et auditoris defatigant, taedium ei tandem afferunt, ac ſimul difficultatem intelligendi ſenſum oratoris et ſcriptoris. Peccavit hic ſaepe Caeſar; id quod haud dubie inde accidit, quod celeriter et ſubito ea, quae ſingulis diebus geſta eſſent, perſcriberet. In primis longa complexio verborum eſt Bell. Gall. II, 25 *Caeſar, ab decimae legionis cohortatione ad dextrum cornu profectus, ubi ſuos urgeri, ſignisque in unum locum collatis duodecimae legionis milites confertos ſibi ipſos ad pugnam eſſe impedimento, quartae cohortis omnibus centurionibus occiſis ſigniferoque interfecto, ſigno amiſſo, reliquarum cohortium omnibus fere centurionibus aut vulneratis aut occiſis, in his primopilo P. Sextio Baculo, fortiſſimo viro, multis gravibusque vulneribus confecto, ut jam ſe ſustinere non poſſet, reliquos eſſe tardiores, et nonnullos ab noviſſimis deſertos praelio excedere ac tela vitare, hoſtes neque a fronte ex inferiore loco ſubeuntes intermittere et ab utroque latere inſtare, et rem eſſe in anguſto vidit, neque ullum eſſe ſubſidium, quod ſubmitti poſſet: ſcuto ab noviſſimis uni militi detracto (quod ipſe eo ſine ſcuto venerat), in primam aciem proceſſit, centurionibusque nominatim appellatis, reliquos cohortatus, milites ſigna inferre et manipulos laxare juſſit, quo facilius gladiis uti poſſent.* Cogites, nominativus *Caeſar* et verbum ad eum pertinens *vidit* quam longe inter ſe disjuncti ſint: et membrum antecedens totum claudi demum verbis: *quod ſubmitti poſſet.* Quis non defatigetur legenda complexione verborum tam longa? Iam, ſi in narrando iſta longitudo defatigat et vitium eſt, quanto magis in alio dicendi ſcribendique genere? — Nimis quoque longae complexiones verborum ac ſimul non parum contortae ſunt Ciceron. Quir. p. red. 1 in. *Quod precatus — maxime laetor, Quirites,* quae duodeviginti verſibus conſtat: et Dom. 57 in., quae ſeptem et viginti verſibus continetur: ac ne ſatis quidem inter ſe cohaeret. Sed hoc facile accidit in longis complexionibus verborum.

XVIIII) *Abſtinendum eſt ellipſibus durioribus* h. e. non niſi ea vocabula omittenda ſunt, qnae vel ſtatim praeceſſerunt, atque ita e contextu facile intelligi queunt, vel per conſuetu-

suetudinem inveteratam omitti vulgo solent, atque ita ab omnibus linguae gnaris intelligi statim possunt: quales sunt v. c. *paucis dicere* int. *verbis*: *quid multa?* int. *dicam*: *nescio scribam an legam* pro *scribamne* vel *utrum scribam* etc.: *non habeo, quod agam* int. *negotium*: *habes, ubi virtutem tuam ostendas* int. *locum*: *sunt, qui dicant* int. *homines*: *non modo scribere sed ne legere quidem didicit* pro *non modo non*: *haud scio an* pro *annon*: *quid fles* pro *propter quid* etc.: *tres dies ibi fui* int. *per*. Hae sunt vulgares et satis notae ellipses: quibus quis non utatur? Consuetudo eas jam notas reddidit. Sic *pater diu mecum de ista re locutus est; nec tamen potuit* etc. pro *nec tamen ille potuit*: at hoc *ille* sponte intelligitur e contextu h. e. quia non nisi *pater* praecessit, ad quem *potuit* refertur. Sic *Caesar Pompejum vicit: victum et fugientem excepit Aegyptus* pro *hunc victum*: at *hunc* omitti potest, quia e praecedentibus verbis intelligitur, *victum* esse Pompejum. — At sunt duriores ellipses, quando vocabulum, quod omittitur, non statim vel plane non praecessit, ac contextus simul difficilior est, v. c. Cic. ad Div. XII, ep. 30 §. 16 *Honore enim cum ignominia dignis non erant comparandi* pro *Honore enim digni* etc. (ut edidit Ernesti). Eodem modo Ovid. Met. I, 20: (*pugnabant*) *Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus* pro *Mollia pugnabant cum duris, pondus habentia pugnabant cum iis, quae erant sine pondere* h. e. *levia*. Dura est ellipsis particulae *potius*, *magis*, ante *quam* v. c. Nep. Datam. 8 in. *tamen statuit congredi, quam cum tantis copiis refugere* etc. pro *statuit potius* etc.: plura ejusmodi exempla habet Vechn. Hellen. p. 138, sed cum cautione legenda, quia nonnulla loca hodie aliter leguntur: it. Sanctius in Minerv. ibique Periz. p. 692 et 699, qui etiam de aliis ellipsibus consuli possunt. — Durior et obscurior est etiam saepe ellipsis, quando duos homines vel plures colloquentes inducimus et omittimus vocabula *dixit*, *respondet*, vel *tum ille*, *ego*, *Cajus* etc., praesertim si colloquium paulo longius est ac de rebus non vulgaribus dicitur. Sic Horatius saepe obscurior fit, v. c. Sat. II, 5, ubi Tiresiam et Ulyssem inducit colloquentes: it. in Arte poetica s. epistola ad Pisones passim. Addi etiam possunt, quae supra P. I in cap. de *brevitate* p. 468 ss. dicta sunt. Sed unde discimus notas ellipses? nonne e lectione priscorum? Ergo hac omnia nituntur.

XX) Vocabulis relativis *hic ille* et *alter alter* recte utendum h. e. ita, ut lector statim videat, quo singula pertineant, nec demum e contextu hoc suspicari opus habeat.

 1) *Hic*

1) *Hic* et *ille* ita uſurpari debent, ut *hic* ad propius vocabulum, *ille* ad remotius, referatur, veluti noſtrum *dieſer* et *jener*. Fit hoc dupliciter: a) *primum*, ubi tantum de uno homine vel una re ſermo fuit. Hic, ſi iſte homo vel iſta res paulo longius praeceſſit, uſurpari debet *ille*: ſin propius, *hic*: v. c. *Si virtus tibi placet, cur hanc* (vel etiam *eam*, non *illam*) *non colis?* Sic *De virtute multa diximus. Haec tamen non omnibus placent*: *Haec* ſcil. *multa*, non *illa*. Sic *Notum eſt miſere Pompejum periiſſe. Fugerat hic in Aegyptum* etc. Recte: *hic*. At *Si virtus, donum illud dei egregium, tibi tantopere placet, quomodo, quaeſo, fit, ut tamen illam non colas.* Rectius *illam*, quam *hanc*. Sic *Pompejum, qui antea invictus fuerat et nomen felicis conſecutus erat, tandem miſere periiſſe notum eſt. Fugerat ille in Aegyptum* etc. Rectius hic eſt *ille*, quam *hic*. Non tamen negandum, hic peccari interdum a priſcis, et interdum *ille* pro *hic* poni. b) deinde in primis hoc obſervandum eſt, ubi de duobus hominibus vel rebus ſermo eſt. Tum ſemper *hic* ad propiorem, *ille* ad remotiorem, referri debet. V. c. *Cum Caeſar et Pompejus diu inter ſe contenderent, ille, quia neminem ſuperiorem, hic, quia neminem parem ferre poterat* etc., ubi *ille* ad *Caeſarem*, *hic* ad *Pompejum*, pertinet; perperam dixiſſes: *hic, quia neminem ſuperiorem* etc., quia tum lector ad Pompejum retuliſſet ea, quae ad Caeſarem pertinebant. Sic *Cicero ad Atticum ſaepiſſime ſcripſit. Nec hic intermiſit* etc. *hic* i. e. *Atticus*, ſi dicas *ille*, intelligatur Cicero. — Res eſt nota, nec exemplis priſcorum eget: unum tamen afferam, ubi de duabus rebus ſermo eſt, et *illud* uſurpatur; non ſequente tamen *hoc*, quia altera res omittitur. Cic. ad Div. XVI, ep. I prope fin. ad Tironem: *Nos ita te deſideramus* (i. e. *te nobiscum habere cupimus wir ſehnen uns nach dir*), *ut amemus. Amor, ut valentem* (Tiro aegrotabat) *videamus, hortatur: deſiderium* (*Sehnſucht*), *ut quam primum. Illud igitur potius. Cura ergo potiſſimum, ut valeas* etc.: τὸ *illud* ad prius refertur, h. e. ad verba: *amor hortatur, ut te valentem videamus*: dicit ergo Cicero, ſe *illud* praeferre, et ſtatim ſe explicat verbis: *Cura ergo potiſſimum, ut valeas.* — Hanc igitur diligentiam ubique ſervare debemus, licet priſci interdum peccent. Nam peccaſſe eos interdum, et τὸ *ille* retuliſſe ad *propius*, *hic* ad *remotius*, negari nequit: v. c. Cic. Roſc. Com. 2 *Quid eſt, quod negligenter ſcribamus adverſaria? quid eſt, quod diligenter conficiamus tabulas? qua de cauſa? quia haec* (adverſaria) *ſunt menſtrua, illae* (tabulae) *ſunt aeternae; haec delentur ſtatim, illae ſervantur ſancte: haec parvi tem-*

temporis memoriam, illae perpetuae existimationis fidem etc., ubi debebat pro *haec* dicere *illa*, et *hae* pro *illae*: ac contra. Liv. XXIIII, 29 *Et mittentibus et missis ea laeta expeditio fuit: nam et illis* (missis), *quod jam diu cupiebant, novandi res occasio data est, et hi* (mittentes) *sentinam quandam urbis rati exhaustam laetabantur* pro *et his — et illi.* Id. XXX, 30 *Melior tutiorque est certa pax, quam sperata victoria. Haec in tua, illa in deorum manu est*, ubi *haec* ad *pacem*, *illa* ad *victoriam*, refertur: debebat ordo inverti et esse *illa — haec.*

2) *Alter* et *alter* ita usurpari debent, ut prius ad remotius, posterius ad propius, referatur: v. c. *Et doctrina et virtus praeclara est. Alteram cupimus, alteram vulgo negligimus*; ubi prius *alteram* ad *doctrinam*, posterius ad *virtutem*, refertur. Hic ordo est naturae rerum consentaneus et priscorum usu confirmatus. — At vero et hic peccant nonnunquam prisci, et ordinem invertunt: v. c. Cic. Nat. Deor. II, 47 med. *Dedit autem eadem natura beluis et sensum et appetitum, ut altero* (i. e. *appetitu*) *conatum haberent ad naturales pastus capessendos, altero* (i. e. *sensu*) *secernerent pestifera a salutaribus.* Offic. I, 12 *Ut enim cum cive aliter contendimus, si est inimicus, aliter, si competitor: cum altero* (i. e. competitore) *certamen honoris et dignitatis est, cum altero* (i. e. inimico) *capitis et famae* etc. Offic. II, 15; Quint. I, ac saepius. Sed tamen haec omnia sunt peccata negligentiae. — Pro posteriori *alter* occurrit etiam *hic, iste, ille*, at raro, ut puto: v. c. Cic. Rosc. Am. 6 extr. *Nam duo isti sunt Roscii, quorum alteri Capitoni cognomen est, iste* (alter), *qui adest, Magnus vocatur*: et statim: *alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur, hic autem* (alter) *nuper se* etc. Flor. IIII, 7 *quamvis duces non essent praesentes, alterum corporis aegritudo, illum metus et ignavia, subduxisset* etc. Nec haec facile imitemur.

XXI) Duo, multo minus plures, genitivi non facile, si quidem ullo modo fieri potest, conjungendi sunt, quia contextum interdum reddunt difficiliorem et obscuriorem. Et tamen non raro ita prisci, v. c. Cic. ad Div. II, ep. 13 §. 5 *Genus institutorum et rationum mearum dissimilitudinem nonnullam habet cum illius* (Appii) *administratione provinciae*: ubi notes *Appii administratio provinciae.* Ibid. VIIII, ep. 8 §. 6 *sed superiorum temporum fortuna reipublicae causam sustineat*, ubi *fortuna superiorum temporum reipublicae* jungendum; *causam sustineat* i. e. *nos excuset, mag die Schuld auf sich nehmen.* Ibid. X, ep. 3 §. 7 *maxima orbitate reipublicae* *viro-*

virorum talium h. e. *cum respublica talibus viris valde ſit orbata.* Offic. I, 13 *L. Sullae et C. Caeſaris translatio pecuniarum* etc. pro *a L. Sulla et C. Caeſare facta translatio* etc. Occurrunt adeo tres genitivi, v. c. Caeſ. B. G. II, 17 in. *eorum dierum conſuetudine itineris noſtri exercitus perſpecta* i. e. *poſtquam conſuetudinem itineris noſtri exercitus per eos dies perſpexerant* ſ. *poſtquam viderant, quomodo per eos dies exercitus noſter proficiſci ſoleret* etc. Et ibid. III, 8 in. *Hujus civitatis* (Venetorum) *eſt longe ampliſſima auctoritas omnis orae maritimae regionum earum.* — Sed ne nimis ſeveri videamur, ignoſci poteſt alicui, ſi duos genitivos, v. c. alterum ſubjecti, alterum objecti, jungit; modo ordine collocet perſpicuo: Id quod fit, ſi vocabulum, unde uterque genitivus pendet, in medio collocatur, ac genitivus ſubjecti ei praeponitur, et genitivus objecti ſubjicitur, v. c. *Hominum cupiditas virtutis*, ut ſupra *Sullae et Caeſaris translatio pecuniae, Appii adminiſtratio provinciae* etc. At, ſi ordo ſimul perturbatur, creſcit obſcuritas: ſic ap. Liv. XXVIII, 30 *Iam in ipſa pugna haec* (quinqueremis), *cum infeſto roſtro peteret hoſtium navem, obliqua ipſa ictum alterius roſtri accipiebat;* ubi *alterius roſtri* non conjungenda, tanqunm *alterius* ſit neutrius generis: debebat eſſe *roſtri alterius* ſcil. *navis.* Ibid. prope fin. *Cum inter triremes fortuna regente anceps praelium miſceretur, quinqueremis romana, ſeu pondere tenacior, ſeu pluribus remorum ordinibus ſcindentibus vortices, cum facilius regeretur, duas triremes ſuppreſſit, unius praelata impetu lateris alterius remos deterſit.* Verba inde ab *unius praelata* etc. ſunt valde obſcura; ordo eſt: *deterſit* (i. e. confregit) *remos lateris alterius unius* (ſcil. triremis Punicae) *praelata* (i. e. *praetervecta*) *impetu* i. e. *cum impetu: zerbrach durchs heftige Vorbeyfahren die Ruder der einen Seite von einer feindlichen Galeere* etc. Obſcuritatem loci augent rariora vocabula, *detergere* pro *confringere*, in militia navali ſolenne, *praeferri* pro *praetervehi, impetu* pro *cum impetu, vehementer.* Conf. de pluribus genitivis Gronov. ad Liv. XXXIIII, 26, Sanctius in Min. et ad eum Perizonius p. 177 et Grammatica mea P. II c. 1 §. 1 n. VIIII.

XXII) *Cavendus eſt quoque concurſus plurium infinitivorum*, quia inde obſcuritas oriri poteſt: v. c. *Potes enim tibi perſuadere, hominem nihil magis oportere amare, quam virtutem.* Hoc tamen tolerabile; item hoc: *Audio, te tibi non perſuadere poſſe, nihil hominem magis oportere amare, quam virtutem.* — At fere intolerabile eſt ita dicere: *Philoſophus,*

loſophus, quem dicunt dixiſſe licere omnia turpia agere etc. vel *quem omnia turpia agere licere dixiſſe dicunt* etc. Aeque obſcure dictum eſt: *Audio te ſaepe dicere, omnes putare bonum eſſe multa diſcere* vel *te ſaepe dicere, omnes omnia diſcere bonum eſſe putare.* Sic obſcurum eſt hoc: *ſolent priſci docere, quemque credere oportere, dulce et decorum eſſe pro patria mori* vel adeo: *ſolent priſci docere, quemque dulce et decorum eſſe pro patria mori credere oportere.* Quis haec ſtatim intelligat? Poſſunt duo poſteriora facile ita mutari: a) *Audio te ſaepe dicere, neminem eſſe, qui non bonum putet multa diſcere:* b) *ſolent priſci docere, quisque credat oportere, dulce et* etc. vel ita: *docere ſolent priſci, cuique hanc ſequendam ſententiam, ut ſtatuat, dulce et decorum eſſe* etc. vel *nihil tam dulce et tam decorum eſſe, quam* etc.

XXIII) *Superlativus vernaculus* v. c. *der gröſte* etc. rectius ac magis perſpicue per *comparativum* exprimitur: ſi tamen ſuperlativum latinum ſumas, addi debet *omnium.* Cauſa eſt, quia ſuperlativus etiam tantum per *valde* explicari ſolet, v. c. *doctiſſimus* i. e. *valde doctus:* ſi v. c. vernaculum *die Tugend iſt die vortreflichſte Sache* vertere vis, ne dicas: *virtus eſt res praeſtantiſſima*, hoc enim foret *eine ſehr vortreffliche Sache*, ſed *eſt omnium rerum praeſtantiſſima* vel *nihil eſt virtute praeſtantius:* ſic *pater tuus eſt omnium doctiſſimus* et *nemo patre tuo eſt doctior.* Poteſt etiam hoc fieri per particulas comparativas, v. c. *Nihil tam praeſtans, quam virtus:* itemque aliis modis comparandi, v. c. *Virtus omnes res vincit praeſtantia* etc. Nulla enim magnitudo, multitudo, praeſtantia tam perſpicue apparet, quam per comparationem. Dictum de hac re eſt ſupra P. I in cap. de *copia verborum* p. 417 ſſ. et 423 ſ., quo lectores rejicimus.

XXIIII) *Brevitas dicendi ſubinde commendanda eſt*, quia ſaepe aeque ac copia dicendi perſpicuitati prodeſt. Duplex eſt iſta brevitas; altera pertinet ad enuntiationes, cum v. c. una enuntiatio, ſalvo ſenſu, praecipue in narrando omittitur etc., de qua ſupra p. 490 ſſ. in cap. de *brevitate*: altera ad verba ſpectat, eſtque hujus loci: cerniturque in eo, ſi enuntiatio paucioribus verbis exprimitur, quam exprimi vulgo ſolet. Hoc in primis prodeſt in longis complexionibus verborum. Quomodo hoc efficitur? multis rebus, v. c.

1) quando ope unius verbi duas enuntiationes in unam redigimus, v. c. Cic. Agr. II, 1 in. *Eſt hoc in more poſitum, Quirites, inſtitutoque majorum, ut ii, qui beneficio veſtro ima-*

imagines familiae suae consecuti sunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude conjungant etc. Postrema verba *qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude conjungant* dicta sunt pro *qua primum vobis gratias agant pro beneficio vestro* (consulatu), *ac deinde laudent suos majores.* Cicero, ut totum exordium istius orationis declarat, vult nobiles carpere, ut se extollat, qui, cum sit novus homo careatque majoribus, tamen consul factus sit anno suo. At non audet aperte carpere, timens nobiles: hinc tecte hoc facit ac paucis verbis: *qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude conjungant.*

2) per participia, v. c. verba: *Postquam literas tuas, quas heri, cum domum rediissem, acceperam, quia magnum ex iis solatium percepturum me esse sperabam, cupide perlegeram, venit ad me* etc. possunt, si placet, ita fieri breviora: *Literis tuis, quas heri, domum reversus, acceperam, propterea, quod ex iis me magnum percepturum esse solatium sperabam, cupidissime perlectis* etc. vel *postquam literas heri, cum domum redissem, acceptas, propterea — cupidissime perlegeram* etc. — Sic Caes. B. G. II, 25 in illa longissima complexione verborum, supra sub n. XVIII allata, multas enuntiationes ope participiorum breviores reddit: alias illa multo longior facta esset; v. c. *Caesar profectus* pro *cum profectus esset: signis collatis* pro *postquam signa collata erant* etc. Intolerabilis Caesar factus esset, si toties *postquam, ubi, cum* etc. dicere voluisset.

3) per *propter* pro enuntiatione per *quia*, ut duplex enuntiatio caussalis eaque aperta vitetur: v. c. pro *Cum ego propterea, quod hodie mihi, quia pater mortuus est, domum proficiscendum est, tecum, ut constitutum erat, non cras colloqui possim* etc. dici brevius potest: *Cum ego propterea, quod mihi ob patris obitum* etc. atque ita expeditius. Sic Caes. B. G. IIII, 24 §. 2 *Erat ob has caussas summa difficultas, quod naves ob magnitudinem, nisi in alto, constitui non poterant* etc., ubi *ob magnitudinem* pro *quia magnae erant.*

4) per *post*, cui *ex*, *ab*, interdum substituitur, v. c. pro *Cum audierim, te hereditatem, quae, posteaquam avunculus tuus mortuus est, ad te, quia te heredem ex asse voluit esse, rediit, nolle accipere* etc., quae per se egregia foret periodus, possis, si lubet, brevius dicere: *Cum audierim, te hereditatem, quae post avunculi mortem* (s. *avunculo mortuo*) *ad te, quia is te* etc. Sic Caesar in illa longa complexione verborum saepius memorata B. G. II, 25 incipit: *Caesar ab decimae legionis cohortatione profectus ad* etc., ubi in verbis:

ab

ab decimae legionis cohortatione breviter loquitur pro *poſtquam decimam legionem cohortatus erat.*

De tota hac re tum paſſim tum in capite de *brevitate* p. 481 ff. fuſius et accuratius diximus. — Ceterum, ut in omnibus iſtiusmodi rebus, ita in hac brevitate habenda eſt ratio quoque eorum, cum quibus nobis res eſt. Lector multo facilius rem, licet fuſe dictam, intelligit, quia ob oculos habet et lecta relegere poteſt, quam auditor, qui celeriter dicta celeriter arripere et cum dicente longius progredi cogitur, nec poteſt cogitandae uni rei diu inhaerere. Plus igitur libertatis ſcriptori conceditur quam oratori; ſed, quantum hic in ſtudio brevitatis negligendo ſumere ſibi debeat, hoc ipſius mens judicet neceſſe eſt. Debet ſemper et orator et ſcriptor lectores et auditores ſibi ob oculos quaſi ponere et cogitare, ſe non ſibi, ſed illis, ſcribere et dicere. Haec cogitatio eum optime docebit modum, ut aliarum rerum, ita copiae et brevitatis ſervare.

SECT. XXIIII

3) *De ordine verborum, ut fonte perſpicuitatis.*

Tertius fons propior perſpicuitatis in uſu vocabulorum eſt *ordo verborum ac collocatio apta.* In qua ſi peccas, ſaepe in verbis maxime manifeſtis obſcurus eris: ſaepe etiam ambiguitas vocabulorum recta eorum collocatione evitatur. Stulti ſunt, qui verborum latinorum ordinem pro libidine variari poſſe opinantur, v. c. *mors iſta afflixit mihi grave vulnus*, vel *mors afflixit iſta* etc. vel *mihi iſta grave mors afflixit vulnus* etc. Alii regulas dederunt, partim falſas, partim indefinitas; v. c. *omnis*, *nemo*, it. ſuperlativum poſtponendum eſſe. Verus vocabulorum ordo pendet vel ab natura idearum, quae illis continentur, vel a contextu.

1) Ordo vocabulorum pendet primum *ab idearum natura* h. e. qui ordo idearum in mente fuit, idem ordo debet verborum eſſe in charta, atque ita, quae in mente cohaerebant, etiam in charta vel in dicendo cohaerere debent. V. c. *cauſa*, *conditio*, *modus rei*, *tempus* etc. prius fit ac prius cogitatur, quam id, quod propter *cauſam*, ſub *conditione* etc. fit: hinc *notiones* et *enuntiationes cauſales*, *con-*

ditionales

ditionales etc. praeponuntur. V. c. *rem, quia non vidi, credere non poſſum.* De hac tota re ſupra in capite de *ordine verborum* late dixi, P. I, c. 3 S. 2 p. 210, ff., quae conſuli poſſunt. — Tantum exempla pauca ordinis juſti afferam. Verr. V, 34 in. *Ecce autem repente, ebrio Cleomene, eſurientibus ceteris, nuntiatur piratarum naves eſſe in portu* etc. c. 44 *Ne multa, ipſum dicere adoleſcentem audiſtis, ſe ob hunc virgarum metum pecuniam Timarchidi numeraſſe:* — c. 52 *Tu in provincia tam ſplendida, apud ſocios fideliſſimos, cives romanos honeſtiſſimos, in metu periculoque provinciae, dies continuos complures in litore conviviisque jacuiſti:* ubi ſingula vocabula ſuum locum occupant; cogites primum *in provincia*, deinde *apud ſocios;* quando? *in metu* etc. quamdiu? *dies continuos eosque complures* etc. — Ibid. c. 62 extr. *Hac ſe commemoratione civitatis* (clamavit: civis romanus ſum) *omnia verbera depulſurum cruciatumque a corpore dejecturum arbitrabatur:* et c. 63 in. *Huccine tandem omnia reciderunt, ut civis romanus in provincia populi romani, in oppido foederatorum, ab eo, qui beneficio populi romani faſces et ſecures haberet, deligatus in foro virgis caederetur?* Hic ne unum quidem vocabulum ſuo ordine privari poteſt. — Add. locus ille clariſſimus Suet. in Domit. 19 *Nonnunquam in pueri procul ſtantis, praebentisque pro ſcopo diſpanſam dextrae manus palmam, ſagittas tanta arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum innocue evaderent:* Mutes vel unum vocabulum, et perſpicuitas valde laedetur. — Peccarunt tamen hic interdum priſci, maxime poetae; et ordine verborum turbando obſcuriores facti ſunt, v. c. Horat. Sat. I, 5, 72 *ſedulus hoſpes Paene macros arſit, dum turdos verſat ad ignem:* ubi *macros* a *turdos* et *arſit* ab *hoſpes* male ſejunctum eſt. Rectius foret: *ſedulus hoſpes Paene arſit, macros dum turdos* etc., ut Lambin. ex uno Cod. legit. — Ovid. Met. I, 222 *Mox, ait, experiar, deus hic, diſcrimine aperto, an ſit mortalis,* ubi ordo eſt: *Ait: mox diſcrimine aperto experiar,* (*utrum*) *hic ſit deus an mortalis* i. e. *homo:* at quam disjectus! Et tiro, niſi ſignis diſtinctionis adjuvetur, valde hic torqueatur, praeſertim cum *utrum* omiſſum ſit. — Peccavit et Livius XXVIII, 30 extr. *Cum inter triremes fortuna regente anceps praelium miſceretur, quinqueremis romana, ſeu pondere tenacior ſeu pluribus remorum ordinibus ſcindentibus vortices, cum facilius regeretur, duas triremes ſuppreſſit, unius praelata impetu lateris alterius remos deterſit.* Verba poſtrema *unius praelata* etc. valde obſcura ſunt ob turbatum ordinem, ac ſimul ob difficilia

ficilia verba *praelata* i. e. *praetervecta*, *deterſit* i. e. *fregit*, et ob ellipſin vocabuli *navis* ad *unius*. Verborum ordo hic eſt: (*quinqueremis* romana) *deterſit remos alterius lateris unius* ſc. navis *praelata* (cum) *impetu*. Livius ſaltem debuiſſet ita dicere: *lateris alterius unius remos*, *praelata impetu*, *deterſit:* vel pro *unius* ponere *ex una* vel addere *navis*. — Add. Terent. Andr. II, 3, 2, ubi non modo verba ſed adeo totae enuntiationes alieno ordine poſitae ſunt: *Si id ſuccenſeat nunc, quia non dat tibi uxorem Chremes, ipſus ſibi eſſe injurius videatur: neque id injuria: priusquam tuum ut ſeſe habeat animum ad nuptias perſpexerit.* Verborum ordo hic eſt: *Si* (ob) *id*, *quia Chremes non dat tibi uxorem*, *tibi nunc ſuccenſeat* (pater), *priusquam tuum animum*, *ut ſeſe habeat ad nuptias*, *perſpexerit*, *ipſus ſibi eſſe injurius videatur*; *neque id injuria*. Dura eſt trajectio verborum *tuum ut ſeſe habeat animum ad nuptias*: durior eſt trajectio hujus totius enuntiationis *priusquam* usque ad *perſpexerit*. Sed forſan haec poſterior librario tribuenda, quia verba totum verſum complent, et hic verſus inter *Chremes* et inter *ipſus* forſan inſerendus. Nam verſus ſaepius a librariis male transpoſitos eſſe conſtat.

2) Pendet vero etiam ordo verborum ſaepe *a contextu*, idque tripliciter;

a) Quando contextus gravis eſt h. e. unam vel aliquot graves ideas continet. Tum vocabula has exprimentia, licet per ſe ſuaque, ut ante dictum, natura poſteriorem locum mereantur, tamen propter iſtam gravitatem, quam ſolus contextus definire debet ac poteſt, priorem occupant locum. Hoc non officit perſpicuitati, ſed potius eam adjuvat; ita enim lector vel auditor ſtatim ſcit, ad quas ideas praecipue attendere debeat, atque ita mentem ſcribentis dicentisque facilius perſpicit. V. c. *grave mihi vulnus inflixit mors fratris mei*, non *vulnus mihi grave* cet. nec *mors fratris mihi grave* etc. Sic Cicero ubique; v. c. Verr. V, 29 *Civem romanum ſecuri eſſe percuſſum*, *Annius eques romanus dicit.* Qui ſcit, quam grandis idea lateat in vocabulis *civis romanus*, is non mirabitur, haec praepoſita eſſe: male Cicero locutus eſſet: *Annius eques romanus dicit*, *civem* etc. Sic civis ille romanus, quem Verres in crucem tolli juſſit, non clamat: *ſum civis romanus*, ſed *civis romanus ſum* ibid. c. 62 — Sic c. 42 in. *vinctos adſpiciunt catenis liberos ſuos*: ut indignitas rei magis perſpiciatur; non *adſpiciunt*

ciunt liberos etc. — Sic c. 62 *Caedebatur virgis in medio foro Messanae civis romanus, judices.* a) *caedebatur virgis* b) ubi? *in medio foro Messanae* c) quis? *civis romanus.* Ordo hic verborum servit gravitati rei, h. e. efficit, ut magis sentiatur ac fere oculis cernatur. — In primis notabilis est locus ibid. c. 33 *Stetit soleatus praetor populi romani cum pallio purpureo, tunicaque talari, muliercula nixus in litore.* Egregia descriptio hominis valde dissoluti, libidinosi etc. a) *stetit* b) *soleatus* c) quis? *praetor populi romani* etc. Perperam h. e. cum minori gravitate dixisset: *praetor populi romani stetit in litore soleatus* etc. Tunc enim narratio simplex et languida fuisset. — Agr. II, 17 *Grave est enim nomen imperii* etc., non *imperii enim nomen est grave:* in *grave* enim est primaria idea, ad quam attendi debet. — Sic et in epistolis, v. c. ad Div. II, ep. 4 §. 6 *Est enim tibi gravis adversaria constituta et parata, incredibilis quaedam exspectatio:* egregie dictum et egregio ordine dictum pro *exspectatio est adversaria* (i. e. inimica, hostis) *gravis* etc., sed *gravis* recte primum locum obtinet. Sic ibid. ep. 11 §. 2 *Mirum me desiderium tenet urbis* etc., non *desiderium mirum:* ep. 16 in. *Magno dolore me affecissent tuae literae* etc., non *dolore magno*, nec *literae tuae* etc. Sic V, ep. 21 in. *Gratae mihi tuae literae fuerunt* etc. VI, ep. 4 in. *Novi, quod ad te scriberem, nihil erat* etc. Sic rectius quam *Nihil erat novi, quod* etc. In *novi* est idea primaria: ep. 9 in. *Cum A. Caecina tanta mihi familiaritas consuetudoque semper fuit* etc., ubi recte incipit *Cum A. Caecina*, hunc enim commendat, ad hunc in primis attendi vult, hunc igitur primum nominat. Sic X, ep. 28 §. 7 *magnum damnum factum est in Servio:* sentiebat hujus damni *magnitudinem*, hinc eam statim in principio enuntiationis ponit: non ipsum *damnum* aut *in Servio* etc. Et sic millies Cicero, itemque omnes boni scriptores. Interdum et gravius vocabulum postponitur, si oratio per gradus quasi incedit, v. c. *abiit, excessit, evasit, erupit* Cic. Catil. II in. — Not. tota res pertinet in primis ad gravitatem dicendi; conf. igitur cap. 2 de Gravitate.

b) Quando contextus ambiguus fit vel fieri posse videtur: nam *videri* jam sufficit perspicue dicere ac scribere cupienti. Tum vocabula saepe alium locum obtinent, quam obtinere debere videbantur: v. c. *Hominem egregium ob factum laudant* etc. est ambigue dictum: potest enim *egregium* tum ad *hominem* tum ad *factum* referri: con-

contextus quidem tandem decernit, at hujus decretum ubique exſpectari a lectore et auditore non ſinit vera perſpicuitas. Quare, ſi *egregium* ad *hominem* referri debet, ſcripſerim *egregium hominem:* ſin ad *factum*, ſcripſerim *ob egregium factum*: ſic non opus eſt contextus opem implorare. — Sic *Omnes ſapientes laudant* hoc ſenſu, ut ſit *quisque ſapientes laudat*, ambigue dictum eſt; dixerim ſaltem: *omnes laudant ſapientes* vel potius *ab omnibus laudantur ſapientes* vel *quisque* ſ. *nemo non laudat ſapientes.* — Sic *Homines magni ingenii judiciique praeclari putantur* eſt ambigue dictum; poteſt enim *praeclari* referri ad *judicii* et ad *putantur*, ut ſit nominativus: ſi ad prius, dixerim *praeclarique judicii*; ſin ad poſterius, dixerim *putantur praeclari* vel *homines ingenii judiciique magni putantur praeclari* ſ. *praeclari putantur.* Sic nulla ambiguitas: poſſit quidem et aliis verbis exprimi; ſed hac de re hic non ſermo eſt: loquimur enim hic tantum de ordine. — Sic Livius in loco ſupra n. 1 et S. 23 n. 21 laudato XXVIII, 30 *quinqueremis romana — unius praelata impetu lateris alterius remos deterſit* paulo expeditius dixiſſet, ſi ſcripſiſſet: *remos alterius lateris unius praelata* etc. Et in eod. cap. paulo ante in verbis: *Iam in ipſa pugna haec, cum infeſto roſtro peteret hoſtium navem, obliqua ipſa ictum alterius roſtri accipiebat*, ambigue poſuit vocabulum *alterius;* debebat dicere *roſtri alterius* ſc. navis. Haec de vocabulis ſingulis. — Ita et in enuntiationibus, v. c. nolim dicere: *rem, quam laudas, quia non vidi, credere non poſſum*, quia incertum eſt, utrum verba *quia non vidi* ſint cauſa verborum *quam laudas*, an verborum *credere non poſſum.* Dixerim potius: *Rem, quam laudas, credere, quia non vidi, non poſſum*, vel *rem, quam laudas, ego, quia non vidi, credere* etc. Nunc manifeſte illa verba *quia non vidi* pertinent ad *credere non poſſum.* — Sic *is, qui virtutem amat, quia officium ſequitur, laudandus* ambigue dictum eſt; dicas potius: *qui virtutem amat, is, quia officium ſequitur, laudandus eſt.* Sic nulla ambiguitas. Ita Cicero et omnes priſci. Conf. ſupra P. I, cap. 5 de *periodis.* — Peccarunt tamen hic quoque interdum priſci: v. c. Cic. Verr. IIII, 25 *Is* (Piſonis pater) *cum eſſet in Hiſpania praetor, qua in provincia occiſus eſt, neſcio quo pacto, dum armis exercetur, annulus aureus, quem habebat, fractus eſt et comminutus.* Verba *neſcio quo pacto* ſunt paululum ambigue poſita, et tum ad *occiſus eſt* tum ad *annulus aureus fractus eſt* referri poſſint. Si ad prius pertinent, debebat dici *in qua provincia, neſcio quo pacto,*

occiſus eſt: ſin ad poſterius, dici debebat: *annulus aureus, quem habebat, dum armis exercetur, neſcio quo pacto, fractus eſt* etc. — Sed hinc apparet, quanta diligentia in jungendis, ut ſingulis vocabulis, ita in primis enuntiationibus adhibenda ſit, et quantopere, quod ad has attinet, ſtructura periodorum proſit perſpicuitati.

c) Propter clauſulam periodorum: ut quas terminandas eſſe paulo longiori vocabulo, in primis eo, cujus ſyllaba paenultima ſit longa, ſupra in capite de *numero* P. I, c. 6 p. 270 et 274 dictum eſt: ubi monuimus hoc non tam fieri ob ſuavitatem, ut Cicero numeri oratorii ſuavitate et efficacia abreptus ſibi perſuaſit, quam ob perſpicuitatem: quia, quo propius vox dicentis ad finem ſententiae abſolutae pervenit, eo remiſſior fit, ac plerumque ſyllaba ultima ultimi vocabuli plane non auditur: hinc opus eſt, ſyllabam praecedentem non modo longam eſſe, ſed vocabulum ipſum pluribus ſyllabis conſtare, ut, pereunte una ſyllaba, tamen ipſum vocabulum animadvertatur. Hinc clauditur ſententia libenter ditrochaeo, v. c. *comprobavit* etc. Sed et omnino longiora vocabula, licet careant paenultima longa, ſi quidem alia habere non poſſumus, in ſententiae abſolutae exitu, imo etiam in fine enuntiationis cujusque paulo longioris, praeferenda ſunt vocabulis brevioribus h. e. duas ſyllabas vel unam complectentibus. Hinc ſuperlativi ſaepe claudunt enuntiationes et ſententias abſolutas. Cf. de tota re dictum caput de *numero* p. 273 ff. — Sed hinc patet, hanc clauſulam ſaepe efficere, ut vocabulum alium locum occupet, quam natura ſua occupare debeat. V. c. *nihil vidi praeclarius: non iſta frui potuit poteſtate* etc. Quamquam hic ſaepe incertum eſt, an non haec trajectio vocabulorum fiat potius ob eorum gravitatem: interdum enim gravius praeponitur, ut ante dictum, interdum, ad exſpectationem lectoris et auditoris excitandam, poſtponitur. — Laudabo aliquot exempla Ciceronis, ut lector ipſe videat, utrum vocabulum ob longitudinem an ob gravitatem ultimum locum tenere videatur. Manil. 2 *eundem hunc unum ab hoſtibus metui, praeterea neminem*: in *neminem* videtur eſſe gravitas: cap. 6 *non ſolum adventus mali ſed etiam metus ipſe affert calamitatem*: cap. 9 *Haec dum noſtri colligunt omnia diligentius, rex ipſe e manibus effugit*: in *diligentius* et *effugit* ineſt, puto, gravitas. Nat. Deor. I, 20 in. *Hunc deum rite beatum dixerimus, veſtrum vero laborioſiſſimum*: et ibid. in fine: *quamquam non tam dicendi ratio mihi habenda fuit quam audiendi.*

audiendi. In vocabulo *audiendi*, ut in *laborioſiſſimum*, eſt gravitas; ineſt enim oppoſitio. Ad Div. V, ep. 12 §. 18 *expletur animus jucundiſſima lectionis voluptate.* In *voluptate* eſt gravitas: et haec videtur eſſe cauſa, cur illa vocabula ultimum locum occupent, non longitudo. Saepe enim clauſit Cicero ſententiam brevi vocabulo, cum haberet tamen longius, quia illud gravius, v. c. in epiſt. laudata §. 2 *nomen ut noſtrum ſcriptis illuſtretur et celebretur tuis;* et ſtatim: *tamen ignoſcas velim huic feſtinationi meae;* cur non ordine paululum mutato dixit: *ſcriptis tuis illuſtretur et celebretur*, et *tamen huic feſtinationi meae velim ignoſcas?* Hinc in illo Manutii, quod Heinecc. fund. ſtili p. 61 affert: *ſolent eſſe, quae minus exſpectantur, laetiora*, puto hoc *laetiora* non niſi ob gravitatem ultimo loco poſitum eſſe. — Ceterum, ſi in clauſula illa non niſi longitudo vocabuli ſpectatur, hoc magis ad dicendum quam ad ſcribendum pertinet, ut in capite de *numero* p. 274 ſ. monuimus, ac per ſe patet.

SECT. XXV

4) *De connexione vocabulorum.*

Quartus fons propior perſpicuitatis dicendi in verborum uſu eſt *connexio eorum apta*, quo pertinet quoque *connexio enuntiationum*, quippe quae verbis conſtant. Hac igitur ſaepe ambiguitati occurritur, ſaepe facilior intelligentia lectoris et auditoris adjuvatur. Fit ea variis modis; v. c. duo vocabula ſecum arctius conjuncta per duplex *et*, vel, ſi ſunt oppoſitae ſignificationis, per duplex *aut*, ac, ſi amborum ideae tolluntur, per duplex *neque* junguntur: eodem modo duae enuntiationes per duplex *et*, *aut*, *neque* junguntur, ubi vernacula uno contenta foret. Pertinet huc in primis pronomen *qui quae quod;* cujus ope ab initio enuntiationis vel ſententiae abſolutae poſiti valde adjuvatur connexio. V. c. *Frater tuus nuper ad me venit. Qui cum multa de te dixiſſet* etc. Sic melius h. e. magis perſpicue iſtae duae enuntiationes junguntur, quam ſi dicas: *Cum multa* etc. Nam ſic ſtatim videmus, de

quonam ſequens enuntiatio locutura ſit. Sed de hac re ſatis multa diximus in peculiari capite de *modis connectendi vocabula*, *enuntiationes* etc. P. I, c. 7 S. 1 — 3; quae repetere hic taedio foret. Interdum tamen connexio debet interrumpi, h. e. nulla connexio idearum eſſe debet. Fit hoc in declaranda vehementi animi permotione, v. c. magna ira, dolore etc. Pertinet hoc utique quodam modo ad perſpicuitatem: nam tali modo perſpicit auditor et maxime lector, animum dicentis et ſcribentis eſſe commotum, atque hinc magis intelligit rei gravitatem. Pertinet huc apoſiopeſis, h. e. quando de induſtria ſermonem non continuamus, ut lector auditorque ſuſpicari tantum cogatur, quid dicturi fuiſſemus. Quia tamen haec res ad gravitatem dicendi quoque pertinet eoque vulgo refertur, non plura de ea hic dicemus.

Haec de perſpicuitate dicendi: quae claudemus hac admonitione, ut, ſi quid ſcribamus, id ante accurate conſideremus, perſpiciamus, et ad ſingulas ideas, ſingula vocabula et enuntiationes, ſedulo attendamus ac videamus, an in vocabulis vel in eorum et enuntiationum conjunctione aliquid duri, inuſitati, ambigui, obſcuri ſit: ac, ſi quid tale reperimus, ſtatim corrigamus: ut deinde, quidquid ſcripſimus, poſt intervalla temporum iterum ac ſaepius perlegamus, ac denuo inveſtigemus, an aliquid obſcuri vel ambigui inſit vel ineſſe poſſit. Nam, quod initio videbatur nobis facile et planum, id poſt aliquod tempus videtur difficile, ambiguum et obſcurum. Tandem cogitare debemus, quo magis perſpicue quidque explicare poſſimus, eo melius nos ſcribere.



CAP.

CAP. II
De Gravitate dicendi.

SECT. I
Quid ſit gravitas dicendi.

G*raviter dicere*, *nachdrücklich reden*, eſt ita *dicere*, *ut auditoris animus moveatur* (*gerührt und in Affect geſetzt wird*), atque ita ad laetitiam, amorem, admirationem, ſpem, ad triſtitiam, miſericordiam, odium et indignationem, contemtum rei, timorem etc. incitetur et inflammetur. Gravitas igitur orationis quam neceſſaria ſit, per ſe patet, quia, niſi orator moverit auditorem, eum ad aliquid agendum, imitandum, fugiendum non poteſt incitare. Quod idem de ſcriptore dici poſſe per ſe patet, quia is ſaepe movere debet lectores. Iam nulla re moventur homines, niſi primum ea ſit gravis ſeu in utramque partem magna h. e. vel valde pulchra vel valde turpis, it. vel valde utilis vel valde noxia etc.; deinde iſta rei gravitas verborum ope declaretur. Nam, licet ſint in plebecula, qui nihil non admirentur, etiam leviſſima quaeque, et ubique ſtupeant, et qui ſubinde vel ſola voce robuſtiori ac vocabulo quodam ſonantiori moveantur vel potius moveri videantur; et alii contra, pauciores tamen (ſi quidem tales vere adhuc reperiuntur), qui *nihil admirari magnum eſſe* cum Horatio ſtatuant: tamen neque illos neque hos hic curamus: utrisque enim eloquentia Ciceroniana non convenit. *Gravitas* igitur *dicendi* verſatur non niſi in *rebus gravibus*, ut poſſis eam ita definire, ut ſit *virtus orationis ea*, *quae res graves ita tractat*, *ut graves eſſe vere appareat* ſ. brevius, ut ſit *perſpicuitas rerum gravium:* ut adeo gravitas a perſpicuitate tantum *objecto* differat, vel etiam hactenus, ut ſit altior gradus perſpicuitatis; vel etiam ſic, ut perſpicuitas ad *mentem*, gravitas ad *animum* pertineat: illa doceat, rem eſſe

certam, haec, rem esse gravem: hinc potuissemus forsan gravitatem ac simul sublimitatem orationis, quae est non nisi summus gradus gravitatis, in capite de perspicuitate tradere. Sine perspicuitate enim nulla est gravitas. Possis etiam *gravitatem dicendi*, si velis, latius ita definire, ut sit *virtus eloquentiae ea, qua efficitur, ut non modo mens auditoris et lectoris cum persuasione videat, rem esse veram et certam, sed etiam animus ejus simul moveatur.*

Hinc vero 1) sequitur, omnem gravitatem dicendi inesse proprie non tam in verbis quam in ideis: nam *res* s. *ideae* sunt graves, non verba: hinc, si subtiliter quaeris, ne recte quidem satis dicitur *graviter dicere*, *gravitas dicendi* (it. *sublimitas orationis*), quia hoc dictum videtur, quasi verba animum moveant, cum tantum ideae moveant, et verba tantum declarent, *res* s. *ideas* esse graves. Quemadmodum enim, si quis verbis declarat, *rem esse utilem*, *turpem*, *periculosam*, non hoc dicimus *dicere utiliter*, *turpiter*, *periculose*: sic *declarare aliquid grave* (*wichtig*, *groß in seiner Art*) *esse*, an dici queat *graviter dicere*, quaeri adhuc possit. At, quia usus invaluit, toleremus hanc locutionem, modo gravitatem dicendi ubique de re, nunquam de verbis per se, intelligamus. — Hinc patet, verba simpliciter ac per se gravia non esse, sed tantum in contextu et in relatione ad auditores. Sic quaeritur, an singulare genus dicendi possit vocari *grave* (ut *tenue*, *mediocre*). Et hic usus vel abusus dicendi fecit, ut multi, in primis adolescentes, quia gravitatem dicendi laudari audiverint ac graviter dicendo ipsi delectentur (quod oritur maxime e lectione poetarum praematura, praesertim cum hodie de legendo cum sensu, *mit Empfindung*, *mit Gefühl*, saepe dicatur), gravia vocabula hinc inde excerpant ac deinde in res vulgares et minus graves transferant: quod forsan non facerent, si *gravis dicendi generis*, *gravitatis dicendi*, et *gravium verborum* nun-

quam

quam mentio fieret, ac ſi ſtatim potius diceretur, *graves res proferre*, *ostendere earum gravitatem* etc. 2) Cum *gravitas dicendi* ſit nihil aliud quam explicatio perſpicua rerum gravium, patet, de rebus tenuibus h. e. non gravibus dicere graviter (*mit Rührung*, *mit Affect*) eſſe frigide loqui. — Hinc peccant, qui ſingulis verbis cupiunt alios movere et ubique cum *ſenſu*, *mit Gefühl*, *Empfindung* ſcribere. Utuntur quidem verbis gravitatem quandam ſonantibus: at, quia res non eſt gravis, ſed tenuis h. e. ordinaria, non graviter, ſed frigide, loquuntur h. e. rem parvam magna veſte induunt et pro re magna venditant. Res enim tenuis ſemper manet tenuis, licet omni pompa verborum ornetur: ut homo parvus ſemper parvus manet, quamcunque ei veſtem circumdes, niſi quod magis deridetur, ubi detegitur.

SECT. II

De fontibus gravitatis remotioribus.

Iam quaeritur, unde oriatur iſta dicendi gravitas. — Non male forſan egero, ſi, ut de perſpicuitate feci, hic itidem fontes duplicis generis ostendero: *remotiores* et *propiores*.

Remotiores ſunt:

I) *Animus generoſus et ad honeſtatem, pudorem, omnesque virtutes valde conformatus:* ut res valde graves ac magnas ſentire poſſit. Nam, ſi ipſi eas non ſentimus, quomodo aliis ſentiendas curabimus? quomodo verbis apte exprimemus? a) Animus generoſus ſeu excelſus eſt is, qui ſupra captum ac ſenſum hominum ſolitum cogitat et ſentit h. e. qui ea contemnere ſcit, quae homines vulgo magni faciunt, v. c. divitias, favorem populi et honorem, odium aliorum, mortem etc. Talis erat Socrates: ex parte Demoſthenes et Cicero; v. c. hic divitias contemnere ſciebat: hinc graviſſime

contra Verrem dicere poterat. Ejusmodi hominibus de magnis rebus praeclare loqui non difficile eſt. Verba enim ſunt non niſi *echo cogitationum* et *animi.* Poſt libertatem amiſſam periit Romae quoque animus generoſus. Hodie, cum v. c. divitias, honorem cet. tanti facere, paupertatem, odium, invidiam, et mortem tantopere timere per exempla et conſuetudinem hominum aliasque res diſcamus, valde difficile eſt noſtris hominibus graviter (it. ſublimiter) dicere. Deeſt enim valde animus generoſus, fons gravitatis et ſublimitatis. Hinc gravitatem et ſublimitatem dicendi, quam ex ſe petere debebant, aliunde h. e. e ſcriptoribus magnis, quibus generis nobilitas, educatio et conſuetudo, generoſum animum injecit, petere, eorumque ſententias graves et generoſas ediſcere etc. coguntur. Hinc turba imitatorum ingens etc. b) Virtutum acre et aſſiduum ſtudium pendet ab animo generoſo et excelſo. Sed hoc ſtudium debet eſſe voluntarium, ob virtutum dulcedinem ſusceptum, verum et magnum. Qui virtutes vere et ardenter amat, is de earum pulchritudine et utilitate magna it. de vitiorum turpitudine melius et gravius loqui poteſt, quam qui virtutem et vitium e libris tantum cognovit. Hic ſemper frigide loquetur: hinc talis non debebat poteſtate uti de virtute dicendi.

II) *Ingenium praeclarum*, de quo ſupra c. 2 ſect. 3 p. 510 ſſ. late dixi, in primis *phantaſia praeclara*, quae efficit, ut in re gravi cogitanda ſimul ejus cauſae, effectus, aliaeque ideae cum illa conjunctae facile in mentem veniant. Res enim per ſe non gravis eſt h. e. per ſe animum non movet, ſed ob ideas plures cum illa conjunctas: v. c. *mors ob patriam* per ſe, h. e. ſi non niſi hanc mortem cogitas, non movet: at, quia ſimul in mentem veniunt aliae ideae, v. c. *quam ardua et ſupra hominum conſuetudinem elata res, quam utilis ſit* etc., tum demum animum movet. Sic *egeſtas alicujus* non per ſe movet, ſed quia ſimul cogito, *eum hominem eſſe*, *eum*

non

non culpa ſua egenum factum, eum meliori ſorte dignum, eum fame forſan periturum eſſe etc. Sic *mors patris* non per ſe movet, ſed propter conjunctionem aliarum cogitationum, v. c. *me nunc ſolum eſſe, me amicum optimum, defenſorem* etc., *amiſiſſe, incertam nunc eſſe meam fortunam* etc. Quae omnia in pſychologia ostendi debent.

III) *Doctrina lata et ſolida*, quae efficit, ut non modo multa ſed etiam rem quamque accurate h. e. ex omnibus partibus intelligamus, atque ita ſciamus cauſas et effectus rei, et *quomodo, quando, quibus auxiliis, quo conſilio* etc. ea acta ſit. Nam, ſi haec neſcis, phantaſia tibi repetere non poteſt.

IIII) *Cognitio humanorum animorum*, ut ſciamus, qua parte eos aggredi debeamus. Docet hoc diuturna experientia et longus uſus hominum. Hic videmus, nulla re moveri homines niſi extraordinaria, et, quo magis illa vulgares res ſuperet, eo magis homines ea moveri. At hic ratio habenda, cum quibus nobis res ſit. Plebs vulgo difficilius movetur, quia animus ejus non per literas humaniores aliasque res factus eſt mollior h. e. quia phantaſia ejus non facile conjungit cum re audita ideas cum illa, ut ante dixi, conjungendas. Hinc accuratius cum ea agendum eſt, h. e. ſingulae rei particulae explicandae ſunt. Qui voce ſonantiori tantum plebem movere ſtudent, ii conſilio ſuo nunquam recte ſatisfacient, movent vel potius terrent quidem: at hic terror eſt repentinus, mox evaneſcens ſine fructu: velut tonitru, quod etſi homines valde terret, tamen, ubi praeteriit, nemo id amplius cogitat: homines redeunt ad chartas luſorias, quas, audito tonitru, abjecerant. Docti plerumque ſtatim moventur: et quaeritur, an coram his etiam voce ſonantiori itemque multis figuris rhetoricis et aliis ornamentis utendum ſit, et annon harum rerum uſus tantum indoctae plebis cauſa inventus ſit, cum docti, re magna perſpicue

et

et interdum breviter tantum explicata, jam moveri soleant. Sed de hac re acutiores viderint.

V) *Cognitio opinionum*, quae inter homines vulgo regnant. V. c. *divitias* fere omnes admirantur ac pro fonte felicitatis habent: hinc, si quem vident divitias posse contemnere, stupent. Si omnis homo divitias contemneret, frustra contemtum earum ut rem magnam proponeres; foret enim tum res vulgaris et ordinaria. Hinc, qui Lacedaemone de contemtu divitiarum, ut re gravi, dixisset, frustra dixisset, nec animos Spartanorum movisset, quia ei jam assueti erant. Sic res alibi gravis alibi non gravis esse potest: sic, quod Europaeorum animos movet, forsan Americanorum animos non moveret. Docet hoc vis illa auri ex America olim ablati, quod Americani aequo animo perdebant, Hispani cupide sumebant, quia hi ad felicem vitam sibi credebant opus esse auro, illi sine eo felices esse poterant. Hos Americanos plerique hodie vocant *feros*, forsan ob morum et opinionum dissimilitudinem, quia quaeque natio suos mores suasque opiniones putat esse *humaniores* quam aliarum. Sic, quia *mors* vulgo tantopere timetur, hinc ejus contemtus inter graves res refertur. Et sic in aliis. Sic, quia *libertas*, *civitas romana*, olim tantae res videbantur, earum jactura tum gravis res erat; hinc Cicero de ea graviter loqui poterat.

VI) *Linguae lata et accurata cognitio*, ut scias vocabula cogitationibus magnarum rerum respondentia et eorum conjunctionem structuramque accommodatam ad rem istam: quamquam plerumque vocabula gravia, gravis conjunctio et structura, sponte sequuntur, modo rem gravem graviter cogites.

VII) Sunt et alia quaedam: v. c. *auctoritas hominis*, *vox* in dicendo etc. Homo, qui in magna dignitate, fama, et auctoritate est, facilius movet quam alius etc. Hoc est illud vulgo sic appellatum *praejudicium auctoritatis*, quod latius serpit, quam putamus, eoque saepe

ſaepe infecti ſunt ii, qui liberos illo ſe plane eſſe putant. Nec quidquam difficilius eſt, quam eo plane ſe liberum reddere.

SECT. III

De fontibus gravitatis dicendi propioribus.

Huc pertinent ſequentia:

I) In primis demonſtrandum eſt perſpicue h. e. per ſigna et argumenta certa, *rem*, qua alios movere volumus, *eſſe magnam* et *gravem:* quod niſi fit, cetera artificia rhetorica omnia ſunt fruſtra, certe in animis prudentium. Magnitudo rei apparet

1) e *fontibus* ſ. *cauſis* ejus *magnis*. Quo majores ſunt cauſae, eo major eſſe ſolet res effecta. V. c. virtus omnis eſt res magna, quia ad eam conſequendam cupiditatibus, quas tantopere homo amat, valde reſiſtendum eſt etc. *Venia inimico data* eſt res magna; quia cupiditas ſui ulciſcendi tam potens compeſci debet. Sic *doctrina*, ob intentionem mentis magnam et longinquam etc. Sic *contemtus divitiarum*, *honoris* etc., eſt res magna, quia ſapientia requiritur h. e. ſcientia pretii rerum humanarum vere aeſtimandi etc. Sic omnes res, ſi multum ingenii, laboris etc., poſtulant, inter magnas graveſque referendae.

2) ex *effectis* ejus *magnis*. Hoc argumentum in primis eſt certum et ſimul populare. Nam ex effectis metimur vulgo rei magnitudinem vel exilitatem: et, quo ampliora, majora, et diuturniora effecta ſunt, eo major eſt res. V. c. qui de tota civitate vel tota terra meritus eſt, ejus meritum eſt majus quam ejus, qui de uno cive: hinc *pax* eſt major quam *victoria*. Hinc *Marius* caedendis *Cimbris* ac *Teutonis*, *Cicero* opprimendo *Catilina*, majores res geſſere, quam *Pompejus* ſuperando *Mithridate*. Sic, qui menti hominum bene fecit,

is

is majus quid egit, quam qui corpori etc. Sic de omnibus rebus valde bonis judicatur, quas proprie magnas appellamus. Eodem modo de rebus valde malis, quas vulgo *graves*, non *magnas*, appellamus, ſed quas hic, brevitatis ſtudio, etiam inter *magnas* refero (hinc ſupra dixi *res in utramque partem magnas*), judicari ſolet, ut, quo plura et majora ſ. graviora et diuturniora ſint earum effecta, eo graviores ipſae ſint. V. c. Cic. Act. I in Verr. 4 extr. *quam* (Siciliam) *iſte* (Verres) *per triennium ita vexavit ac perdidit, ut ea reſtitui in antiquum ſtatum nullo modo poſſit, vix autem per multos annos innocentesque praetores aliqua ex parte recreari aliquando poſſe videatur.* Quid gravius dici potuit? quis non Verris avaritiam pro magna ſ. gravi habeat? quis non ea moveatur?

3) ex *modo*, quo res agitur. Major, gravior, et admirabilior eſt res, quae, licet cum ſumma difficultate conjuncta eſſet, tamen feliciter peracta eſt, quam quae cum nulla vel exigua. Hinc *Hannibalis transitus Alpium* eſt res magna: legatur hic Livius. It. *Ciceronis oppreſſio Catilinariorum* etc. It. res magna, ſi nullo cum damno aliorum peragitur, major et gravior eſt, quam ſi cum calamitate, caede aliorum, fit. It. beneficium, ſi clam tribuitur alicui, majus cenſetur, quam ſi palam et cum magna pompa: it., ſi libenter tribuitur, eſt gravius, quam ſi ab invito proficiſcitur etc.: it., ſi cum ſpecie honoris datur, eſt gravius, quam ſi nomine praemii vel mercedis tribuitur etc. Sic et in rebus malis: *adimere per vim* eſt gravius, quam clam, v. c. Cic. Verr. IIII, 25 *civi romano annulus de digito detractus, eſt:* quod gravius dictum quam *ablatus, ademtus eſt:* nam *detrahere* indicat *vim:* additur *de digito:* quod gravitatem rei auget.

4) e *conſilio magno*, quo res agitur. Qui rempublicam liberat ab oppreſſoribus non ſua utilitate ſed tantum publica adductus, ejus factum eſt majus, quam qui civita-

civitatem propterea liberavit, ut deinde ei imperaret. Omninoque, qui reipublicae singulisque hominibus officia praestat, non praemiorum spe adductus, sed solo studio recte eque republica agendi, ejus factum est majus quam facta aliorum. Sic Anglus ille *Pitt*, Comes de Chattam, laudatur et pro magno viro habetur, quia in omnibus rebus non suam sed reipublicae utilitatem spectavit. *Caesar* magnas res gessit: quae majores essent, si eas reipublicae commodo solo incitatus gessisset.

5) ex *instrumento*, quo in re peragenda utimur, s. *rebus, quarum auxilio aliquid fit.* V. c. major est victoria ejus, qui exigua manu militum magnas hostium copias fudit. Talis est victoria Atheniensium Miltiade et Themistocle ducibus a Persis reportata: tales sunt multae victoriae Romanorum. Sic *magna doctrina* hominis, qui ob egestatem paucis vel nullis libris et magistris uti potuit, est major, quam *magna doctrina ejus*, qui divitiis paternis adjutus, quoscunque libros vellet, emendi et optimis doctissimisque magistris utendi facultatem habuit. Hunc enim valde doctum factum esse non tam mirabile, quam illum, qui adjumentis orbatus erat ac simul cogebatur multum temporis institutioni puerorum tribuere.

6) ex *temporis celeritate* et *opportunitate:* a) *celeritate:* res per se magna, si celeriter fit, est major, quam res per se magna, quae cum quadam tarditate peragitur. V. c. beneficia celeriter tributa plus valent quam sero data: hinc *bis dat, qui cito dat.* Sic expeditiones magnae majores fiunt, si cum celeritate conjunctae sunt. — Hinc Cicero laudat Caesaris res gestas, magnasque esse docet, inter alias causas etiam ob *celeritatem* Marcell. 2. Ait: — *nec celeritate conficiendi — nec vero disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis non dicam cursibus sed victoriis lustratae sunt.* — Sic de Pompejo Manil. 12 extr.

Ita

Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longe lateque disperſum, quo bello omnes gentes premebantur, Cn. Pompejus extrema hyeme apparavit, ineunte vere ſuscepit, media aeſtate confecit. En celeritatem! b) *opportunitate:* v. c. beneficium magnum, quod alicui tribuitur tum, cum illi maxime eo opus erat, majus fit, quam ſi alio tempore datur. Victoria magna, quae eo ipſo tempore ab hoſtibus reportatur, quo ab alio eorum exercitu urbs quaedam noſtrae terrae obſidetur vel oppugnatur, et quae hanc urbem illa vel obſidione vel oppugnatione liberat, major fit, quam ſi alio tempore accidiſſet. Sic Cicero, etſi in Agr. II, in. valde laetatur, quod conſul factus ſit homo novus, tamen hunc honorem pro majori re propterea ibi habet, quod is ſibi contigerit *anno ſuo* et *cum primum petierit.*

7) e *loci ratione* interdum: v. c. auxilium magnum, e longinquo oblatum, eſt res gravior quam e propinquo: facilius eſt enim adeſſe iis et eorum meminiſſe, qui nobis prope ſunt, quam eorum, qui procul habitant. Sic contra periculum eſt gravius, ſi in propinquo loco verſatur: v. c. Catilinaria conjuratio fiebat Romae etc.: hinc ejus periculum erat graviſſimum: hinc ejus oppreſſio eo glorioſior. It. res bellica, quae in loco non opportuno et tamen bene geſta eſt, pro majori habetur, quam eadem foret, ſi in loco opportuno geſta eſſet.

8) e *perſonarum conditione, dignitate, relatione erga nos* etc., v. c. *beneficium magnum* acceptum a *rege* majus putatur, quam ab alio acceptum. Sic donum profectum ab homine ſapiente meritisve claro eſt pluris aeſtimandum, quam quod dedit alius. Sic laus *ſapientis* eſt major quam ſtulti. Sic, ſi pauper aliquem ſumma egeſtate preſſum adjuvat ſumma aliqua pecuniae, hoc donum eſt res major, quam ſi eadem ſumma a ditiore data eſſet. Item, quando inimici nobis opem ferunt, nos laudant, nobis gratulantur, idque vere et ex animo faciunt,

faciunt, major eſt iſta res et admirabilior, quam ſi ab aliis profecta eſſet. Sic amor magnus magnorum virorum eſt res major quam amor magnus aliorum. Sic quoque odium patris, regis, ſapientum etc. erga aliquem eſt res gravior quam odium aliorum. Sic peccata interdum in alio homine graviora habentur quam in alio: v. c. gravius peccat ſenex vel homo ampliſſimo munere fungens, ſi ebrietati etc. deditus eſt, quam adoleſcens vel homo ſortis humilis. Sic gravius peccavit Verres in eo, quod praetor Siciliae luxuriae deditus erat, quod *ſtetit ſoleatus praetor populi romani cum pallio purpureo tunicaque talari muliercula nixus in litore*, Cic. Verr. V, 33, quia, ſi hoc habitu uti neminem Romanorum decuit, multo minus propraetorem; it. quod *cum pulla veſte in officina majorem partem diei ſolebat ſedere*, Cic. Verr. IIII, 24: *tunica* enim *pulla indutum eſſe* eſt plebis, non ſenatoris, multo minus propraetoris etc. Sic Catilina, reipublicae romanae periculum ſtruens, graviorem rem ſuscepit, quia civis romanus erat, quam Mithridates.

9) e *comparatione* rei cum alia re magna aut pro magna ſaltem vulgo habita. Comparatio, ut ſupra c. 1 Sect. 17 p. 550 ſſ. dictum, rei magnitudinem vel gravitatem, atque ita omnem magnam pulchritudinem, turpitudinem, utilitatem etc. praebet demum auditori vel lectori vere conſpiciendam. Nec enim de magnitudine judicare poſſumus niſi menſura quadam, h. e. comparatione. Per ſe autem intelligitur, rem, cum qua aliam rem comparamus, debere eſſe notae magnitudinis. In omni comparatione rite inſtituta ineſt ſimul argumentum aliquod, quia a pari ad par, a minori ad minus etc., concludere licet.

Comparamus igitur

a) *pares res cum paribus*: ubi ſic concludimus, res pares debere eſſe eadem dignitate, laude, honore vel contemtu etc. V. c. ſi factum aliquod pro valde pulchro vel

pro valde turpi habetur, ſequitur, aliud factum, quod ei par eſſe demonſtratum eſt vel demonſtrari debet, aeque magnum et pulchrum vel aeque turpe eſſe debere. V. c. *victoria*, *beneficium*, *conjuratio* etc.

b) *majores res cum minoribus:* ubi ſic concludimus: ſi minori rei tantum laudis vel vituperationis, poenae etc. tributum eſt vel convenit, quanto plus majori: vel, ſi res, quae facilior eſt vel minores ingenii vires, minorem laborem, poſtulat, aut cujus effecta ſunt leviora, pro magna re habetur, quanto major ea eſſe debet, cujus fontes, cujus effecta ſunt majora. Sic Cicero comparat *victoriam ſui* ſeu clementiam erga adverſarium cum victoria ab hoſtibus reportata in Orat. pro Marcello, et veniam Marcello conceſſam longe majorem rem eſſe declarat quam Caeſaris res geſtas, licet magnae quoque ſint. Hoc genus comparandi in primis gravitati prodeſt. Debet hic primum ea res, cui aliam praeponere deinde volumus, proponi ut magna; ac deinde doceri, aliam tamen eſſe majorem. — Sic Cicero egit Marcell. 2, ibi primum valde tollit res Caeſaris geſtas, in eamque rem eas cum aliorum rebus geſtis comparans docet has viles eſſe prae rebus Caeſaris: deinde ſenſim incipit docere, veniam Marcello datam eſſe tamen illis longe majorem: id quod argumentis, ut decet, confirmat. Sic et in rebus malis ac turpibus. V. c. ſi *cupiditas paucis nocendi* eſt res valde turpis, quanto turpior et gravior eſt res, *toti civitati* vel *multis hominibus nocere velle* etc.: ſi *homicidium* eſt res gravis, multo gravior res ſit *parricidium* neceſſe eſt.

c) *rem cum re illi contraria* interdum quoque comparare licet, ut illius ratio, ac ſimul ejus magna pulchritudo, utilitas, turpitudo etc. magis eluceſcat: res enim eo pulchrior videtur, quo turpior res illi contraria eſt, et eo turpior fit, quo pulchior eſt res contraria. Sic fortitudo militum cum ignavia, prudentia cum ſtultitia, aliaeque virtutes cum vitiis oppoſitis comparantur, et contra. V. c. *Avaritia nihil eſt turpius, nihil homine indignius. Conſideremus contra liberalitatem: et videamus, quam homine digna ſit et quam generoſum hominis animum indicet* etc. *Quam excelſus eſt animus hominis liberalis, tam humilis eſt animus avari ac non niſi ſuae utilitatis pecuniaeque ſtudioſi* etc.

Eodem quoque modo *perſonae* inter ſe comparari poſſunt: quamquam in earum comparatione etiam res proprie comparantur, ut *virtutes*, *vitia*, *facta*. Comparantur

a) *per-*

a) *personae pares*: ubi itidem concludimus, homines sibi pares virtutibus vel vitiis etiam honore, dignitate, laude, praemiis, contemtu etc. pares esse debere: ut adeo, si alter pro magno habeatur vel pro valde turpi, alter pro eodem habendus sit. Sic Cicero *Archiam* poetam in Orat. pro eo habita c. 6 comparat cum *Homero* et c. 9 cum *Ennio*, ut doceat, cum Homerum multae civitates suum civem esse vellent, et Ennio civitas romana donata esset, Archiam eodem modo dignum esse, qui civis romanus sit. Sic comparat Cicero Catil. III, 1 *se* cum *Romulo* hactenus, quod hic Romam condiderit, ipse Romam servarit, ac docet, sibi non minorem honorem deberi: quamquam, qui verba illius accurate legit, videt, Ciceronem tecte indicare, se Romulo praeferendum esse.

b) *personae majores cum minoribus*, gravius vel vituperandi vel laudandi causa. In *laudando* ita concludimus: *si is, qui magnam rem egit, pro magno habitus est vel habetur, sequitur, ut, qui majorem rem egerit, pro majori viro habendus videatur:* v. c. qui victoriam ab hostibus reportat, est vir magnus; quanto major, qui pacem nobis donat? Sic, si minus doctus magno honore fruitur, sequitur, doctiorem majori frui debere: si opifex assidue artem suam colens laudatur, quanto magis eruditus, literis assidue navans operam? In *vituperando* ita concludimus: si is, qui levius peccatum commisit, pro turpi poenaque digno homine habetur vel habitus est, quanto magis is, qui graviora commisit? — Sic Cic. Rosc. Am. 39 *In minimis rebus qui mandatum neglexerit, turpissimo judicio condemnetur necesse est: in re tanta, cum is — mortuum ignominia affecerit, is inter honestos homines atque adeo inter viros numerabitur? In minimis privatisque rebus etiam negligentia mandati in crimen judiciumque revocatur* (ut Graev. legit), — *in re tanta, quae publice gesta sit, — qua is tandem poena afficietur?* Recte ibi Cicero colligit, si *negligens* mandatum levius ac privatum tamen poena dignus sit, eum, qui publicum mandatum idque majus negligat, et non tantum negligat, sed malitiose et cum perfidia agat, graviori poena afficiendum esse. — Major fit gravitas, si homo cum omnibus hominibus comparatur iisque praefertur; v. c. quando dicimus: *praestitit id, quod nemo mortalium praestare potuit* etc. vel in vituperando: *omnes superavit flagitiis* etc. Sic Cicero in Maniliana docet, Pompejum praeferendum esse omnibus ceteris imperatoribus; ait cap. 10

Nunc vero cum ſit unus Cn. Pompejus, qui non modo eorum hominum, qui nunc ſunt, gloriam ſed etiam antiquitatis memoriam virtute ſuperarit etc., id quod deinde confirmat: *qui ſaepius cum hoſte conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit: plura bella geſſit, quam ceteri legerunt, plures provincias confecit, quam alii concupiverunt* etc., quae tamen valde hyperbolice dicta ſunt. — In malam partem de Verre, v. c. Verr. I, 8 *Quis eſt, qui hoc non ex priore actione abstulerit (mit nach Hauſe genommen* i. e. *didicerit), omnium ante damnatorum ſcelera, furta, flagitia, ſi in unum locum conferantur, vix cum hujus parva parte aequari conferrique poſſe?* Quid gravius dici poterat? Quamquam hic non tam homo cum hominibus omnibus quam facta unius cum omnium factis h. e. flagitiis comparantur: ſed gravitate rerum nititur hominis vel ſumma turpitudo vel ſumma laus.

c) *perſonae contrariae* etiam interdum inter ſe comparantur, ut v. c. excellentia vel virtus unius ex alterius ſumma turpitudine et vitio magis appareat et major videatur, ac contra. Sic Cicero ad *Verrem* deprimendum et acrius vituperandum compararat eum cum *Africano* Verr. IIII, 35, qui Segeſtanis deos patrios ex hoſtium urbe recuperatos reportaverat, cum Verres, praetor Siciliae, eos abſtulerit: cum *Piſone*, diligentiſſimo homine, Verr. IIII, 25, qui, cum annulum ſibi aureum faciendum curaret, hoc palam in foro fieri juſſit, aurumque artifici appendit, ut quisque ſciret, unde Piſo praetor Siciliae annulum ſibi faceret; ex quo patet, eum nihil auri eripuiſſe Siculis: quod ſecus erat in Verre, homine avariſſimo: cum *Marcello* Verr. IIII, 54 et 55, qui, licet imperator eſſet atque ita jure belli multa eripere ornamenta poſſet, tamen non modo aedificiis privatis, publicis et ſacris, pepercit, ſed etiam nullum deum violavit, nullum attigit (cap. 54), cum Verres praetor Siciliae in otio ac pace iſtos deos auferre non dubitaverit. — Gravius eſt, quando homo cum beſtiis comparatur: v. c. *parricida* ap. Cic. Roſc. Am. 22 extr. *Portentum atque monſtrum certiſſimum eſt, eſſe aliquem humana ſpecie et figura, qui tantum immanitate beſtias vicerit, ut, propter* (i. e. per) *quos hanc ſuaviſſimam lucem adſpexerit, eos indigniſſime luce privarit: cum etiam feras inter ſeſe partus atque educatio et natura ipſa conciliet.* Locus multas ob cauſas egregius! Add. quae de *comparatione* ſupra jam dicta ſunt cap. 1 ſect. 17 p. 550 ſſ.

Sunt

Sunt praeterea alia adjumenta, quae vel ad rei magnitudinem gravitatemque illustrandam aut certiorem reddendam pertinent vel auditores lectoresque attentiores reddunt efficiuntque, ut hi rei vim et gravitatem magis sentiant, atque ita gravitatem dicendi variis modis augent. Huc pertinent

II) *Circumscriptio* magnae ideae per definitionem vel descriptionem. Definitio et descriptio nihil aliud est quam dissolutio rei in sua attributa, late sumta, vel omnia vel pauca. Hinc egregie adjuvat perspicuitatem rei, atque ita gravitatem. Sic enim accuratius perspicimus ea, quibus constet illa magnitudo et gravitas ideae. Dixi de periphrasi jam supra cap. 1 sect. 15 p. 547 s. et P. I, c. 9 sect. 2 n. VIIII. In primis vero gravitati rei serviunt eae circumscriptiones, in quibus argumentum inclusum est: argumenta enim tecta magis saepe movent quam aperta, quia illarum vis est lenior et suavior. Cicero exemplis abundat.

V. c. Rosc. Am. 22 extr., ubi pro verbis: *monstrum est, hominem posse suos parentes occidere* ita loquitur: *portentum atque monstrum certissimum est, esse aliquem humana specie atque figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, ut, propter quos hanc suavissimam lucem adspexerit, eos indignissime luce privarit;* ubi notes; *esse aliquem humana specie atque figura* pro *esse aliquem hominem*: deinde *propter quos hanc suavissimam lucem adspexerit* pro *parentes;* hic inest argumentum, cur non occidere debeat, et cur monstrum sit illos occidere; hinc tandem addit: *eos indignissime luce privare* pro *occidere*. Egregie vocabulum *lucis* repetit: nam *eos, per quos lucem adspeximus, hac luce privare*, quam indignum! Quis inde non magnitudinem parricidii perspicit et sentit? — Agr. II, 12 de decemviris, quos Rullus constitui volebat, ita loquitur: *Videte nunc, eos, qui a vobis nihil potestatis acceperint, quanto majoribus ornamentis afficiat, quam omnes nos affecti sumus, quibus vos amplissimas potestates* (i. e. magistratus) *dedistis*. Per *eos, qui a vobis nihil potestatis acceperint* intelligit illos *decemviros;* in illa circumscriptione latet argumentum, cur non deceat illos tantis ornamentis ornari, quia scil. a populo nil potestatis h. e. nullum magistratum acceperint: hinc magni-

tudo peccati Rulliani magis apparet. — Fontej. 14 *Videte igitur, utrum ſit aequius hominem honeſtiſſimum, virum fortiſſimum, civem optimum, dedi inimiciſſimis atque immaniſſimis nationibus, quam reddi amicis.* Per *hominem honeſtiſſimum, virum fortiſſimum, civem optimum* intelligit *Fontejum*: ſed in hac circumſcriptione ineſt argumentum, cur non hunc virum deceat *condemnari ob homines inimiciſſimos et immaniſſimos*: hoc enim indicatur per *dedi inimiciſſimis* etc., quae verba etiam ſunt circumſcriptio. — Graviſſime ſenatores et omnes cives romanos circumſcribit per *principes orbis terrarum gentiumque omnium*, injecta ſimul ſimilitudine gladiatorum Philipp. III, 14 *Quod ſi jam (quod dii omen avertant!) fatum extremum reipublicae venit, quod gladiatores nobiles faciunt, ut honeſte decumbant, faciamus nos, principes orbis terrarum gentiumque omnium, ut cum dignitate potius cadamus, quam cum ignominia ſerviamus.* In circumſcriptione latet argumentum indignitatis majoris. *Principes orbis terrarum* coguntur imitari gladiatores in decumbendo? — Sic in illo: *avarus optat, quod habet*, ineſt circumſcriptio, quamquam brevior: dictum enim eſt pro *optat divitias*; at in circumſcriptione latet cauſa majoris indignitatis vel potius amentiae: quis enim, quod habet, id optat?

III) *Partitio* ſ. *disſolutio totius in ſuas partes, generis in ſpecies.* Dictum de ea eſt ſupra cap. 1 ſect. 16 p. 548 ſſ. et P. I, c. 9 ſect. 2 n. X. Nihil enim magis ad perſpicuitatem pertinet, nihil vero etiam magis ad gravitatem. *Res* per *Genus* et per *Totum* declarata nondum ſatis eſt manifeſta, ut adeo gravitas rei nondum ſatis apparere poſſit, niſi rem accuratius h. e. ejus partes, ſpecies, ac, ſi fieri poteſt, particulas et individua ante oculos ponas.

V. c. gravius dicitur *amiſi parentes, domum, honores ac dignitatem* quam *amiſi omnia*: — ſic *laudant eum omnes* non graviter dictum eſt: quinam enim ſunt iſti omnes? Gravius dicitur: *laudant eum* et *indocti* et *docti, laudant* et *cives* et *externae nationes, laudant* et *principes civitatis* et *inferiores* etc. — Sic Cicero laudare cupiens clementiam Caeſaris et veniam Marcello datam et oſtendere, eam majorem eſſe illius rebus geſtis, ait Marcell. 2 *Nihil ſibi ex iſta laude centurio, nihil praefectus, nihil cohors, nihil turma decerpit:* pro *Nihil ſibi*

ſibi ex iſta laude exercitus decerpit ſ. *tribuit.* Nonne illud multo gravius? — Ibid. c. 3 dicere poterat: *domuiſti magnas copias barbarorum;* ſed ait: *domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes.* Sic Caeſaris virtus major apparet. — Cicero laudare cupiens artes humaniores et docere, eas eſſe omnium aetatum et locorum, maluit hoc late ita exprimere: *Haec ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium ac ſolatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, ruſticantur.* Nonne ita utilitas iſtorum ſtudiorum magis apparet, quam ſi dixiſſet: *ubique et ſemper proſunt?* vid. plura exempla cap. 1 ſect. 16 p. 548 ſſ. et P. I, c. 9 ſect. 2 n. X.

IIII) *Pictura rei* ſ. *deſcriptio rei vivida*, quae efficit, ut rem ipſam videre eique intereſſe videamur. Efficitur illa afferendis quibusdam rebus cum illa re conjunctis et in ſenſus cadentibus. Rhetores eas, ſi longiores ſunt, vocant *diatypoſes*, ſin breviores, *hypotypoſes:* ſed haec diviſio nullius eſt utilitatis: quisque enim ſponte videre debet, utrum deſcriptio illa longior an brevior fieri debeat. Nimis longae non eſſe debent, ne tandem taedio fiant et vim ſuam amittant. Iudicio quoque ac delectu rerum, quibus ad rem depingendam utimur, opus eſt; h. e. debemus tantum eas particulas ſ. circumſtantias afferre, quae rei gravitatem afferant, non leviſſima quaeque in mentem venientia memorare: quod puerile eſt. — Peccant in hoc nonnulli hodie, qui ubique pingere rem quam explicare et confirmare argumentis malunt, quia vident hoc placere lectoribus multis, qui non tam curant, ut ſibi de rei veritate perſuadeatur, quam ut eam *ſentiant* ſ. ea *moveantur:* cum tamen non ante poſſimus re moveri, quam de ea nobis perſuaſum ſit. Nec debemus rem depingere niſi gravem h. e. talem, quae, ut per ſe magna eſt, ita meretur, ut ejus magnitudo et gravitas a legente vel audiente recte atque ordine ſentiatur. — Pleni ſunt harum deſcriptionum libri hiſtoricorum.

V. c. Liv. I, 13 in. *Tum Sabinae mulieres — crinibus passis scissaque veste — ausae se inter tela volantia inferre, ex transverso impetu facto dirimere infestas acies, dirimere iras, hinc patres hinc viros orantes* etc. — In primis notabilis est descriptio pugnae inter trigeminos Horatios et Curiatios commissae, cap. 25 *Foedere icto trigemini — arma capiunt. — Consederant utrinque pro castris duo exercitus, periculi magis praesentis quam curae expertes — datur signum, infestisque armis, velut acies, — concurrunt. Ut primo statim concursu increpuere arma, micantesque fulsere gladii, horror ingens spectantes perstringit, et neutro inclinata spe torpebat vox spiritusque* etc.: nam totum caput est perlegendum. Quis vero illud legens non singula sentit, singulis rebus ita movetur, tanquam sua res agatur? — sic brevis narratio de Metio Fufetio per equos jussu regis romani dilacerato cap. 28 etc. — Item Cicero saepissime in Orationibus Verrinis, pro Milone, in Philippicis etc. v. c. Verr. I, 30 *Constituitur in foro Laodiceae spectaculum acerbum — grandis natu parens adductus ad supplicium, ex altera parte filius* etc. — Verr. V, 33 *Stetit soleatus praetor populi romani cum pallio purpureo tunicaque talari, muliercula nixus in litore*: ibid. c. 38 *in portu Syracusano de classe populi romani triumphum agere piratam, cum praetoris nequissimi inertissimique oculos praedonum remi respergerent:* ubi not. *respergerent oculos* etc. — Philipp. II, 41 *personabant omnia vocibus ebriorum; natabant pavimenta vino, madebant parietes* etc. Sed videndum, ut pudori ac modestiae consulamus, neque eas res temere proferamus, quae aures nimis offendant. Hic peccasse videtur Cicero, odio acerrimo in Antonium abreptus in ead. orat. cap. 25 *In coetu vero populi romani negotium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens, frustis esculentis, vinum redolentibus, gremium suum et totum tribunal implevit.* Graviter quidem dixit, at injucunde: a) *ructare* b) *vomens* c) *frustis esculentis* d) *vinum redolentibus* e) *implevit gremium suum* et f) *totum tribunal*: quae singulae ideae sunt injucundae, quanto magis fiunt, si conjunctae sunt? Quis ista sine nausea legere nedum audire potest?

V) *Testimonium* magnorum sapientiumque virorum de re solet ejus gravitati aliquid ponderis addere; quia homines iis, quae vir sapientiae laude clarus dixit, magnam

magnam vim vulgo tribuere ſolent. Dixi jam de *teſtimoniis* ſupra p. 534 in cap. 1 de perſpicuitate, ubi monui non ante iis utendum eſſe, quam res idoneorum argumentorum auctoritate confirmata ſit. Nam teſtimonia humana per ſe nihil aliud ſunt quam *judicia:* et in iis quis non ſaepe labatur, licet ſit ſapientiſſimus? Nec res propterea magna eſt, quia homines pro magna habent; ſed magnitudo rei debet eſſe in ipſius rei natura. — Excipiuntur tamen, ut ſupra ibid. p. 534 ſ. monui, praeter *teſtimonia* ſ. *judicia librorum ſacrorum*, quae pro firmiſſimis argumentis habenda ſunt, *teſtimonia humana* in facto aliquo narrando: hic teſtimonia, ſi ſunt profecta ab hominibus fide dignis, ſunt optima rei argumenta. — In primis vero gravitatem rei adjuvat *teſtimonium adverſarii* ſ. *conceſſio.* Nam, ſi v. c. ipſe adverſarius concedit, aliquem valde doctum eſſe, vel rem, cui adverſatur, egregiam eſſe, multum valet iſtud teſtimonium. — Hinc, ſi quis, non Chriſtianus, Chriſtianorum ſacra ex parte laudat, huic laudi multum tribuitur. Sic contra, ſi quis de ſe vel amico, quem valde amat, aliquid vitii concedit, ejus quoque teſtimonium non ſine pondere eſſe ſolet.

VI) *Sententia acuta* et *gravis.* Sententia eſt enuntiatio e vita ſumta, eaque univerſa h. e. per quam aliquid in genere affirmatur vel negatur, laudatur vel vituperatur etc. *Acuta* eſt, ſi non ſine ingenio inventa neque adeo vulgaris eſt: *gravis,* ſi argumentum rei, de qua ſermo eſt, continet. Hinc ejus vis ad animos movendos patet: argumenta enim tecta quantam vim afferant, nemo neſcit. V. c. Quando de Socrate dixi, *eum non fuiſſe appetentem divitiarum:* et addo: *ſapientia* (*temperantia*) *enim paucis contenta eſt:* vel *ſapiens* (*temperans*) *enim paucis contentus eſt.* Ineſt quaedam brevitas pro: *Socrates non appetens fuit divitiarum: fuit enim temperans* (*ſapiens*): *ſapientia* (*temperantia*) *vero eſt paucis contenta.* Quis non videt mediam enun-

tiationem: *fuit temperans*, omiſſam eſſe? — ſic saepiſſime Cicero ad rem confirmandam utitur *ſententia aliqua* pro argumento:

V. c. ad Div. VIIII, ep. 14 §. 8 *Nam, cum te ſemper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuiſti, tum his tuis factis ſic incenſus ſum, ut nihil unquam in amore fuerit ardentius. Nihil eſt enim, mihi crede, virtute formoſius, nihil pulchrius, nihil amabilius.* Ante verba *Nihil eſt enim* etc. omiſſum eſt: *Quis enim tuam virtutem non amet?* vel *Hoc meritus es virtute tua* etc. — Divin. in Caecil. 9, ubi Cicero vult, ut Caecilius ſuam integritatem et innocentiam ostendat: et ſtatim addit loco argumenti: *Nihil eſt enim, quod minus ferendum ſit, quam rationem ab altero vitae repoſcere eum, qui non poſſit ſuae reddere*: quod gravius dictum eſt pro: *non enim ferendus es, ſi non ipſe potes reddere tuae vitae rationem et tamen vis ab alio repetere: Nihil eſt enim, quod minus ferendum ſit* etc. — Sic Roſc. Am. 22 extr. poſtquam dixit *parricidium, rem tam ſceleſtam, atrocem, nefariam, niſi ejus multa et manifeſta ſint veſtigia, non credi poſſe*, ſtatim addit cauſam; *Magna enim eſt vis humanitatis* (*der menſchlichen Empfindung*), *multum valet communio ſanguinis, reclamitat iſtiusmodi ſuſpicionibus ipſa natura:* ubi itidem proprie ſic debebat dici: *Nam humanitatis et communionis ſanguinis et naturae hic eſt ratio habenda: Magna enim eſt vis humanitatis* etc.

De ſententiis notandum,

1) Debere *eſſe* manifeſte et ſemper *veras:* v. c. *ſine virtute nulla vera eſt felicitas.* — Admittuntur tamen quoque *veriſimiles* vel plerumque tantum verae; v. c. *obſequium amicos, veritas odium parit;* quo pertinent innumera proverbia; it. *hyperbolicae:* v. c. *nihil miſerius ſtultitia: nihil praeclarius eruditione* etc.; quo itidem pertinent proverbia multa.

2) Debent *non nimis longae eſſe.* Quo breviores, eo graviores.

3) Debent *non nimis crebrae eſſe.* Quia omnis ſententia ſpeciem praecepti habet et auditores lectoresque docere videtur, hi offenduntur tandem; et omnino, qui ſententias nimis frequentat, videtur magiſtrum auditorum et lectorum agere velle. Qui tamen crebrioribus uti cupit, ac profecto nil gravius eſt quam acuta ſapientiaeque plena ſen-

ſententia, is poteſt, ad vitandam iſtam injucunditatem, hanc rationem ſequi, ut ſententias non ſemper ſuo nomine ſed etiam aliorum proferat: v. c. *Socrates non fuit appetens divitiarum, quia ſciebat, temperantiam* (ſapientiam) *eſſe paucis contentam.* Et ſic ſaepius poteſt is homo, quem laudamus, induci recitans ſententiam. Interdum etiam addi poteſt: *Nemo neſcit, omnibus notum eſt:* ſic orator non ſuo ſed omnium nomine recitat iſtam ſententiam. In primis orator communicare poteſt ſententiam cum auditoribus, v. c. *Noſtis* ſ. *quis veſtrum ignorat, temperantiam eſſe paucis contentam.* — Hoc genere variationis ſaepius taedio lectorum et auditorum occurri poteſt, atque ita ſaepius ſententias adhibere licebit.

4) Debent *eſſe honeſtae:* ſed hoc per ſe patet.

VII) *Loqui aſſeveranter* et *cum certa animi perſuaſione.* Hoc magis decere graviter loquentem quam dubitanter dicere per ſe patet. Nam, ſi ipſi oratori et ſcriptori de re ejusque magnitudine perſuaſum eſſe videmus, eo certiorem rem eſſe credimus. Hinc, quo magis animus illius videtur eſſe motus, eo magis ei de re videtur eſſe perſuaſum, et eo certior haec nobis videtur.

Hanc in rem ſolent oratores atque ita ſcriptores

1) De re praeſente vel facta loqui ut *certa* et *manifeſta:* hinc ſaepe addunt *Certum eſt, quis non videt?* etc. v. c. *Virtute nihil praeclarius eſſe, quis non intelligit? Quem fugit, Hannibalem tandem victum eſſe a Scipione? Quis eſt, qui neſciat bona animi et ingenii longe praeclariora eſſe bonis corporis?* v. c. Cic. Verr. IIII, 28 in. *Nunc — attendite, de quo — populus romanus nunc non primum audiet, quod* (ſic forſan leg. pro *et*) *in exteris nationibus usque ad ultimas terras pervagatum eſt.* Et ſic millies: in primis Act. I in Verr. cap. 5 extr. — Huc pertinent illae formulae: *omnes ſciunt, ſole clarius eſt, nihil manifeſtius, nihil apertius, eſſe poteſt; nemo negat, nemo dubitat, quis eſt qui dubitet, qui dubitare vel negare audeat?* etc. — Tales formulae valent ad animos magis movendos, ſi quidem res per ſe certa vel argumentis ante confirmata eſt. Stultum enim foret ubique dicere *Certum, manifeſtum eſt, quis neſcit* etc. etiam ibi, ubi lector auditorve vel rem ignorat vel valde de ea dubitat. — Oratores

tores vero non modo de re certiſſima ſed etiam interdum de re tantum veriſimili loquuntur tanquam de certiſſima. V. c. *nihil homini tam nocet quam otium*, *vel quis neſcit*, *nihil homini tam nocere quam otium?* etc. Cicero v. c. Verr. I, 4 gravius dixit: *Non eſt*, *non eſt in hoc homine cuiquam peccandi locus* h. e. *hic homo non poteſt abſolvi*, quam ſi dixiſſet: *Non videtur locus eſſe* etc. *Vix putem locum eſſe* etc.

2) *De rei effectu vel eventu tanquam certiſſimo.* V. c. *Qui ad literas omni ſtudio incumbit*, *eruditus*, *ſapiens fiet. Haec res tam praeclara eſt*, *ut in perpetuo honore manſura ſit*: Ubi itidem iſtae formulae ſuperiores *Certum eſt*, *quis non videt?* etc., item aliae, v. c. *neceſſe eſt*, *nullo modo fieri poteſt*, *quin* etc. uſurpari poſſint. V. c. *Qui ita vivit*, *neceſſe eſt aliquando contemtui eum omnibus fore.* Cic. Verr. I, 5 *evolet ex veſtra ſeveritate: mihi credite*, *arctioribus apud populum romanum laqueis tenebitur: credet iis equitibus populus romanus*, *qui ad vos antea producti teſtes*, *ipſis inſpectantibus ab iſto civem romanum*, *qui cognitores homines honeſtos daret*, *ſublatum eſſe in crucem dixerunt. Credent omnes XXXV tribus — audietur a populo* etc.: qui locus egregius, at paulo longior. Sic in Agraria altera effectum legis Agrariae praedicit ut certum, cap. 18 ait: *Intellexiſtis*, *quot res et quantas decemviri legis permiſſu vendituri ſint* pro *vendere poſſint.* — Cicero adeo ad rem augendam dicit interdum, quid aliquis facturus fuiſſet, v. c. Phil. II, 27 loquens de Antonii immenſa luxuria: *Quamobrem deſinite mirari*, *haec tam celeriter eſſe* (ab Antonio) *conſumta. Non modo unius patrimonium*, *quamvis amplum*, *ut illud* (Pompeji) *fuit*, *ſed urbes et regna celeriter tanta nequitia devorare potuiſſet.* Graviſſime dictum: at hyperbolice.

3) *De re futura*, *ut jam praeſente.* Hoc valde auget gravitatem rei, quia ſic fere ipſam oculis cernere videmur. v. c. *Tu*, *ſi ita pergis vivere*, *miſer es* pro *eris.* Saepiſſime in libris ſacris prophetae, quae Judaeis eventura erant, de iis tanquam praeſentibus loquuntur, v. c. *video jam: urbs luget*, *laetatur* etc. pro *lugebit*, *laetabitur*: ſic et nos: *du ſtirbſt wenn du das iſſeſt*, *du biſt unglücklich:* vel de certo morituro: *er ſtirbt gewiß* pro *wird ſterben:* quae omnia gravius dicuntur. — Sic Cicero millies: v. c. Agr. II, 21 *ſicque agro pergrande vectigal imponitur* pro *imponetur:* ſermo enim eſt de re futura. Manil. 17 *aut cur non ducibus diis immortalibus eidem*, *cui cetera ſumma cum ſalute reipublicae commiſſa ſunt*, *hoc quoque bellum regium committimus* pro *committemus* vel *committere volumus?* At in praeſenti

com-

committimus ineſt major celeritas et gravitas: vult admonere, non diu exſpectandum eſſe.

4) Orator etiam interdum e ſuo ingenio addit cauſam veriſimilem et credibilem, cur aliquid factum ſit, cum tamen forſan alia fuerit, vel cauſam et conſilium, quod aliquis in re aliqua ſuſcipienda ſecutus fuerit, cum tamen forſan alia cauſa aliud conſilium fuerit, imo ſaepe res temere et caſu ita facta ſit: v. c. de homine docto, qui ad ſummos honores pervenit, dicere poſſum: *Quomodo is tantos honores conſequi potuiſſet, niſi ſumma eruditione ornatus fuiſſet?* Sic in hominis eruditi vita exponenda dicere licet: *Contulit ſe ad literarum ſtudia, non, ut vulgo fieri ſolet, quia parentes illud voluerant vel ita juſſerant, nec, quia hanc viam ad divitias honoresque certiſſimam eſſe crederet, ſed hoc conſilio, ut et mentem ſapientiorem redderet, atque ad cogitandum acueret, et animum virtutis ſplendore illuſtraret* etc. Sic de aliquo, qui multorum amicitia uſus eſt, dicere licet: *Non mirum eſt, eum tam multis amicis uſum, cum ipſe omnibus hominibus amicus eſſet: qui enim alios amat, ab aliis redamatur.* — Sic Cicero ſaepiſſime agere ſolet, ut cauſas, propter quas aliquid factum ſit vel quibus ductus aliquis aliquid fecerit, pro libidine h. e. e re ſua addat. V. c. Arch. 7, ubi literas humaniores i. e. in primis philoſophiam laudat et ad earum utilitatem demonſtrandam Africanum, Laelium, Furium et Catonem memorat, addit cauſam, cur hi viri literis illis operam dederint, his verbis: *Qui profecto, ſi nihil ad percipiendam colendamque virtutem literis* (ſcil. humanioribus) *adjuvarentur, nunquam ſe ad earum ſtudium contuliſſent:* quamquam contra hanc cauſam nonnulla dici poſſint. Nam nemo utilitatem artis ante novit, quam eam tenet. Non puto τὸ *adjuvarentur* pro *adjuti eſſent* poſitum eſſe, ut Geſnerus in Chreſtom. putat, quia nemo ante poteſt adjuvari literis illis ad virtutem colendam, quam ad illas ſe contulerit: quomodo ergo iſti viri dici poſſunt non id conſilium ſecuturi fuiſſe, ut ad illas literas ſe conferrent, niſi illis adjuti eſſent? Magis *adjuvarentur* eſt proprie ſumendum: *niſi utilitatem inde haurirent* vel *credidiſſent potius ſe hauſturos eſſe*: niſi forte potius leg. *adjuvaremur.* — Verres, praetor Siciliae, Gavium civem romanum in crucem ſuſtulerat. De hoc facto late loquitur Cicero Verr. V, 66: inter alia hoc eſt notabile: *Italiae conſpectus ad eam rem ab iſto delectus eſt, ut ille in dolore cruciatuque moriens peranguſto freto* (Edd. *fretu*) *diviſa ſervitutis ac libertatis jura cognoſceret, Italia autem alumnum ſuum ſervitutis*

extremo

extremo ſummoque ſupplicio affixum videret. Egregie h. e. graviſſimē dictum. Scilicet Verres crucem ea parte Siciliae, quae ad fretum ſpectat, erigi juſſit, ut tali modo Gavius cruci affixus Italiam ſpectare poſſet.

5) Orator etiam interdum in narrando aliquo facto addit, quid homo in illo cogitaverit, crediderit, ſperaverit, timuerit etc.: id quod e facto ipſo concludit. Hac re, quae ſaepe argumenti ſpeciem induit, fit res ipſa certior et gravior. V. c. pro: *hic homo non legit libros ſacros* dicitur: *hic homo non legendos putat libros ſacros* ſ. *non e re ſua eſſe credit legere*, vel *neſcit*, *quam utilis ſit lectio librorum* etc. — ſic de intemperante quodam: *iſte homo nullum certiorem felicitatis fontem eſſe credit*, *credidit*, *quam uſum ciborum nimium:* vel *nihil praeclarius norat quam gulae ſervire* cet. ſic de eo, qui multos ſibi libros emit: *Nihil erudito dignius cenſebat eſſe librorum utilium ſupellectile multa.* Cicero ita quam ſaepiſſime, v. c. Verr. II, 6 *Qui* (Verres) *ſimulatque ei ſorte provincia Sicilia obvenit, ſtatim Romae et ad urbem, ante quam proficiſceretur, quaerere ipſe ſecum et agitare cum ſuis coepit, quibusnam rebus in ea provincia maximam uno anno pecuniam facere poſſet. Nolebat in agendo diſcere — ſed in Siciliam paratus ad praedam meditatusque venire cupiebat.* — Ibid. cap. 30 *Iſte, quaſi metueret, ne Petilius, privato illo judicio transacto aut dilato, cum ceteris in conſilium reverteretur, ita properans de ſella exſiluit, hominem innocentem — indicta cauſa condemnavit.* Egregie *quaſi metueret* etc. — Verr. IIII, 27 in narratione illa de Verre, qui Antiocho, regi Syriae, qui Syracuſas venerat, tandem multa vaſa egregia, in his trullam ex una grandi gemma factam et candelabrum e gemmis clariſſimis opere mirabili perfectum, abstulit: *Itaque* (Antiochus) *iſto praetore venit Syracuſas. Hic Verres hereditatem ſibi veniſſe arbitratus eſt, quia in ejus regnum ac manus venerat is, quem iſte et audierat multa ſecum praeclara habere et ſuſpicabatur.* Poſt narrat, Antiochum a Verre ad coenam vocatum, et hunc ab illo viciſſim magnifico convivio exceptum eſſe; ibi Antiochum, quia Verrem haud noſſet, ei omnia ſua vaſa maxime praeclara monſtraſſe, quae Verres valde admiratus ſit: tandem ait: *Poſtquam inde* (i. e. *e convivio*) *diſceſſum eſt* (a Verre), *cogitare* (Verres) *nihil aliud quod ipſa res declaravit, niſi quemadmodum regem ex provincia ſpoliatum expilatumque dimitteret.* Notes in iſta narratione 1) *Hic Verres hereditatem ſibi veniſſe arbitratus eſt* 2) *quem ſuſpicabatur* etc. 3) *Verres cogitabat nihil aliud* etc. Haec additamenta prae-

clare

clare ostendunt animum avariſſimi hominis, qui *arbitratur ſibi praedam obveniſſe*, atque *ſuſpicabatur*, aliquem aliquid ſecum habere, quod arte quadam eripi poſſit, et *cogitat meditaturque* rationem, qua illud eripiat. — Multo gravius loquitur orator, quando dicit, aliquem reum ipſum non ſperare ſibi ignoſci vel ſe abſolvi poſſe: hoc enim indicat, flagitia et ſcelera ejus eſſe nimis magna vel multa. Sic de eodem Verre Cicero Verr. I, 2 *tametſi de abſolutione iſtius* (Verris) *neque ipſe* (Verres) *jam ſperat*, *nec populus romanus metuit.* Quid gravius dici poterat: *ipſe non jam* i. e. *non amplius ſperat?* etc.

VIII) *Dilemma*; cum duas res (interdum tres, tum *trilemma* vocari queat) ſibi contrarias ita proponimus, ut, utracunque eligatur ab adverſariis vel auditoribus, tamen nihil contra noſtram cauſam concludi poſſit. Haec res gravitatem rei affert, quia non modo auditori facultatem dubitandi praecidit, ſed et indicat oratori, quia tam *ingenue* omnia profert, de re valde perſuaſum eſſe.

V. c. Cic. Quint. 26 *Utrumlibet elige: alterum incredibile eſt*, *alterum nefarium*, *et ante hoc tempus utrumque inauditum.* — *Si enim illud diceres*, *improbe mentiri viderere; cum hoc confiteris*, *id te admiſiſſe concedis*, *quod ne mendacio quidem tegere poſſis.* Sic Cicero in Divin. in Caecil. oſtenſurus, hunc ad Verrem accuſandum non eſſe aptum, ita loquitur cap. 18 extr.: *ſi ſummam injuriam ab illo* (Verre) *accepiſti*, *tamen*, *quoniam quaeſtor ejus fuiſti*, *non potes eum ſine ulla vituperatione accuſare: ſi vero nulla tibi facta eſt injuria*, *ſine ſcelere eum accuſare non potes.* — Philipp. II, 22 *O miſerum te*, *ſi intelligis! miſeriorem*, *ſi non intelligis* etc., ubi exclamatio auget. Add. cap. 23 in., ubi ſimul interrogatio eſt. Add. Curt. VII, 8 §. 26, ubi Scythae Alexandro haec dicunt: *ſi deus es*, *tribuere mortalibus beneficia debes*, *non eripere; ſin autem homo es*, *id*, *quod es*, *ſemper te eſſe cogita.*

VIIII) *Interrogatio* orationem haud dubie graviorem poteſt reddere: indicat enim, nos moto animo atque ita cum magna perſuaſione loqui. V. c. *quid praeclarius eſſe poteſt virtute?* vel *quis non videt*, *nihil praeclarius*

clarius esse etc.? *Quis deum esse neget?* Cic. Manil. 10 *Quis igitur hoc homine scientior unquam aut fuit aut esse debuit?* — At interrogatio non debet usurpari nisi in re certa et ubi certo scimus, neminem nobis respondere posse. In re dubia necdum argumentis confirmata stultum foret *interrogare*, v. c. si quis de laude eloquentiae dicere incipiens non nisi ita loqueretur: *Quis nescit, quantopere laudanda sit eloquentia? quis ejus utilitatem non intelligit? quis negat* etc. — Gravior fit interrogatio, si qua causa tecte includitur, v. c. *Quis est tam obtusae mentis, qui non videat? quis tam rerum imperitus, ut non perspiciat?* etc. Haec enim dicta sunt pro: *Nemo hoc non videre debet, quia nemo est tam obtusae mentis: Nemo non perspicit hoc, quia nemo tam imperitus rerum est.* — Gravitas talis interrogationis augetur, si haec repetitur: v. c. Cic. Divin. in Caecil. 6 *tamen his invitissimis te offeres? tamen in aliena causa loquere? tamen eos defendes?* etc., ubi simul repetitio particulae *tamen* gravitatem non parum adjuvat. Verr. II, 78 in. *Videtis Verrutium? videtis primas literas integras? videtis extremam partem nominis, caudam illam Verris* etc., ubi itidem anaphora simul notanda: et statim: *Quid exspectatis? quid quaeritis amplius? tu ipse Verres quid sedes? quid moraris?* — Sed interrogatio sponte discitur ac sponte oritur, modo de re gravi dicas sitque tibi de gravitate persuasum. Animus commotus ad interrogandum valde proclivis est. Interdum etiam responsio additur, v. c. Cic. Verr. III, 53 in., cap. 67 med. etc.

X) *Exclamatio:* haec enim indicat, nos in dicendo et scribendo esse commoto animo, quod signo est, nobis esse de re valde persuasum. Hinc illa post rem gravem et certam, satis explicatam et argumentis gravibus stabilitam, recte adhibetur. Cic. Philipp. II, 22 *O miseram te, si intelligis! miseriorem, si non intelligis* etc. — At stultum foret ubique dicere: *O rem praeclaram!*

claram! o hominem nefandum! Ita loquuntur pueri. Hinc ab initio orationis non convenit exclamare; nec in narratione, quia indicaret, hiſtoricum eſſe commoto animo. At omnis teſtis, et hiſtoricus eſt teſtis, debet loqui ſine animi permotione: haec enim ſuſpicionem movet, rem vel auctam vel imminutam eſſe.

XI) *Sermocinatio*, *Prosopopoeia*, *Apoſtrophe* ſerviunt maxime gravitati. — *Sermocinatio* eſt, quando hominem inducimus loquentem vel cum aliis vel ſecum. Sic Cic. Milonem inducit loquentem Mil. 34 *Valeant, valeant, inquit, cives mei, valeant, ſint incolumes* etc.: qui locus eſt longe graviſſimus. Cf. Auct. ad Herenn. IIII, 43 *Sapiens ſaepe ita ſecum loquitur: Non mihi ſoli ſed etiam, atque adeo multo potius, natus ſum patriae* etc. Sic Cicero Roſc. Am. 21 accuſatorem Erucium inducit loquentem: *Cum hoc modo accuſas, Eruci, nonne hoc palam dicis: ego, quid acceperim, ſcio, quid dicam, neſcio: unum illud ſpectavi, quod Chryſogonus ajebat, neminem iſti patronum futurum* etc. Quid gravius eſſe poteſt, quam audire accuſatorem ipſum fatentem, ſe nil dicere noſſe ſed pecunia corruptum accuſationem recepiſſe? Gravior eſt ſermocinatio, ſi mortuos loquentes inducimus. — *Prosopopoeia*, quando res tanquam perſonae loquentes inducuntur, v. c. Cic. Catil. I, 7 patria alloquitur Catilinam et rogat eum tandem ut diſcedat etc: quae allocutio non ſine gravitate eſt. — *Apoſtrophe*, i. e. quando alloquimur homines abſentes, imo res inanimatas, v. c. parietes teſtamur etc., etiam mortuos. — Sed hae tres res, ut non niſi e maxime commoto animo oriuntur atque ſine eo uſurpari nullo modo poſſunt, ita praeterea, ſi recte tractare velimus, magnam prudentiam poſtulant, v. c. ne modum excedamus vel vocis exilitate ridiculi fiamus etc.

XII) *Repetitio idearum* gravium earundem crebra; ut ipſae magis penetrent in animos legentium et audientium. Semel enim dicta facilius praetervolant vel obli-

oblivioni traduntur: ſed repetitione firmius haerent ideae graves et animos gravius movent. Dixi hac de re in Cap. I de *perſpicuitate* ſect. 18 p. 557 ſſ. et ſect. 23 n. XIIII.

Inſtituitur v. c. haec repetitio per totam orationis compagem, ubicunque occaſio ſe obtulerit; in primis in eadem ſententia. Eſt praeterea duplex: *ideae* enim vel iisdem vocabulis repetuntur vel aliis. 1) Per *alia* vocabula, v. c. Cic. Verr. I, 5 in. *Meditetur de ducibus hoſtium, quos accepta pecunia liberavit: videat, quid de illis reſpondeat, — quaerat —:* ubi *meditetur, videat, quaerat* parum differunt. Ibid. *Confringat iſte ſane vi ſua conſilia ſenatoria: quaeſtiones omnium perrumpat: evolet ex veſtra ſeveritate:* quae tria non valde differunt. Ibid. *Credet iis equitibus romanis populus — Credent omnes quinque et triginta tribus — audietur a populo romano vir primarius — probabit fidem et auctoritatem et religionem ſuam L. Suetius* etc.: quae ſingula idem declarant: nam *audietur a populo* etc. *probabit fidem* etc. nihil aliud eſt quam *populus romanus iis credet.* Philipp. II, 27 extr. *O audaciam nimiam! tu ingredi illam domum* (Pompeji) *auſus es? tu illud ſanctiſſimum limen intrare? tu etiam illarum aedium diis penatibus os importuniſſimum oſtendere?* quae tria, quod ad ſenſum per ſe attinet, parum inter ſe differunt. 2) Per *eadem* vocabula: haec repetuntur

a) Vel *conjunctim*, quod *epizeuxin* vulgo vocant: v. c. Cic. Fontej. 7 *Fuit fuit illis judicibus divinum — conſilium.* Catil. I, 1 *Fuit fuit quondam in hac republica virtus* etc.; ibid. *nos nos, dico aperte, conſules deſumus.* Phil. II, 15 in. *Dolebam, dolebam, patres conſcripti, rempublicam*; et cap. 22 in. *Tu tu, inquam, M. Antoni, princeps C. Caeſari, omnia perturbare cupienti, cauſam belli contra patriam inferendi dediſti.* — Duo vocabula repetit Cic. Verr. I, 4 *Non eſt non eſt in hoc homine cuiquam peccandi locus, judices.* Ac deinde: *non is eſt reus, non id tempus, non id conſilium* etc.; quod gravius eſt.

b) Vel ab *initio membrorum* tum parvorum tum longiorum: quae repetitio *anaphora* vocatur: v. c. Cicero Fontej. 14 *Frugi — hominem et — temperantem, plenum pudoris, plenum officii, plenum religionis.* Arch. 6 *Sed pleni omnes ſunt libri, plenae ſapientium voces, plena exemplorum vetuſtas:* ad Div. VIIII, ep. 14 §. 9 *Nihil eſt enim, mihi*

mihi crede, virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius: et §. 7 *tum nihil magnificentius, nihil praeclarius actum unquam, nihil reipublicae salutarius*: Verr. I, 15 *Commune est hoc malum, communis metus, commune periculum*: ibid. *Non enim potest ea natura, quae tantum facinus commiserit, hoc uno scelere contenta esse. Necesse est semper aliquid ejusmodi moliatur: necesse est in simili audacia perfidiaque versetur.* — Gravior est anaphora conjuncta cum interrogatione: v. c. Divin. in Caecil. 6 *tamen his invitissimis te offeres? tamen in aliena causa loquere? tamen eos defendes, qui se ab omnibus desertos potius quam abs te defensos malunt? tamen his operam tuam pollicebere, qui* etc.?

c) Vel in *fine membrorum:* quae repetitio vocatur *epiphora.* V. c. Cic. Verr. IIII, 42 med. *Quid? is ubi est? praesto est, testis est:* et statim: *Quis est hic? qui ad statuam adstrictus est. Quid? is ubi est? testis est.* — Phil. II, 22 *Doletis tres exercitus populi romani interfectos? interfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives? eos quoque vobis eripuit Antonius. Auctoritas hujus ordinis afflicta est? afflixit Antonius.* Inest *partitio*, quae gravitatem auget.

d) Vel *anaphora* et *epiphora* conjungitur interdum h. e. unum vocabulum ab initio membri alterum in fine repetitur, v. c. Cic. Agr. II, 9 in. *Quis legem tulit? Rullus. Quis majorem partem populi suffragiis privavit? Rullus. Quis comitiis prohibuit? Rullus. — Quis decemviros, quos voluit, renuntiavit? Idem Rullus.* Vocatur haec figura *symploce*: in cujus usu tamen judicio opus est, ne ridiculi fiamus. Add. dicta Cap. I sect. 18 p. 557 ff. et sect. 23 n. XIIII.

XIII) *Correctio* h. e. quando gravem ideam gravior sequitur, atque ita illam quasi corrigit.

V. c. Cic. Verr. I, 3 extr. *Non enim furem sed ereptorem, non adulterum sed expugnatorem pudicitiae, non sacrilegum sed hostem sacrorum religionumque, non sicarium sed crudelissimum carnificem civium sociorumque in vestrum judicium adduximus.* Quam graviter hoc dictum est! *fur, adulter, sacrilegus, sicarius* jam graves ideae erant. — Verr. II, 13 *Haec omnia isto praetore non modo perturbata sed plane et Siculis et civibus romanis erepta sunt*: gravius est *eripere* quam *perturbare.* — Verr. IIII, 27 in. *Venio nunc*

non jam ad furtum, non ad avaritiam, non ad cupiditatem, ſed ejusmodi facinus, in quo omnia nefaria contineri mihi atque ineſſe videantur etc. — Verr. V, 37 *ut ante Syracuſani in moenibus ſuis, in urbe, in foro hoſtem armatum ac victorem quam in portu ullam hoſtium navem viderent: a) in moenibus b) in urbe c) in foro:* ac deinde: *a) hoſtem armatum b) hoſtem victorem.* — Ibid. cap. 66 *Facinus eſt, vinciri civem romanum: ſcelus, verberari: prope parricidium, necari, quid dicam in crucem tollere? verbo ſatis digno tam nefaria res appellari nullo modo poteſt.* Sermo eſt de Gavio, cive romano, in crucem a Verre ſublato. — Philipp. II, 26 prope fin. *Tantus igitur te ſtupor oppreſſit, vel, ut verius dicam, furor, ut* etc. — Cap. 27 de luxuria Antonii, quia paucis diebus innumera effuderat: *Quae Charybdis tam vorax? Charybdin dico? quae, ſi fuit, fuit animal unum; Oceanus, medius fidius, vix videtur tot res, tam disſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam cito abſorbere potuiſſe.* Ineſt ſimul hyperbole: et Charybdis a Cicerone quidem memorari poterat, quia iſta profunditas vaſta Romanis nota erat, in noſtra vero hodie tempora et loca non amplius convenit, ut per ſe patet. — Phil. III, 1 in. *quippe cum bellum nefarium — non comparari ſed geri viderem.*

Ceterum ad hanc *Correctionem* referri quoque poteſt *Incrementum*, ut vulgo dicitur, cujus exemplum v. c. eſt illud e Catilinaria I; 1 in. *hic tamen vivit. Vivit? imo etiam in ſenatum venit, fit publici conſilii particeps, notat* etc. — Eodem quoque pertinet Roſc. Am. 22 *Magna eſt enim vis humanitatis: multum valet communio ſanguinis: reclamitat iſtiusmodi ſuſpicionibus ipſa natura: portentum atque monſtrum certiſſimum eſt* etc. Egregie h. e. graviter dictum: a) *humanitas* i. e. *ſenſus* (*Empfindung*) erga homines hominibus omnibus innatus; is eſt infimus gradus vinculi amoris erga homines: deinde b) *communio ſanguinis* ſ. *propinquitas* etc.

XIIII) *Confirmatio, adverſarium rem concedere, vel nihil habere, quod contra dicat, vel non niſi levia proferre.*

V. c. Cic. Roſc. Am. 16 extr. ait accuſatori: *Age nunc, refer animum, ſis* (i. e. *ſi vis*), *ad veritatem, — jam profecto te intelliges inopia criminum ſummam laudem Sex. Roſcio vitio et culpae tribuiſſe.* Cap. 18 extr. *Audio* (h. e. hoc placet mihi,

mihi, *gut*): *nunc dicis aliquid, quod ad rem pertineat: nam illa, opinor, tu quoque concedis levia esse atque inepta.* Ac ſtatim: *Verum haec quoque tu intelligis esse nugatoria.* — Cap. 19 extr. *Quid est aliud, judicio ac legibus ac majestate vestra abuti ad quaestum atque ad libidinem, nisi hoc modo accusare, atque id objicere, quod planum facere non modo non possis, verum ne coneris quidem?* Quid gravius accuſatori dicere poterat? Notandum, hic *non modo non* ſequente *ne quidem* dictum eſſe, cum poſterius *non* abeſſe alibi ſoleat: forſan Cicero de induſtria h. e. perſpicuitatis majoris cauſa addidit, vel forſan hic diligentior eſſe voluit quam alibi, quia hic *particula negativa* gravitas rei maxime nititur. — Add. cap. 21, ubi accuſatorem inducit fatentem, ſe nihil, quod dicat, habere: *Cum hoc modo accusas, Eruci, nonne hoc palam dicis: ego, quid acceperim* (ſcil. pecuniam), *scio; quid dicam, nescio* etc.

XV) *Retorsio* argumenti ab adverſario pro ſe prolati aliusve rei ita inſtituta, ut illo argumento vel illa re contra illum ac pro nobis inque rem noſtram utamur. Ineſt ſane gravitas: et, quo gravior illa res viſa eſt adverſario, eo gravior eſt retorſio:

V. c. Cic. Divin. in Caecil. 19 in. *At vide, quid differat inter meam opinionem ac tuam.* (Attende, quam leniter loqui videatur Cicero, *opinionem* dicens!) *Tu cum omnibus rebus inferior sis, hac una in re mihi anteferri putas oportere, quod quaestor illius fueris; ego, si superior ceteris rebus esses, hanc unam ob causam te accusatorem repudiari putarem oportere.* Id quod deinde late demonſtrat, idque egregie: totus locus eſt perlegendus: quemadmodum omnes omnino figurae rhetoricae non ex allatis exemplis diſcendae ſunt, ſed loca ipſa ſunt perlegenda, ut contextus ratio ſimul perſpiciatur: ab hac enim pendet judicium omne de figura aliqua vel recte vel perperam adhibita: ab hac pendet deinde etiam legitimus figurarum uſus. — Quod hic dixi, valere debet de omnibus locis hoc in libello allatis: quia contextus omnis afferri hic non poteſt.

XVI) *Concessio* h. e. quando concedimus aliquid vel plura, ita tamen, ut inde nil contra nos ſequi poſſit ſeu ut res noſtra ejusque vel veritas vel gravitas ne

minimum quidem perdat; v. c. *Faciamus, fingamus, ita esse: non tamen hinc sequitur, quod illi elicere conantur* etc. *Largior, rem non saepe accidisse: propterea non sequitur, rem plane nunquam factam esse vel fieri non posse.* Inest sane gravitas, quia sic indicamus, nos non omnia ad nos cupide trahere: quod interdum est signum malae causae ac suspectos nos reddit: sed paucis contentos esse vel tantum iis, quae certissima sint, uti etc. Cicero saepius.

V. c. Ligar. 6 *Fuerint cupidi, fuerint irati, fuerint pertinaces: sceleris vero crimine, furoris, parricidii, liceat Pompejo mortuo, liceat multis aliis carere:* ubi *fuerint* est pro *concedo Pompejanos fuisse cupidos, iratos* etc. — Rosc. Am. 38 est gravis concessio cum conditione conjuncta: *Nisi intellexeritis, judices, nullum esse officium, nullum jus tam sanctum atque integrum, quod non ejus scelus atque perfidia violarit et imminuerit; virum optimum esse judicatote.* Sermo est de Capitone. Cicero hic plura concedit, quam postulari poterant: neque vero quidquam gravius dici poterat: intelligitur enim, Capitonem fuisse hominem nequissimum omnium. — Add. Divin. in Caecil. 9 in. *Cognosce ex me, quoniam hoc primum tempus discendi nactus es, quam multa esse oporteat in eo, qui alterum accuset: ex quibus si unum aliquod in te cognoveris, ego jam tibi ipse istud, quod expetis, mea voluntate concedam:* quae deinceps recenset. Quid gravius dici poterat? Nonne hinc intelligitur, quam aptus ad accusandum Caecilius fuerit?

XVII) *Praeteritio* h. e. cum confirmamus, nos multa de aliquo homine vel de re dicere aut adhuc addere posse, sed consulto ea praeterire, aut, quia per temporis angustiam non illa omnia afferre liceat, aut, quia e paucis a nobis dictis res satis appareat, vel aliam ob causam. Indicat hoc, nos magna copia de re dicendi instructos esse, et auctoritatem majorem nobis conciliat, atque ita gravitatem rei adjuvat.

Praeteritio ista est duplex:

1) *Vera* h. e. quando vere multa adhuc dicenda praeterimus, neque res praetereundas recensemus, sed tantum in

in universum confirmamus, nos praeterituros esse multa; v. c. *Multa adhuc hanc in rem dicere possim: sed quid opus est, cum res jam manifesta sit?* vel *sed praeterire cogor ob temporis brevitatem* etc. — Saepe ita Cicero. Rosc. Am. 33 extr. *Permulta sunt, quae dici possint, quare intelligatur, summam tibi facultatem fuisse maleficii suscipiendi: quae non modo idcirco praetereo, quod te ipsum non libenter accuso, verum eo magis etiam, quod, si de illis caedibus velim commemorare, quae tum factae sunt ista eadem ratione, qua Sex. Roscius occisus est, vereor, ne ad plures oratio mea pertinere videatur.* Graviter dictum: praeteritio conjuncta est cum tecta insectatione aliorum. — Verr. I, 17 *praetermittam minora omnia, quorum simile forsitan alius quoque aliquid aliquando fecerit: nihil dicam, nisi singulare, nisi quod, si in alium reum diceretur, incredibile videretur.* — Verr. IIII, 26 in. *Nullo modo possum omnia istius facta aut memoria consequi aut oratione complecti; genera ipsa cupio breviter attingere.* — Manil. 9 extr. *Multa praetereo consulto: sed ea vos conjectura perspicite* etc. — add. Verr. I, 16, ubi excusat se, quod tam breviter loquatur de criminibus Verris: *Nolite, quaeso, judices, brevitate orationis meae potius quam rerum ipsarum magnitudine crimina ponderare. Mihi enim properandum necessario est, ut omnia vobis, quae mihi constituta sunt, possim exponere.* — Philipp. II, 25 *notabo tamen singulas res: etsi nullo modo poterit oratio mea satisfacere vestrae scientiae* h. e. *etsi non possum tot res vobis narrare, quot jam nostis.*

2) *Simulata* h. e. ubi dicimus, nos res multas non prolaturos esse, sed tamen summatim saltem eas recensemus. Et de hoc genere praeteritionis in libellis rhetoricis maxime exponi solet. Verr. I, 12 in. *Itaque primum illum actum istius vitae turpissimum et flagitiosissimum praetermittam: nihil a me de pueritiae suae flagitiis peccatisque audiet: nihil ex illa impura adolescentia: quae qualis fuerit, aut meministis, aut ex eo, quem sui simillimum produxit, recognoscere potestis. Omnia praeteribo, quae mihi turpia dictu videbuntur: neque solum, quid istum audire, verum etiam, quid me deceat dicere, considerabo. Vos, quaeso, date hoc et concedite pudori meo, ut aliquam partem de istius impudentia reticere possim. Omne illud tempus, quod fuit ante quam iste ad magistratus remque publicam accessit, habeat per me solutum ac liberum. Sileatur de nocturnis ejus bacchationibus ac vigiliis. Lenonum, aleatorum, perductorum nulla mentio fiat. Damna, dedecora, quae res patris ejus, aetas ipsius, pertulit, prae-*

tereantur. Lucretur indicia veteris infamiae. Patiatur ejus vita reliqua me hanc tantam jacturam criminum facere. Quis non hujus praetermissionis gravitatem sentit? Sed istae res proprie non praetermissae sed tantum breviter summatimque enarratae sunt. — Manil. 16 *De hujus autem hominis* (Pompeji) *felicitate — hac utar moderatione dicendi, non ut* etc. ac statim: *Itaque non sum praedicaturus, Quirites, quantas ille res domi militiaeque, terra marique, quantaque felicitate gesserit, ut* (i. e. quomodo) *ejus semper voluntatibus non modo cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint.* Est gravis praetermissio ac gravior, quam si late singulas has res dicendo persecutus esset. — Agr. I, 7 *Non queror deminutionem vectigalium, non flagitium hujus jacturae atque damni. Praetermitto illa, quae nemo est quin gravissime et verissime conqueri possit, nos caput patrimonii publici, pulcherrimam populi romani possessionem, subsidium annonae, horreum belli, sub signo claustrisque reipublicae positum vectigal, servare non potuisse: eum denique nos agrum P. Rullo concessisse, qui ager ipse per sese et Sullanae dominationi et Gracchorum largitioni restitisset. Non dico, solum hoc in republica vectigal esse, quod, amissis aliis, remaneat, intermissis, non conquiescat, in pace niteat, in bello non obsolescat, militem sustentet, hostem non pertimescat. Praetermitto omnem hanc orationem et concioni reservo.* Hic Cicero late rem explicat, et tamen ait se praetermittere eam, quia non satis copiose, more suo, explicaverit. — Philipp. II, 25 *Quid ego istius decreta, quid rapinas, quid hereditatum possessiones datas, quid ereptas proferam?* Et addit causam: *cogebat egestas; quo se verteret, non habebat.* Cicero itaque excusat Antonium: quid gravius dici poterat? Et paulo post: *Sed haec, quae robustioris improbitatis sunt, omittamus: loquamur potius de nequissimo genere levitatis.*

Sed in hujus figurae usu tenendum, nos non debere praetermittere res, nisi vel sint leves vel sine iis oratio jam satis certa et firma sit. Stultum foret ea ubique temere uti, et, ubi v. c. argumenta ponenda sint, ibi *praetermissione* eorum uti vel fortiora praeterire et leviora ponere.

XVIII) *Dubitatio* h. e. quando dicimus, nos nescire, ob copiam materiae vel argumentorum, unde incipiamus, quid primum vel praecipue proferamus, ubi desinamus etc. Gravitatem haec ratio adjuvat, et scrip-

ſcriptori, maxime tamen oratori apud plebem (nam eruditus hoc artificio non facile capi ſolet), auctoritatem conciliat: putant enim lectores et auditores, oratorem vel ſcriptorem, qui tanta rerum et argumentorum copia abundet, rem certiſſimam et graviſſimam tradere. Per ſe vero patet non niſi de re gravi uſurpari iſtam figuram poſſe. Saepe ita Cicero.

V. c. Manil. 1 extr. *hujus autem orationis* (de Pompejo) *difficilius eſt exitum quam principium invenire.* Ineſt dubitatio tecte: quaſi dicat: *dubito, qua ratione de Pompejo dicendi finem facere poſſim:* quod ſane graviter dictum eſt h. e. *indicat virtutem Pompeji maximam eſſe.* Marcell. 4 extr. *Vereor, ut hoc, quod dicam, perinde* (ſic Edit. Graev., ſed *ne hoc — non perinde* Edit. Erneſt.) *intelligi auditu poſſit, atque ipſe cogitans ſentio: ipſam victoriam videris viciſſe, cum ea, quae illa erat adepta, victis remiſiſti.* Dubitat Cicero, an ſententiam hanc: *ipſam victoriam viciſſe videris* ſatis exprimere verbis poſſit: quae dubitatio indicat, quam ingens ipſi videatur illa ſententia. — Alio adhuc dubitationis genere uſi ſunt priſci oratores, cum dicebant, ſe dubitare ſ. incertos eſſe, ſ. neſcire, quid ipſi vel ii, quorum cauſam agebant, agerent, quo confugerent. Quo pertinet illud Gracchi ap. Cic. Orat. III, 56: *Quo me miſer conferam? quo me vertam? In Capitoliumne? at fratris ſanguine redundat. An domum? matremne ut miſeram lamentantemque videam et abjectam?* quod imitatus videtur Cicero Muren. 41 in. *quo ſe miſer vertet? domumne? — an ad matrem* etc.?

XVIIII) *Occupatio* h. e. quando ipſi afferimus ea, quae contra nos noſtramque ſententiam dici vel alicui in mentem venire forſan poſſint, ſed ita, ut ſimul refutemus. Affert ea ratio dicenti et ſcribenti non parum auctoritatis, quia declarat, eum in re tam certa verſari, ut nihil vere objici poſſit: quoniam alioquin iſtas objectiones non tam ingenue protuliſſet. — Variae hic formulae uſurpantur: v. c. *Scio, mihi objici poſſe: Forſan tamen erunt, qui objiciant: At objecerit, dixerit, aliquis* etc. Sic Cicero millies. — Longiſſima occupatio eſt in Maniliana, ubi Cicero late refutat ea, quae Hortenſius

et Catulus de Pompejo contra Mithridatem non mittendo dixerant cap. 17 seqq. -- Add. ibid. cap. 20 *At enim nihil novi fiat* etc., cui objectioni Cicero statim occurrit.

XX) *Praeparatio lectoris vel auditoris ad rem magnam:* v. c. his formulis: *Nunc venio ad rem singularem: Nunc vero attendite ad rem extraordinariam: Iam sequitur aliquid, quod omnia superiora longe superare videatur* etc. Saepius ita Cicero.

V. c. Verr. IIII, 45 in. *Audite etiam singularem ejus, judices, cupiditatem, audaciam, amentiam, in his praesertim sacris polluendis* etc. Haec praemittit Cicero dicturus de signo Cereris per Verrem sublato. — Sic, cum cap. 48 narrare vult, signum Cereris Ennensis religiosissimum per Verrem quoque sublatum, antea lectores cap. 47 ad hanc rem singularem audiendam his verbis praeparat: *Ad ea autem, quae dicturus sum, reficite vos, quaeso, judices, per deos immortales! per eos ipsos, de quorum religione jamdiu dicimus, dum id ejus factum commemoro et profero, quo provincia tota commota est. De quo si paulo altius ordiri ac repetere memoriam religionis videbor, ignoscite. Rei magnitudo me breviter perstringere atrocitatem criminis non sinit.* Deinde incipit narratio ipsa. — Sic ibid. cap. 27 narraturus, quomodo Verres Antiocho regi Syriae multa egregia vasa aurea, in his trullam et candelabrum Iovi Capitolino dedicatum, abstulerit, incipit: *Venio nunc non jam ad furtum, non ad avaritiam, non ad cupiditatem, sed ejusmodi facinus, in quo omnia nefaria contineri mihi atque inesse videantur, in quo dii immortales violati, existimatio atque auctoritas nominis populi romani imminuta, hospitium spoliatum ac proditum* etc.

Tali ratione animi lectorum et auditorum magna rei idea antea implentur, quam res ipsa profertur: exspectatio incenditur: cui si deinde rei magnitudo ipsa recte tractata respondet, maxime inflammetur animus audientium et legentium necesse est.

XXI) *Communicatio* h. e. cum auditores ac lectores quasi in consilium adhibemus de re aliqua, iisque permittimus, quid de ea velint judicare; vel brevius sic:

ſic: eſt *provocatio ad intelligentiam et judicium auditorum vel lectorum:* v. c. per formulas: *Ipſi haud dubie ſentitis* etc. *Videte, quam praeclara res ſit: Ipſi judicate: Nemo veſtrum erit, qui non ſtatim perſpiciat, qui non pro praeclara re habeat* etc. vel ſic: *Quid de hac re ſtatuendum ſit, ipſi facile judicabitis, auditores.* — Iſta ratio non modo commendat nos auditoribus vel lectoribus, quia ſuae intelligentiae et judicio tantum tribui vident, ſed gravitatem quoque rei adjuvat. Nam non lectoribus vel auditoribus judicium de re relinquimus, niſi haec certiſſima ſit: hinc auditor lectorve videns ſibi relinqui judicium, rem pro certa habere cum oratore vel ſcriptore ſolet. — Hinc vero etiam patet, non niſi in manifeſta re iſta figura utendum eſſe. Cicero longe ſaepiſſime ea utitur: v. c. Verr. II, 4 *Ecquem exiſtimatis unquam* etc. et ſtatim: *Videte, quid potuerit, qui quatuor* etc. — Hinc toties in ejus orationibus eſt: *videtis, audiſtis, cognoviſtis, ſcitis, nonne videtis* etc.

XXII) *Oxymora* h. e. duae ideae, quae alibi ſibi repugnant, ita junctae, ut non ſibi vere repugnent, ſed tantum repugnare videantur. V. c. de avaro eoque divite: *optat, quod habet* i. e. divitias. Ineſt argumentum ſtultitiae; quis enim optet, quod jam habet? At proprie falſo dictum eſt: *avarus ille non optat id, quod habet* ſ. divitias, quas jam tenet, ſed earum incrementum. Eſt luſus ingenii non verus: et acumen veritatis expers vix intelligentes moveat. Sic *cum tacent, clamant* eſt pro *clamare videntur.*

Totus locus proprie ſic ſe habet Cic. Catil. I, 8: Cicero vult docere, ſenatores omnes ea, quae ipſe contra Catilinam, quem hic alloquitur, agat, probare, licet ſileant; dicit ergo: *de te autem, Catilina, cum quieſcunt* (h. e. cum nihil contra ea ſenatores dicunt, quae ego aſperrime de te locutus ſum), *probant: cum patiuntur* ſcil. me ita contra te loqui, *decernunt: cum tacent, clamant*: manifeſte *probant, decernunt, clamant* dicta ſunt pro *probare, decernere, clamare videntur* ſeu *ſilentio*

ſuo

ſuo indicant, ſe probare iſta a me dicta, ſe adeo decernere contra te, imo adeo clamare videntur: quamquam ingenue fateor, *τὸ clamant,* ſi luſum ingenii excipis, parum aptum videri, et magis fervori animi Tulliani condonandum quam inter venuſtates referendum eſſe. — Sic Iuno irarum plena de Trojanis Virgil. Aen. VII, 295 ait: *Num capti potuere capi?* Eſt luſus ingenii veritatis expers: nam, qui *captus eſt*, non is capi potuit? Sed dicere volebat: *num capti potuere capti manere?* vel *num vinci potuere?* vel *capti* eſt pro *capta urbe* (Troja). Ira mentem praecipitabat.

Hinc putem raro, in oratione quidem ſeria, oxymoris, licet luſu ingenii ſe commendantibus, nos uti poſſe. Pertinent enim inter enuntiationes minus ſubtiles ac tantum ſpecioſas. Nihil veri continent, atque hominum mentem celeriter quidem invadunt, iisque ob hanc celeritatem placent: at, ſi deinde diligentius eorum ſenſum indagarunt, frigida eſſe reperiunt.

XXIII) *Ironia* h. e. quando de perſona aut re, cujus conditio et ratio ſatis nota eſt, per ſimulationem aliter loquor ac verum eſt, ac v. c. vituperanda me laudare, laudanda vituperare, levia magni facere etc. ſimulo; v. c. de virtutis inimico: *videte, quanti virtutem aeſtimet: videte magiſtrum, unde virtutis et exemplar et praecepta capere poſſitis.*

Cic. Verr. II, 31 in. de Verre: *Retinete retinete hominem in civitate, judices: parcite et conſervate, ut ſit, qui nobiscum res judicet, qui in ſenatu ſine ulla cupiditate de bello et pace ſententiam ferat.* — Verr. V, 10 de eodem Verre: *Habetis hominis conſilia, diligentiam, vigilantiam, cuſtodiam, defenſionemque provinciae. — Ne diutius in tanta penuria virorum fortium talem imperatorem* (int. Verrem) *ignorare poſſitis, non ad Q. Maximi ſapientiam, neque ad illius ſuperioris Africani in re gerenda celeritatem, neque ad hujus, qui poſtea fuit, ſingulare conſilium, neque ad Pauli rationem ac diſciplinam, neque ad C. Marii vim atque virtutem, ſed aliud genus imperatoris* (Edit. Ern. *imperatorem*) *ſane diligenter retinendum et conſervandum, quaeſo, cognoſcite:* et ibid. cap. 11 *Quo loco mihi non praetermittenda videtur praeclari imperatoris* (Verris) *egregia ac ſingularis diligentia.* Gravius iſta ſunt, per ironiam dicta, quam ſi ſerio res dicta eſſet: magis ridiculus ita redditur Verres.

Verres. — Catil. I, 2 *Si te jam, Catilina, comprehendi, ſi te interfici juſſero: credo, erit verendum mihi, ne non hoc potius omnes boni ſerius a me quam quisquam crudelius factum eſſe dicat.* Acrius *credo erit verendum* eſt dictum pro *non erit verendum* etc. — Catil. IIII, 10, ubi Cicero ſe laudaturus, poſtquam de magnis imperatoribus dixit, addit: *erit profecto inter horum laudes aliquid loci noſtrae gloriae; niſi forte majus eſt patefacere nobis provincias, quo exire poſſimus, quam curare, ut etiam illi, qui abſunt, habeant, quo victores revertantur.* Pro *niſi forte majus eſt* etc. volebat proprie dicere: *niſi forte minus eſt;* vel *nam forte minus* aut *non majus eſt.* Per *locum quem habere debent imperatores victores, quo revertantur* intelligit *Romam:* unde patet, Ciceronem ſe ſenſim praeferre iſtis imperatoribus.

Gravis eſt utique ironia, et Cicero ſaepiſſime ea cum gravitate utitur. Sed hodie tamen rarius ea utendum cenſuerim, in oratione quidem ſeria. Oratorem omninoque hominem gravem decet ſerio loqui. Quando vero nobis liceat hodie uti, non auſim definire. Omnia hic vertuntur in tempore, rei ratione, auditorum vel lectorum conditione, ingenio denique dicentis ac ſcribentis. Cicero poterat ea facile uti in orationibus judicialibus, ubi tum oratores operam dabant omnem, ut adverſarios ridiculos redderent; quod hodie non licet: deinde erat tum, cum Catilinariam ſcribebat, conſul, omninoque vir magna auctoritate et ingenio: nec, quod uni licet facere, omnibus ſemper licet.

XXIIII) *Adjectio cauſae*, ob quam aliquid pro vero habendum ſit. Nam, niſi res vera eſt, nec magna ac gravis eſſe poteſt. Dixi de adjectione cauſarum, quibus nihil magis neceſſarium eſſe poteſt, latiſſime ſupra cap 1 de perſpicuitate ſect. 6 p. 519 ſſ., quae repetere hic non poſſum. Summatim ſic tenendum: Omnia, niſi ſint per ſe ſatis perſpicua, debent confirmari cauſis ſ. argumentis, quo exempla quoque referri licet. Haec argumenta debent eſſe ſatis certa, ſatis multa, debent recte tractari h. e. ita, ut eorum vis appareat; debent tandem omni occaſione repeti.

Haec adjectio et repetitio cauſae ſ. argumenti poteſt fieri vel *diſerte* per *Nam, cum, quia, quoniam, quo, quin* pro *quo non,*

non, *ut*, *propter*, *adductus*, *motus*, *incitatus* etc. vel *tectius* h. e. ita, ut non a quovis ſtatim animadvertatur, cauſam adjectam eſſe: id quod fit vel omittenda particula cauſali nec alia illi ſubſtituenda vel ſubſtituendo illi pronomine *qui quae quod* aut *ſi*, it. appoſitione ſic dicta aut participio; it. periphraſi, in qua ſaepe argumentum ineſt; it. praeponendo attributo rei loco cauſae: v. c. *quis eſt tam ſtultus, ut non intelligat* pro *quis eſt, qui non intelligat?* Haec omnia ſupra c. 1 ſect. 6 p. 524 ſſ. late tractata ſunt.

XXV) *Brevitas dicendi ea*, qua ideae ac verba nonnulla, quae e contextu intelligi poſſunt, omittuntur, atque ita ideae quaedam, quas arctius ob majorem gravitatem conjungere volumus, conjunguntur. Gravius enim feriuntur ſaepe animi auditorum et lectorum, quando ſtatim ideas conſequentes vident et audiunt. De hac brevitate dicendi ſupra P. I capite peculiari p. 468 ſſ. et 490 ſſ. diximus: quia vero non omnis brevitas eſt gravis, paucula exempla brevitatis gravis afferemus.

1) Omittitur interdum notio antecedens (interdum plures) et ſtatim conſequens ponitur. V. c. *fortiſſime pugnans cecidit* pro *occiſus eſt et cecidit:* nam *τὸ occidi* per ſe intelligitur. Sic *Regis epiſtola affertur: accuſati ſtatim necantur* pro *regis epiſtola affertur, in qua ſcriptum erat, ut accuſati ſtatim necarentur: atque ita accuſati ſtatim necati ſunt.* — Verr. IIII, 40 in. *Vix erat hoc plane imperatum, cum illum* (Sopatrum) *ſpoliatum* (i. e. veſtibus exutum) *ſtipatumque lictoribus videres*: ubi deeſt *detrahebatur de porticu*, in qua erat, et de qua in forum dejici Verres juſſerat. — Verr. V, 54 *Haec cum maxime loqueretur, ſex lictores eum circumſiſtunt valentiſſimi et ad pulſandos verberandosque homines exercitatiſſimi: caedunt acerrime virgis* etc. pro *ſex lictores eum accedunt et circumſiſtunt — exercitatiſſimi: expediunt virgas iisque caedunt* etc. At *τὸ accedere* et *expedire virgas* per ſe intelligitur: poterat et addere *veſtes exuunt.* At Ciceroni non niſi *τὸ caedere virgis* grave iſto loco videbatur: hinc celeriter hoc narrare cupiebat. — Salluſt. Iug. 12 extr. de Hiempſalis caede: *cum Hiempſal reperitur, occultans ſeſe tugurio mulieris ancillae, quo initio pavidus et ignarus loci perfugerat. Numidae caput ejus, ut juſſi erant, ad Iugurtham referunt* pro *Numidae igitur caput*

put abscidunt, *et hoc*, *ut jussi erant* etc., sed *abscidere* per se intelligitur. — Liv. I, 28 de Metio Fufetio: *Exinde duabus admotis quadrigis in currus earum distentum illigat Metium: deinde in diversum iter equi concitati lacerum corpus in utroque curru* — *portantes* pro *equi concitati sunt*, *lacerantes corpus*, *et corpus sic lacerum* etc. At quam languide dictum id foret? — Virg. Aen. IIII, 582 *Litora deseruere: latet sub classibus aequor* pro *Litora deseruere*, *classes* h. e. naves *in mare deduxere: et jam latet* etc. At illud gravius et celeritati exprimendae aptius: plura exempla vid. in cap. de *brevitate.* In primis saepe omittitur ante *enim* enuntiatio, ad quam τὸ *enim* proprie refertur: v. c. Cic. ad Div. VIIII, ep. 14 §. 14 *Contigit tibi*, — *ut summa severitas animadversionis* (in tumultuantes) — *popularis esset.* — *Hoc si tibi fortuna quadam contigisset*, *gratularer felicitati tuae. Sed contigit magnitudine tum animi tum etiam ingenii atque consilii. Legi enim concionem tuam. Nihil illa sapientius.* Verba *legi enim* etc. non sunt proprie causa praecedentium, sed debebat proprie dici: *tum etiam ingenii atque consilii*: *id quod* s. *quae* scil. magnitudo *e tua oratione ad populum habita elucet*: *legi enim* etc. Ibid. §. 9 *Nam cum te semper tantum dilexerim*, *quantum tu intelligere potuisti*, *tum his tuis factis sic incensus sum*, *ut nihil unquam in amore fuerit ardentius. Nihil est enim*, *mihi crede*, *virtute formosius*, *nihil pulchrius*, *nihil amabilius* etc. Ante *Nihil est enim* omissum est *Hujus mei tanti amoris erga te causa sola est virtus tua*, vel simile quid. Manil. 13 extr. de Pompejo, in hibernis parcente sociis: *Non modo*, *ut sumtum faciat in milites*, *nemini vis affertur*, *sed ne cupienti cuiquam permittitur. Hyemis enim*, *non avaritiae*, *perfugium nostri in sociorum atque amicorum tectis esse voluerunt:* ubi ante *Hyemis enim* etc. deest *Et hac in re recte* vel *e legum praescripto agit* vel simile quid. — Sed, quidquid omissum cogitari potest, id, si additum fuisset, languidiorem orationem reddidisset. Celeriter et commoto animo loquentes non singula recensere possunt: et ex hac re judicat auditor, oratorem commotum esse, et sensim ipse commovetur. Plura exempla vid. in cap. de *brevitate* p. 490 ff.

2) *Omittitur copula* inter vocabula et membra, quia saepe impedit, quo minus ideas graves satis celeriter lector percipiat atque ita sentiat. Huc pertinet illud *veni*, *vidi*, *vici:* quod gravius est, quam *veni*, *vidi* et *vici.* Sic Cic. Catil. I, 3 extr. *Nihil agis*, *nihil moliris*, *nihil cogitas*, *quod ego non modo non audiam* etc. cap. 5 *non feram*, *non patiar*, *non sinam.*

Catil.

Catil. II, 1 *Abiit, excessit, evasit, erupit;* quam languide dixisset *atque erupit!* Cluent. 66 *Nihil est enim mali, nihil sceleris, quod illa non ab initio filio voluerit, optaverit, cogitaverit, effecerit.* Philipp. III, 14 *Nostis insolentiam Antonii, nostis amicos, nostis totam domum. Libidinosis, petulantibus, impuris, impudicis, aleatoribus, ebriis servire, ea est summa miseria* etc. Ac sic millies.

Est omnino hic mos commoto animo loquentium, ut copulam omittant, festinante animo fervido et mentem linguamque praecipitante atque festinare aeque jubente.

3) *Omittitur interdum objectum*: v. c. in illo: *veni, vidi, vici*, ubi deest is, quem *vidit, vicit*, Caesar. At facile intelligi poterat Pharnaces: atque ita tres ideas *venire, videre* (hostem), et *vincere* arctius conjungere licebat, ut victoriae celeritas et facilitas indicaretur. — At haec omissio, ut per se patet, non locum habet nisi in re satis nota. Sic illud Aristippi ap. Cic. ad Div. VIIII, ep. 26 §. 6: *Habeo, non habeor a Laide*: pro *Habeo Laidem.* Sic Senec. de ira I cap. 16 de affectibus loquens: *Habent, non habentur* (i. e. *domantur*). Et Epist. 8 *In quibus* (viscatis beneficiis) *hoc quoque miserrimi fallimur, quod habere nos* (ea) *putamus; habemur* scil. ab iis. Plin. VIIII, epist. 30 extr. *ea invasit homines habendi cupido, ut possideri magis quam possidere videantur;* ubi et ad *habendi* et ad *possidere* deest accusativus: qui tamen facile intelligitur. Huc pertinet illud: *Oderint, dum metuant.* Sic Virgil. Aen. IIII, 581 *rapiuntque ruuntque* ad celeritatem exprimendam: ubi accusativus ad *rapiunt* deest.

Not. quaeritur, an etiam subjectum omitti possit: faciunt hoc interdum homines prae nimia vel ira vel laetitia, ut id, de quo loquuntur, non nominent. Cicero quidem ita agit, ut v. c. Verrem saepe haud nominet, sed dicat *iste* per contemtum. Quod an nos hodie imitari debeamus, valde dubito; nisi subjectum non longe praecessit, quia alioquin perspicuitas violetur. In forensibus orationibus Romanorum facilius hoc poterat tolerari, quia reus aderat, et auditores statim, quis intelligeretur, sentiebant.

4) *Omittitur saepe* in comparationibus id vocabulum, quod comparationi servit, v. c. *velut, quasi* etc., ut adeo homo vel res dicatur id ipsum esse, cujus tantum similis est. V. c. *pulvis et umbra sumus*: *honos est fumus: tu es mihi pater: dixit Iuno illa* de muliere imperiosa etc.: quae omnes sunt metaphorae:

phorae: unde patet, metaphoram conſtare ſola omiſſione particulae comparativae, et nihil aliud eſſe quam genus brevitatis dicendi. — Pertinent huc quoque forſan omnia fortiora vocabula, de quibus infra dicetur, v. c. Cic. Phil. II, 14 *agrorum nundinae* pro *venditione:* dictum eſt pro *quaſi nundinae*: at incitate loquens omittit particulam *quaſi;* ut exempla conviciantium de plebe ſatis docent. — Huc pertinent quoque oxymora: v. c. *cum tacent*, *clamant* i. e. *quaſi clamant; cum ratione inſanire* etc. Nam *otium negotioſum* non pertinet inter oxymora: quia *otium* hic eſt vacatio a munere publico: at quid impedit, quo minus homo, poſtquam ea, quae ad munus publicum pertinent, egit, atque nunc otium nactus eſt, hoc otium conferat ad alia negotia, v. c. legendos, ſcribendos, libros. Non igitur ineſt repugnantia, niſi in literis ſ. elementis. Sed omnis repugnantia debet ineſſe notionibus: an quoque literis ineſſe queant, viderint ii, qui illud inter oxymora referunt.

XXVI) *Brevitas dicendi ea*, qua paucioribus vocabulis plures ideae, imo ſingulis vocabulis totae enuntiationes, exprimi poſſunt. Adjuvat ea celeritatem declarandi noſtras cogitationes atque ita gravitatem dicendi: nam, quo ſcelerius illae ab auditore et lectore audiuntur et percipiuntur, eo gravius ſaepiſſime ſentiuntur. Diximus de hac re late P. I in cap. de *brevitate dicendi* p. 481 ff.

Hic tantum haec in univerſum dicemus:

1) paucioribus vocabulis plures notiones exprimuntur, v. c. *es ſimilis patris* pro *es tali animo, quo pater tuus ſolebat eſſe: vita tua reſpondet ſpei hominum* pro *tu vivis ita, ut homines credebant te vitam eſſe acturum:* ſic *exitus non reſpondet meae exſpectationi* pro *res non talem exitum habet, qualem ego exſpectabam: primus hoc feci* pro *primus ſum, qui hoc fecerim: Iſte ſe omnibus praefert* pro *putat ſe eſſe ſuperiorem omnibus* etc.

2) uno vocabulo duae ideae exprimi poſſunt, ſeu unum vocabulum pro duobus poni poteſt, v. c. *quin* pro *cur non, ut non: ita* pro *hoc conſilio, hoc effectu* etc.: *hic* pro *hac in urbe: unde* pro *a quo, qua ex re* etc.: *libentiſſime* pro *ſumma cum voluptate: contemno* pro *non timeo: negligo* pro *non curo* etc.: *qui cum* pro *cum vero hic: participium* pro verbo cum

particula vel cum pronomine *qui: propter* et *per* cum suo casu in unum vocabulum contractum, v. c. *invides meae felicitati* pro *invides mihi ob meam felicitatem*: *peperci hominis adolescentiae* pro *peperci homini ob adolescentiam: occupatio tua potest mihi denegare* pro *potes mihi denegare propter occupationem tuam*: *Virtus tibi summos honores peperit* pro *per virtutem tibi peperisti summos honores.* Exempla e Cicerone reperies supra in cap. de *brevit.* p. 457—468.

3) uno vocabulo tota interdum enuntiatio exprimi potest. V. c. a) *At* in objectionibus pro *possit mihi objicere aliquis* etc. v. c. pro his verbis: *possit mihi aliquis objicere*, *rem esse nimis difficilem; sed respondeo, multos jam eam egisse*, potest brevius dici: *At res est nimis difficilis; at multi egerunt:* nam et in respondendo objectionibus τὸ *at* repeti potest. Sic b) *quod* pro *quod ad id attinet, quod*, v. c. *Quod autem nonnulli rem istam negant, manifeste errant* seu *in eo manifeste errant.* c) *ita* in jurando pro *quam verum est me optare, ut hoc vel illud fiat*, aut brevius: *quantopere opto, ut* etc., sequente *ut* pro *tam verum est me quoque optare, ut* etc., aut brevius pro *tantopere opto quoque, ut* etc., si *ut* cum conjunctivo ponitur, vel etiam pro *tam verum est, hoc illudve accidisse, se habere* etc., si τὸ *ut* indicativo jungitur. Exemplum prioris generis: *ita deus me in omnibus rebus adjuvet, ut reipublicae omnia bona contingant* pro *Quam verum est me optare* s. *quantopere opto, ut deus me in omnibus rebus adjuvet, tam verum est quoque me optare* s. *tantopere opto, ut reipublicae omnia bona contingant.* Exemplum alterius generis, ubi *ut* indicativum habet, hoc esto: *ita tibi omnia ex sententia cedant, ut rem non recte egisti* pro *Quam verum est me optare, ut tibi omnia ex sententia cedant, tam verum est, te rem non recte egisse.* d) *quicunque* s. *quisqus venit, dicit* pro *veniat, dicat, quicunque* s. *quisquis velit venire, dicere.* e) *participium* pro *cum, postquam, dum* seq. verbo: v. c. *dicebat haec proficiscens* pro *cum proficiscebatur, proficisci parabat.* f) *substantiva, adjectiva, praepositiones* cum suis casibus pro *cum, dum, postquam* etc. seq. verbo: v. c. *senex, puer, ista didicit* pro *cum senex, puer, erat: Cicero hoc fecit consul* pro *cum consul erat, cum consulatum gerebat: post mortem patris, ex morte patris* etc. pro *postquam pater mortuus erat.* g) *utinam* pro *quam optandum est, ut* etc. v. c. *Quod utinam omnes faciant* h. e. *Wie sehr ist zu wünschen, daß dieß jedermann thun möchte: utinam te deus salvum mox reducat!* h) *falso, recte, non injuria* pro *falso dixit, egit, recte dixit, egit* etc., *non injuria hoc factum*

factum est etc.: *Multi hanc rem pro nimis ardua habent. Falso* seu *Male*: pro *et hac in re falso* s. *male loquuntur*, *agunt*. Sic *Laudatur vulgo virtutis praestantia. Recte* s. *praeclare* h. e. *in eaque re recte* s. *praeclare agunt.*

De his singulis supra P. I, cap. 10 de *brevitate* p. 481 ff. latius diximus et exempla e priscis, maxime Cicerone, congessimus, quae videri possunt.

XXVII) *Abruptum dicendi genus* h. e. quando ideae non inter se cohaerent, quia una, interdum plures, quarum ope illae cohaerere debebant, omissae sunt. Est igitur genus quoddam ellipseos. Mos vero est hic incitate loquentium, ut eorum lingua unam alteramve ideam facile transsiliat. V. c. *tale quid fieri potuisse?* ubi intell. *credibile est*, vel simile quid. Quae ratio valde gravitati prodest: indicat enim animum maxime commotum et admirationis maximae simul plenissimum; hinc ea nemini uti licet, nisi hoc animo vere sit.

Sic Cic. Verr. V, 44 med. *Hic cuncti Siculi fidelissimi atque antiquissimi socii, plurimis affecti beneficiis a majoribus nostris, graviter commoventur, et de suis periculis fortunisque omnibus pertimescunt. Illam clementiam mansuetudinemque nostri imperii in tantam crudelitatem inhumanitatemque esse conversam? condemnari tot homines uno tempore nullo crimine? defensionem suorum furtorum praetorem improbum ex indignissima morte innocentium quaerere.* Hic ob commotum animum omissum est id, a quo verba *illam clementiam — esse conversam?* et verba *condemnari tot homines* etc. *praetorem quaerere defensionem* etc. pendeant. Intelligendum est *num credibile est* vel simile quid. — Eodem modo nostri in simili animi permotione loquuntur: *daß ich doch das gethan habe! daß ich doch nicht hingegangen bin! daß er doch nicht geschrieben!* vel *und ich, das zu thun? und ich nicht hinzugehen? und er nicht zu schreiben?* et forsitan in omnibus linguis vel potius omnibus nationibus hoc usitatum est. Nam ira ubique dictat verborum connexionem eandem h. e. saepe nullam. Saepius ita Cicero et alii. Rosc. Am. 22 legitur in editionibus: *Quid postea? Erat sane suspiciosum. Neutrum sensisse? ausum autem esse quemquam se in id conclave committere, eo potissimum tempore, cum ibidem essent duo adolescentes filii, qui et sentire*

et defendere facile possent. Hic igitur in verbis *neutrum sensisse?* et in verbis *ausum autem quemquam* etc. foret illud abruptum dicendi genus: sed arbitror signum distinctionis post *suspiciosum* esse delendum. Hoc mihi tam certum est, ut, quotiescunque in hunc locum inciderim, semper crediderim signum istud distinctionis peccato typothetarum in textum irrepsisse. Melius haud dubie est, orationem hic cohaerere. Cicero non loquitur de sua causa sed de aliena: cur Ciceroni opus erat hic animo tam commoto et incitato loqui atque abrupto dicendi genere uti? Et hoc non ubique inculcare debemus. Oratio praeclare cohaeret: *erat sane suspiciosum, neminem sensisse, et ausum quemquam esse* etc. — Aliud genus abrupte loquendi est Cic. Catil. I, 9 in. *Quamquam quid loquor? te ut ulla res frangat? tu ut unquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditere? tu ut ullum exsilium cogites?* Deest, unde pendeat *ut:* forsan intelligendum *fierine potest* aut *possit.* Sic et nostri: *du solltest dich bessern?* Eod. cap. extr. *aquilam — sciam esse praemissam? tu ut illa diutius carere possis, quam venerari — solebas? du solltest ihn lange missen können?* ubi *fierine potest* ob *possis* intelligi nequit; attamen simile quid intelligitur. — Aliud genus abrupte loquendi est, quando verba sequentia desunt, sine quibus praecedentia vel non vel aegre intelligi possunt. Vocatur in libellis rhetoricis *aposiopesis;* possis, si latine ac simul perspicue loqui malis, vocare *silentium repentinum* vel *silentium in medio contextu orationis:* Cicero *reticentiam*, Orat. III, 53, Celsus apud Quintil. VIIII, 2 *obticentiam* appellavit: quae appellationes iis, qui graeca inculcari nolunt, magis placebunt. — Sed haec *reticentia* est duplex: a) quando in sermone familiari orationem repente abrumpimus, quia nolumus alium quendam, qui forsan illi interest, audire aliquid, quod tantum auribus familiarissimorum credimus. Item in Epistolis Cicero interdum abrumpit, quia is, ad quem scribit, ea, quae omittuntur, per se intelligit. V. c. ad Div. XIIII, ep. 3 §. 9 *Si perficitis, quod agitis, me ad vos venire oportet; sin autem: sed nihil est opus reliqua scribere* post *sin autem* deest *nihil perficitis* vel simile quid; sed, quae deinceps sequi debebant, nemo praeter Terentiam et liberos Ciceronis, ad quos epistola scripta est, intelligere potest. Haec reticentia non est gravis, nisi forte putemus prae nimio dolore Ciceronem ista omisisse: quod non incredibile. b) quando animus nimis commotus linguam mentemque ita praecipitat, ut hae nonnullas ideas et verba prae nimia festinatione transsiliant et omittant. Huc pertinet illud ap. Virgil. Aen. I, 139 *Quos ego*, satis decan-

tatum.

tatum. Tali reticentia abstinendum hodie cenſeo, ſaltem in oratione ſeria; quia hominem honeſtum et gravem non decet animi permotionibus nimis abripi: hoc minuit auctoritatem. — Eſt et aliud reticentiae gravis genus, quando rem turpem, atrocem, vel nimis injucundam ſilemus, ſperantes, noſtram mentem a lectore vel auditore quodam modo intellectum iri. Sic Virg. Ecl. III, 7 ſſ. loqui videtur Damoetas cum Menalca: *Parcius iſta viris tamen objicienda memento: Novimus et qui te, transverſa tuentibus hircis: Et quo, ſed faciles, Nymphae riſere ſacello.* Hic ad *te* aliquid deeſt: quid? neſcimus: videtur turpitudo aliqua latere. Talis reticentia laudanda eſt. Cic. ad Div. XII, ep. 6 §. 4 Caſſio ſcribit de Bruto plenus aegritudinis et angoris: *Res, cum haec ſcribebam, erat in extremum deducta discrimen. Brutus enim Mutinae vix jam ſustinebat. Qui ſi conſervatus erit, vicimus: ſin, quod dii omen avertant, omnis omnium curſus ad vos.* Hic ad *ſin* aliquid deeſt, v. c. *non liberabitur obſidione* vel ſimile quid, quod Cicero ob rem ingratam omittebat: ſed facile intelligitur ex adjectis verbis: *quod dii omen avertant*, et e praecedentibus. Sed et hac reticentia in dicendo vel ſcribendo non facile utendum cenſeo, niſi addamus aliquid, unde omiſſa intelligi poſſint, imitantes Ciceronem, qui addidit: *quod dii omen avertant!* Tum gravitati ſervire patet, quia, quae reticentur, ſaepe majora putantur quam ſaepe ſunt, et ipſa animi permotio, quae vel iſtam reticentiam comitatur vel inde elucet, gravitatem affert, dummodo res ipſa ſit gravis, ne fluctus in ſimpulo excitare videamur. Auditor ſe facile accommodat ad dicentem, praeſertim ſi auctoritas, vox etc., adjuvent. Flente oratore magno facile flent quoque auditores.

XXVIII) *Oppoſitio idearum ſibi contrariarum:* vulgo vocantur *antitheta.*

Haec oppoſitio 1) nihil aliud eſt proprie quam brevis comparatio duarum rerum contrariarum: hinc 2) non tam ad ſuavitatem, quamquam etiam ad hanc, quam ad gravitatem dicendi pertinet: nam v. c. pulchritudo rei e turpitudine alius rei addita magis eluceſcit, et turpitudo rei, addita alius rei pulchritudine, creſcere et magis ſordere videtur. Eſt hoc rei naturae conveniens. 3) non modo ideae proprie ſibi contrariae huc pertinent, ſed omnes ideae, quae quadam relatione diverſae ſunt certoque in contextu ſibi opponuntur, v. c. *abire, redire, fallere, falli* etc. 4) oppoſitio iſta debet,

 quantum

quantum fieri poteſt, concinna eſſe h. e. ſibi aequali numero idearum reſpondere, quod numeri oratorii nomine inſigniri ſolet, v. c. ſi unum antithetorum una idea conſtat, alterum quoque una conſtare debet, ſin unum duabus, tribus pluribusve, ideis continetur, alterum totidem ideis, atque ita totidem verbis, contineri deceat. V. c. Cic. Mil. 4 *Eſt haec non ſcripta ſed nata lex, ad quam non docti ſed facti, non inſtituti ſed imbuti, ſumus*: Hic *ſcripta* et *nata*, *docti* et *facti*, *inſtituti* et *imbuti* ſibi opponuntur. — Catil. II, 11 *Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc ſtuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc ſcelus* etc., ubi *pudor* et *petulantia*, *pudicitia* et *ſtuprum* etc., ſibi opponuntur. It. *hinc* et *illinc* non modo ſibi opponuntur ibi, ſed etiam crebro repetuntur; quod auget gravitatem. — Verr. III, 92 *Vides eandem aeſtimationem propter temporis diſſimilitudinem in illo* (Sacerdote) *laudis cauſam habere, in te criminis; in illo beneficii, in te injuriae*: ubi iterum eſt duplex oppoſitio in eadem enuntiatione: opponuntur enim primum *in illo* et *in te* — deinde *laudis* et *criminis*, *beneficii* et *injuriae*. Ib. c. 4 extr., ubi Verres cum L. Mummio comparatur: *plures hic ſolus villas ornamentis fanorum quam ille* (Mummius) *fana ſpoliis hoſtium ornaſſe?* Cluent. 2 *dominetur* (invidia falſa) *in concionibus, jaceat in judiciis* etc. Verr. V, 6 *ut, quam damnatis ſervis crucem fixeras, hanc indemnatis civibus romanis reſervares*. Plura vid. ſupra p. 265 ſſ. P. I, c. 6 de *numeris oratoriis*. 5) in oppoſitione videndum, ut ideae ſibi contrariae arctius jungantur: ſic gravitas creſcit. V. c. *fugiebat conventus ſapientium, ſtultorum uſu delectabatur* gravius dicitur, quam ſi ordinem verborum immutes. Sic *cave, ne, dum alios ſtudeas fallere, fallaris ipſe* gravius eſt dictum, quam *cave, ne, dum fallere alios ſtudeas, ipſe fallaris*. Sic *mortalem immortales inimicitias exercere non decet*: non *mortalem inimicitias immortales* etc. Sic *hominem decet mortales inimicitias, amicitias immortales, habere* vel *hominem decet inimicitias mortales, immortales amicitias, habere*, utrumque recte dicitur, quia illic *inimicitias* et *amicitias* hic *mortales* et *immortales* arctiſſime conjunguntur. Minus grave foret: *hominem mortales inimicitias decet habere et immortales amicitias*. Sic *corpore cum ſimus mortali, immortalem nominis famam appetamus*. Sic *corporis mortalitatem nominis immortalitate compenſemus* vel *mortalitatem corporis nominis* etc., ſed illud melius. Sic *res eſt haud dubie utilis, neceſſaria nullo modo*. Sic apud Cic. Orat. 63 e Carbonis oratione: *patris dictum ſapiens temeritatem filii comprobavit*: ubi *ſapiens* et *temeritatem* non ſine gravitate

tate juncta ſunt: ac forſan haec conjunctio idearum ſibi contrariarum, praeter vocem, effecit, ut populus iſta verba audiens tantopere exclamaret (ut Cicero ibi narrat), non ditrochaeus in *comprobavit*, ut Cicero putavit; de qua re ſupra p. 276 ſ. in cap. de *numero* dixi. — Pertinent huc oxymora, v. c. *cum tacent, clamant:* quae brevitate atque ita arctiori conjunctione graviora fiunt. Si Cicero dixiſſet v. c. *Cum tacent hi viri, profecto, Catilina, clamant,* omnis gravitas periiſſet.

XXVIIII) *Honeſtatis virtutumque ſtudium per totam orationem* apparens, cum v. c. de virtute ſemper tanquam de re certiſſime praeclara ac divina, de vitio ſemper ut de re turpi homineque indigna, loquimur, nec unquam ambigue aliquid dicimus, unde poſſit colligi, nos non vere amantes eſſe virtutum. Sed, ut hoc ſtudium virtutis recte declarare poſſimus, debemus eſſe illa inſtructi. Nam nihil eſt difficilius quam virtutis, qua careas, ſtudium ſimulare. Ac praeterea, ſi homines nos norunt eſſe vitiorum amantes, noſtra oratio, licet ſit virtutum omnium pleniſſima, tamen fide, auctoritate et gravitate, carebit. Nemo gravius de virtute loquitur, quam qui eam poſſidet. Qui non rem vere et graviter ſentit, quomodo is eam vere et graviter eloqui poteſt? Adeo verum eſt *pectus eſſe, quod diſertos faciat:* ac neminem ad gravitatem dicendi omninoque ad eloquentiam aptiorem eſſe quam virtutis vere ſtudioſum. Res ipſa loquitur.

XXX) *Repetitio eorundem vocabulorum*, graves ideas continentium. V. c. *Si lacrymae nihil proſunt, quid lacrymis indulges?* gravius eſt dictum quam *quid iis indulges?* Sic *Si Chriſti nomen profitemur, nonne Chriſti vitam imitari debemus?* gravius eſt dictum quam *nonne ejus vitam* etc. vel *nonne magiſtri noſtri vitam* etc. Sic Cicero ſaepiſſime.

V. c. Verr. III, 94 in. *Utrum, cum judices ſitis de pecunia capta, conciliata, tantam pecuniam captam negligere?* gravis eſt

repetitio *de pecunia capta* et *pecuniam captam*: *τὸ conciliata* hic melius, puto, abeſſet; et ſtatim: *an, cum lex ſociorum cauſa rogata ſit, ſociorum querimonias non audire?* recte repetitur *ſociorum*: languidum *eorum* fuiſſet. — Arch. 2 extr. *Quod ſi mihi a vobis tribui concedique ſentiam, perficiam profecto, ut hunc A. Licinium non modo non ſegregandum, cum ſit civis, a numero civium, verum etiam, ſi non eſſet, putetis adſciſcendum fuiſſe.* Egregie *civis* et *civium*: nam de hac re, an Archias pro cive habendus, eſt quaeſtio. Ibid. cap. 4 med., poſtquam Cicero docuit, civitatem Archiae, quamquam non per tabulas publicas, quia tabularium flammis interierit, tamen per teſtimonia virorum fide dignorum demonſtrari poſſe, addit ad refellendum accuſatorem Archiae: *Eſt ridiculum ad ea, quae habemus* (i. e. teſtimonia hominum), *nihil dicere: quaerere, quae habere non poſſumus* (i. e. teſtimonium tabularum publicarum): *et de hominum memoria tacere, literarum memoriam flagitare.* Graviter dictum *de memoria* et *memoriam*, ut ridiculos reddat eos, qui ad tabulas publicas provocant. — Phil. II, 22 extr. *Omnia perfecit* (Antonius), *quae ſenatus, ſalva republica ne fieri poſſent, perfecerat: cujus tamen ſcelus in ſcelere cognoſcite*: ubi duplex repetitio, eaque gravis, *perfecit* et *perfecerat*, *ſcelus* et *ſcelere.* In his omnibus gravitas augetur arctiori conjunctione horum vocabulorum. — Sic Mil. 11 *Inſidias factas eſſe conſtat, et id eſt, quod ſenatus contra rempublicam factum judicavit: ab utro factae ſint, incertum eſt.* Gravis eſt repetitio *factas*, *factum*, *factae*: nec erat, quod Cel. Erneſti illam in Proluſ. de *grata negligentia* pro tali negligentia haberet. Haud dubie Cicero hoc vocabulum de induſtria repetiit; dicit: a) *factum* conſtat: Cicero vero intelligit per *factum* callide *inſidias*, cum ſenatus dixerit *caedem Clodii factam eſſe contra rempublicam* cf. cap. 5. b) *factum* i. e. e mente ſenatus *Clodii caedes*, e mente Ciceronis *inſidiae*, eſt contra rempublicam. c) *facti* vero *auctor* incertus eſt h. e. incertum eſt, uter inſidias fecerit. Vides gravitatem, vides ſimul, quam callide Cicero mentem ſenatus explicet. Sic Liv. IIII, 3 e vehementi oratione Canuleji defendentis alterum conſulem ex plebe fieri debere: *Si populo romano liberum ſuffragium datur, ut, quibus velit, conſulatum mandet, et non praeciditur ſpes plebejo quoque, ſi dignus ſummo honore* (i. e. conſulatu) *erit, apiſcendi* (pro *adipiſcendi*) *ſummi honoris, ſtare haec urbs non poterit?* Gravis eſt repetitio verborum: *ſi dignus ſummo honore erit, adipiſcendi ſummi honoris.* Erneſti l. c. hanc quoque pro *grata tantum negligentia* habet. — Huc pertinet Hom. Odyſſ. τ. 204 ſſ., ubi quinque

quinque versibus quinquies τήκεσθαι vel κατατήκεσθαι h. e. *liquescere* usurpatur in suavissima et admovendos lectorum animos aptissima comparatione animi Penelopes, audita narratione de Ulysse, liquescentis cum nive liquescente. Quam repetitionem Ernesti ibidem pro grata negligentia habet, sed addit tamen ipse, hoc vocabulum aptissimum fuisse. — Ad hanc repetitionem eorundem vocabulorum gravem referre quoque possumus repetitionem eorum inversam, quae vulgo ἐπάνοδος et interdum ἀντιμετάθεσις appellatur, v. c. Quintil. X, 7 *Qui stultis videri eruditi volunt, stulti eruditis videntur.* Plin. Paneg. 17 *Non ideo vicisse videris, ut triumphares, sed triumphare, quia vinceres.* Ceterum in his omnibus conservatio eiusdem vocabuli gravior est quam variatio. — Add. Vellej. II, 117 de Quintilio Varo: *quam* (Syriam) *pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit:* Ponas vel *copiosam* pro *divitem* vel *inopem* pro *pauperem*, et minus graviter dictum erit.

XXXI) *Mutatio languidiorum vocabulorum singulorum in fortiora.* Haec est res maxime necessaria: nam languide loqui est languide cogitare. Hic omnia vertuntur in linguae accurata cognitione, ut, quae vocabulis vis insit, satis scias, deinde in memoria felici et promta, quae statim vocabula gravibus ideis respondentia suggerat: quamquam mens rite commota rei gravitate sponte plerumque illa suppeditat. *Pectus enim est, quod disertos facit, et vis mentis*, ait Quintil. X, 7, et addit: *ideoque imperitis quoque, si modo sunt aliquo affectu concitati, verba non desunt. Fortiora* s. *graviora verba* sunt ea, quorum ideis vel per se major vis continetur vel quibus inclusa simul latet idea secundaria gravitatem rei augens. Loquimur autem hic tantum de vocabulis singulis. Exempla speciminis loco afferemus: unde deinde facile plura effingi poterunt.

A) *Vocabula vim majorem per se continentia.* V. c.

1) *Stertere* pro *dormire.*

2) *Volare* pro *celeriter ire:* sic *advolare* i. e. *celeriter venire.*

3) *Prodere* pro *periculo aliquem exponere*, quia, qui hoc facit, *fere* prodit seu proditoris est similis: v. c. *prodere vi-*

tam et pecuniam ap. Terent. Heavt. III, 1, 69: et Adelph. IIII, 5, 58 *prodidisti te et illam miseram et gnatum:* it. pro *deserere*, quia, qui aliquem deserit, is eum periculo exponit atque ita prodere videtur: v. c. *prodere urbem* de urbis obsessae *desertore*. Sic *proditio consulis tui* Cic. Verr. I, 14 de Verre, qui quaestor Carbonem, proconsulem suum, et provinciam deseruerat, ut Cicero ait cap. 13, ubi dicit *consulem deseruit*, et paulo post de re eadem *aufugerit*, *profugerit*. Graeci sic usurpant προδιδόναι.

4) *Nullus* pro *nullius* aut *parvi pretii* s. *utilitatis*, v. c. Cic. Amic. 26 *Nulla est igitur haec amicitia, cum alter verum audire non vult, alter ad mentiendum paratus est.* Sic Cic. dixit interdum *nulla esse judicia*, v. c. Verr. Act. I, 7 pro *non esse justa*, atque ita *parvae* vel *nullius utilitatis*: nam *non juste judicare* est fere nihil aliud quam *non judicem esse*. Sic Cic. ad Div. VII, ep. 3 §. 9 de Pompejo post pugnam apud Dyrrachium: *Ex eo tempore vir ille summus nullus imperator fuit*; ut et nostri: *er war kein Feldherr* h. e. non satisfecit officio imperatoris. Sic *nullus sum* pro *perii* per hyperbolen.

5) Cic. Fontej. 16 in. *impetus terroresque depellit* pro *removet*. Sic *detrahere* gravius est quam *adimere*, v. c. Cic. Verr. IIII, 26 *annulus de digito detractus est.*

6) Philipp. II, 4 *personabant omnia vocibus ebriorum: natabant pavimenta vino* etc. pro *audiebantur voces ebriorum, madebant pavimenta vino*: at quanto fortius *personabant*; quod indicat maximum clamorem: et *natabant*, quod indicat maximam vini abundantiam.

7) Verr. V, 52 *tu in provincia tam splendida, apud socios fidelissimos, cives romanos honestissimos, in metu periculoque provinciae, dies continuos complures in litore conviviisque jacuisti;* ubi *jacuisti* fortius erat quam *fuisti*.

8) Verr. V, 55 in. *carcer ille, qui est a crudelissimo tyranno Dionysio factus Syracusis, quae lautumiae vocantur, in istius* (Verris) *imperio domicilium civium romanorum fuit.* Grave verbum est *domicilium* pro *locus*, quasi fuerit perpetuus et proprius locus civium romanorum, quasi hi in carcere habitaverint. Sic *habitat in lecto* nostri augendae rei causa dicunt de eo, qui nimis diu et magnam adeo diei partem in lecto jacet.

9) Verr. I, 4 *tot tantisque sceleribus coopertus* pro *plenus;* at *coopertus* est longe majus; proprie enim significat, ita multitudine rerum circumdatum esse, ut conspici non possis: v. c. *lapidibus cooperiri* Verr. I, 46: Liv. IIII, 50.

10) *ob-*

10) *obvallatus* pro *munitus* Agr. II, 1 *Me perlongo intervallo prope memoriae temporumque nostrorum primum hominem novum consulem fecistis: et eum locum* (consulatum), *quem nobilitas* (i. e. nobiles) *praesidiis firmatum atque omni ratione obvallatum tenebat, me duce rescidistis virtutique in posterum patere voluistis.* Gravius est *obvallatus* quam *munitus, septus* etc., ductum e re militari, ubi castra vallo muniebantur, quod rescindi oportebat ab oppugnantibus. Sensus loci est: *Vos consulatum, quem nobiles soli habere omnibus viribus studebant, aliis omnibus, si quidem virtute excellerent, consequendi facultatem dedistis.* Peccavit tamen Cicero, quod dixit *locum* i. e. consulatum *rescidistis: locus* i. e. castra non *rescinditur* sed *vallum*, quo septus est.

11) *nundinae* pro *venditio:* Cic. Philipp. II, 14 objiciuntur Antonio *agrorum, oppidorum, immunitatum, vectigalium flagitiosissimae nundinae:* sic *jus nundinari* Verr. I, 46 *qui ab isto* (Verre praetore) *jus ad utilitatem suam nundinarentur.* Iam *vendere* agros etc. Antonio et jus Verri erat turpitudini: quanto majori esse debet *nundinari*, quod indicat, venditionem fieri palam atque ita, ut, quicunque velit, pro pecunia accipere illas res possit.

12) *Excussus* pro *ejectus.* Cic. Phil. II, 22 *Consules ex Italia excussos* etc. Iam *ejectos* erat grave: at gravius *excussos: excutere* proprie *quatiendo ejicere, herausschütteln.* Sic Virgil. Aen. VII, 299 Iuno irata Trojanos vocat *patria excussos*, cum ne ejecti quidem proprie essent: fugerant tantum e patria, quia cremata erat. Eadem est ratio loci Ciceroniani.

13) Cic. ad Div. I, ep. 1 in. *ut vitam mihi acerbam putem* pro *tristem*, vel pro *ut magno pudore perfundar* etc.

14) *Dedecus* pro *homine turpi*: abstractum pro concreto. Sic *asinus* a leone vocatur ap. Phaedr. I, 21 *dedecus naturae* pro *qui dedecori es:* dictum est quasi sit *nihil nisi dedecus.*

In his omnibus, quorum nonnulla ad sequentem classem referri possint, inest superlatio veritatis s. hyperbole; ac tota ratio, si ad vivum reseces, cernitur in omissione particulae *fere*, ut adeo, si audaculi fuissemus, ad ellipsin referre potuissemus: v. c. *nundinae* i. e. *fere* s. *quasi nundinae, obvallatus* i. e. *fere obvallatus* etc. Cf. quae de oxymoris n. 22 dixi: nam v. c. *dum tacent clamant* dictum est pro *fere clamant:* proprie enim dicere Cicero debebat: *dum tacent, assentiuntur mihi* etc. Et tum recte locutus esset, quia silentio assentiri saepe solemus.

B) Vo-

B) Vocabula, in quibus inclufa fimul latet notio fecundaria gravitatem augens: ut adeo non modo ideam eam, quam proprie exprimere debeant, fed et illam fecundariam complectantur, atque ita una idea pro duabus feu unum vocabulum pro duobus ponatur. Si igitur vis duplex in anguftum contracta et compreffa fortius ferit, vocabulum unum, in quod contractae funt duae ideae, animos magis ferire et movere neceffe eft. Exempla aliquot afferam: quamquam exempla prioris claffis, fi accuratius indagentur, fere omnia in hanc quoque claffem referri forfan poffint. Sed hoc nunc non agimus.

1) Ineft fimul idea *effectus* f. *confequentiae:* v. c. a) *miferum me reddidit* pro *valde mihi nocuit:* — fic *perii* faepiffime pro *mifer fum*: fic *ridebis* pro *felix eris*, *flebis* pro *mifer eris*: ut Gr. *κλαίειν* de *vapulantibus* et *poenas dantibus* dicitur. b) accufator Ciceroni faepe dicitur *damnare aliquem* vel *urbe ejicere* pro *accufare* vel *efficere, ut aliquis damnetur atque ita ex urbe ejiciatur.* Hic igitur dicitur aliquis aliquid feciffe, cum tamen tantum occafionem praebuerit. Ergo in *damnare* de accufatore non modo ineft idea accufationis fed fimul damnationis; ut in *ejicere ex urbe* praeter hanc notionem etiam ineft idea accufationis: fic *condemnare* eft Cic. Verr. V, 9 *Nam iftum paucis horis primae actionis omnium mortalium fententiis condemnavi.* c) Cic. Manil. 12 *Qui ad vos ab exteris nationibus venirent, captos querar, cum legati populi romani redemti fint?* Hic *redemti* pro *capti*; at gravius eft *redemti:* nam non modo includit *τὸ capti*, fed fimul continet ideam redemtionis, quae longe acerbior et nomine populi romani indignior eft. d) Virgil. Aen. IIII, 2 de Didone: *caeco carpitur igne* pro *uritur*, et hoc pro *tenetur:* jam grave verbum eft *teneri* i. e. *gefeffelt werden*, gravius *uri*, longe gravius *carpi* i. e. *fenfim abfumi.* Sed in *carpitur* ineft *τὸ uritur.* e) Virg. Aen. VII, 303 *optato conduntur Thybridis alveo* pro *veniunt* vel *funt:* fed vocabulo *conduntur* i. e. *teguntur* ineft fimul idea *fecuritatis.* Ergo infunt duae ideae: 1) *effe* 2) *fecuritas;* add. Cic. Catil. I, 10 in. *Quanta in voluptate bacchabere?* ubi *bacchabere* pro *eris* pofitum eft, at multo gravius.

2) Ineft fimul notio *caufae:* v. c. Agr. II, 6, ubi Cicero monet Romanos, ne credant, ipfum legi agrariae Rulli temere repugnare, tanquam inter confules et tribunos diffidium effe neceffe fit, quia hiftoria doceat, faepe confules et tribunos inter fe acerrime contendiffe: haec pofteriora callide ita exprimit: *quia perfaepe feditiofis atque improbis tri-*

tribunis plebis boni ac fortes consules restiterunt, et quia vis tribunicia nonnunquam libidini restitit consulari. Praeterea hic, Ciceronem de consulibus resistentibus dixisse *persaepe*, et de tribunis resistentibus *nonnunquam:* hic tantum de vocabulo *libidinis* sermo est. *Libidini* dixit pro *voluntati* s. *consilio*: at simul indicare vult *voluntatem* fuisse *temerariam: libido* enim est, cum, quidquid cupis, id efficere studes, neque aliorum consilium auctoritatemque nec causas justas curas, *Eigensinn, Muthwillen, Caprice.* Mire, sed graviter, dixit Cicero Verr. I, 3 *ut ego hunc unum, ejusmodi reum* (Verrem) *post hominum memoriam fuisse arbitrer; cui damnari expediret.* Verba: *cui damnari expediret* dicta, sunt pro *qui damnari praecipue mereretur, deberet* etc. At *expediret* indicat causam, cur damnandus sit, scil. quia hoc ei expediat, et indicat, eum tam improbum esse, ut non nisi poena corrigi possit. In verbis *expedit alicui damnari* inest oxymorum quoddam.

3) Inest idea *firmitatis:* v. c. *stat sententia* pro *est.*

4) Inest idea *certitudinis*, v. c. *repertus est sapiens* pro *fuit;* sed illud indicat, omnes hoc credere; sic *effecit, ut doctus reperiretur* majus est quam *ut doctus esset.*

5) Inest idea *turpitudinis*, v. c. *polluere jura* pro *violare* v. c. Cic. Rosc. Am. 23 est quasi *polluendo violare.*

6) Inest idea *rei indignae ac molestae*, v. c. *descendere ad conditiones* h. e. *conditiones licet duras accipere:* sic *descendere* ad *extrema:* sic Cic. Verr. I, 38 *qui ut se periculo litium conjunctione criminum liberarent, quo ego vellem, descensuros pollicebantur;* sic et nostri *sich herablassen, herunterlassen*, de re indigna, acerba: ubi coacti eam agunt.

7) Inest idea *dignitatis* s. *meritorum:* v. c. *judicium* pro *honoribus:* at illud gravius, quia simul indicatur, *honores* merito tributos esse, atque ita eum, qui honores tribuerit, non temere sed judicio ductum atque ita ob dignitatem tribuisse: hinc v. c. *omnes judicium regis de te laudant* gravius est dictum quam: *omnes laudant regem, quod tibi honores istos* s. *munus tribuerit*: in hoc enim nulla causa latet, cur tribuerit: hinc etiam ad n. 2 referri possit. *Iudicium* etiam de *omni honore, praemio*, dicitur ob eandem causam, v. c. Cic. ad Div. X, ep. 1 extr. *teque hoc existimare volo, quidquid in eum* (Furnium, legatum tuum) *judicii officiique contuleris, id ita me accipere, ut in meipsum te putem contulisse* i. e. *honoris* vel *praemii* in genere. Sic *judicare* gravius est dictum quam *existimare;* v. c. aliud est: *Philosophi judicant rem ita esse*, aliud: *existimant, putant* etc.; illud indicat, illos

cum

cum judicio exiſtimare h. e. *certis cauſis* ductos: hoc ſignificat, illis cauſas juſtas deeſſe.

8) Ineſt idea *rei terribilis*, *atrocis*: v. c. Cic. Catil. II, 1 extr. *Iacet ille nunc proſtratusque eſt, Quirites, et ſe percul-ſum atque abjectum eſſe ſentit, et retorquet oculos profecto ſaepe ad hanc urbem, quam e ſuis faucibus ereptam eſſe luget.* Hic cogitemus tantum τὸ *retorquet oculos* pro *reſpicit* graviſſime eſſe dictum: quia reſpicitur ad belluam vel beſtiam aliquam, quae praedam ſibi ereptam eſſe fremit, et oculos modo horrendo retorquet.

9) Ineſt ſimul idea *triſtitiae:* vid. v. c. locus modo allatus Catil. II, 1 extr. *retorquet oculos profecto ſaepe ad hanc urbem, quam e ſuis faucibus ereptam eſſe luget.* Hic *luget* pro *videt* graviſſime dictum; ineſt ſimul idea et videndi et lugendi. Eſt vero proprie pro *cum luctu videt*; ergo quaedam brevitas.

10) Ineſt idea *laetitiae;* v. c. Cic. ad Div. XV, ep. 8 in. *Marcellum tuum conſulem factum, teque ea laetitia affectum eſſe, quam maxime optaſti, mirandum in modum gaudeo.* Hic deeſt notio *audiendi:* Sed pro *audio* vel *audivi* maluit Cicero ſtatim dicere, ſe *gaudere:* quia ſciebat, tum τὸ *audio* in *gaudeo* latere. Eſt vero proprie pro *cum laetitia audivi*, vel *audivi et vehementer gaudeo*: ut itidem pro genere brevitatis dicendi haberi poſſit.

11) Ineſt idea *curae:* v. c. *providi*, *ut rem iſtam acciperes*, pro *feci*, *ut* etc. Ergo interdum *providere*, *rationem habere*, pro *facere.* Sic *providere vorbeugen*, *vorbauen*, pro *impedire* ponitur; atque continet et ideam impediendi et ſimul ideam *providentiae*, *curae*, *diligentiae.* V. c. *Quae ſi non aſtu providentur* etc. ap. Terent. Andr. I, 3, 3, i. e. *praecaventur* ſeu *providendo impediuntur.*

Ac ſic forſan plura reperientur.

XXXII) *Adjectio vocabuli ad vocabulum* atque ita *ideae* ad *ideam*, ut hujus gravitas adjuvetur magisque ſentiatur. Sed quomodo haec adjectio inſtituitur, atque ita ex uno vocabulo duo, ex una idea duae, efficiuntur? Dictum de hac re eſt ſupra p. 384 ſſ. P. I, c. 9 de *copia verborum* ſ. *dicendi* Sect. 2 et 3.

Hic tantum nonnulla, ad gravitatem ſpectantia, afferemus:

1) *Ad-*

1) *Adjicitur* idea *effectus* s. vocabulum, quod *effectum aliquamve consequentiam* continet: v. c. *captum tenere* pro *cepisse*; *voluptates eum captum tenent* gravius est quam *ceperunt*, quia indicat, eum nondum vinculis earum liberatum esse. *Tenere* est effectus τȣ *cepisse*. Ap. Phaedr. *rana rupto jacuit corpore* pro *rupta est*: τὸ *jacuit* rem magis oculis subjicit. *Iacere* est consequens τȣ *rumpi*. Sic *pater aegrotans jacet* majus est quam *aegrotat*: nam indicat majorem vim morbi, qui illum lecto affixum tenet: nam de leviore morbo dici illud non potest; sic *morbo confectus jacet*; sic *humi prostratus jacet*; sic *domus incensa flagrat* pro *incensa est*: indicat enim domum adhuc ardere. Sic *confossus periit* pro *confossus est*. *Flagrare* est effectus τȣ *incendi* et *perire* effectus τȣ *confodi*. Sed haec vocabula non addi possunt, nisi earum ideae conveniant rei, de qua sermo est. Nam ista ratio, si accurate cogitas, est magis genus quoddam brevitatis dicendi quam copiae: nam v. c. *captum tenent* est pro *vicerunt et adhuc tenent*: *rana rupto jacuit corpore* pro *rupta est et jacuit*: *pater aegrotans jacet* pro *aegrotat et jacet in lecto*: *confossus periit* pro *confossus est et periit*: — Poetae in primis hanc rationem frequentant, v. c. Virgil. Aen. VII, 297 Iuno per ironiam loquitur: *at, credo, mea numina tandem fessa jacent, odiis aut exsaturata quievi*: pro *fessa sunt* et *exsaturata sum*: at crescit idea τȣ *fessa* adjecto *jacent*, ut idea τȣ *exsaturata* per additum *quievi*: τὸ *jacere* est effectus τȣ *fessum esse*, et τὸ *quiescere* τȣ *exsaturatum esse*. Aen. IIII, 376 ait Dido: *Heu furiis incensa feror* pro *incensa sum*, sed *feror* auget τὸ *incensa sum*: est enim proprie *feror hin und her getrieben, hingerissen, werden*, ut charta incensa fertur volans in aethera. *Ferri* igitur est effectus τȣ *incensum esse*. Ibid. 15 eadem Dido, cum dicere vellet, se nulli amplius viro nupturam esse, ait: *Si mihi non animo fixum immotumque sederet, ne cui me vinclo vellem sociare jugali* etc., ubi *fixum immotumque sederet* est pro *fixum immotumque esset*. Sed *sederet* indicat *firmitatem perpetuam*: estque effectus τȣ *fixum esse* et consequens τȣ *immotum esse*. Quidquid enim *fixum est* v. c. in terra, id *sedet* i. e. *firmum est*: et, quidquid *immotum est*, id per se *sedere* et *firmum esse* cogitur. Sed et haec omnia dicta sunt per brevitatem quandam: *fessa jacent* pro *fessa sunt et jacent*; *exsaturata quievi* pro *exsaturata sum et quievi*: *incensa feror* pro *incensa sum atque ita feror*: *fixum sederet* pro *fixum esset atque ita sederet*. *Sententia sedet*, *stat*, de *firma sententia* notum est. Exempla e prosaicis supra p. 399 sq. n. 5 in cap. de

de *copia dicendi* dedi, v. c. Liv. I, 31 *fulmine ictum conflagrasse* pro *ictum esse*: Cic. Or. I, 10 *laqueis te irretitum tenerent* pro *irretiisse* etc.

2) Additur idea *certitudinis* s. vocabulum ideam manifestam certamque esse declarans; talia sunt *certum est*, *constat inter omnes*, *nemo nescit*, *scimus*, *non credibile est*, v. c. pro: *An virtus, qua nihil praestantius est, ab homine contemnitur?* gravius dicitur: *an credibile est, virtutem, qua nihil esse praestantius certum est, ab homine contemni?* Cic. Manil. 7 *Nam tum, cum in Asia res magnas multi amiserant, scimus Romae solutione impedita fidem concidisse* pro *Romae fides concidit:* at τὸ *scimus* rem reddit certiorem; indicat enim sermonem esse de re nota. Ibid. cap. 12 — *nobilissimas urbes captas memorem, cum vestros portus atque eos portus, quibus vitam et spiritum ducitis, in praedonum fuisse potestate sciatis?* pro *cum vestri portus — fuerint:* at additum *sciatis* indicat Ciceronem de re notissima loqui. — Huc pertinent formulae *non fieri potest, quin*, *non facere possum, quin* et similia, quae rem certam esse confirmant. V. c. Cic. Verr. II, 14 extr. de Verre ubique praedam captante: *providebat, cum tanta hereditas in controversiam venisset judicioque peteretur, fieri non posse, ut sine praeda ipse discederet:* ubi *fieri non posse ut* etc. graviter dicta sunt pro *se non sine praeda discessurum* h. e. *se particula quadam illius hereditatis potiturum*: gravius est *non fieri posse* etc., quia hoc indicat, quam firmiter persuasum fuerit Verri. Agrar. II, 3 *Neque enim ullo modo facere possum, ut — non sim* (non *essem*) *popularis* pro *Ego enim popularis ero* vel *debeo esse* etc.; sed illud indicat, nihil certius esse posse. Ibid. cap. 5 *negabant me adduci posse, ut ullam largitionem probarem* pro *negabant me ullam largitionem probaturum*: at quanto certius et gravius hoc exprimitur per *negabant me adduci posse, sie sagten, ich sey gar nicht dahin zu bringen* etc.

3) Additur idea *opinionis*, h. e. *sententiae incertae adversariorum*, s. vocabulum indicans, adversarios, quae contra nos dicant, tantum opinari: sic Cicero saepe uno verbo suspectos reddit adversarios: v. c. Agr. II, 3 in., ubi dicit, nobiles invidia tactos, si quid ipse perperam egisset, non modo non veniam ei daturos, sed etiam populum romanum, quod talem consulem fecerit, vituperaturos. Verba inter alia sunt haec: *Sed mihi videntur certi homines, si qua in re me non modo consilio verum etiam casu lapsum esse arbitrabuntur, vos universos, qui me antetuleritis nobilitati, vituperaturi.* Dicere debebat: *si qua in re — lapsus fuero:*

sed

ſed auget indignitatem rei addito verbo *arbitrabuntur*, quod indicat, illos, etiamſi Cicero non re ſed ipſorum opinione tantum peccaverit, hoc jam pro maximo flagitio habituros. Gravius itaque in eos invehitur uſu verbi *arbitrabuntur*.

4) *Additur notio argumenti* ſ. vocabulum argumentum rei continens. V. c. pro *deum odiſſe quis poteſt?* gravius dicitur: *deum tam benignum odiſſe quis poteſt?* Nam ſimul argumentum ineſt, cur non poſſimus eum odiſſe; ſic pro *Deus talia ſcelera certo puniet* dicitur gravius *deus juſtus talia* etc.; ſic pro *preces tuas pater tuus non repudiabit* dicitur *preces tuas pater tuus humanus* etc.; ſic *omnes laudant Ciceronem* mutatur in *omnes laudant Ciceronis eloquentiam*, ſi ſcilicet de eloquentia ſermo eſt. Nam nihil addere debemus, quod non contextui conveniat. Sic *ignoſcere alicujus adoleſcentiae* pro *alicui:* ſic pro *quis eſt, qui non videat?* dicitur: *quis eſt tam imperitus rerum, quis eſt tam ſtultus, qui non* etc. Exempla multa dedi P. I c. 9 Sect. 3, p. 419 ff. et P. II cap. 1 Sect. 6 p. 531 ſ. n. 7

5) Additur idea *modi* ſ. vocabulum, docens, *qua ratione* aliquid fiat, factum ſit, futurum ſit etc. Huc pertinent innumera vocabula: a) *neceſſitatis*, ut *neceſſe eſt*, *non facere potui quin;* v. c. *Omnis homo moriatur neceſſe eſt* pro *moritur* vel *morietur: Si deum colis, neceſſe eſt felix fias* pro *felix fies.* b) *caſus*, ut *accidit* etc.; v. c. *dum iſta gerebat ac perficere ſtudebat, accidit ut moreretur* pro *mortuus eſt.* c) *conſilii*, quatenus caſui opponitur; v. c. *faciendum putavit, ut patriam adjuvaret* pro *patriam adjuvit*; at hoc temere fieri potuit, illud indicat factum eſſe cogitate et poſt deliberationem; ſic *illis malis occurrendum ſtatuit* pro *occurrit*; ſic ap. Virgil. Aen. IIII, 475 *decrevit mori* de Didone pro *voluit:* at *velle* poteſt temere accidere; gravius ergo *decrevit.* d) *conſuetudinis*, v. c. aliud eſt *benefacere ſolebat*, aliud *benefaciebat*, illud gravius: ſic *Verres jus vendere ſolitus eſt* gravius dicitur quam *Verres jus vendidit;* hoc indicat, eum forſan ſemel vel interdum id feciſſe, illud declarat, eum perpetuo ita egiſſe. Cic. Roſc. Am. 45 non procul ab in. de Chryſogono, potente illo Sullae liberto, a quo antea quaeſierat, cur bona Roſcii venierint, cur tantulo? etc. ita pergit: *Quae omnia ſi, quemadmodum ſolent liberti nequam et improbi facere, in patronum ſuum voluerit conferre, nihil egerit:* pro *Quae omnia ſi, quemadmodum faciunt liberti nequam* etc. At *ſolent facere* indicat hunc morem eſſe libertinorum nequam, nec aliter ipſos agere

posse: gravius ergo quam *faciunt:* hoc enim indicaret, eos *interdum* tantum ita facere. — Et sunt alia multa, quae huc referri possint: Unum *posse* addam, quod Cicero cum summa gravitate adjecit Act. I in Verr. 16. Loquitur ibi in genere de judiciis, quae tum invidia premebantur, quia credebantur judices pecunia facile corrumpi et improbissimos homines absolvere. Dicit: *Nulla est enim laus, ibi esse integrum, ubi nemo est, qui aut possit aut conetur corrumpere* pro *ubi nemo est, qui corrumpat*: at gravius *possit aut conetur;* quod indicat, judices facillime corrumpi posse, modo aliquis eos corrumpere *possit*, h. e. pecunia sit instructus ad corrumpendos, vel *conetur* h. e. *velit.* Et statim: *in hoc homine statuetur, possitne, senatoribus judicantibus, homo nocentissimus pecuniosissimusque* (i. e. Verres) *damnari:* pro *In hoc homine judicabitur, an vos judices, cum sitis senatores, Verrem nocentissimum et simul pecuniosissimum damnaturi sitis.* At quanto gravius *possitne damnari*, quasi damnatio pecuniosorum hominum inter res pertinuerit, quae fieri nullo modo possent, quae maximis cum difficultatibus conjunctae essent. Sic ideae *laetitiae dolorisque* et aliae facile addi poterunt.

6) Adjicitur verbum *sum*, it. *reperior, invenior:* v. c. pro *quis nescit* dicitur gravius *quis est qui nesciat?* ut etiam in nostra lingua *Wer ist wohl, der nicht wissen sollte* gravius est quam *Wer weis nicht?* Hoc debebant tirones mature discere, ne deinde crederent, *quis est qui nesciat* significare idem quod *quis nescit;* atque illud tantum *elegantius* (sic enim loquuntur) dictum esse. Sic *quid est quod fleas* gravius est quam *quid fles?* sic pro *Quis non credit, cui ignotum est, quis dubitat* etc. gravius dicitur: *Quis est, quin credat, cui ignotum sit, qui dubitet* etc. sic pro *nemo credit, dubitat* etc. gravius dicitur: *Nemo est, reperitur* s. *invenitur, qui credat, dubitet* cet. Cic. ad Div. VIIII, ep. 14 §. 11 *Quis erat, qui putaret, ad eum amorem, quem erga te haberem, posse aliquid accedere?* pro *Quis putabat* vel *putaret:* at illud gravius. Divin. in Caecil. 7 *Sunt multa, quae Verres in me esse arbitratur, quae scit in te, Q. Caecili, non esse* pro *multa Verres in me esse arbitratur* etc., at illud gravius. Fontej. 14 *praesertim cum tot res sint, quae vestris animis pro hujus innocentis salute supplicent* pro *praesertim cum tot res vestris* etc. Verr. I, 3 in. *Rapiunt eum* (Verrem) *ad supplicium dii patrii, quod iste inventus est, qui e conspectu parentum abreptos filios ad necem duceret* cet. pro *quod iste e conspectu parentum abreptos filios ad necem duxit.* Sic in epistola

epiſtola Sulpicii ad Cic. ad Div. IIII, ep. 12 §. 6 de Marcelli caede: *et, cui inimici propter dignitatem pepercerant, inventus eſt amicus, qui ei mortem afferret*: gravius dictum quam *et, cui inimici — pepercerant, ei amicus mortem attulit.*

7) Adjiciuntur et alia vocabula, quae vulgo *ſynonyma* vocantur, vel potius junguntur plerumque per copulam *et*, *ac*, cet. (quae tamen interdum ob gravitatem abjicitur) ad ideae alicujus gravitatem adjuvandam. Vocantur ſynonyma, quia interdum eorum ſignificationes difficile eſt inter ſe discernere. At nulla vocabula addenda ſunt ejusdem ſignificationis, quae proprie et accurate ſynonyma appellantur: hoc enim foret nugas proferre et vocabulis ludere. Semper iſta vocabula, quibus una eademque idea exprimi vulgo creditur, debent inter ſe differre ſignificatione, ſaltem quodam modo. Nam, etſi interdum neſcimus, qua ratione duo vocabula inter ſe proprie differant, tamen ſentimus, ſi quidem linguam callemus, eas differre: et hoc in his tenebris ſufficere debet. Hinc patet, non tam unam ideam duobus vel pluribus vocabulis exprimi, quam totidem ideas fieri, quot ſint vocabula, ut adeo haec ſynonymorum conjunctio proprie ad incrementum idearum atque recte ad gravitatem pertineat. Dixi de hac adjectione vocabulorum latiſſime in P. I c. 9 de *copia dicendi* Sect. 2 p. 385 ſſ.: quo lectores rejicio. — Hic tantum ſummatim loquar. Differre igitur iſta vocabula debent vel tropo vel gradu vel alia ratione, ut v. c. jungi poſſint duo vocabula, quorum alterum indicat *cauſam* alterum *effectum* vel ſaltem aliquam *conſequentiam*; alterum *Genus* vel *Totum* alterum *ſpeciem* vel *partem*, ac, ſi plura vocabula ſunt, *partes;* alterum ſit *proprie* alterum *tropice* poſitum vel alterum ex hoc alterum ex illo tropo arceſſitum; alterum ſit *negative* alterum *affirmative* poſitum; alterum denique ſit ſaltem altero *fortius.* — Poſſunt quoque tria et plura ita jungi. Sed ſemper haec ratio eſt tenenda, ut fortius languidiori aut minus forti poſtponatur. V. c. Cic. Verr. I, 2 extr. *Mihi pro cetera ejus audacia atque amentia ne hoc quidem* (ſcil. quod adeſt) *mirandum videtur.* Sic ibid. cap. 1 in. *quod nemo quemquam tam audacem, tam amentem, tam impudentem fore arbitrabatur* etc. et paulo ante: *quod iſte certe ſtatuerat et deliberarat* etc., ubi *deliberarat* per ſe abeſſe poterat; cap. 2 extr. *multa impie nefarieque commiſit*; cap. 3 in. *ſine furore atque amentia non ſinunt.* Agr. II, 11 extr. *Reges conſtituuntur, non decemviri, iique ab his initiis fundamentisque naſcuntur, ut — omne veſtrum jus, poteſtas, libertasque tollatur*: ubi primum *initiis funda-*

Vu 2 *men-*

mentisque, quae per ſe parum inter ſe differunt, deinde *jus*, *poteſtas*, *libertasque* junguntur. Phil. II, 25 in. *Veniſti Brundiſium in ſinum quidem et in amplexum tuae mimulae.* Ibid. *Tu iſtis faucibus*, *iſtis lateribus*, *iſta gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini — exhauſeras.* Cap. 44 *Eripiet*, *extorquebit tibi iſta populus romanus* etc., ubi *extorquebit* gravius eſt quam *eripiet.* Marc. 1 *Dolebam enim et vehementer angebar* etc. Ibid. paulo ante: *tam inuſitatam inauditamque clementiam*, ubi etiam *manſuetudinem*, *clementiam*, *rerum omnium modum* et *ſapientiam* conjungit, quae parum inter ſe differunt, ſed differunt tamen proprie. Cap. 2 *illo aemulo atque imitatore ſtudiorum meorum* etc.: ubi *aemulus* ab *imitatore* parum differt. Cap. 3 *debilitari frangique:* ibid. *At vero cum aliquid clementer*, *manſuete*, *juſte*, *moderate*, *ſapienter factum — audimus* etc. Catil. I, 2 extr. *te ſpeculabuntur atque cuſtodient.* Cap. 5 *Non feram*, *non patiar*, *non ſinam:* quae quomodo differant, latet: ſic Catil. II, 1 *Abiit*, *exceſſit*, *evaſit*, *erupit.* Act. I in Verr. 15 in. *Itaque a populo romano contemnimur*, *deſpicimur;* quae duo parum inter ſe differunt; addit tamen ſtatim: *gravi diuturnaque jam flagramus invidia.* Verr. I, 11 *ſi me non omnes noti ignotique monuiſſent*, *id agi*, *id cogitari*, *in eo laborari*, *ut* etc., ubi *laborari* gravius quam *agi*, *cogitari.* Verr. III, 31 *Ita ab una civitate vi*, *minis*, *imperio*, *injuriaque praetoris eripiuntur* etc., ubi *vi*, *minis*, *imperio*, *injuria* inter ſe differunt. Verr. V, 37 extr. *victa atque ſuperata eſt.* Et ſic ſexcenta alia. — Sed in his exemplis videmus, niſi nimio in Ciceronem amore vel potius ſuperſtitione capti ſumus, nonnulla eſſe, ubi vocabula jungantur, quae plane inter ſe non differant: v. c. *non feram*, *non patiar*, *non ſinam*: ſic et *abiit* et *exceſſit* eadem ſunt: Catilina enim *abiit* Roma, atque ita *exceſſit.* Redundant igitur iſta vocabula; et hactenus vitioſa ſunt. Quia tamen ex fervore animi proveniunt, propterea ignoſcenda, imo, quia haec redundantia fervorem animi indicat (nam homo commoto animo plura loquitur quam neceſſe eſt), hactenus quoque gravitati ſerviunt quodam modo. Nam ſaepe auditoris animus commovetur etiam animum oratoris commotum eſſe animadvertens. Attamen malim noſtros oratores hodie abſtinere tali redundantia. Gravitas enim dicendi maxime gravitate idearum rite declaranda conſtare debet. Add. ſeq.

8) Adjicitur interdum, fervore animi impellente, vocabulo vocabulum, cujus idea plane redundat et otioſa eſt, et tantum hactenus gravitati dicendi prodeſt quodam modo, quia

quia auditor vel lector inde ſentit, animum dicentis ſcribentisve valde commotum eſſe vel fuiſſe. Vocatur vulgo *pleonaſmus*, graeco nomine, hoc eſt *redundantia*: v. c. *his oculis vidi*, *his auribus audivi*: ubi *his oculis* et *his auribus* abeſſe poterat. At fervor animi cumulare gaudet vocabula. Sic Aeneas ap. Virgil. Aen. IIII, 359 loquens cum Didone eique narrans, ſe Mercurii voce juberi Carthagine abire ait: *vocemque his auribus hauſi*, ubi *his* per ſe abeſſe poterat. Sed ſic ſolent homines vel incitate vel valde aſſeveranter loquentes cum aliis et timentes, ne ſibi non fides habeatur. Sic et noſtri: *Ich habs mit meinen eignen Ohren gehört*, *mit meinen eignen Augen geſehen.* — Referri huc poſſe paulo ante (n. 7) ex Cicerone memorata: *non feram*, *non patiar*, *non ſinam*: *abiit*, *exceſſit*, jam ibi monuimus.

XXXIII) *Mutatio unius enuntiationis in plures*: diutius enim immorando iisdem ideis fiunt hae graviores. Dictum hac de re eſt ſupra in P. I cap. 9 de *copia dicendi* Sect. 3 p. 417 ſſ.

Fit hoc 1) quando, pluribus ſubjectis commune praedicatum habentibus, ſingulis ſuum praedicatum tribuimus: v. c. pro *Colophonii*, *Chii*, *Salaminii*, *Smyrnaei dicunt*, *Homerum eſſe ſuum civem* Cicero Arch. 8 dixit: *Homerum Colophonii civem eſſe dicunt ſuum*, *Chii ſuum vindicant*, *Salaminii repetunt*, *Smyrnaei vero ſuum eſſe confirmant.* — Hoc fit in primis in partitione, v. c. pro *Omnes lugent mortem Clodii* Cicero dixit Mil. 8 *Luget ſenatus*, *moeret equeſter ordo*, *tota civitas confecta ſenio eſt*, *ſqualent municipia*, *afflictantur coloniae*, *agri denique ipſi* etc. 2) quando ſubjecto plura praedicata pro uno tribuimus, v. c. pro *Deus nobis vitam*, *ſanitatem*, *parentes dedit* dici poteſt *Deus nobis vitam dedit*, *ſanitate frui juſſit*, *parentes donavit* etc. Id quod fit in primis in partitione, v. c. pro *Deus nobis multa et magna beneficia dedit* dicitur *Deus nobis vitam dedit*, *ſanitate frui juſſit*, *neceſſitati conſuluit*, *commoditati adeo et voluptati noſtrae proſpexit* etc. 3) praeponenda cauſa: v. c. pro *Deus omnia efficere poteſt* dicitur *Deus tanta eſt potentia*, *ut omnia efficere poſſit.* 4) addendo effectu: v. c. pro *Deus eſt valde potens* dicitur *Deus eſt tam potens*, *ut nihil ſit*, *quod efficere nequeat.* 5) conjungendis duabus per copulam *et* (vel etiam ſine ea) enuntiationibus, quarum alterutra ſufficiebat: v. c. Cic. Catil. II, 4 *Non eſt jam lenitati locus*: *ſeveritatem res ipſa flagi-*

flagitat: ubi prior est negativa, altera affirmativa; Rosc. Am. 24 *Sua quemque fraus* (i. e. maleficium) *et suus terror maxime vexat, suum quemque scelus agitat amentiaque afficit.* 6) addenda enuntiatione causam vel consilium, quo res suscipitur, indicante. V. c. Cic. Rosc. Am. 25 *Qui cum intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitaverunt: ut, quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ii magnitudine poenae maleficio submoverentur.* Verba: *ut quos natura — submoverentur* indicant causam et consilium, quo ducti Romani excogitaverint illud supplicium, ac per se abesse poterant; sed addita augent gravitatem rei. 7) addenda enuntiatione indicante id, quod ex re colligi possit; v. c. Cic. Agr. II, 5 de Rullo: *Iam designatus alio vultu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur, vestitu obsoletiore, corpore inculto et horrido, capillatior quam ante, barbaque majore: ut oculis et adspectu denuntiare omnibus vim tribuniciam et minitari reipublicae videretur.* — Plura exempla et simul plura genera enuntiationum addendarum reperies in dicto cap. 9 Part. I.

XXXIIII) *Crebra repetitio copulae tum inter singula vocabula tum inter membra et enuntiationes.* Vocatur vulgo *polysyndeton*, et sic Quintilianus vocat VIIII, 3: vel *polysyndeta* i. e. ad verbum *saepe juncta*, int. membra vel vocabula. — Videtur hujus repetitionis hic usus esse, ut, in recitandis multis rebus, earum multitudo major appareat: nam, quo diutius in enumerandis rebus versamur, eo plures videntur esse: v. c. *Deus nobis vitam et sanitatem et pacem et mentem dedit.* Cicero saepissime ita.

V. c. Verr. II, 5 *quo reliquae tot et tantae et tam graves civitates, tota denique Sicilia plus auctoritatis apud vos haberet;* ubi prius *et* abesse poterat. Rosc. Am. 5 extr. *ab initio, res quemadmodum gesta sit, vobis exponemus, quo facilius et hujus hominis innocentissimi miserias et illorum audaciam cognoscere possitis et reipublicae calamitatem.* Mil. 11, ubi de jure se a vi defendendi loquitur: *Sin hoc et ratio doctis et necessitas barbaris et mos gentibus et feris natura ipsa praescripsit, ut omnem semper vim — a corpore, a capite, a vita sua propulsarent.* In hoc loco sunt *polysyndeta*

deta et *asyndeta:* Quae quia utraque gravitatem adjuvare dicuntur, quaeritur, quomodo differant. — Videntur *asyndeta* valere in rebus *celerrime* ad praescriptum fervidi animi recitandis; *polysyndeta* in rebus tardius recensendis, ut pondus earum non modo sentiatur, sed etiam cogitetur: *asyndeta* opprimunt mentem et animum ita, ut hic ardeat antea, quam illa cogitare coeperit; *polysyndeta* demonstrant rem et menti tempus relinquunt ad consideranda dicta: ut igitur *asyndeta* ad incitatiorem gravitatem, *polysyndeta* ad moderatiorem, pertinere videantur.

XXXV) *Collocatio vocabulorum gravis* h. e. talis, ut vocabula eo ordine ponantur, quo majorem vim exserere possint. Dixi hac de re in cap. 1 de *perspicuitate*, Sect. 24 p. 615 ss. et in primis n. 2 a) p. 617 ss., quia et ad hanc referri potest. Et suus quemque sensus docere debet, quem locum quodque verbum occupare debeat. Hic igitur sensus docet, *verbum grave* interdum *praeponi* aliis, interdum *postponi.*

1) *Praeponitur verbum gravius.* V. c. *Civis romanus sum*, non *sum civis romanus*, elamat ille Gavius Cic. Verr. V, 62, cum cruci affigebatur: sic Agr. II, 17 *grave est enim nomen imperii*, non *nomen imperii est grave:* sic Cic. ad Div. II, ep. 4 §. 6 *Est tibi gravis adversaria — incredibilis exspectatio* pro *exspectatio est tibi gravis* cet. Ibid. ep. 11 §. 2 *Mirum me desiderium tenet urbis* etc., non *desiderium urbis mirum*: ad Div. V, ep. 21 in. *Gratae mihi tuae literae fuerunt*: et sic in millibus. — Omnis gravitas pendet a contextu: neque igitur certa regula dari potest: v. c. *magnum tuum est crimen* et *crimen tuum est magnum* recte dici et cum gravitate dici potest; interdum prius, interdum posterius, est gravius, v. c. si quis de suo crimine loquitur et id pro vili habet, cum magnum sit, dicere debeo: *magnum tuum est crimen:* hic *magnum* est primaria notio, per quam τὸ *vili* statim refellere volo; contra, si cui dico, eum crimen commisisse et hoc crimen esse magnum, dicere debeo: *crimen tuum est magnum*: hic τὸ *magnum* praemitti non opus est. Hic ubique videndum, ut, si qua idea gravior est et lector auditorve ad eam prius respicere debet, ea aliis praeponatur. Pertinet huc nobile illud: *stetit soleatus praetor populi romani cum pallio purpureo* cet. Verr. V, 33.

2) *Postponitur* saepe *verbum gravius:* in primis ad exspectationem auditorum et lectorum opprimendam: atque ita vocabulum extremum sententiae, si forte est, ceteris vocabulis praecedentibus addit aliquid fortitudinis et gravitatis. Deinde est naturae consentaneum a tenui initio incipere et cum gravitate desinere: hinc in fine sententiae exspectatur aliquid majus et gravius. Cicero sic millies. V. c. Verr. I, 3 in. *Agunt eum* (Verrem) *praecipitem poenae civium romanorum: quos partim securi percussit, partim in vinculis necavit, partim implorantes jura libertatis et civitatis in crucem sustulit.* Grave est *percutere civem romanum securi:* at hoc saepe factum est v. c. in castris; gravius est cives *in vinculis necare*; gravissimum omnium est *in crucem illos tollere:* quae est servorum poena: atque adeo in crucem tollere eos, qui provocabant ad jura libertatis et civitatis v. c. ad legem Porciam. Recte ergo postposuit *in crucem sustulit.* Philipp. II, 25 *quid ego istius decreta, quid rapinas, quid hereditatum possessiones datas, quid ereptas proferam?* ubi *ereptas* esse gravius verbum quam *datas* manifestum est. Ibid. paulo ante objicitur Antonio *in urbe auri, argenti, maximeque vini direptio:* hic *vinum* occupat ultimum locum, quia ostendere ibi vult Cicero, Antonium fuisse vinolentum et omnibus voluptatibus addictum. Hinc patet, gravitatem verbi saepe a contextu pendere: nam in alio contextu idea *auri* forsan fuisset gravior quam idea vini. Pertinet huc etiam arctior conjunctio vocabulorum graviorum, de qua supra dixi n. XXVIII, v. c. *qui alios studet fallere, fallitur ipse.*

XXXVI) *Clausula gravis absolutae sententiae.* De hac re supra dictum est P. I c. 6 de *numero* p. 273 ss.: nam ad eum vulgo illa clausula refertur.

Gravitas hujus *clausulae* consistit in eo, 1) ut longius vocabulum claudat sententiam perfectam et absolutam, v. c. *amandavit*, *videretur* etc. 2) ut syllaba paenultima hujus ultimi vocabuli longa sit, v. c. *amandavit*, *fateretur*, *videatur* etc. sic Cic. Fontej. 15 in. *retinendos putetis.* 3) ut huic paenultimae syllabae insit vocalis sonora, qualis est *e*, *o*, *a:* in quibus eminet *a:* v. c. *amandatus* pro *dimissus*, *profligavit*, *amavit*, *navigavit* etc. Sed haec tria supra P. II, c. 1 sect. 24 p. 620 s. monui magis ad perspicuitatem quam ad gravitatem et magis ad dicendum quam ad scribendum pertinere. Lector non tam curat, qualia vocabula in sententiae

tentiae fine fint, quam auditor; qui fi unam fyllabam vel duas non audit, totum vocabulum praetermiffum eft. Ultima fyllaba plerumque in dicendo perit: jam, fi praecedens etiam periret, totum vocabulum negligeretur: hinc decet, paenultimam fyllabam praeditam effe vocali fonora, ut haec faltem fervetur. Iam, quo longius tale vocabulum eft, eo minus timendum eft, ne aures auditoris praetervolet. Quod Cicero claufulae tantam vim tribuit, non mirandum eft, cum a Graecis ita fit edoctus: hinc, cum Cicero Orat. 63 dicit in Carbonis verbis *Patris dictum fapiens temeritas filii comprobavit* per vocabulum *comprobavit* maximum populi clamorem excitatum effe, hoc ipfius opinioni de vi fumma claufulae convenit: at hunc clamorem ex alio fonte exiftère potuiffe credibile eft. Legenda funt, quae hanc in rem in cap. de *numero* p. 276 f. dixi. 4) quando ultimum fententiae abfolutae membrum paulo longius redditur, quod facile fit per *copiam* dicendi fupra p. 270 ff. explicatam, v. c. adjectione fynonymorum, ut *victa atque fuperata* pro folo *victa:* in primis adjectione unius vel plurium vocabulorum graviorum, ut Catil. I, 13 *gravius vehementiusque affligantur*: Ibid. *omnia patefacta, illuftrata, oppreffa, vindicata effe videatis*: vel adjectione verbi ad verbum, v. c. *faciendum putavit* pro *fecit*, *retinendos putavit* pro *retinuit;* fic Cic. Manil. 1 *tribuendum cenfuerunt* pro *tribuerunt;* Verr. V, 37 in. *penetrare coeperunt* pro *penetrarunt* etc.

XXXVII) *Concinnitas membrorum*, quae *numerorum oratoriorum* vel *numeri oratorii* nomen optimo jure gerit. Cernitur in eo, ut fingula membra, in primis fibi contraria, vel pari longitudine vel faltem idearum numero fibi refpondeant. Non negari poteft, hanc aequalitatem membrorum aliquid gravitatis continere; quemadmodum in cantando numeros muficos (*den Tact*) obfervare eft gravius quam eos, more puerorum, negligere. Hic ad fenfum cujusque provoco, ne explicare rem cogar. Exempla fupra dedi in P. I c. 6 Sect. 3 p. 265 ff., ubi de tota re latiffime actum eft.

V. c. *non opinione fed per argumenta adductus feci* non graviter h. e. non gravi homini convenienter dictum eft: gravius erit: *non opinione fed argumentis* etc. — Sic *Non opinionis levitate fed argumentis ductus feci* minus graviter

 dictum:

dictum: gravius est: '*Non opinionis levitate sed argumentorum gravitate adductus feci*: — sic *Non opinionis levitate sed argumentorum gravitate ductus feci* minus graviter dictum est, quia τῷ *ductus* nihil respondet in priori membro. Ergo dicas: *Non opinionis levitate abreptus sed argumentorum gravitate motus feci*: et sic porro: quo longius progrederis in uno membro, eo longius quoque in altero progredi decet, ut aequalitas, si quidem fieri potest, servetur. — Si tamen ob defectum vocabulorum aliamve caussam fieri non potest, ignoscendum est inaequalitati membrorum, modo gravitas idearum sibi constet. Cicero enim saepe neglexit istam aequalitatem: at, ubicunque potuit, servavit. V. c. *Est haec non scripta sed nata lex*: hic opponit *scripta* et *nata*: recte. Si dixisset: *Est haec non scripta sed hominum animis innata lex*, peccasset: sic peccasset, si dixisset: *Est haec non a majoribus scripta sed nata lex*: quia illic membrum posterius hic prius paulo longius foret. Ad Div. VI, ep. 2 §. 5 *Si armis aut conditione positis aut defatigatione abjectis aut victoria detractis civitas respiraverit*. Recte: opponuntur enim sibi *conditione positis*, *defatigatione abjectis*, *victoria detractis*, tria substantiva, tria participia. Orat. I, 9 *quis enim tibi hoc concesserit*, — *initio genus humanum in montibus ac sylvis dissipatum, non prudentium consiliis compulsum potius quam disertorum oratione delinitum, se oppidis moenibusque sepsisse?* Egregie. Opponuntur *prudentium consiliis compulsum* et *disertorum oratione delinitum*: conveniunt *prudentium* et *disertorum*, *consiliis* et *oratione*, *compulsum* et *delinitum*. Vid. plura memorato cap. 6 de *numero* Part. I.

XXXVIII) *Delectus literarum et syllabarum.*

Hoc saltem multi gravitatem dicendi adjuvari putant. 1) *literarum*: v. c. elementum *R* putant convenire rei atroci, tristi, terribili: hinc vocabula talia, v. c. *terror, horror, horrendum* etc., in tali re praeoptanda censent. Hinc Virgilius Aen. IIII, 181 Famam *Monstrum horrendum* appellans creditur hoc de industria fecisse. Quis hoc certo affirmare ausit? Quodnam aliud vocabulum usurpare potuisset? Vocabula talia, in quibus *R* est, casu exstiterunt vel ii, qui illa formarunt, respexerunt ad aliquid horrendi: ut adeo a posteris, qui originem primam vocabulorum nesciunt, pro vulgaribus haberi soleant. Et sunt alia vocabula, elemento *R* instructa, in quibus nihil horrendi est, v. c. *fortuna*, *aratrum*,

trum, *carmen*, *ergo*, *margo*, *formosus*, *dormio* etc. — Equidem puto, priscos omnem gravitatem in ideis, non in sono vocabulorum, posuisse; ut taceam, nos ne satis quidem pronuntiationem priscorum nosse. Ac, si quis mihi *obitum liberorum meorum nuntiat*, nonne is aeque tristis nuntius est, ac qui *mortem eorum?* licet in vocabulo *mortis* insit R, in vocabulo *obitus* non sit. 2) *syllabarum.* Cicero pedes alios aliis putat esse graviores, sed ipse incertus est, ut supra in cap. de *numeris oratoriis* p. 277 ff. monui. — Et quis in tali re non incertus esse cogitur? Quanto incertiores nos simus necesse est, qui ne sciamus quidem satis, quomodo Romani sua verba pronuntiarint. — Putant nonnulli Virgilium versu illo lento Georg. IIII, 174 *Illi inter sese magna vi brachia tollunt* exprimere *voluisse* Cyclopum operam difficilem et tarditatem quandam, cum tamen addatur *magna vi* et Cyclopes tali labori maxime pares fuisse credibile sit: — sic Virgilius alibi versu celeri *Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum* Aen. VIII, 596 creditur a nonnullis *celeritatem* quandam exprimere *studuisse.* Si Virgilius hoc de se dixisset, crederem. At, quantum ego Virgilium novi, hic videtur mihi omnem gravitatem dicendi in idearum gravitate, non verborum inani sono, posuisse. Ac reperiuntur multi versus in Virgilio, ubi de re celeri vel laeta spondei, de re tarda vel tristi dactyli, usurpantur, ut vel hinc appareat nil certi definiri posse: v. c. *Tityre tu patulae recubans* etc. Virg. Ecl. I, 1: *Talia voce refert* Aen. I, 212: *Multa gemens* Ibid. 469: *Illic res laetae* Aen. II, 783: *Dejecit saxum* VIII, 226: *Invadunt urbem* II, 265: *Caeduntur vigiles* Ibid. 266 etc. Ac profecto, quae gravitas in ipso sono verbi inesse potest? cum omnis gravitas, omnis laetitia, omnis tristitia, quae sono inesse vel inde oriri videtur, ex ideis quibusdam, quae cum ipso sono conjungi solent vel conjunctae aliquoties sunt, exsistere solent. V. c. sonus campanarum interdum est tristis, interdum laetus, ut vulgo loquuntur, interdum habet aliquid magnifici, prout res est, quae isto tempore cogitatur. Tempore, quo liberi nostri ad sepulturam efferuntur, sonus campanarum est tristis: alio tempore est laetus, v. c. quando festus quidam dies isque solennis et memorabilis celebratur etc. Si quis tamen sono vocabulorum h. e. certis literis et syllabis gravitatem adjuvare possit, ejus studio non invidebo: et forsan interdum coram plebe aliquis illarum usus esse potest: sic Cicero forsan illis pedibus poeticis, de quibus loquitur, interdum usus est in concionibus. — Attamen tutius est in idearum gravitate gravita-

tem

tem dicendi quaerere. Ac profecto, ſi quis ideam aliquam magnam per alias multas ideas ſecundarias explicare ſtudet et his ideis omnibus verborum ope apte exprimendis intentus eſt, is, dum illas cogitat, vix poteſt de literarum elementis, ſyllabis et earum ſono, cogitare. Ad hoc ei tempus non ſuppetit. Atque adeo, ſi de literarum et ſyllabarum delectu diu et anxie cogitaret, nonne interea illae ideae omnes effugerent? Nam, ut ferro candenti utendum eſt, e proverbio vulgari, ſic ingenio utendum eſt, dum fervet, hoc eſt, dum ideas ſuppeditat. Hae non ſunt ſemper in noſtra poteſtate. — Hinc vix crediderim Virgilium de literarum et ſyllabarum ſono cogitaſſe; quia tum tam egregiam Aeneida ab eo non accepiſſemus.

XXXVIIII) *Vocis gravitas* in dicendo multum valere ſolet. — Sunt, qui ea vocis modulatione uti ſciant, ut verbis, non gravitatem ſpirantibus, aliquid gravitatis, ſaltem coram plebe, addere ſciant: quanto magis in rebus ac verbis gravitate vere ornatis? Demoſthenes et Cicero hoc ſatis ſuperque ſuis exemplis demonſtrant. Quod vox in dicendo, id quodam modo efficiunt in ſcribendo ſigna quaedam diſtinctionis, v. c. *ſignum interrogationis*, *exclamationis*, *parentheſeos* etc. — In primis huc pertinet lineola illa transverſa, qua utuntur hodie ad gravitatem quandam indicandam vel potius abutuntur. Recte uti ea poſſimus ad *reticentiam* ſeu *apoſiopeſin* indicandam: modo ne nimis ſaepe fiat: hoc repugnaverit naturae. Animus valde commotus, qualis in *reticentia* eſſe ſolet, non diu manet tantopere commotus, ſed mox deferveſcit. — Editores priſcorum in locis, quibus talis *reticentia* ineſt, non ponere talem lineolam transverſam miror: nam tali modo lectoribus iſta *reticentia* facilius et celerius appareret.

Haec de *gravitate* dicendi. Poſſint plura addi: ſed, qui ſubſidiis illis remotioribus inſtructus eſt et aliquot Ciceronis orationes, v. c. Verrinas, Manilianam, Agrariam ſecundam, Catilinarias, Sextianam, Milonianam, Philippicam ſecundam etc., it. orationes Livianas legit,

legit, is facile, ſi id agit, plura ad gravitatem dicendi pertinentia reperire poteſt — Ad *gravitatem dicendi* referri quoque poſſit *ſublimitas dicendi*, quae eſt ſcientia apte dicendi de rebus ſublimibus h. e. iis, quae propter magnitudinem ſingularem rarae ſunt raroque fiunt inter homines. Dicuntur ſublimes, quia quaſi e circulo mortalium tolluntur, vel quia homines eas patrantes ſe ſupra vulgus tollunt. *Sublimitas* dicendi igitur eſt altior gradus gravitatis; ut adeo eadem, quae in hac obſervantur, in illa obſervanda ſint. Attamen de ipſa, quia mos ita fert, infra in Append. III paucula ſeparatim dicemus.

CAP. III

De Suavitate dicendi.

SECT. I

Quid ſit ſuavitas dicendi.

Suavitas orationis ſ. *dicendi* eſt virtus orationis, quae efficit, ut placeamus lectoribus vel auditoribus, atque ita libenter ab iis legamur et audiamur. Intelligitur ergo hic ſuavitas honeſta et honeſto homine digna, non ea, quae cachinnos commoveat etc. Vocari quoque poteſt *gratia*, it. *venuſtas* a *Venere:* haec enim amantes reddit ſuaves, h. e. amor efficit, ut amans amanti placere ſtudeat. Hinc et *Venus* pro *gratia* dicitur; it. *veneres* v. c. *iſta res habet ſuas veneres* h. e. *ſuam gratiam.*

SECT. II

De ejus neceſſitate.

Suavitas orationis et dicenti et ſcribenti ſumme neceſſaria eſt. Ab ea enim pendet omnis attentio atque hinc

hinc perſuaſio. Orator et ſcriptor vult perſuadere, quod maxime fit argumentis: quod ut fiat, debet illa perſpicue explicare, ut auditor vel lector eorum vim intelligat. — Sed quomodo hoc fieri poteſt, ſi auditor vel lector ob injucunditatem dicentis vel ſcribentis non attente legere non attente audire vult? Orator vel ſcriptor vult animos movere. Quod quomodo ſine attentione auditorum vel lectorum aſſequi poteſt?

SECT. III

De fontibus ſuavitatis remotioribus.

Hanc ſuavitatem dicendi nemo conſequitur, niſi 1) eſt ingenio praeclaro et hilari, ut in varias formas ſe vertere, ad auditores et lectores ſe accommodare, et multa quoque, eaque praeclara, comminiſci poſſit, et totum hoc libenter faciat. 2) niſi ſit praeditus doctrina lata et ſubtili, ut multa ſciat, quibus orationem variet, ſententiis priſcis ſaepe alium eumque ſuaviorem veſtitum donet etc. 3) niſi cognoverit animos hominum, ut ſciat, quid iis placeat, quid non. Hic docet experientia, v. c. omne inexſpectatum, omne novum, placere; vulgare, licet praeclarum alioquin ſit, tamen, quia vulgare factum eſt, diſplicere plerumque. Ad illorum igitur guſtum ſe accommodare atque ita aptiſſima quaeque eligere decet. — Multi putant, quidquid Cicero vel aliquis priſcorum dixerit, id per ſe et ubique pulchrum eſſe atque ita omnibus hodie placere debere. Non negandum eſt innumerabilia in illis occurrere, quae pulcherrima et ſint et per omnem aetatem manſura ſint. At hi priſci tamen erant homines, et interdum lapſi ſunt: et, ut quisque eſt ingenioſiſſimus, ita facillime labitur ob fervorem animi, celeritatem cogitandi etc. Ac profecto Cicero protulit dicta, quae ne priſcis quidem ſemper placere potuerint, v. c. *Ius Verrinum* ambigue dictum in Verrinis de *jure*, quod Verres praetor

praetor dixit; ubi ſimul reſpicitur ad *juſculum* e carne ſuilla factum, quia *Verres* etiam *porcum* ſignificat. Deinde, licet priſci innumera egregie dixerint, tamen nonnulla, quia jam diu ſaepeque jactata ſunt, *gratiam* hodie amiſerunt: nam gratia ſaepiſſime in nova et inexſpectata verborum forma cernitur. Adjuvat et 4) lectio librorum ſuavitate juſta conditorum ita inſtituenda, ut hanc ſuavitatem in noſtram mentem derivemus, eique nos aſſuefaciamus etc.

SECT. IIII

De fontibus ſuavitatis dicendi propioribus.

Iam indicabimus ea, per quae ſuavitas orationis propius *adjuvari* poſſit. Adjuvatur igitur illa

I) *Perſpicuitate dicendi.* Haec ipſa jam lectori et auditori ſuavis eſt, ut omnis obſcuritas moleſta. Nam primum omnis homo gaudet, ſi quid facile intelligit. Videmus hoc in pueris laetantibus, ſi rem explicatam ſtatim intellexerint. Deinde omnes homines diſcere ſuamque cognitionem augere cupiunt, pauciſſimis forſan exceptis, qui tamen forſan, ſi maturius, rectius, et cum quadam facilitate ad diſcendum et attendendum aſſuefacti fuiſſent, libenter didiciſſent ac cupiditatem diſcendi imbibiſſent. Nam, quo quis plura didicit, eo plura diſcere cupit: contra, ut quisque pauciſſima didicit, ita pauciſſima diſcere vult: et, quo quis facilius et celerius diſcit, eo facilius et libentius diſcere cupit: cum contra, quo quis difficilius et tardius diſcat, eo difficilius deinde diſcere velit. Obſcuritas multorum magiſtrorum in docendo, itemque oratorum, ut parentum negligentiam taceamus, multos a diſcendo avocat et absterret. Magiſtri, itemque oratores de ſacris rebus loquentes, hoc raro de ſe credunt, ſed malunt cauſam parvorum profectuum, quos diſcipuli et auditores faciunt, in horum vel ſtupiditatem vel ignaviam vel negligen-

ligentiam vel in aliud quodcunque conferre, quam in ſe, decepti falſo ſyllogiſmo: *Quia rem intelligimus vel magiſtri ſumus, hinc perſpicue rem tradere poſſumus* etc. Perſpicuitas eſt lumen orationis: et oratio, omnibus venuſtatibus conferta, tamen ſine perſpicuitate non eſt venuſta. Nam, quod non intelligo, quomodo id mihi placere poteſt?

II) *Gravitate dicendi* h. e. quando res ita tractatur, ut ejus magnitudo, magna pulchritudo, turpitudo etc. ſentiatur a nobis noſtrumque animum commoveat. Placet enim nobis commotio animi noſtri: placet oratio, ſi ea nos ad admirationem, ad iram, atque adeo ad miſericordiam rapit. Nam et miſericordia nobis ſuavis eſt. Lacrymae noſtrae nobis interdum placent etc.

III) *Iuſta brevitate* et *juſta copia dicendi* h. e. quando neque nimis multa neque nimis pauca dicimus. Id quod difficile eſt, nec ſine magno judicio et cognitione rei accurata fieri poteſt. *Nimis pauca* dicimus, quando auditor vel lector rem nondum plane intellexit h. e. ita, ut volebamus intelligi: *Nimis multa*, cum plura dicimus, quam ſcire cupit et res poſtulat: v. c. nimis crebra repetitione ejusdem rei vel explicatione rei non neceſſaria etc., quod taedium creat. Voluptatem quandam ſentit interdum et lector et auditor, ſponte reperta ſententia aliqua ſcriptoris et oratoris: et contra aegre fert, ſi ſibi ſingula ac vel minima quaeque ex ordine recenſeantur et late explicentur. Sed hic tamen et materiae et auditorum lectorumque ratio conſulenda eſt diligenter.

IIII) *Modeſte atque adeo demiſſe de nobis ac de noſtris virtutibus et factis loquendo.* Placet hoc auditoribus et lectoribus, qui omnem ſuperbiam et arrogantiam oderunt atque adeo, ſi quis vere ſe laudat, hoc pro arrogantia habent: quia, qui ſe laudat, is, quantum ſibi tribuit virtutis, tantum aliis detrahere videtur. Sic Cicero.

V. c.

V. c. Roſc. Am. 1 *Credo ego vos, judices, mirari, quid ſit, quod, cum tot ſummi oratores hominesque nobiliſſimi ſedeant, ego potiſſimum ſurrexerim, qui neque aetate neque ingenio neque auctoritate ſim cum iis, qui ſedeant, comparandus.* Egregie h. e. humaniſſime dictum eſt: *qui neque — ingenio neque auctoritate* etc.: *ſurrexerim* intell. *ad dicendum*: nam *ſedent*, qui dicere nolunt; *ſurgunt*, qui dicere parant. Ibid. cap. 2 in. *His de cauſis ego huic cauſae patronus exſtiti, non electus unus, qui maximo ingenio, ſed relictus ex omnibus, qui minimo periculo poſſem dicere, neque uti ſatis firmo praeſidio defenſus Sex. Roſcius, verum uti ne omnino deſertus eſſet.* — Huc pertinet, quando de noſtris viribus ac virtutibus dubitanter et cum quadam conditione loquimur: v. c. *ſi quid ſcio, ſi quid valeo* pro *cum multa ſciam, cum valeam* etc. Sic Cic. Arch. in. *Si quid eſt in me ingenii, quod ſentio quam ſit exiguum* etc., ubi tamen proprie dicere vult, ſe omne ſuum ingenium omnemque omnino eloquentiam ad Archiam defendendum conferre debere. Sic Manil. 1 *ſi quid dicendo conſequi poſſum* etc.

V) *Modeſtia et humanitate erga alios ubique declaranda.* Sic Cicero millies.

V. c. ad Div. IIII, ep. 2, ubi Sulpicio, qui a Cicerone conſilium petierat, ita ſcribit §. 3: *quid eſt, quod audeam ſuadere tibi homini ſumma auctoritate ſummaque prudentia?* Egregie *audeam* dicit per modeſtiam ſummam pro *poſſim* aut *velim*: et addit *homini ſumma — prudentia*, in quibus verbis cauſa latet, cur nolit illi conſilium dare. — Ibid. §. 10 *Tu, ſi videbitur, ita cenſeo facias, ut, ſi habes jam ſtatutum, quid tibi agendum putes, in quo non ſit conjunctum conſilium tuum cum meo, ſuperſedeas hoc labore itineris: ſin autem eſt, quod mecum communicare velis, ego te exſpectabo. Tu, quod commodo tuo fiat, quamprimum velim venias* etc. Omnia modeſte. Senſus in univerſum hic eſt: Cicero Sulpicium, ſi idem cum Cicerone conſilium capere velit, rogat, ut ad ſe veniat; ſin minus, ut domi maneat. Haec egregie expreſſit: obſerves hic a) *ſi videbitur* int. *tibi*, h. e. *ſi tibi ita placuerit*: relinquit igitur ejus arbitrio: b) *ita cenſeo facias* pro *ita fac*: c) *ſuperſedeas hoc labore itineris* pro *ne venias ad me*: at egregie ideam *laboris* cum itinere conjuncti intexuit: hinc *ſuperſedeas*: d) *communicare mecum* pro *colloqui*: at illud modeſtius et honorificentius erga Sulpicium, quia illo indicatur, Sulpicium aliquid conſilii habere poſſe, quod proferat; e) *communi-*

care velis pro *communicare possis* vel *communices:* f) *ego te exspectabo:* quam humane pro *veni ad me:* g) *quod commodo tuo fiat* h. e. *sine tuo incommodo.* — Ad Div. IIII, ep. 3 §. 3 *prospexi tempestatem futuram* (bellum): *neque id solum mea sponte, sed multo etiam magis monente et denuntiante te:* hic Sulpicio potissimum tribuit Cicero, quod prospexerit illud bellum. — Ibid. §. 10 Sulpicio, quem consolari, sed tecte, cupit, haec dicit: *Hactenus existimo nostram consolationem recte adhibitam esse, quoad certior ab homine amicissimo fieres iis de rebus, quibus levari possent molestiae tuae. Reliqua sunt in te ipso* etc., dixit: *hactenus, quoad certior fieres* etc. egregie pro *ut docereris, ut disceres* etc. — Ibid. §. 13 *Nihil faciam insolenter: neque te tali vel scientia vel natura praeditum hortabor* etc. Non vult *hortari* illum: Nam *hortari magnum virum* est insolentis: hortatur tantum superior et sapientior inferiorem. — Sic Ibid. §. 14 *Quare non equidem te moneo.* — Ad Div. V, ep. 8 §. 9 *Is enim tu vir es, et eum me esse cupio, ut — conjunctionem amicitiamque nostram utrique nostrum laudi sperem fore.* Verba: *et eum me esse cupio* valde modesta sunt pro *et ego is* (h. e. talis) *quoque sum* vel *et ego me eum esse fateor* etc. Et talia loca sunt innumera.

In primis in petendo humanitatem servare studet: nihil fere petit, nisi ita, si fieri possit, si a dignitate amici non aliena res fuerit etc. Videantur ejus literae commendaticiae, v. c. ad Div. XIII, ubi sub conditione tantum homines commendat eosque adjutos vult: v. c. epist. 17 §. 6 addit: *si tibi sit cognitus*; ep. 26 §. 6 *quod commodo tuo fieri possit*; et §. 7 *si non alienum a tua dignitate putabis esse*: ep. 37 extr. *peto a te, ut tantum ei commodes — quantum tua fides dignitasque patietur.* Add. XIII, ep. 26 §. 8 *literas ad te a M. Lepido consule, non quae te aliquid juberent (neque enim id tuae dignitatis esse arbitramur), sed quodam modo quasi commendaticias sumsimus.* — Omninoque hinc discunt tirones, veram amicitiam cum quadam observantia conjunctam esse.

VI) *Observanter loquendo de magnis hominibus* omninoque *iis, qui vel meritorum splendore vel munerum amplitudine vel generis nobilitate excellunt.* Placet enim hoc vulgo et male audiunt, qui illud negligunt.

Cicero quidem ad Crassum scribens eique significare cupiens, se non temere ac repente ipsius amicum factum, hoc ita exprimit ad Div. V, ep. 8 §. 6 *De me sic existimes ac tibi persua-*

perſuadeas velim, non me repentina aliqua voluntate aut fortuito ad tuam amplitudinem meis officiis amplectendam incidiſſe, ſed, ut primum forum attigerim, ſpectaſſe ſemper etc. Hic *amplecti alicujus amplitudinem officiis ſuis* dictum eſt cum ſignificatione magnae obſervantiae pro *amicum alicujus fieri.* Ac ſtatim ibi pergit: *Quo quidem ex tempore memoria teneo, neque meam tibi obſervantiam neque mihi tuam ſummam benevolentiam ac liberalitatem defuiſſe.* Egregie h. e. humaniſſime et obſervanter dictum pro *neque tibi meum amorem* vel *benevolentiam neque mihi tuum amorem* vel *benevolentiam defuiſſe.* At *ſuam benevolentiam* ſ. *amorem* vocat *obſervantiam*: quod vocabulum includit aliquam *reverentiam* erga ſuperiores reſpondetque noſtro *Reſpect*, *Ehrerbietung*, *Hochachtung.* — Et talia innumerabilia in Ciceronis epiſtolis reperiuntur: et talia interpretes earum diligenter obſervare et explicare debebant: nam, cur interpres in vocabulis tantum corrigendis, explicandis et auctoritate plurium locorum confirmandis, quae omnia praeclara quoque ſunt, verſari debeat, nullam cauſam video. Veneres Ciceronis debemus ſentire: et inter veneres praecipue pertinent humaniſſime dicta.

Ceterum hinc patet, quanto magis orator res ſacras explicans *de Deo*, *de Ieſu*, *angelis* etc. obſervanter loqui debeat. — Quaeritur ergo, an v. c. de *Ieſu* et *angelis* deminutiva facere debeamus, quod in canticis nonnullis factitatum videmus, v. c. *Ieſulein*, *Engelein*, *Engelchen.* Suus quemque ſenſus docere poteſt, hoc dedecere. Quis de ſuo principe ac rege diceret v. c. *mein Fürſtelein*, *mein Herrchen?* Quis hoc non vitio verteret et abjecte dictum eſſe clamaret? Qui iſta per aeſtum quendam amoris defendere conantur, ii cogitent, ne poſſe quidem ullum amorem ſine obſervantia locum habere.

VII) *Leniter loquendo de inimicis noſtris.* Nemo enim liberaliter educatus ruſticitatem in conviciando amat, laudat, nedum audire vel legere cupit.

Cicero, etſi interdum hic peccavit, v. c. in Philipp. ſecunda, nimio Antonii odio ablatus, tamen plerumque iſtam lenitatem prae ſe ferre ſciebat: v. c. ad Div. III, ep. 9 §. 3 Appio ſcribit: *intellexique in provincia multos fuiſſe, qui nos, quo animo inter nos ſumus, eſſe nollent:* egregie pro *qui inimicitias inter nos excitarent; qui id agerent, ut ego te et tu me odiſſes.* Sic pro *odiſſe aliquem* dici poteſt

non favere alicui, non nimis ejus cupidum, non eſſe amicum ejus etc.

VIII) *Leniter vel tecte vituperandis hominibus.* Vulgo enim placet, ſi vituperationes per ambages quasdam proferuntur.

V. c. Cic. Roſc. Am. 1 patronos cauſarum tum clariſſimos vituperare vult, quod ob Sullae metum defenſionem Roſcii ſuscipere noluerint. Hoc ita exprimit: *quia, ſi quis iſtorum dixiſſet, — in quibus ſumma auctoritas eſt atque amplitudo, ſi verbum de republica feciſſet, id quod in hac cauſa fieri neceſſe eſt, multo plura dixiſſe, quam dixiſſet, putaretur.* Ad Div. I, ep. 8 §. 9 *Amiſſa eſt* (dignitas conſularis) *culpa eorum, qui a ſenatu et ordinem conjunctiſſimum et hominem clariſſimum abalienarunt* pro *culpa hominum improborum.* — Vel hinc patet, periphraſeos ope tales tectas vituperationes facile concinnari poſſe. Huc pertinet illud Socratis, qui, cum ab adoleſcente quodam petulante colapho percuſſus eſſet: *Video,* inquit, *mihi in poſterum cum galea incedendum eſſe:* pro *tu es homo inhumaniſſimus, tu es bellua, bos* etc. Huc pertinet illud Siculi ap. Cic. Orat. II, 69, qui, cum ſibi datus eſſet patronus cauſae ſtultiſſimus a Scipione praetore: *Quaeſo,* inquit, *praetor, adverſario meo da iſtum patronum, deinde mihi neminem dederis* (i. e. *des*) pro *iſte patronus eſt nullius utilitatis, ſtultiſſimus.* Huc pertinet, quando de *vinoſo* dicimus: *non eſt inimicus vini;* de vorace: *ſapit ei egregie* etc.

VIIII) *Significando in omnibus, quae ſcribimus vel dicimus, nos eſſe faciles, clementes, manſuetos, juſtos, omniumque virtutum amantiſſimos.* Placet hoc omnibus, atque adeo iis, qui vitiis dediti ſunt. Mirabile eſt, etiam virtutis non amantes tamen libenter audire virtutem laudari, eamque amantibus plerumque favere. In primis placent virtutes beneficae, v. c. liberalitas erga pauperes, miſericordia, clementia erga peccantes etc. Placent propterea Senecae libri:

Sed et Cicero quam facilem, benignum etc., ſe ubique declarat! Quid ſuavius eſt animi grati ſignificatione ad Div. I, ep. 1 in. *Ego omni officio ac potius pietate erga te ceteris ſatis-*

satisfacio omnibus, mihi ipsi nunquam satisfacio etc.? Indicat, se nunquam satis officii et pietatis Lentulo, qui ipsum revocandum curaverat, pro hoc singulari officio praestare posse. — Pertinet huc, quando officia promittimus, vid. Epistolae libri primi, et ad Div. V, ep. 8 §. 11 *polliceor eximium et singulare studium in omni genere officii, quod ad honestatem et gloriam tuam spectat: in quo, etiamsi multi mecum contendent, tamen cum reliquis omnibus tum Crassis tuis judicibus omnes facile superabo*, et sic §. 13, 14, 15: — et quando dolemus, nos non posse alios satis adjuvare, v. c. ad Div. IIII, ep. 13 §. 10 et I, ep. 1 in., ubi dicit sibi vitam suam acerbam esse, quod non Lentulo tantum operae praestare possit, quantum Lentulus Ciceroni praestiterit. Huc pertinet, quando excusamus, quae aliis ingrata esse putamus et addimus, facta esse casu nec nostra culpa, v. c. ad Div. III, ep. 2 in. Appio, cui succedebat in provincia et qui diutius in ea manere velle videbatur, scribit: *Cum et contra voluntatem meam et praeter opinionem accidisset, ut mihi cum imperio in provinciam proficisci necesse esset* etc., ubi notes a) *contra voluntatem meam* b) *praeter opinionem* c) *accidisset* d) *necesse esset*. Sic ad Div. V, ep. 8 §. 3 causam simultatis inter se et Crassum ortae confert in alios et dicit: *Neque mehercule unquam mihi tui aut colendi aut ornandi voluntas defuit: sed quaedam pestes hominum* (h. e. quidam homines perniciosi) *laude aliena dolentium et te nonnunquam a me alienarunt et me aliquando immutarunt tibi.*

X) *Vitandis plebejis vocabulis* h. e. iis, quibus tantum plebs uti solet. Parit enim injucunditatem et simul contemtum, si quem eodem modo, quo sola plebs loquitur, loqui audimus: quia videtur unus de plebe esse, a qua discere nolumus: at orator itemque scriptor erudire cupit. Quod licet maxime cadat in linguam vernaculam, tamen et in latina locum habet: quia doctis nota sunt plebeja vocabula et plebejae dicendi formae latinorum, atque ita non minus contemnunt plebejo more scribentem ac dicentem latine, quam in vernacula fieri solet. — Qui omnia vocabula e scriptoribus priscis, Cicerone, Plauto etc., promiscue pro bonis habet et usurpat, is facile in hoc vitium incidet. Excipiendus tamen est, si quis hominem plebejum loquen-

tem inducit, v. c. in comoedia: hunc enim decet plebejo more loqui. Ad plebeja pertinent in primis ea, quorum idea aliquid taedii afferre potest vel sumta est a rebus abjectis. Hic usus consulendus est, itemque ratio auditorum.

XI) *Vitandis vocabulis obscoenis* h. e. quae auris pudica audire non vult, quia rem vulgarem et naturalem proprie et directe indicant. — Res igitur seu idea ista vel plane omittenda est, quod saepe fieri licet, vel, si minus licet, vocabulis utendum est, quae istam ideam tecte indicent: quod fit generali modo h. e. vel uno vocabulo generali, v. c. *natura* ap. Cicer., vel generali descriptione s. periphrasi, v. c. *ire*, *quo saturi solent; pars corporis*, *qua sedemus; pars*, *qua viri sumus* etc. Et, quo tectius ista res indicatur, modo e contextu quodam modo intelligatur, eo suavius dici creditur. — An tamen medici semper istis similibusque vocabulis propriis supersedere possint, dubito. Ac profecto ipsas has res earumve ideas non turpes esse manifestum est, nec nos eas pro turpibus haberemus, nisi mos et educationis ratio quaedam ita sanxisset. Neque ita vocabula ipsa pro turpibus haberemus, nisi vel mos iis aliquam turpitudinis maculam adspersisset vel nos eorum vocabulorum plerumque puderet, quae plebis, quam vulgo contemnere solemus, ore celebrari solent. Mori tamen, quicunque sit, cedendum esse per se patet: nam morem negligere saepe turpitudini ducitur. Ac vel hinc istis vocabulis, quae vulgo obscoena vocantur, abstinendum esse apertum est. — Hinc quoque rhetores metaphoram jubent a rebus honestis duci omnemque in ea turpitudinem vitari, v. c. Cic. Orat. III, 41 ait: *Nolo dici morte Africani castratam esse rempublicam. Nolo stercus curiae dici Glauciam.* Est genus *euphemismi* sic vulgo dicti.

XII) *Vitandis iis vocabulis*, *quae rem ingratam proprie indicant*, *et commutandis cum suavioribus* h. e. cum iis,

sis, quorum ideae aliquid suavius continent. Dicitur vulgo haec ratio dicendi *euphemismus*.

Huc inter alia pertinent haec:

1) quando de morte, cujus idea hominibus vulgo terribilis, saltem ingrata, est, ita loquimur, ut ideae isti aliam ideam substituamus: v. c. *beatus tuus pater* pro *mortuus; vivere desiit, ad deum abiit, passus est aliquid humani* etc. pro *mortuus est*: sic *si quid ei acciderit* pro *si mortuus, si interfectus, fuerit*. Suavius est utique feminae, cujus maritus in bellum proficiscitur, quando illi dico: *si quid acciderit marito tuo* etc. vel *potest enim ei aliquid humani accidere*, quam cum dico: *si maritus tuus occisus fuerit* vel *potest enim is occidi*: nonne illa idea est suavior vel tolerabilior? Sic nostri: *wenn Gott über ihn gebiethen, ihn zu sich nehmen, sollte* etc. pro *wenn er sterben, umkommen, sollte*. Illud est humanius et suavius.

2) quando de inimicitiis alicujus loquimur, in primis, quando alicui in memoriam revocamus inimicitias, quas vel cum aliis vel nobiscum habuit. Nemo hanc memoriam libenter repetit: si tamen repetenda est, tecte facere solent homines venusti. Quam tecte Cicero ad Crassum scribens mentionem facit inimicitiae, quae inter utrumque fuit, ad Div. V, ep. 8 §. 2 *multa varietate temporum interruptum officium cumulate reddidi*: et §. 3 *Neque mehercule unquam mihi tui aut colendi aut ornandi voluntas defuit: sed quaedam pestes hominum laude aliena dolentium et te nonnunquam a me alienarunt et me aliquando immutarunt tibi.* Quam leniter ideam inimicitiae pristinae ingratam exprimit verbis: *te nonnunquam a me alienarunt, et me tibi aliquando immutarunt!*

3) quando alicui aliquid denegamus vel aliquid ab eo nobis oblatum accipere recusamus, hocque ita facimus, ut ille aegre ferre non possit. Sic nostri venustiores munus recusantes malunt dicere *Ich danke ergebenst, bin sehr verbunden* (scil. *für das Anerbiethen*), vel, si cum longe inferiori loquuntur, *es ist gut*, quam *ich will es nicht haben, behalten Sie, behaltet es selbst.* — Sic prisci venustiores (non omnes Latini; nam haec venusta forma loquendi non ad linguam universam pertinet: ut nonnulli credere videntur) dicebant *recte, benigne.* Si quis v. c. proficiscens aliquem interrogabat, an sibi epistolam ad aliquem credere vellet, interrogatus, si literarum nihil dare vellet, respondebat; *recte* pro *nolo*: pro-

prie vero *recte* ſignificat hic *recte facis, quod me interrogas, placet mihi tua humanitas* etc. — Terent. Eun. II, 3, 50 Chaerea narrat, ſe cum cognato quodam invitum eſſe locutum, quia interim virginem vix viſam amiſerit, et ait: *Dum haec dicit* (cognatus), *abiit hora: rogo, num quid velit: Recte, inquit: abeo.* In verbis poſtremis *rogo num quid velit: recte, inquit,* ineſt duplex euphemiſmus: a) *rogo num quid velit* h. e. *ich frage ihn, ob er noch etwas befehle* dictum eſt pro *abire parabam*: quia, qui ab aliquo abire feſtinant, ſic ſolent loqui: *haben ſie noch etwas zu befehlen? verlangen ſie noch etwas von mir?* etc. b) deinde *Recte* reſpondebat ille cognatus pro *Nihil*, ut noſtri interdum inferioribus dicunt: *Es iſt gut* pro *ich habe weiter nichts zu ſagen*: prius poſteriori eſſe humanius dictum, ſponte liquet. — Sic *benigne* ap. Horat. I, ep. 7, 16 Calaber hoſpitem, ut edat, rogat: *Veſcere ſodes*: Hoſpes reſpondet: *Iam ſatis eſt*: Calaber pergit: *At tu quantum vis tolle*: Hoſpes reſpondet: *Benigne* h. e. *Nolo*: at proprie eſt *benigne facis, benignus es, quod me rogas, magnam habeo gratiam.* — Ibid. v. 61 Vultejus Mena a Philippo ad coenam vocatur, ſed reſpondet: *benigne*, quo verbo indicat, ſe nolle venire: dictum ergo eſt pro *Non veniam*, ſed humane. Verba ſunt: *Ad coenam veniat. Non ſane credere Mena* (ſe ad coenam a Philippo tam nobili viro vocari): *Mirari ſecum tacitus. Quid multa? Benigne, reſpondet.* Tum Philippus: *Neget ille mihi?* e quibus verbis clarum eſt, *benigne reſpondet* dictum eſſe pro *recuſat venire, negat ſe venturum, dicit ſe nolle venire ad coenam.* — Sic ap. Plaut. Menaech. II, 3, 30 ait invitatus quidam: *bene vocas, magna gratia eſt* pro *non veniam*, ut noſtri *ich danke ergebenſt, vielmals* etc. Proprie vero eſt: *bene facis, cum me vocas et pro hac benevolentia magnam habeo tibi gratiam.* — Sic et Graeci venuſtiores (non omnes Graeci; neque enim hoc ad linguam graecam per ſe referri debet) dicebant: καλῶς; ſic ἐπαινεῖν τὴν κλῆσιν proprie *laudare vocationem* ſ. *invitationem ad coenam* dicitur de recuſantibus Xenoph. Sympoſ. I §. 7, quod ſimile eſt Latino *gratiam habere, dicere recte* etc. — Pertinet huc ex Cic. Or. II, 69 ſupra n. 8 allatum dictum Siculi illius, qui patronum cauſae ſtultum, ſibi a praetore datum, his verbis repudiavit: *Quaeſo, praetor, adverſario meo da iſtum patronum, deinde mihi neminem dederis* pro *hunc patronum nolo accipere*; proprie vero eſt: *da hunc patronum adverſario meo: nam deinde mihi non opus erit patrono; quia tum ſine patrono vincam.*

4) quando

4) quando in reſpondendo veram cauſam aliamve rem, quia ingrata erit interroganti, reticemus et generali reſponſione defungimur: v. c. ap. Terent. Hec. III, 2, 20 mater quaerit ex filio: *Quid tu igitur lacrymas? aut quid es tam triſtis?* filius reſpondet: *recte, mater;* h. e. *nihil eſt, mater*, ut noſtri *Es iſt nichts, es iſt gut*, ſi veram cauſam dicere vel directe reſpondere nolunt.

5) quando tecte aliquem reprehendimus: de qua re ſupra n. VIII.

XIII) *Novitate elocutionis.* Omne novum placet: omne vulgare et nimis notum taedio eſt et minuit attentionem auditorum et lectorum. — Sed illud non ita intelligendum, ut ubique novitati elocutionis ſtudere debeamus: hoc enim non fieri poteſt. At ſaepe tamen fieri poteſt. Nec difficile hoc puto eſſe ſub his conditionibus 1) ſi ſimus ingenio praeclaro et animo generoſo inſtructi: 2) ſi ſententiam plane et ex omnibus partibus intelligamus: 3) ſi verborum ſingulorum vim accurate teneamus atque ita ſciamus, utrum ſententiam exprimant recte, nec ne: 4) ſi juſta vocabulorum recte intellectorum copia inſtructi ſimus, ut e multis aptiſſima quaeque eligere poſſimus: 5) ſi non ſimus ea ſuperſtitione infecti, ut credamus, hanc vel illam ſententiam non niſi iis verbis, quibus Cicero aliusve vir magnus expreſſerit, exprimi debere vel non meliorem veſtem accipere poſſe, quam vel Cicero vel alius priſcorum illi circumdederit. Qui v. c. verba et ſententiam recte intelligit, is, ingenio adjutus, facile multa verba, quae Cicero non junxit, jungere poteſt, quia ſibi conveniunt et eandem ſententiam exprimunt, atque adeo novas ſententias deinde invenire. At, qui vel ſententiam vel vocabulorum vim non accurate tenet, ac, quae vocabula ſibi conveniant, neſcit, ſed tantum eorum conjunctionem e Cicerone novit, quod dicitur vulgo *ex uſu loquendi diſcere*, is nullam aliam phraſin, niſi quam apud Ciceronem legit, uſurpare audeat. At nonne hoc eſt priſcos nimis ſuperſtitioſe imitari vel

potius agere more puerorum, qui de rebus nil dicunt, niſi quod pater de illis dixerit, non aliud vocabulum proferunt, quam quod pater protulerit? Multas ſane novas ſimilitudines, praeter eas, quae apud priſcos occurrant, hodie proferri poſſe quis neget? modo aptae ſint reique conveniant: quamquam etiam multa, quae priſci dixerunt, hodie pro novis haberi uſurparique poſſunt, quia paucis nota atque ita multis nova ſunt. — Novitas autem illa elocutionis commendanda eſt in primis 1) in *proverbiis*, ne ea ubique priſco habitu proferantur 2) in ſimilitudinibus 3) in exemplis 4) in tropis 5) in verbis.

XIIII) *Variatione ſententiarum et verborum*, quae novitati illi ſaepe vicariam operam praeclare praeſtat. Omnis variatio delectat, non modo ciborum, ſed etiam idearum et verborum. Aeque pauper eſt is, qui eandem ubique ſententiam profert et iisdem ubique verbis exprimit, quam qui quotidie eadem ſe veſte conſpiciendum praebet. — Debemus igitur ſententias varie exprimere, modo negative modo affirmative, modo per interrogationem modo ſine ea, interdum propriis interdum tropicis vocabulis, modo per hanc modo per illam vocabulorum ſtructuram: et in tropis etiam variatione utendum, ut v. c. in metaphora ſimilitudo rei arceſſatur modo ab hoc modo ab illo floris genere etc. — Copia verborum hic debet ad manum eſſe, ut e multis modo haec modo illa eligamus.

V. c. quando dico: *Quamquam, qui perſpicue loquitur, valde laudandus eſt, tamen is, qui ſimul ſuaviter loquitur, magis laudandus eſt*, parum ſuavis eſt oratio, quae ſuavior fiet variatione, v. c. cum dico: *Quamquam, qui perſpicue loquitur, valde laudandus eſt, tamen is, qui cum perſpicuitate ſuavitatem orationis conjungit* (*conjungere ſcit* vel *qui ſimul ſuaviter loqui novit*), *majori laude dignus eſt cenſendus*: vel *tamen, qui cum iſta perſpicuitate ſuavitatem orationis conjungere ſciat, eum majori laude dignum eſſe conſtat, quis neget?* etc. — Sic dicens: *Virtutis amantes quisque laudat: vitiorum aman-*

amantes nemo laudat: quomodo enim laudari potest, qui ipse laudanda agere non vult? parum suaviter loquitur: suavius dicet v. c. ita: *Virtutis amantes quisque laudat: vitiorum studiosis nemo laudem tribuit* etc. At verba: *quomodo enim laudari potest, qui ipse laudanda agere non vult*, manere debent, ut oppositio *laudari* et *laudanda agere* non vult clarius elucescat. Potest et ita variari: *Qui virtutem amat, is laude hominum frui solet, quae contra vitiorum studiosis deesse solet* vel *at vitiorum studiosi illa carent* etc. Variatio est multiplex, v. c. pro *amoris causa, propter amorem, ob amorem* dici potest *amore ductus, incitatus* etc. cf. supra P. I cap. 8 de *variatione*, S. 10 p. 372 ff., quae late ibi tractata est. — Potest quoque interdum in collocatione vocabulorum variari, v. c. interdum *is* praeponitur τῷ *qui*, interdum postponitur, v. c. *eos, qui literis operam dant, semper amo*, et *qui literis operam dant, eos semper amo.* Sed haec variatio ordinis verborum non nisi interdum permittitur, h. e. quando usus ordinis fixus, perspicuitas, gravitas etc. non offenditur vel in re vulgari.

Interdum tamen variatione vocabulorum uti non licet: v. c. 1) quando alia vocabula non habemus ad rem exprimendam: v. c. *consul dixit dictatorem; literae mihi sunt redditae* etc. Quid pro *dixit* et *redditae* dicas? Nisi forte velis dicere *dictator factus est* omissa consulis idea, et *literas accepi*: ubi tamen contextus ratio consulenda. Hinc Cicero non culpandus videtur, qui ad Div. XI, ep. 16 in. dixerit: *epistola reddita sit*, et post tres versus: *epistolae tibi reddendae*, et interjectis iterum duobus versibus: *non loco redditae.* Injucundior foret haec repetitio, si in eadem sententia esset. Sic Liv. XXX, 33 non proc. ab in. *Hannibal — elephantos instruxit*, et, cum deinde de cetera acie loquitur, post sex versus iterum usurpat *instruxit*: sed et haec repetitio toleranda, cum post sex versus demum fiat. Retulit haec duo loca Cel. Ernesti ad gratam negligentiam. 2) quando gravitas postulat: v. c. in oppositione, *Nec prosunt domino, quae prosunt omnibus artes* Ovid. Met. I, 523 etc. Dictum hac de re est supra in cap. de *gravitate* S. 3 n. 30, et dicetur infra etiam aliquid de *vitanda repetitione* ejusdem verbi n. 21.

XV) *Genere scribendi non affectato. Affectatum* est *nimis studiose quaesitum*: et hoc indicat res et verba non bene convenire materiae. *Non affectatum dicendi et scribendi genus est*, quando ita dicimus et scribimus,

ut

ut natura materiae poſtulat, v. c. *tenuiter* de rebus tenuibus, *magnifice* et *ornate* de rebus magnis et ornatu dignis. — Affectato igitur dicendi ſcribendique genere utimur, quando de rebus tenuibus magnifice et ſublimiter loquimur, quando, quidquid pulchri ſcimus vel ſcire nobis videmur, v. c. epitheta poetica vel otioſa, v. c. *lac album*, rara vocabula, itemque deſcriptiones locorum, rerum etc., ſententias acutas, tropos, figuras, v. c. exclamationes etc., id ubique ac propterea plerumque inepte et alieno loco ponimus, omninoque ita loquimur aut ſcribimus, ut auditor aut lector facile animadvertat, nos *voluiſſe videri pulchre ſcribere:* quod lectori et auditori ſemper moleſtum eſt. Qui *vult videri* pulchre ſcribere, is nec *videtur* pulchre ſcribere nec *ſcribit pulchre.* Lector vel auditor vult pulchritudinem ipſe ſentire ac ſponte de ea judicare: non ab oratore vel ſcriptore moneri impellique ad ſentiendam. Qui ſtudet videri pulchre dicere et ſcribere, is videtur auditori vel lectori ſucclamare: *Lauda me et admirare.* Id quod ſemper eſt arrogantis et ſibi nimium confidentis. Pulchritudo vera ſponte ſe ostendit ac ſponte placet; nec opus habet, ut digito monſtretur: velut forma virginis vere pulchra mox animadvertitur. Huc pertinent in primis acute dicta: quae ſi quis ita profert, ut ipſi placere videantur, vel ita, ut primus laudet aut riſu hilarive fronte excipiat, omnem, quam habebant, pulchritudinem ac ſuavitatem illa ſtatim amittunt; quia audientes, qui liberum arbitrium ſibi poſtulant, ſibi imperari, quid judicare debeant, arbitrantur. Deinde puerile eſt ubique ornatum adhibere: indicat enim, te non diu diſciplinam magiſtri reliquiſſe, te judicio carere etc. — *Affectatus* ſermo plerumque naſcitur 1) ex ambitione ſ. vanitatis ſtudio vel etiam ex arrogantia 2) ex inopia judicii 3) ex inſcitia rei, quae tractatur; omninoque e defectu doctrinae accuratae. Nonnemo rem nimis auget et ornat, quia majorem non novit atque

que ita illam pro omnium maxima habet. 4) ex cognitione vocabulorum non accurata. Multi utuntur affectato ſermone, ita, ut hoc neſciant: putant, ſe recte atque adeo praeclare loqui, quia ſic didicerunt. Hinc 5) in primis venit ex inſtitutione magiſtrorum multorum perverſa, qui prius de pulchra latinitate, de ornate ſcribendo, ut loquuntur, quam de recte ſcribendo dicunt, tanquam recte ſcribere ſit nimis puerile vel nimis facile ac per ſe diſcatur; atque adoleſcentes ad pulchre ſcribendum, non ad pulchre cogitandum, impellunt, tanquam *cogitare* non ad ſcribendum ſit neceſſarium ſed tantum ad philoſophum proprie ſic dictum pertineat. Omnes homines natura ducuntur cupiditate pulchritudinis atque ita pulchre loquendi et ſcribendi. Iam, ſi adoleſcens pulchre ſcribere ac loqui ante diſcit et ſtudet quam pulchre cogitat, nonne iſta pulchritudo, in meris verbis, iisque raris, tropicis ac ſine ſenſu pulchritudinis rerum exquiſitis conſtans, ſit coacta et affectata neceſſe eſt? Legunt vulgo Ciceronem, pulchre quidem ſcribentem: at ſententiam ejus ac contextum idearum negligunt, obliviſcuntur, ac ſaepe ne intelligunt quidem. Verba ſola, utcunque intellecta, uſurpare in omni contextu gaudent. Poteſt interdum in eorum verbis nonnullis vera ineſſe pulchritudo, ſi ideae pulchrae ſunt: at, quia nimis condenſantur iſtae veneres, moleſtae fiunt et affectationi propinquae. Aromata ſunt ſuavia; at nimia eorum multitudo in cibis eſt taedio. Matrona honeſta ornat ſe, at modice et apte, et ejus forma placet: meretrix nimium ornatum affectat, quia virtutibus ſuis diffidit nec pulchritudinem ſuam ſine illo ſatis declaratum iri putat.

Venit hic in mentem *gratae negligentiae* in ſcribendo, quam ſunt qui commendent. Dubius ſum, quid de ea ſentiam, quia in vocabulo *negligentiae* videtur eſſe ambiguitas. Omnis vera negligentia eſt vitium, indi-

indicatque lectorem ab ſcriptore, auditorem ab oratore, contemni; et tum opponitur diligentiae, quae non ſatis commendari poteſt. Sed interdum videtur aliquis negligens eſſe, comparatus cum alio nimis ornato h. e. cum eo, qui ubique ornatum, quemcunque novit, adhibet, et qui vocari poſſit nimis diligens, nimis accuratus, quod ſemper vitium eſt: quemadmodum matrona honeſta, accurate veſtita et ornata, poſſit vocari negligens prae meretrice nimis ornata: quia neglexit hunc nimium ornatum. Si ſic grata illa negligentia intelligatur in ſcribendo, facile aſſentior: it., ſi per gratam negligentiam intelligatur *ſimplicitas* (das Ungekünſtelte), quae *arti* opponitur. — At videtur vocabulum *gratae negligentiae* vulgo uſurpari ad defendendos ſcriptores priſcos, in primis Ciceronem et Caeſarem, quos interdum negligenter h. e. vitioſe ſcripſiſſe non negari poteſt. Vera autem negligentia nunquam grata erit intelligentibus et guſtum habentibus: ac forſan per eam priſcos non defenderemus, niſi magna obſervantia erga eos teneremur vel didiciſſemus a magiſtris noſtris, priſcos ab omni vitio, quo poſſent, defendendos eſſe. — Commendavit etiam Cel. Erneſti *negligentiam gratam* in Opuſc. Phil. p. 126 et affert repetitionem multorum vocabulorum, quam ad gratam negligentiam refert: quam tamen partim vitioſam partim vel ob gravitatem vel ob defectum alius vocabuli neceſſariam fuiſſe crediderim, ut et ex ſupra dictis et ex infra dicendis apparere puto. Omnino ſuaſerim tironibus, ut magis diligentiam quam negligentiam ſequendam ſtatuant. Loca ab Erneſtio ad confirmandam gratam negligentiam infra memorabo, ubi agetur de *vitanda repetitione ejusdem vocabuli.*

XVI) *Aequali ſcribendi genere;* quod ad proxime praecedens quodam modo pertinet. Sed *aequale genus ſcribendi dicendique* non ita intelligendum, ut per totam

ora-

orationem ac librum vel magnifice vel tenuiter ſcribere debeamus: nam nulla eſt oratio, nullus liber, in quo non interdum graviter, magnifice ac ſublimiter, interdum tenuiter dicendum ſit: nam modo narramus, modo docemus, modo affectus hominum excitare ſtudemus. Sed aequale dicendi ſcribendique genus conſtat in eo, ut characterem ſingulis dicendi generibus proprium ſervemus; nec verba vel modos rem tradendi ex alio in aliud genus transferamus. — Male v. c. deſcriptiones ac ſimilitudines uberiores et crebriores, quae ſunt poetis propriae, transferas in hiſtoriam: male vocabula rara et poetica, v. c. *altitonans*, *horriſonus* etc., it. exclamationes in hiſtoria uſurpes. — Sic contra narratio ſimplex hiſtoricorum h. e. artificio carens non convenit poetis. Genus dicendi poeticum iterum in ſpecies quasdam ſe dividit: aliud eſt dicendi genus in odis, aliud in fabulis, aliud in epicis carminibus ſcribendis. Haec genera non confundenda ſunt. Sic orator aliis ſimilibus utitur quam poeta, et alio modo tractat, et rarius ipſa adhibet. Ridiculus eſt orator vel ſcriptor, ſi poetarum epicorum more repente aſſurgit et ſtatim deinde humilia verba profert, tanquam Davus in Comoedia loquatur. — Haec inaequalitas oritur ex iisdem fontibus, ex quibus affectatum genus dicendi provenire diximus: praeterea e collectaneis quibusdam, ut vocantur. Colligunt nonnulli ex omnibus ſcriptoribus, quidquid praeclari ibi reperiunt vel quidquid praeclari inveniſſe credunt: ac, ſi quid ſcribunt, eo confugiunt, et inde rapiunt, quidquid inveniunt. Sic facile fit, ut Virgiliana commiſceantur cum Terentianis, Ciceronianis etc., verba ſervi cum verbis ſapientis et docti etc. Melius eſt, quae legeris, in ſuccum, quod ajunt, convertere tibi proprium, more apum, quae è florum ſuccis efficiunt ſuccum ſuum h. e. *mel.* Quis mel guſtans novit, unde apes illud congeſſerint? Sic, quaecunque legimus, ita debemus concoquere, ut deinde

inde pro noſtris habeantur. Id quod facile eſt, modo nihil dicas, quod non accurate intelligas.

XVII) *Vegeto ſcribendi et dicendi genere* h. e. tali, quod lectorum et auditorum attentionem excitet: id quod in primis opus eſt, ſi oratio vel liber eſt paulo longior aut materia paulo tenuior ac ſiccior. Nam *in opere longo*, ait Horatius, item *in tenui, fas eſt obrepere ſomnum*. Sed unde hoc conſequimur? Maxima ejus pars debetur naturae, educationi et doctrinae, conventus hominum non fugienti. — Adjuvatur illud multis rebus, quas hic recenſere non poſſumus; v. c. 1) *epithetis* deſcriptionem rei continentibus; ſed haec non otioſa eſſe debent: v. c. Cic. Senect. 15 *terrae natura delectat: quae cum gremio mollito ac ſubacto ſemen ſparſum excepit, primum id occaecatum cohibet: — deinde — elicit herbeſcentem ex eo viriditatem* etc. Totus locus eſt ſuavis; additur hic *mollito ac ſubacto*, deinde *ſparſum, occaecatum, herbeſcentem*. 2) omnino *deſcriptionibus* rei, efficientibus ut ipſa oculis fere ſubjiciatur: de quibus mox. 3) *acute dictis*, de quibus infra. Nihil magis attentionem excitat. 4) *interrogationibus* et *exclamationibus*, ubi tamen videndum, ut aptae ſint reique conveniant. 5) metaphora pulchra. Omnis metaphora, ſi a re ſenſibus ſubjecta ſumta eſt, excitat attentionem in re ſubtili diu audienda. Nam, quidquid audire vel videre videmur, id mentem magis noſtram ferit, quam quod cogitando conſequimur. — In primis delectat *metaphora ſuavis*, ut vulgo non ſatis quidem accurate loquuntur, h. e. *in qua ineſt ſuavis imago* ſ. *quae a re ſuavi ducta eſt*, v. c. *a ſegete, vere, floribus* etc. v. c. *flos aetatis* etc. — Placet etiam metaphora a re grandi ducta: v. c. *vallum ariſtarum:* ſic Cicero Senect. 15 loquens de ſegete: *et contra avium minorum morſus munitur vallo ariſtarum.* — Maxime tamen omnium placet attentionemque excitat et recreat metaphora, quando rebus inanimatis vitam vel adeo vocem et actiones

nes animalium aut hominum tribuit: v. c. *ſomno oppreſſus*, de eo, cui ſomnus obrepit: *ſomno victus*, de eo, qui, poſtquam diu ſomno reſtitit, tandem dormire cogitur: *ſomno vinctus*, de eo, qui ita dormit, ut non facile excitari poſſit. Hic conſideratur *ſomnus* ut homo, qui aliquem inimicum *opprimit* h. e. *repente invadit*, *vincit* h. e. *ſuperat*, et *vincit* h. e. *ligat*. — Sic Cic. Nat. Deor. II, 33 *quippe quae* (terra) *gravidata ſeminibus omnia pariat et fundat ex ſeſe*, *ſtirpes amplexa alat et augeat*, *ipſaque alatur viciſſim a ſuperis externisque naturis*. Cui haec legenti ſomnus obrepere poſſit? *gravidata*, *pariat*, *fundat*, *amplexa* etc. Omnia praeclara et ſuavia. — Senect. 15 ſeges dicitur *niti ſich aufſtemmen*, et *adoleſcere*. Verba ſunt: *quae* (viriditas herbeſcens i. e. ſeges) *nixa fibris ſtirpium ſenſim adolescit*, *culmoque erecta* etc. Ac paulo poſt *vitis* dicitur *ſerpens* etc. — Sic *ſeges* dicitur *laeta*: ſic *flos* dicitur *mori*: ſic *agri* dicuntur *ſitire* etc. *Fontes ſitiunt* dixit Cicero ad Q. Frat. III, 1 med.: et *venias ad ſitientes aures* ad Att. II ep. 14 in. — At parcius tamen ita proſaici: crebrius poetae, quibus nihil frequentius; v. c. *cymba gemit*, *tecta ſurgunt* ap. Virgil.: it. *vino* vel *ſomno fallere curas* pro *obliviſci* Horat. Serm. II, 7, 114: ſic *currus non audit habenas* Virg. Georg. I, 514. Verba ſunt: *Fertur equis auriga neque audit currus habenas.*

XVIII) *Deſcriptionibus rerum ſuavibus* v. c. *montium*, *regionum*, *beſtiarum*, *actionum*, *permotionum animi* etc. in primis *naturae*: v. c. Cic. Senect. 15 deſcribit *ſegetem creſcentem*: cf. Nat. Deor. II, 33 in. et cap. 47 ſſ., quae plena ſunt deſcriptionum ſuaviſſimarum, v. c. cap. 47 *Jam vero vites ſic claviculis adminicula, tanquam manibus, apprehendunt, atque ſe ita erigunt, ut animantes* etc. Ibid. *Jam vero alia animalia gradiendo, alia ſerpendo, ad paſtum accedunt, alia volando, alia nando: cibumque partim oris hiatu et dentibus ipſis capeſſunt, partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate roſ-*

trorum: alia ſugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt. Et plures ſunt capp. ſeqq. de ſingulis animalibus: at uberior eſt deſcriptio hominis a cap. 54 ad cap. 61: ubi de ſingulis ejus partibus dicitur, et tota quidem ſuaviſſima, ut cap. 56 *ſenſus autem, interpretes ac nuntii rerum, in capite, tanquam in arce, mirifice ad uſus neceſſarios et facti et collocati ſunt. Nam oculi, tanquam ſpeculatores, altiſſimum locum obtinent: ex quo plurima conſpicientes fungantur ſuo munere. Et aures cum ſonum percipere* etc.: cap. 57 in. *quae* (natura) *primum oculos membranis tenuiſſimis veſtivit et ſepſit: quas primum perlucidas fecit, ut per eas cerni poſſet; firmas autem, ut continerentur. Sed lubricos oculos fecit et mobiles, ut et declinarent, ſi quid noceret, et adſpectum, quo vellent, facile converterent. — Munitaeque ſunt palpebrae tanquam vallo pilorum, quibus —, ſi quid incideret, repelleretur* etc. Sed totus locus eſt perlegendus. — Omninoque nihil ſuavius natura, ut, qui ejus rationem accuratius cognoverit, is nullo negotio ſuaviter ſcribere poſſit: nam nulla fere eſt materia, ubi non vel ſimilitudo aliqua vel vocabulorum multitudo a natura arceſſi et uſurpari poſſit. Orator, cui natura ignota eſt, plerumque haeret in ſpinis et jejune ſcribit ac dicit. — Nec modo in Cicerone ſed etiam in Caeſare, Livio, maxime in poetis, ut Ovidio, Virgilio, egregiae ſuaviſſimaeque reperiuntur deſcriptiones rerum. Animi permotionum deſcriptiones innumeras habent Ovidius et Virgilius, v. c. Aen. I eſt deſcriptio *irae Junonis* et *Neptuni: amoris, irae ac furoris* Didonis Aen. IIII etc. Cujusmodi deſcriptiones qui poſſit ſine attentione ac ſine voluptatis ſenſu legere, ferreus ſit neceſſe eſt.

XVIIII) *Jocis apte adhibitis.* Qui in jocando placere vult, debet ingenio uti praeclaro et cognitione animorum humanorum inſtructus eſſe. Riſum movere facile eſt: at apte jocari non cadit in quemque.

Joci

Joci debent eſſe

1) *liberales* ſ. liberali homine digni h. e. non modeſtiam et religionem laedentes. Exſecrandus eſt, qui alios virtutis impenſis, ut ſic loquar, delectare gaudet. Rejiciendi ergo omnes joci, in quibus, quidquid ad ſacra et virtutes pertinet, deridendum propinatur. Peccarunt hic Ariſtophanes et Plautus, non item Terentius, Cicero etc.

2) *rei convenientes:* non igitur, quidquid in buccam venit, effutiendum eſt, licet modeſtiam et virtutes non offendat.

3) *non vulgares* h. e. plebi non nimis notae: debent habere novitatis aliquid.

4) *acuti*, et tamen ſimul tales, ut *non quaeſiti* videantur. Quod utrumque conjungere non faciliimum eſt. *Acuti* h. e. in quibus aliquid reconditi latet, non cuivis ſtatim apertum ſed tantum prudentioribus et urbanioribus. Placet enim acumen ingenii. De *acute* dictis ſeparatim dicetur, quia non omne acute dictum jocus eſt. *Non quaeſiti* videri debent h. e. tales eſſe debent, ut ſtatim in mentem veniſſe videantur. Ergo debet exercitatus eſſe in acute dictis, qui acute jocando placere vult. Aegre ferimus, ſi quis jocum profert, quem diu et diligenter excogitaſſe videtur: quia tum videtur placere velle, quod moleſtum eſt. Homines volunt videri ſponte riſiſſe, et ridentes ob jocum magis placent ſibi propterea, quod acumen ingenii in joco intellexerint, quia ſic acute cogitaſſe videntur, quam iis is placet, qui jocando acumen ſui ingenii ostendit.

5) *parci.* Quo crebriores ſunt joci, eo magis vulgares fiunt. Qui nimis crebro jocatur, fit homo ridiculus. Peccavit hic Cicero ingenio interdum abundans, qui aliquando propterea *ridiculus conſul* appellatus eſt. Joci ſunt genus aromatum orationis. Sed nimis crebrum uſum aromatum ſtomachus faſtidit. — Ceterum de *jocis* legi poteſt Cicero Orat. II, 54—71 et Quintil. VI cap. 4 totum.

XX) *Acute dictis*, ſive per jocum ſive ſerio adhibeantur. — *Acute dicta* ſunt ea, quae non ſtatim a quolibet intelliguntur, ſed aliquid reconditi atque ita non a quovis exſpectati continent. — Vocabula *acutus* et *acumen* proprie de cuſpide, de gladio, cultro, ſimilibusque inſtrumentis dici notum eſt, quae dicuntur *acuta eſſe* ſ. *acumen habere*, quando non in ſuperficie ſeu ex-

tremitate rerum, quas petunt, haerent, ſed alte penetrant: quod ſi non poſſunt, dicuntur *obtuſa* eſſe. Sic *mens obtuſa* eſt, quae rei externam tantum faciem cogitare et videre poteſt: *acuta* vero *mens* ſ. *acumen mentis* dicitur, quando mens in rem ipſam penetrat cogitando vel altius quam mens aliorum, et in ea plura videt atque obſervat quam mens aliorum multorum, v. c. cauſam aliquam tectam vel cauſarum cauſas, it. conſilia et artes hominum callidorum etc. Talis igitur mens dicitur *acuta eſſe* et *acute moveri* i. e. *cogitare:* nam cogitationes ejus penetrant alte, atque ita ab hominibus, quorum mens non aeque alte penetrat ſed in externa rerum facie moratur, perſpici non facile vel non ſtatim poſſunt. — Facile hinc intelligitur, *acumen* de cogitando quidem, non vero de loquendo, proprie dici poſſe, ut adeo *acute dicta* proprie falſo ita dicantur: verba enim non alte penetrant in rerum intimam rationem et naturam ſed cogitationes tantum. Quia tamen, qui acute aliquid cogitat, id dicendo declarat, et *acute cogitata* non niſi *dicendo* apparere poſſunt: hinc mos invaluit, ut homines, qui in eligendis vocabulis non ſemper ſatis accurati ſunt, eos, qui acute cogitata proferrent, dicerent *acute dicere*, quemadmodum ii, qui res ſublimes recte eloquerentur, dicebantur *ſublimiter dicere, ſublimitate orationis uti.* Hinc *acute dicta* ſaepe occurrunt. Proprie igitur *acute dicere* per quandam dicendi brevitatem dicitur pro *acute cogitata dicere* ſ. *proferre.* — *Acute* itaque *loqui* eſt ita loqui, ut, qui te audit, non ſtatim mentem tuam intelligat, ſed inexſpectati aliquid audiat, quod tamen rei conveniens et aptum verumque eſſe deinde animadvertit et ſentit. Omne *acutum* in dicendo eſt inexſpectatum, at ſimul rei conveniens et verum. Ergo non omne inexſpectatum pro acute dicto habendum eſt: ſed et verum reique conveniens ſimul ſit neceſſe eſt. Placere autem hominibus *acute dicta* per ſe patet, quia mens humana

talis

talis vulgo est, ut magis gaudeat, si quid intellectu difficile intellexit et conjectura assecutus est, quam, si quid facile intellectu audit et intelligit: id quod e studio hominum vulgari aenigmata audiendi et solvendi apparet: nam, quo difficiliora sunt aenigmata, eo libentius audiunt; nec quidquam studii remittunt in illis solvendis. — At non nimis crebra esse debent *acute dicta*, cum ob causam supra in *sententiis* P. II c. 2 sect. 3 n. VI allatam, tum quia mentis aciem auditorum et lectorum nimis intendunt ac tandem fatigant, et praeterea, quia omne venustum nimia frequentatione invenustum fieri et taedium creare solet. Omninoque in acute loquendo magno ingenio judicioque opus est, ac simul cognitione animorum humanorum, ut non antea in acute loquendo felices nobis videamur quam certo sciamus, ea, quae acute dixerimus, omnium prudentium plausum tulisse. — *Acute dicta*, quae melius *scharfsinniges* h. e. *scharfdenkendes Reden* (quia *Sinn* olim pro *Verstand* usurpabatur) quam *witziges* (a *wissen*) *Reden* a nobis dicuntur, possunt dividi in *minus* vel *magis acute dicta*, prout ad ea et proferenda et intelligenda vel majori vel minori ingenii ac doctrinae copia opus est. — Interdum vel acutissime dicta famam amittunt et contemnuntur, si quidem in vulgus et in omnium notitiam abeunt omniumque ore frequenter usurpantur: id quod in multis videmus proverbiis fieri, quae vilia sunt, quia proverbia sunt. — *Acute* tandem *dicta*, si vix ac ne vix quidem intelligi possunt, omni ratione sunt vitiosa, quia offendunt perspicuitatem, primariam scribentis dicentisque virtutem.

Plurima vel potius innumera forsan *genera* sunt *acute dictorum*. Quis singula novit? quis recensere potest? Ac forsan indies nova cuduntur. Equidem *septem* genera enumerabo: nam non omnem lusum verborum inanem, qui interdum etiam a nonnullis inter acute dicta numeratur, afferre possum.

A) *Primum genus eſt, quando ſpecie repugnantia profero* ſ. duas ideas ſibi contrarias ita conjungo, ut propter contextus reique rationem nihil repugnantiae inſit. Dicuntur haec vulgo *oxymora;* v. c. cum dico: *dives hic eſt pauper,* ſcil. quia divitiis non fruitur, atque ita a paupere non diverſus videtur; vel de avaro divite: *optat, quod habet* i. e. divitias. — Pertinent huc paradoxa illa Stoicorum: *omnem ſapientem, licet ſit pauper, tamen divitem, et, licet ſit ſervus, tamen regem eſſe* etc. Pertinet huc illud e Cicerone: *cum tacent, clamant;* it. *ſtulta ſapientia* de eo, cujus ſapientia nihil prodeſt. Huc pertinet Flor. II, 6 §. 27 acute dictum de Fabio Cunctatore: *qui novam de Hannibale victoriam commentus eſt, non pugnare:* Martial. VIII, 11 *nubere uxori,* quod indicat *ejus imperio obnoxium eſſe.* Verba ſunt: *Uxorem quare locupletem ducere nolim, Quaeritis? uxori nubere nolo meae:* quod acutius eſt quam cum Ovid. Met. VIIII, 761 Iphis puella, cui pater, quia pro mare habebat, virginem deſponderat, ait: *Pronuba quid Juno, quid ad haec, Hymenaee, venitis Sacra, quibus, qui ducat, abeſt, ubi nubimus ambae?* dicit: *abeſt, qui ducat* i. e. *deeſt vir*: *ubi nubimus ambae* i. e. *nos ambae ſumus feminae*: nam *ducere* eſt virorum, *nubere* feminarum. Acute et hoc dictum quidem eſt, at ſenſus vulgaris ineſt, ut magis luſus vocabulorum ſpecioſus ſit. Add. Ovid. Met. VII, 604 *mortisque timorem Morte fugant.* Plenus eſt Ovidius; v. c. Heroid. XIIII, 105 *eadem ſequerisque fugisque, Tu tibi dux comiti, tu comes ipſa duci.* Sed haec omnia, ſi proprie intelligerentur, vere ſibi repugnarent: at alterutra idea, ſive ſit ſubjectum ſive praedicatum, ſeu alia ſit idea adjecta, non ita ſumitur, ut id, quod eſſe dicitur, vere ſit, ſed ut tantum eſſe *videatur:* ut itaque, ſi vere loquimur, ſit non niſi luſus vel fallacia vocabulorum. V. c. *dives hic eſt pauper* dicitur pro *videtur pauper eſſe* ſ. *eſt pauperi ſimilis: ſapientia hominis ſtulta* pro *quae homini videtur eſſe ſapientia, non eſt vera ſapientia, ſed eſt ſtultitia,* vel, ſi vocabulum per jocum retinere velis, eſt *ſapientia ſtulta* h. e. *nulla.* In hoc: *optat, quod habet* eſt merus luſus vocabulorum, deeſt veritas: *avarus non optat quod habet,* ſed *plus quam habet* ſeu *plures divitias, incrementum divitiarum.* Nec igitur hoc ad oxymora ſubtiliter referri poteſt. Referunt huc etiam *otium negotioſum*: ſed hic in verborum externa forma, non in ideis, reperitur repugnantia. Nam *otium* hic ſumitur pro *vacatione a laboribus ſtatis e muneris ratione ſubeundis,* qui nunquam tales ſunt, ut non *alia negotia* quoque ſuſcipere poſſimus. Cur finitis laboribus

bus statis, hoc est *in otio*, non possimus aliud negotium suscipere? Hoc tum dicatur *otium negotiosum.* Romani senatores certo anni tempore in villas suas excurrebant, quia tum Romae otium erat, h. e. senatus non conveniebat et negotia senatus cessabant. Cur igitur in villis non poterant aliquid agere atque ita *otium negotiosum* habere? At, si *otium* esset *vacatio ab omni labore*, sive muneris ratione sive alia quacunque de causa subeundo, *Müßiggang*, tum plane repugnaret huic *otio τὸ negotiosum.* Ac forsan primus, qui *otium negotiosum* pro *oxymoro* habuit, *otium* ita intellexit, sc. *Müßiggang.* (Cf. p. 664, 4). — Ceterum oxymora caute usurpanda sunt. Dictum de iis etiam supra est cap. 2 de *gravitate* sect. 3 n. XXII p. 659 s.

B) *Alterum* genus est *ambiguitas sententiae* s. *ideae ob vocabulum homonymum.* Sunt scilicet vocabula permulta, quae duplicem (saepe plures) sententiam s. vim habent, *homonyma* dicta, quibus utuntur acute dicturi interdum de industria ita, ut audientes et legentes paulisper incertos relinquant, utram vim cum illis conjungere debeant: quamquam ingenium sagax celeriter vim veram deprehendit, et omnino contextus debet esse talis, ut consilium dicentis et scribentis intelligatur. Interdum ita ambigue loquens a paucis, iisque prudentioribus, intelligi vult. Exempla dabimus. Cicero, cum dixit de Octaviano, *ornandum* et *tollendum esse*, in vocabulo *tollendum* ambigue locutus est. Nam *tollere* potest esse tum *ad honores evehere* tum *interficere.* Octavianus dicitur hanc ambiguitatem sensisse et dixisse, se cauturum, ne *tolleretur* h. e. *interficeretur* Suet. Aug. 12. Cicero autem videri volebat vocabulum priori sensu usurpasse. Sic ap. Sueton. Ner. 39

Quis negat, Aeneae magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem

ubi prius est *interfecit*, posterius est *portavit humeris.* Huc pertinet in primis hoc dictum Ciceronis: *Tertia deducta est.* Serviliae cuidam, quam Caesar aeque ac filiam ipsius Tertiam amabat, cura Caesaris praedium quoddam addictum erat parvo. Quod cum multi mirarentur, Cicero: *quo melius emtum sciatis, Tertia deducta est.* Sensus inest duplex, 1) *tertia pars pretii deducta adeo* i. e. *donata Serviliae est:* sic multi intellexere, 2) *Tertia, filia Serviliae, ad Caesarem concubitus causa deducta est:* et hoc significare volebat Cicero. Cf. Suet. Jul. 50. En aliud: Faustus, Sullae filius, cu-

jus soror duos simul amasios habebat, Fulvium, fullonis filium, et Pompejum Maculam, dixit: *miror, sororem meam habere maculam, cum fullonem habeat.* Ciceronis Epistolae, in primis ad Trebatium in libro VII et ad Paetum libr. VIIII, refertae sunt talibus argutiis: v. c. VII ep. 13 *Treviros vites censeo: audio capitales esse, mallem auro, argento, aere essent*: ubi per *Treviros* et natio quaedam Galliae, in qua tum Trebatius erat, et *Treviri* s. *Triumviri capitales* ac *Triumviri auro, argento, aere* intelliguntur. Ad Div. VIIII, ep. 18 Paeto, quocum libenter de coenae apparatu etc. jocabatur, scribit: *disce jam* προλεγομένας: in quo vocabulo et prolegomena eloquentiae et jocose simul prolegomena artis coenandi intelligit. In orationibus Verrinis Cicero vocabulum *Verris* ambigue utitur, ut et praetorem illum et suem intelligat. Nescio, an satis apte et honeste: v. c. *Jus Verrinum* usurpat Verr. I, 46 de jure, quod Verres dixit in praetura urbana, ubi simul respici vult ad *jus suillum.* Verba sunt: *negabant mirandum esse, jus tam nequam esse verrinum;* ac deinde: *cum Sacerdotem, qui verrem tam nequam reliquisset*, quae iterum ambigue dicta. It. *Verrutius* erat nomen fictum, in quo latebat Verris nomen: vid. Cic. Verr. II, 76. Cicero irridendi causa appendicem *utius* vocat *caudam Verris* ibid. c. 78 in. ambigue, respiciens ad suem. Ejusmodi ambiguitates, ad quas homines ingenio abundantes valde propensi sunt, saepissime in frigus abeunt sensuque carent. V. c. quod aliquis (Aristot. Rhet. II, 23) de Draconis legibus dixit: *non hominis istae sunt leges sed draconis* h. e. *serpentis:* quid hoc sibi vult? quid sunt leges serpentis? Sic ap. Plaut. Rud. I, 1, ubi aliquis *aedes illustres* vocat, quas venti perflabant. Haec sunt acute vel potius facete dicta hominum de plebe. Sic Augustus, videns multos a Cassio accusatos *absolvi*, dixit, cum architectus fori nimis diu hoc opus extraheret: *Velim Cassius meum quoque forum accuset, ut tandem absolvatur* h. e. perficiatur. Quam parum acute! quam frigide! Quid inest, nisi lusus puerilis in verbo *absolvere?* Nihil sententiae. Nam *absolvere* aliud est de accusatis dictum, aliud de foro. At *acumen* debet in sententia s. idea, non in verbi externa forma, latere. Nam, si τῷ *absolvatur* substituas *perficiatur*, quod omni jure fieri potest, nihil absurdius dici videbis. — Omninoque acumen ambiguitate vocabuli sola nitens nec simul ideam praeclaram et inexspectatam continens semper miserum esse puto. Et innumera acute dicta ap. Cicer. et alios invenies, quae omni sensu carent et tantum lusu verborum constant.

C) Ter-

C) *Tertium* genus eſt *ambiguitas ſententiae per vocabuli depravationem* ſ. *immutationem* h. e. alienam pronuntiationem jocoſe quaeſitam: v. c. Cato dixerat cuidam: *eamus deambulatum;* et hic ait: *quid opus fuit de?* qua re ſignificare voluit, *ambulatum* jam ſuffeciſſe; tum Cato reſpondit: *Imo vero quid opus fuit te?* Narrat hoc Cicero Orat. II, 63. Paulo acutius eſt dictum Stilponis ap. Diog. Laert. II, 118. Qui cum vidiſſet hyeme Cratetem frigore rigidum, dixit ei: ὦ Κράτης, δοκεῖς μοι χρεῖαν ἔχειν ἱματίȣ καὶ νȣ̃ h. e. *videtur tibi opus eſſe pallio et mente*: ſed vocabula καὶ νȣ̃ conjunctim pronuntiabat, tanquam eſſet καινȣ̃ a καινὸς h. e. *pallio novo:* ſimile quid attulit ad iſtum locum Menagius. — Sed notandum, hoc tantum in pronuntiando, non in ſcribendo, ergo tantum in ſermone familiari locum habere poſſe; nec ejusmodi acute dictis multum tribuendum: ſunt enim luſus verborum, quales toto die in ore hominum urbanorum obſervare licet.

D) *Quartum* genus eſt, quando ad *alterius verbum aliquod ambiguum reſpondemus alio ſenſu* quam quo ipſe illud protulit. Sic fecit Catulus ap. Cic. Orat. II, 69. Malus quidam orator, qui in epilogo miſericordiam ſe moviſſe putabat, cum deinde aſſediſſet, quaeſivit e Catulo, videreturne miſericordiam moviſſe: *Ac magnam quidem*, reſpondit Catulus, *neminem enim puto eſſe tam durum, cui non oratio tua miſeranda viſa ſit.* Ambiguitas erat in hoc: *miſericordiam moviſſe*: orator de miſericordia in clientem, Catulus de miſericordia erga oratorem, loquebatur, ſed de induſtria. Sic, cum poſt pugnam Pharſalicam eſſet, qui diceret, nondum animum eſſe deſpondendum, quia adhuc ſeptem aquilae reſtarent, Cicero reſpondit: *Recte hortareris, ſi cum graculis nobis bellum eſſet.* Egregie, cum praeſertim inſit reprehenſio hominis modeſta.

E) *Quintum* genus eſt injecta brevis ſimilitudo, vulgo *alluſio* dicta, ſive ſit apertior ſive tectior. V. c. Furius Albinus poſt fugam Mutinenſem interrogatus, *quid ageret Antonius?* reſpondit: *quod canis in Aegypto, bibit et fugit.* Egregie, quia ſimul ineſt ſalſa et venuſta reprehenſio brevitate ſumma ſimul ſe commendans. Sic Auguſtus, cum ei quidam offerret libellum trepidus et manum modo proferret modo retraheret, dixit ei: *putasne te aſſem elephanto dare?* praeclare pro *noli tam timidus eſſe.* Huc pertinet Flor. II, 6 *Capuam Hannibali Cannas fuiſſe* h. e. *perniciofiſſimam.*

It. Cic. Seneſt. 19 *Neque enim hiſtrioni, ut placeat, peragenda eſt fabula, modo, in quocunque fuerit actu, probetur; neque ſapienti usque ad Plaudite vivendum.* Huc pertinent multa ex antiquitatibus vulgo ducta, v. c. *Andabatarum more pugnare, faſces ſubmittere*, pro *cedere alicui* vel *revereri aliquem;* it., ſi quem perperam de re judicantem vocamus *cenſorem vitio creatum* etc. — In his tamen uſurpandis magna cautio eſt, quia multa ex antiquitatibus ſumta non ab omnibus intelliguntur ac temporibus noſtris plerumque non conveniunt, ut alibi monuimus, niſi forte in jocando iis uti velis. Pertinet huc, quando de homine, qui, quod non efficere poterat, id ſe noluiſſe ſimulat, dicimus: *Eſt inſtar vulpis ap. Phaedrum, dicentis: nolo acerbam ſumere* vel brevius: *Eſt inſtar vulpis nolentis acerbam ſumere.* Ad tectam egregiamque ſimilitudinem refero etiam dictum Socratis ſupra memoratum: qui, cum ab adoleſcente petulante percuſſus eſſet colapho, dixit: *video mihi in poſterum cum galea incedendum eſſe*, h. e. *tu es cavendus, ut bellua, ut bos*, vel *alia beſtia.*

F) *Sextum* genus eſt *Ironia*, quando aliquid ei, quod cogito, contrarium dico, ita tamen, ut e certis ſignis vel e contextu mens mea appareat. V. c. quando *ſapientem* voco *ſtultum* vel *ſtultum* dico eſſe *ſapientem.* Sic *laudare* pro *vituperare* et contra: v. c. quando aliquis praeclara carmina vituperat, et ego dico: *valde laudavit.* Sic noſtri per jocum alicui, qui valde laudatus eſt, dicunt: *Sie ſind ſehr getadelt, geſcholten, worden* etc. Pertinet huc locus Ovid. Heroid. XIIII, 120 *Quid fiat ſonti, cum rea laudis agar?* hic *rea laudis* acute dictum eſt et oxymorum. De Ironia ſupra P. II c. 2 ſect. 3 n. XXIII it. P. I c. 2 ſect. 15 dictum eſt.

G) *Septimum* genus, cum praecedente cohaerens, eſt ironica deminutio criminis alicujus vel alius rei ingratae per ſpeciem tantum facta: poſſit et vocari *tecta reprehenſio.* V. c. Africanus (ap. Cic. Orat. II, 67) tribu movebat centurionem, quia Pauli pugnae non interfuerat. Is cum ſe cuſtodiae cauſa in caſtris remanſiſſe diceret, quaereretque, cur ab illo notaretur, Africanus reſpondit: *Non amo nimium diligentes* h. e. *timidos.* Huc pertinet illud e Cic. Or. II, 69: Siculus ille, cui praetor Scipio patronum cauſae dabat, hoſpitem ſuum, hominem nobilem, ſed admodum ſtultum: *quaeſo*, inquit, *Praetor, adverſario meo da iſtum patronum, deinde mihi neminem dederis* (i. e. *dare debes*) pro *Apage iſtum patronum, qui nil prodeſt, imo obeſt, qui cauſam non agere ſed corrumpere poteſt.*

Hacte-

Hactenus de acute dictis: ſunt enim innumera; cf. Cic. Orat. II, 54—71. Non vero iſta poſuimus, ut iis cupide uterentur tirones: diſcenda et legenda ſunt, ut, quam variis modis ingenia ſe aperire ſoleant, diſcamus, ac, ſi forte in mentem veniant apteque hoc fieri poſſit, interdum adhibenda vel ſimilia ad eorum imitationem effingenda. Teneamus, acute ſcribere et dicere eſſe rem lubricam, et, ut quisque acutiſſimus videri cupiat, ita plerumque ſtultiſſimum videri. Teneamus etiam ea acute dicta, quae ambiguitate aliqua vocabulorum cernantur, non nimis magni aeſtimanda: ſunt celeres motus ingenii, qui, more ſcintillae, celeriter oriuntur, celeriter moriuntur h. e. oblivioni traduntur, et delectationi ad breve tempus proſunt. Nulla vera utilitas inde exſpectari poteſt. Hinc forſan excuſabimur, quod non plura ejusmodi genera attulimus. Pluris facienda ſunt ea acute dicta, quibus ſententia aliqua praeclarior et fortior redditur. Haec vere delectant, haec vera ſunt animorum pabula. Animi enim humani paſcuntur ideis, non verbis.

XXI) *Repetitione ejusdem vocabuli eodem ſenſu in diverſis ſed arcte conjunctis enuntiationibus.* Fit hoc tantum in ſententiis ac proverbiis, quia hic ſimplicitas regnat, et ubi quaedam eſt oppoſitio.

V. c. hoc Laberii ap. Macrob. Sat. II, 7 *neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent.* Injucundius foret *quem multi metuunt:* variatio hic videatur res artificii atque ita quaeſita. Sic illud Publii Syri: *Cui plus licet quam par eſt, plus vult quam licet.* It. illud: *plus dat, qui cito dat*; dicas: *plus largitur, qui cito dat;* vel *plus dat, qui cito largitur* vel *tribuit*; et venuſtas ſimplex periit. Sic *cui multa credita ſunt, ab eo multa poſtulantur*; recte: perperam dixeris *ab eo non pauca* etc. ob eandem cauſam. Sic Quintil. X, 7 *ut, cum multa ſcripſerimus, etiam multa dicamus.* Cic. Phil. II, 4 *Quid eſt aliud, tollere e vita vitae ſocietatem, quam tollere amicorum colloquia abſentium?* Pertinet hoc ſimul ad gravitatem dicendi, ut ſupra P. II c. 2 ſect. 3 n. XII et XXX dictum eſt: et ea ſunt optime dicta, quae ſimul ſuavitati et gravitati proſunt. Sic Offic. II, 22 *Quam autem habet aequitatem, ut agrum multis annis aut etiam ſaeculis ante poſſeſſum, qui nullum habuit, habeat, qui autem habuit, amittat?* Ovid. Met. I, 519 Apollo ait de ſua et Cupidinis ſagitta: *Certa quidem noſtra eſt: noſtra*

era tamen una (i. e. tua, qua vulneratus sum) *sagitta certior, in vacuo quae vulnera pectore fecit.* Recte *certa, certior.* Ibid. v. 523 *Nec prosunt domino* (i. e. mihi), *quae prosunt omnibus, artes;* Sic suavius dicitur: *Tu pater es, quomodo patris animum exuere potes*, quam *quomodo genitoris animum* etc. Hoc stultum et affectatum foret.

XXII) *Repetitione ejusdem vocabuli sed diverso sensu:* vocatur vulgo *antanaclasis* vel *dilogia.*

Est duplex: 1) ea, quae mera ambiguitate nititur, nec sententiam fortiorem suavioremque reddit, sed merus lusus verbi est, v. c. Cic. ad Attic. XIIII ep. 14 *Quid ergo? ista culpa Brutorum? minime illorum quidem, sed aliorum brutorum, qui se cautos ac sapientes putant.* Est merus jocus, isque valde frigidus: nulla inest similitudo nisi literarum. — Sic Verr. Act. I, 9 ludit vocabulo *praerogativae*; dicit: *Dedit enim praerogativam* (i. e. indicium) *suae voluntatis ejusmodi, ut isti pro praerogativis* (i. e. prima tribu) *eam reddidisse videatur.* Est jocus inanis. Argumenta e similitudine vocabuli ducta sunt misera et inanes lusus. Ac sic saepe Cicero. 2) melior est ista repetitio, si priori loco nomen rei vel res simpliciter, posteriori vera rei ratio, natura ac vis indicatur. Et haec sola digna erat, quae in libris rhetoricis memoraretur: v. c. *studiosi literarum saepe non sunt earum studiosi;* inest acumen pro *qui studiosi literarum vocantur, saepe non sunt earum studiosi.* Est oxymorum. Sic *non omnes Christiani sunt Christiani* pro *non omnes, qui Christiani vocantur, sunt vere Christiani.* Sic *Romani non amplius Romani sunt* i. e. fortitudinem amiserunt: Ἀχχιοὶ ἐκ Ἀχχιοί. Sic *vivamus dum vivimus* i. e. *vivamus vere* s. *vita fruamur* etc. Pertinet haec repetitio simul ad gravitatem et suavitatem: hinc vere suavis est. Vera enim suavitas animum afficit: si suavitas non in animum penetrat, sed in vocabulorum literis haeret, non est suavitas vera, sed ficta, imo puerilis.

XXIII) *Repetitione ejusdem fere vocabuli, sed una vel paucissimis literis immutati cum sensu contrario*, vel apertius: *Conjunctione duorum vocabulorum sibi fere similium et tantum una vel paucissimis literis dissimilium, sed cum sensu contrario, saltem diverso.*

V. c

V. c. Terent. Andr. I, 3, 13 *Nam inceptio eſt amentium, non amantium.* Sic *amare interdum amarum eſt.* Sic Cicero in Philippicis: *ex oratore arator factus eſt.* Sic *video me a te non conveniri ſed circumveniri.* Sic in Verrinis: *Sicilia te non praetorem ſed praedonem habuit.* Vocatur haec ratio dicendi *paronomaſia.* Sed in ea debet eſſe oppoſitio quaedam ſtudioſe quaeſita: atque ita tota res ad gravitatem pertinet. Graviter dictum eſt: *inceptio eſt amentium, non amantium.* — Si cui itaque vocabulum aliquod excidit, quod ſimilitudinem habeat cum proximo vocabulo, non huc trahendum eſt: v. c. Cic. ad Div. V ep. 12 §. 23 de Ageſilao, *qui neque pictam neque fictam imaginem ſuam paſſus eſt eſſe.* Nam quomodo aliter dicere voluit ac *pictam, fictam?* Sic paulo ante §. 22 dixerat: *Neque enim Alexander ille gratiae cauſa ab Apelle potiſſimum pingi et a Lyſippo fingi volebat* etc. Hic eſt iterum *pingi* et *fingi.* An Cicero haec duo vocabula tantum propter ſimilitudinem quandam, atque ita ob luſum verborum poſuit? Nonne potius ita locutus eſt, quia aliter non potuit loqui? — Sic Nep. Attic. 17 dixit: *Philoſophorum ita percepta habuit praecepta* etc. Quaeritur, an Nepos de induſtria *percepta* et *praecepta* opponere voluerit et tanquam *oppoſita* poſuerit. Vix credo; nil oppoſitionis ineſt; ſenſus enim eſt: *Atticum percepiſſe praecepta philoſophorum.* — Sic Vellej. II, 5 in. *urbiumque potitus numero, aditis, quae vix audita, Gallaeci cognomen meruit.* Hic quaeritur, an verba *aditis* et *audita* Vellejus de induſtria conjunxerit. Videtur caſu illa conjunctio excidiſſe, ſi tamen de induſtria conjunxit, quod fieri potuit, quia neminis voluntatem certo ſcire poſſumus, de Velleji judicio non bene equidem exiſtimem, quod ſimilitudine vocabulorum ludere voluerit. Nam, ſi omnem ejusmodi ſimilitudinem, quae inter literas duorum vocabulorum intercedit, pro paronomaſia, figura illa rhetorica, habere volumus, debemus etiam haec eo referre: *vi victus, medicorum eſt mederi morbis, jure ille jurare noluit; cur curas? cur curris? nolens volens* et ſexcenta alia. Non alia exempla eo referenda cenſuerim, quam quae Terentiano: *inceptio eſt amentium, non amantium,* ſimilia ſunt. Nam omnis repetitio vocabuli, niſi gravitate et excellentia ideae compenſatur, eſt ingrata.

XXIIII) *Repetitione eorundem vocabulorum, ſed inverſo ordine.* Vocatur *epanodos* vulgo; ut illud: *quod ſequitur fugio, quod fugit, ipſe ſequor.*

Cic.

Cic. Brut. 39 *ut eloquentium juris peritissimus Crassus, juris peritorum eloquentissimus Scaevola putaretur:* et cap. 40 *consultorum alterum disertissimum, disertorum alterum consultissimum fuisse.* — Planc. 28 *Gratiam autem et, qui refert, habet, et, qui habet, in eo ipso, quod habet, refert:* quae repetiit Cicero Offic. II, 20 ac fere iisdem verbis Quir. p. red. 9. — Vellej. II, 117 de Vari avaritia: *quam* (Syriam) *pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit.* Plin. Paneg. 17 *ut — non ideo vicisse videaris, ut triumphares, sed triumphare, quia viceris.* — Haec repetitio et conversio vocabulorum atque ita idearum in oppositione maxime locum habet et placet propter tecte injectam comparationem, et tali modo sententiam fortiorem reddit. Quod si non fit, merus lusus verborum est, v. c. illud Lucilii ap. Gell. XVI, 9 extr. *Verum hic ludus ibi susque omnia deque fuerunt. Susque et deque fuere, inquam, omnia ludus jocusque.* Possunt et tales verborum inversiones multis placere: sed loquimur hic de prudentioribus, quibus vix placeant, nisi forsan in jocando: hic enim nihil non licet. — Interdum etiam non tam vocabula, quam sententia invertitur, quod aeque suave est, si quidem inest non modo veritas sed in primis vera consecutio unius sententiae ex altera, v. c. Quint. X, 7 med. *et qui stultis eruditi videri volunt, stulti eruditis videntur.* Vere et egregie: poterat, si voluisset, verba ipsa invertere: *qui stultis eruditi videri volunt, eruditis stulti videntur.*

XXV) *Conjunctione contrariorum* s. *antithetorum:* quae, quo arctius conjuncta sunt, eo magis placent. — Pertinet ea res et ad perspicuitatem et ad gravitatem et ad suavitatem dicendi, atque ita ad universam eloquentiam. Ad perspicuitatem, quia rei rationem per oppositionem alius rei magis perspicimus: ad gravitatem, quia sic rei magnitudinem et gravitatem melius sentimus et magis movemur: ad suavitatem, quia nulla re magis natura delectamur quam varietate rerum, in primis conjunctione disjunctorum, v. c. colorum, de quibus consuli possunt feminae elegantiores: et vel *umbra* et *lumen* in arte pictoria id docet. — Sed et hic videndum, ut magis idearum quam vocabulorum rationem habeamus h. e. ut veritatem, magistram et fontem pulchritudinis, sequamur. Hac conjunctione contrario-

trariorum Ovidius et excelluit et vero etiam centies peccavit. Nam, ut quisque est ingeniosissimus, ita maxime frequentationem antithetorum appetit: sed, quo quis magis ea appetit, eo magis in periculo est, ne labatur. *Antitheta* sunt Sirenes, quas dum sequimur, a vera via facile aberramus: sunt fructus nimis dulces, quibus, cum vesci homo coepit, non satiari potest. Hinc magna cautione et judicio opus est. — Quod si scriptor vel orator rem rei vere oppositam habet, v. c. *virtutem vitio*, *divitias paupertati* etc., nulla difficultas est: tum enim utraque facile, tanquam umbra et lumen, conjungi potest. Et sic Cicero Catil. II, 11 in comparanda causa Romanorum cum causa Catilinae dicere poterat: *Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas*, *illinc scelus* etc. Et Mil. 4 de illo moderamine inculpatae tutelae, ut dicitur: *Est igitur haec non scripta sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.* Talia antitheta ita placent, ut saepe obliviscamur indagare, an singulis verbis suae sint ideae, annon aliquid inane adsit: v. c. quid est, *non docti sed facti:* nonne *facti* est pro *nati?* etc. — Verum, si scriptor vel orator contrarias ideas ipse fingere cogitur, si quidem ejusmodi antithetis vult uti, major est difficultas: et hic interdum fit, ut verba verbis, non ideae ideis, opponantur, quod est verba s. fumum vendere. Fit hoc, quando oppositio in eadem re, in eodem homine, quaeritur, ut homo sibi ipse opponatur vel potius sibi opponi videatur. Plenus est Ovidius.

V. c. Met. VII, 339 *His, ut quaeque pia est* (filiarum), *hortatibus impia prima est, Et, ne sit scelerata, facit scelus.* Videntur haec sibi repugnare, sed non repugnant, nisi verborum externa forma. Filiae istae patrem senem interficiunt, quia Medea promiserat, illi se vitam et juventutem redditturam esse,

eſſe. *His* igitur *hortatibus* Medeae, *ut quaeque pia eſt*, i. e. patrem valde amat, *ita prima eſt quoque impia* h. e. patrem interficere feſtinat; *et facit ſcelus* h. e. interficit patrem, *ne ſit ſcelerata* h. e. ut pietatem declaret, ſeu ne omittenda re, qua pietas declarari poterat, ſcelus committere videatur. Sic nulla repugnantia: ſic vero omnis pulchritudo periit. Sed delectant nos talia, etiamſi interdum a veritate ſint aliena, et tantum ſpecie ſe commendent, quia homines ſumus. — Sic Metam. VIII, 878 de Eriſichthone inter alia acute dicta: *Ipſe ſuos artus lacero divellere morſu coepit, et infelix minuendo corpus alebat.* Acute *minuendo corpus alebat* ac ſimul vere. Legenda ſunt talia multa, ſed deinde vera ſententia eruenda eſt, ut videamus, ſitne tantum veſtitus pulcher, an idea praeclara. Sed idea non poteſt eſſe praeclara, niſi antea ſit vera.

XXVI) *Periodo.* — *Periodus* eſt proprie *circuitus* ſcil. ſententiae majoris ſ. primariae, quae, injecta aliqua ſententia ſecundaria h. e. illius explicationem, cauſam, conditionem etc. continente vel etiam pluribus ejusmodi ſententiis, ita disſecta eſt, ut, qui ejus ſingulas partes, ordinem conſtructionis ſequens, colligere cupit, non niſi per circuitum quendam ſ. ambages id facere et ad illas pervenire poſſit. — Deinde *periodus* per abuſum a nonnullis dicitur tota illa ſententia primaria una cum omnibus enuntiationibus ſecundariis illam disſecantibus. — De natura periodi et ſtructura ſupra in capite peculiari late dictum eſt P. I cap. 5. Iam haec periodi ſtructura etſi perſpicuitatem, quia tali modo ideae et enuntiationes prius cogitatae priorem locum occupant, et gravitatem dicendi, quia ſic ideae non modo ita arctius comprimuntur ſed etiam graviores priorem locum facilius obtinent, non parum adjuvat: tamen ad ſuavitatem dicendi in primis pertinet. Nam, cum ideae inter ſe cohaerentes per injectas alias ſ. enuntiationes ſejungantur, lectoris, ut et auditoris, animus cupide attenteque, quid ſecuturum ſit, exſpectans exhilaratur ad finem totius ſententiae veniens, ſenſumque perfectum nunc videns ac ſaepe aliquid hic inveniens, quod non exſpectaverat. Docet hoc non modo experientia, ſed et

et ipſa natura animi humani confirmare poteſt. Longe ſuavius eſt rei exitum poſt aliquem ambitum ſ. ambages quasdam quam ſtatim cognoſcere. Placet nobis, ſi animus noſter paulisper incertus ſuspenſusque eſt de exitu, et inexſpectato exitu magis delectatur quam diu praeviſo. Omnes narrationes, ſi bonae eſſe debent, ita inſtitui ſolent. Hinc in comoediis et tragoediis, quae vitae humanae conſuetudinem ſequi ſolent, itemque in carminibus epicis, hoc artificium notiſſimum eſt, ut exitus rei praeter ſpem auditorum et lectorum evenire debeat: quam in rem inſeruntur ea, quae rem ipſam, cujus exitum exſpectamus, difficilem reddere atque adeo impedire videantur: id quod ſpectatores et auditores eo cupidiores reddit. Similiter fere, ſi parva cum magnis contendere quodam modo licet, ſe res habet cum periodo. Ambitus ille ſ. circuitus, quem enuntiatio vel una vel plures inſertae efficiunt, eſt fere inſtar *nodi* illius retardantis exitum rei in dramatibus. Periculum faciat, qui velit, in periodo disſolvenda; et languidiorem, ſaepe quidem, orationem reperiet. Sed omne languidum eſt injucundum.

Nonne, quaeſo, ſuavius eſt v. c. *quomodo deum, qui nobis inde ab incunabulis tot beneficia tribuit, odiſſe ſustineamus?* quam *quomodo deum odiſſe ſustineamus, qui nobis inde ab incunabulis tot beneficia tribuit?* Et hoc exemplum eſt paulo vulgarius: in aliis iisque majoribus magis id perſpicietur. — Cic. Arch. 6 *Quare quis tandem me reprehendat aut quis mihi jure ſuccenſeat, ſi, quantum ceteris ad ſuas res obeundas, quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates et ad ipſam requiem animi et corporis conceditur temporum, quantum alii tribuunt tempeſtivis conviviis, quantum denique aleae, quantum pilae, tantum mihi egomet ad haec ſtudia recolenda ſumſero?* Nonne hoc ſuavius eſt, quam ſi dixiſſet: *Quare quis tandem me reprehendat aut quis mihi jure ſuccenſeat, ſi tantum temporum mihi egomet ad haec ſtudia recolenda ſumſero, quantum ceteris ad ſuas — pilae?* — Ibid. cap. 12 in. *An vero tam parvi animi videamur eſſe omnes, qui in republica atque in his vitae periculis laboribusque verſamur, ut, cum usque ad extremum ſpa-*

tium nullum tranquillum atque otiosum spiritum duxerimus, nobiscum simul moritura omnia arbitremur? Dicas pro eo: *An vero tam parvi animi videamur esse omnes, qui in republica atque in his vitae periculis laboribusque versamur, ut nobiscum simul moritura omnia arbitremur, cum usque ad extremum spatium — duxerimus?* Et sentias illam sententiam *ut nobiscum simul moritura omnia arbitremur* nunc languidiorem factam, et cum ea simul totam istam verborum compagem. — Sic et in aliis minoribus, v. c. Cic. Senect. 22 in., ubi Cyrus ita loquens inducitur: *Nolite arbitrari, o mihi carissimi filii, me, cum a vobis discessero, nusquam aut nullum fore: nec enim, dum eram vobiscum, animum meum videbatis, sed eum esse in hoc corpore ex iis rebus, quas gerebam, videbatis.* Nonne hoc suavius est quam: *Nolite arbitrari, o mihi carissimi filii, me nusquam aut nullum fore, cum a vobis discessero: nec enim animum meum videbatis, dum eram vobiscum, sed eum esse in hoc corpore ex iis rebus videbatis, quas gerebam?* — Tali modo si quis per totam orationem aliquam vel librum diceret vel scriberet, nonne auditor lectorve taedio caperetur, imo ad somnum invitaretur? Sed simul notandum est, quod supra P. II c. 1 sect. 23 n. XVIII jam monuimus, periodos nec ubique nec nimis longas esse ponendas: nimia enim suavitas fit taedio: et nimia longitudo defatigat mentem audientis et legentis.

Ceterum miror artificium periodicae orationis in vernacula lingua tam raro usurpari, ut potius plerique per membra, quod ajunt, scribere gaudeant. Ac, si qui periodice scribunt, fit hoc plerumque casu, non de industria, quemadmodum Herodoto interdum periodus aliqua praeter ejus voluntatem excidit. Causa illius rei videtur esse haec, quia vulgo credunt, quidquid intra bina signa distinctionis maximae, quae *Puncta* vulgo dicuntur, inclusum sit, id esse periodum. Hinc nemo est, qui non periodice scribere sibi videatur.

XXVII) *Numero oratorio* vel potius *numeris oratoriis* h. e. partibus sententiae majoris sibi aequalibus; unde patet, *numeros* rectius quam *numerum* dici. Sententia his numeris ornata vocatur *sententia numerosa* vel etiam *oratio numerosa*, itemque *concinnitas membrorum.* — Cernuntur *numeri oratorii* in aequalitate s. proportione

portione earum enuntiationum, quae ad ſe invicem referuntur et idearum ratione cohaerent, in primis contrariarum, ut, ſi unum membrum uno, duobus, tribus etc. vocabulis conſtet, alterum totidem vocabula habeat, et vocabula ſibi reſpondentia ſint ejusdem generis, h. e. vel *ablativi* vel *genitivi* vel *participia* etc.

V. c. *non audivi, ſed vidi: hinc pudicitia, illinc ſtuprum: Eſt haec non ſcripta ſed nata lex* etc., ubi vocabula *ſingula ſingulis* opponuntur, *audivi* et *vidi*, *pudicitia* et *ſtuprum*, *ſcripta* et *nata*. — Sic *bina binis:* v. c. *ſpecie honeſtus, re improbus;* ubi *ſpecie* et *re*, *honeſtus* et *improbus*, ſibi opponuntur. Sic Cic. Roſc. Am. 26 *Etenim quid eſt tam commune quam ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis?* ubi *ſpiritus, terra, mare, litus* ac deinde *vivis, mortuis, fluctuantibus, ejectis* ſibi pari modo reſpondent, Quod ſi pro *fluctuantibus* ponas *iis, qui fluctibus agitantur.* vel pro *ejectis* dicas *iis, qui tandem ejecti ſunt*, ſtatim ſentias aliquid injucunditatis. — Sic *terna ternis*, v. c. *armorum vi oppreſſus et clementiae beneficio recreatus:* ubi *armorum* et *clementiae*, *vi* et *beneficio*, *oppreſſus* et *recreatus* ſibi reſpondent. Sic Cic. Orat. I, 9 *Quis enim tibi hoc conceſſerit, aut initio genus hominum, in montibus ac ſylvis disſipatum, non prudentium conſiliis compulſum potius quam diſertorum oratione delinitum ſe oppidis moenibusque ſepſiſſe?* Quam ſuaviter ſibi hic reſpondent *prudentium conſiliis compulſum* et *diſertorum oratione delinitum!* Mutes aliquid et dicas v. c. *per prudentes* pro *prudentium conſiliis* vel *per diſertos* pro *diſertorum oratione* vel omittas *compulſum* aut *delinitum:* et facile ſentias aliquid deeſſe, et ſentias ſimul aliquid injucunditatis. Res eſt manifeſta: et ſuavem eſſe iſtam membrorum aequalitatem per ſe patet. Omnis enim aequalitas partium, omnis proportio placet et pulchra habetur, ut in aedificiis, ita in ſonis, verbis etc. — Ad *numerum* referunt quoque vulgo, quod membrum ſententiae extremum, niſi aequale, ſaltem paulo longius eſſe debet. Sed hoc magis ad perſpicuitatem et gravitatem retulerim. — Referunt illuc quoque, quod ultimum vocabulum productius eſſe et paenultimam ſyllabam longam habere debet. Sed et hoc magis ad perſpicuitatem et gravitatem quam ad ſuavitatem referendum puto, niſi forte hactenus ad hanc referendum cenſeas, quia perſpicuitas et gravitas ipſa ſuavis eſt. Sed de tali ſuavitate hic non loquimur.

Ceterum de *numeris* ipſis eorumque natura ſupra in peculiari capite dictum eſt P. I cap. 6, ubi ſimul monuimus, non nimis affectandos ſed in iis ſemper idearum rationem habendam eſſe.

XXVIII) *Vitanda inani vocabuli ejusdem, multo magis plurium, repetitione, praeſertim crebra.*

Repetitio vocabuli inanis eſt, quae fit ſine majori perſpicuitate et gravitate: v. c. *homo, qui alios amare non poteſt, aliorum amorem exſpectare non poteſt,* injucundum eſt ob inanem repetitionem verbi *poteſt;* ſuavius erit: *qui alios amare nequit, aliorum amorem exſpectare non poteſt* vel *qui alios amare non poteſt, aliorum amorem exſpectare nequit;* niſi alia variatione uti malis. — At repetitio, ſi gravis eſt, placet. V. c. Ovid. Met. I, 523 *nec proſunt domino, quae proſunt omnibus, artes:* eſt enim oppoſitio. Sic *pater es: quomodo patris animum exuere potes?* rectius hic *patris* quam *genitoris.* Sed, ut iſta repetitio inanis diſplicet, ita magis diſplicet, ſi crebra eſt; v. c. ſi quis dicat: *Non fratri tuo liber placere poteſt, quia non intelligere eum poteſt, ac ne ſatis quidem legere poteſt.* — Excuſanda tamen iſta repetitio inanis eſt, ſi aliud vocabulum non exſtat, v. c. *dicere dictatorem, epiſtolam reddere, epiſtolam ſcribere, legere; bibere, ſtare* etc., ubi variatio difficillima eſt et plerumque affectati quid continet. V. c. Cic. τὸ *eſt* crebro repetiit Verr. IIII, 42 *Quid? ubi eſt? praeſto eſt: teſtis eſt. Proagori Sopatri juſſu. Quis eſt hic? qui ad ſtatuam adſtrictus eſt. Quid? ubi eſt? teſtis eſt.* Sed quid, quaeſo, vocabuli τῷ *eſt* ſubſtituere debuit ac potuit? ut taceam iſtam repetitionem ad gravitatem dicendi referri poſſe. — Excuſatur etiam iſta repetitio, ſi vocabulum non ſtatim repetitur ſed interjectis pluribus verbis, praeſertim in materia tenui ac vulgari: v. c. *Non poteſt ille liber fratri tuo placere, quia ſententias, quae illo continentur, intelligere non poteſt:* melius quidem foret *nequit*, at tamen tolerabile ſit quoque *non poteſt.*

Ceterum, ipſos priſcos in iſta repetitione inani negligentes fuiſſe et peccaſſe, innumeris eorum locis oſtendi poſſit, v. c. Cic. Orat. 13 *Me autem, qui Iſocratem non diligunt, una cum Socrate et cum Platone errare patiantur:* ubi poſterius *cum* abeſſe poterat. — Ibid. cap. 59 in. *Solet autem quaeri, totone in ambitu verborum numeri tenendi ſint, an in primis partibus atque in extremis:* ubi *in* ter repetitur; poſtremum ſaltem abeſſe poterat, ſalva ſententia. — Et ſtatim: *Eſt autem, ut id deceat, non id ſolum. Ponendus*

enim

enim ambitus etc., ubi pro poſteriori *id* dicere debebat *hoc.* Eſt igitur negligentia. — Nec longe poſt: *Id autem bona diſciplina exercitatis, qui et multa ſcripſerint et, quaecunque etiam ſine ſcripto dicerent, ſimilia ſcriptorum effecerint, non erit difficillimum:* ubi eſt *ſcripſerint, ſcripto, ſcriptorum.* At vix aliter dicere poterat. — Ad Div. V ep. 12 §. 14, 15, 16 ter uſurpavit *enim: Nihil eſt enim* etc. *Habet enim* etc. *Quem enim noſtrum* etc. — Ibid. §. 21, 22, 23, 24 ter *neque* et quater *enim* legitur: *Neque enim tu is es, qui, quid ſis, neſcias* etc. *Neque autem ego ſum ita demens* etc. *Neque enim Alexander ille gratiae cauſa ab Apelle* etc. *Nec minus enim eſt Spartiates Ageſilaus ille perhibendus* etc. *Unus enim Xenophontis libellus* etc. Eſt negligentia: poterat *nam* quoque ponere. — Ad Div. VI ep. 1 quatuor priores periodi per *etſi* incipiunt: a) *Etſi ea perturbatio eſt omnium rerum* etc. b) *Nam etſi, quocunque in loco quisquis eſt* etc. c) *Quare etſi multarum rerum* etc. d) *Etſi enim cum magna* etc. Ciceronem vitium negligentiae hic commiſiſſe nemo ſanus neget: poterat enim *quamquam, licet* etc., quoque dicere. Oblitus ergo ſui eſt paululum. Et injucundum eſt hanc crebram repetitionem legere. Sed quis non interdum peccet? — Ad Div. XI ep. 16 in. *Permagni intereſt, quo tibi haec tempore epiſtola reddita ſit: utrum cum ſollicitudinis aliquid haberes, an cum ab omni moleſtia vacuus eſſes. Itaque ei praecepi, quem ad te miſi, ut tempus obſervaret epiſtolae tibi reddendae. Nam, quemadmodum coram, qui ad nos intempeſtive adeunt, moleſti ſaepe ſunt, ſic epiſtolae offendunt non loco redditae:* ubi *reddita, reddendae, redditae.* Sed non aliud aptum verbum habuit. Hinc excuſandus. — Sic Liv. I, 3 *Is ſepultus in eo colle, qui nunc eſt pars Romanae urbis, cognomen colli fecit:* hic eſt *colle, colli.* Gronovio patri haec repetitio non placet; malitque ipſe *colle* omiſſum eſſe. At primum, ſi omnes ſcriptores accurate ubique loqui debent, et nil redundantiae concedatur, quid non corrigendum ſit? Sic enim et Livius I, 53 perperam dixiſſet in his verbis: *concepit animo eam amplitudinem Iovis templi, quae digna deum hominumque rege, quae romano imperio, quae ipſius etiam loci majeſtate eſſet. Captivam pecuniam in aedificationem ejus templi ſepoſuit.* Hic etiam non opus fuiſſet *templi* repetere. Deinde in priore Livii loco τὸ *colle*, quod Gronovius abeſſe cupit, ſalva perſpicuitate abeſſe non poteſt. An credibile eſt Livium, ſcriptorem tam accuratum et apertum, ponere *in eo,* ſine ſubſtantivo, et velle, ut lectores e vocabulo *colle*, quod poſt ſeptem demum vocabula ſequitur,

tur, *colli* ad *τὰ in eo* trahant? Et in altero loco repetitio *templi* perspicuitati consentanea erat. Aliud frigidus Criticus cogitat, aliud scriptor, fervido et occupato materia apte conjungenda ingenio scribens. Add. Liv. I, 41 *Interim Servio Tullio jubere populum dicto audientem esse. Eum jura redditurum, obiturumque alia regis munia esse.* Ingrata est haec repetitio verbi *esse*, et omitti poterat: plura exempla hujus repetitionis habet ibi Gronovius. — Sic et Caesar, isque in primis: v. c. B. Gall. I, 6 extr. *Omnibus rebus ad profectionem comparatis diem dicunt, qua die ad ripam Rhodani omnes conveniant. Is dies erat a. d. V Kal. Apr.* etc. Hic vocabulum *diei* crebro repetitur. Ibid. cap. 49 *ultra eum locum, quo in loco Germani consederant, circiter passus quingentos ab his, castris idoneum locum delegit, acieque triplici instructa ad eum locum venit.* Haec repetitio vocabuli *loci* tam crebra est inanis et ingrata: poterat Caesar dicere: *ultra eum locum, in quo Germani consederant, circiter passus quingentos ab his, castris idoneum locum delegit, acieque triplici instructa ad eum venit.* Sic bis omisisset. Sed celeritate scribendi abreptus non attendit ad ea, quae supervacanea essent. Sic B. G. V, 50 *Caesar consulto equites cedere seque in castra recipere jubet; simul, ex omnibus partibus castra altiore vallo muniri, portasque obstrui, atque in his administrandis rebus quam maxime concursari et cum simulatione timoris agi jubet:* ubi *jubet* repetitur, quae tamen repetitio post tot interjecta verba tolerari potest. — Caesar omnino, ut vere est scriptor elegantissimus, h. e. optima quaeque verba ad ideas exprimendas eligit, resque quam diligentissime ac brevissime describit, sic in verborum repetitione valde negligens fuit; quae negligentia non nisi ex ipsius cupiditate res celerrime literis mandandi orta est. Hactenus ei ignosci debet. Negligentiae hujus specimen insigne dedit Bell. Gall. I, 3 *Ad eas res conficiendas biennium sibi satis esse duxerunt, in tertium annum profectionem lege confirmant. Ad eas res conficiendas Orgetorix deligitur* etc. Hic quatuor adeo verba *Ad eas res conficiendas* parvo spatio interjecto repetuntur. Sed, qui Caesaris celeritatem scribendi cogitat, quae non singula accurate perpendit, ei nec illud mirum videbitur. Quidquid igitur est, repetitiones istas indicare negligentiam haud dubium est: sed negligentiam non suavem esse posse aeque manifestum est. Nostrum igitur, qui non simus Caesares, est illam cavere. — Sed Cel. *Ernesti* ejusmodi repetitiones vocabulorum inanes ad *gratam negligentiam* refert, in prolusione quadam

de

de illa scripta, ut adeo non tam vituperandae quam laudandae videantur. — Sed, ut pauca hac de re dicamus, primum omnis negligentia scribentis et dicentis indicat contemtum lectorum et auditorum, atque ita quandam arrogantiam. Deinde *simplicitas*, quae est orationis quaedam virtus certissima, h. e. *fuga omnis artificii*, non confundenda est cum illa sic dicta grata negligentia. Verum quidem est, placere scriptorem et oratorem, qui magis ad res, quas tractat, quam ad verborum curam respiciat: sed in verbis debet tamen quoque esse quaedam diligentia, sed non apparens, sed talis, ut verbum quodlibet se sponte obtulisse videatur. Et haec est illa *simplicitas*, *simplex venustas*. At haec *simplicitas*, haec *simplex venustas*, majorem saepe curam ac diligentiam postulat, quam omne *artificium* apparens. Latet autem vere in ista simplicitate artificium quoddam et majus, at *tectum*: *ars tegitur arte*, ut sic loquar. Matrona simplicitate ornatus gaudens non abjicit diligentiam: imo haec adest, sed tecte. Ac profecto vellem, Cicero nunquam vocabulo *gratae* seu *non ingratae negligentiae* usus esset: sic enim nemo cultorum ejus et ad hunc et ad alios scriptores, qui interdum vere, non jucunde, negligentes fuere, defendendos istud vocabulum usurparet. Cf. Cic. Orat. 23 prope fin., ubi etiam de ista negligentia ait: — *non negligenter tractanda sunt*: *sed quaedam etiam negligentia est diligens* etc. Ergo Cicero nobiscum facit. — Tum Cel. Ernesti inter exempla gratae negligentiae, quam commendat, non modo repetitiones inanes sed etiam necessarias gravesque numerat. Exempla ejus sunt 1) Hom. Odyss. T. 204 ff., ubi quinque versibus quinquies τήκεσθαι et κατατήκεσθαι i. e. *liquescere* occurrit. At ipse Ernesti concedit, hoc omnium aptissimum fuisse. Narratur ibi, *Ulyssem*, *hominis incogniti et mendici persona indutum*, *ad Penelopen venisse et narrasse*, *se vidisse et cognovisse Ulyssem*: *his verbis auditis e Penelopes oculis lacrymas fluxisse*, *et ipsius corpus liquefactum esse*, *quemadmodum nix soleat liquescere in altis montibus*, *quando eam Eurus liquefaciat et Zephyrus defundat* s. *dejiciat*. Egregia descriptio et similitudo! Decebat utique in comparando Penelopes animo commoto cum nive liquescente vocabulum *liquescendi* retinere, ut similitudo magis appareret et vim suam in animis lectorum exsereret. Magnam artem in conservatione hujus verbi agnosco. Si quis tamen simplicitatem naturae magis hic agnoscat, ei non repugnabo. Ars enim tum demum magna est, cum imitatur exprimitque naturam. At negligentiam, licet gra-

tam, tamen non appellaverim. — 2) alter locus est Cic. ad Div. XI ep. 16 in., quem supra jam attuli. Ibi in tribus sententiis plenis et per se absolutis ter occurrit vocabulum *reddendi* de epistola: primum *reddita*, deinde *reddendae*, tandem *redditae*. At primum est verbum proprium in ista re; deinde aliquot versus intercedunt inter singulas repetitiones, ut talis repetitio, praesertim in epistola et in re vulgari, valde excusanda sit. An vero aliquam *gratiam* habeat, dubito. Si Cicero aliud vocabulum habuisset, haud dubie posuisset. — 3) tertius locus est Cic. Mil. 11 *Insidias factas esse constat: et id est, quod senatus contra rempublicam factum judicavit. Ab utro factae sint, incertum est: de hoc igitur latum est ut quaereretur.* Hic repetitur *factas*, *factum*, *factae*. At haec repetitio gravitati servit, nec est inanis. Senatus decreverat, caedem Clodii contra rempublicam factam esse. Cicero callidus istud decretum hic ita explicat, tanquam non ipsa caedes sed insidiae factae sint contra rempublicam, ut, si insidiae Clodio tribui possint, Milo liberetur. Thesis igitur Ciceronis demonstranda nunc fit haec: *ab utro factae sint insidiae?* Vocabulum *factae* retinere debebat, ut ipsa vocabula decreti retinere videretur. Tria igitur hic dicit Cicero: a) *factum ipsum* h. e. e mente senatus *caedes Clodii*, e mente Ciceronis *insidiae* constant, b) *factas esse has contra rempublicam quoque constat*, quia senatus ita judicavit; c) *de facti* vero *auctore* adhuc quaeritur, hic incertus est, seu *ab utro insidiae factae sint*, *incertum est*. Si Cicero alia vocabula sumsisset, gravitati causae suae offecisset. Cf. P. II c. 2 sect. 3 n. XXX — 4) quartus locus est Caes. B. G. V, 50 supra allatus. Hic est *recipere jubet*, *simul* etc. ac post quatuor versus *agi jubet*. Sed haec repetitio τῦ *jubet* post quatuor versus cui non tolerabilis videtur? Quis enim Caesaris celeritatem haud novit? Sed tamen est negligentia: an grata? vix putem. Mihi saltem ea, quae excusatione indigent, non placent. Supra illustriora negligentiae Caesarianae specimina dedimus. — 5) quintus locus est Liv. XXX, 33, qui sic se habet; nam oculis conspici debet, si negligentiae Livii veniam dare cupis: *Hannibal ad terrorem primum elephantos — instruxit: deinde auxilia Ligurum Gallorumque, Balearibus Maurisque admixtis: in secunda acie Carthaginienses Afrosque et Macedonum legionem; modico inde intervallo relicto subsidiariam aciem Italicorum militum (Bruttii plerique erant, vi ac necessitate plures quam sua voluntate decedentem ex Italia secuti) instruxit.* Hic post quinque versus repetitur *instruxit*: at a) erat aptissimum omnium

nium verbum, b) in tanto intervallo. — 6) ſextus locus eſt Liv. II, 32 *Ea frequentior fama eſt, quam, cujus Piſo auctor eſt, in Aventinum ſeceſſionem factam eſſe.* Repetitur *eſt* et tam modico intervallo: eſt ergo negligentia: at quomodo Livius dicere voluit? An ſic: *quam quam Piſo tradit?* hoc multo injucundius fuiſſet. Sed non omnia ad vivum reſecanda ſunt in rebus minutis. — 7) ſeptimus locus eſt Liv. IIII, 3, ubi Canulejus acerrime disputans contra patres de altero conſule e plebe eligendo: *Si populo romano liberum ſuffragium datur, ut, quibus velit, conſulatum mandet, et non praeciditur ſpes plebejo quoque, ſi dignus ſummo honore* (i. e. conſulatu) *erit, apiſcendi* (pro *adipiſcendi*) *ſummi honoris, ſtare urbs haec non poterit?* Salſe et acerbe dictum. Repetitur hic *ſummi honoris:* at hoc fit ob gravitatem, quia de *ſummo honore* i. e. *conſulatu* quaeſtio eſt: haec eſt primaria idea. Poterat quidem dicere vel *ſi dignus erit* vel *apiſcendi ejus:* at quanto fortior eſt repetitio? — 8) octavus locus eſt Liv. XXXII, 21. Ariſtaenus praetor Achaeorum, hanc gentem Romanis jungi cupiens, poſt alia multa, quae hoc ſuaderent, tandem ait: *Nolite, quia ultro Romani petunt amicitiam, id quod optandum vobis ac ſumma ope petendum erat, faſtidire:* poſt allata deinde argumenta, et interjectis duodecim (non igitur paucis) verſibus repetit eandem ſententiam his verbis: *Nolite, ſi, quod omnibus votis petendum erat, ultro offertur, faſtidire.* Hanc repetitionem numerat Erneſti ibidem inter inanes repetitiones. At a) de re gravi ſermo eſt, quae ut repeteretur digna Ariſtaeno videbatur: ergo ad gravitatem dicendi pertinet; b) repetitio fit aliis verbis; c) poſt duodecim demum verſus. — 9) nonus locus eſt ibid. cap. 22 *Dymaei ac Megalopolitani et quidam Argivorum prius, quam decretum fieret, conſurrexerunt ac reliquerunt concilium, neque mirante ullo neque improbante.* Deinde cauſae memorantur; tandem poſt ſeptem vel octo verſus pergit Livius: *Ob haec* (i. e. ob cauſas memoratas) *concilio, quod inclinaverat ad romanam ſocietatem jubendam, exceſſerunt; veniaque iis hujus ſeceſſionis fuit et magnis et recentibus obligatis beneficiis.* Hanc repetitionem, quae tamen longe aliis verbis fit, numerat Cel. Erneſtius etiam inter repetitiones inanes. An ita plane nihil repeti debet, ſed ſingulae ideae ſemel tantum proferendae ſunt? Ejusmodi repetitiones aliis vocabulis factae ſaepe perſpicuitati ſerviunt: et ſic non modo oratores, ſed et hiſtorici, poetae etc. Haec ſunt loca ab Erneſtio laudata. Quae deinde Vir Celeberr. de negligentia grata in collocatione verborum,

v. c. *pleniore ore* etc., dicit, infra n. 30 et 31 memorabuntur.

XXVIIII) *Vitanda repetitione ejusdem ſyllabae, praeſertim crebra.* Et, quo propior ſibi eſt iſta repetitio, eo injucundior eſt.

V. c. *monet et hortatur*, ubi *et* bis eſt: *at ad illum* etc. vel *at ad Adolphum veniamus* etc., ubi *ad* ter eſt; quae repetitio eo plus injucunditatis habet. Nolim dicere: *Utinam ille tibi non modo polliceatur, ſed et det*; malim *ſed etiam det.* Nolim dicere *per perbreve tempus* ſed *per tempus perbreve.* Nolim dicere: *cum cum patre locutus eſſem*, ſed *ubi cum patre locutus eram* etc. — Peccarunt hic priſci interdum, v. c. Cic. ad Div. IIII ep. 3 §. 3 *ſed multo etiam magis monente et denuntiante te;* ubi *te* repetitur continuo. Ad Div. XIII ep. 26 §. 7 *ſi eos, cum cum ſenatore res eſt, Romam rejeceris;* nam, etiamſi ſcribas *quum cum* pro *cum cum*, tamen eadem fuit priſcis pronuntiatio. Quint. 26 in. *An antequam poſtulaſti* etc. Sic ſaepiſſime Cicero dixit *qui quia* etc. At hic concurſus ſyllabae ejusdem, ſi non creber eſt, ſi pulchra vel gravi idea compenſatur, facile excuſatur et vix a legente et audiente animadvertitur. Si crebrius fit, ſentitur inſuavitas. — Magis injucundum in pluribus vocabulis continuo ſe excipientibus. V. c. Cic. Divin. II, 69 extr. *viſus eſt in ſomnis amicae eſſe amictus amiculo:* qui locus ab Erneſtio refertur ad gratam negligentiam.

XXX) *Vitanda eadem terminatione plurium vocabulorum*, quae, quo crebrior, eo inſuavior eſt.

Eſt duplex: repetitur vel una ſyllaba vel duae.

1) *Repetitio ejusdem terminationis in una ſyllaba;* v. c. *pulchram illam ſententiam:* quod injucundum eſt: injucundius vero, cum dicitur: *pulchram illam magnamque ſententiam nunquam quisquam protulit.* Huc pertinet illud poetae ap. Auct. ad Herenn. IIII, 12: *Quidquam quisquam cuiquam quod conveniat, neget.* Tale quid vitandum eſt. — At peccarunt hic priſcorum optimi quique, v. c. Cic. Verr. V, 36 prope fin. *Unam illam ſolam noctem* etc., ubi *am* ter apparet: et ibid. paulo ante: *tum flagitioſa illa convivia*, ubi tria vocabula in *a* deſinunt. Philipp. II, 4 *quantam jam proferam.* Verr. II, 30 extr. *privato illo judicio transacto*

aut

aut dilato etc.: ubi quinque vocabula in *o* desinunt. Orat. I, 19 prope fin. *Haec autem esse penitus in media philosophia retrusa atque abdita.* Ad Div. VI ep. 6 §. 24 *etiam externos multos claros viros nominarem*: quod in primis injucundum est. Offic. I, 20 in. *fortis animus et magnus duabus rebus cernitur:* qui locus ab Ernestio l. c. laudatur, ubi ejusmodi repetitio inter genera gratae negligentiae refertur, et Gronovius ad Liv. XXXI, 22 citatur, cujus exempla tamen vulgaria nec valde notabilia sunt. Ovid. Met. I, 327 *Innocuos ambos, cultores numinis ambos.* Et sic plura reperiantur facile. — Hanc repetitionem injucundam esse ac negligentiam quandam indicare, quis non sentiat? Verum ista exempla, licet non commendanda sint, tamen videntur excusanda. Cui enim tale quid non excidat rem acriter meditanti? — At major est injucunditas, quando duae posteriores syllabae in duobus vocabulis repetuntur: de qua re statim.

2) *Repetitio* ejusdem terminationis in *duabus syllabis* seu *repetitio duarum syllabarum in duobus* vel *pluribus vocabulis*: quae valde injucunda est a) in vocabulis junctis, v. c. *rebus duabus*, quod tamen vix animadvertitur; hinc injucundus est versus Ciceronis: *O fortunatam natam me consule Romam.* Huc pertinet illud in primis ap. Auct. ad Herenn. IIII, 12 *Flentes, plorantes, lacrymantes, obtestantes*, quod aures valde offendit. Offic. I, 18 prope fin. *pleniore ore:* quem locum Ernesti l. c. affert et ad gratam negligentiam refert. Phil. II, 28 *quod natum, conflatum* etc., quod valde injucundum. b) interjectis aliquot verbis, v. c. *injucundum non erat faciundum;* quod injucundum est. c) in membrorum, praecipue brevium, fine, v. c. Nolim dicere: *Quamquam te semper amavi, magni aestimavi et tibi viam ad felicitatem monstravi:* τὸ *avi* toties repetitum aures offendit. Huc pertinet illud: *haec omnia vidi inflammari, Priamo vi vitam evitari, Jovis aram sanguine turpari.* Sic tamen et Cic. Verr. V, 37 in. *Quem posteaquam inanem locum offenderunt, et praetorem commovisse ex eo loco castra senserunt, statim sine ullo metu in portum ipsum penetrare coeperunt:* ubi repetitio τȣ *erunt* injucunda est.

XXXI) *Vitando nimio concursu ejusdem literae.*

V. c. *Si ii igitur*, ubi quater *i* reperitur: Cic. Orat. I, 22 *hodieque faciunt, ut nulla* etc., ubi *u* ter est. Sic *dolo novo oppressus.* Sic *si mihi id vis indicare.* Cic. Verr. V, 36 extr. *statuerant, sese, si ea* etc., ubi *sese si* paulo injucundius. Horat.

rat. Art. 36 *pravo vivere naso:* ubi tria *v* aures offendunt. Sed haec singula, modo egregiis ideis compensentur, facile excusantur. — Idem de tribus istis locis judicandum, quae Ernesti l. c. laudat et ad gratam negligentiam refert. Sunt haec: primum Cic. ad Div. XII ep. 2 §. 7 *tres esse consulares, qui, quia, quae de republica bene senserint, libere locuti sunt, tuto in senatum venire non possint:* ubi *qui quia quae* notandum. Deinde Cic. Quint. 11 med. *qui, quia, quod debitum nunquam est, id datum non est, non pecuniam modo* etc., ubi *qui quia quod* occurrit. Et tandem Nat. Deor. I, 20 *Quod* (non *qui*) *quia, quemadmodum natura efficere sine aliqua mente possit, non videtis*: ubi *quod quia quemadmodum.* At in his tribus locis nihil video negligentiae neque gratae neque ingratae. Artificium connexionis, de quo supra, ita postulabat: ac, si singulas repetitiones tanto vitio vertere volumus, quis scriptor hic non peccasse dicendus sit? nam sic ne *sese* quidem dici possit, it. *quemquem, quisquis, ii; quaeque, tartarus, intendentem, contendendum* etc. — Videndum tantum, ne nimis crebro fiat; ac cavendum, ne lectori auditorive videamur de industria ejusmodi inanes repetitiones fecisse. Qui enim de industria hoc facit, videtur aliquid in eo quaerere sibique valde placere, quod est signum arrogantiae, quae nec lectoribus nec auditoribus unquam placet. Iure igitur displicet versus illius poetae ap. Auct. ad Herenn. IIII, 12 *O Tite, tute, Tati, tibi tanta tyranne tulisti:* Omne enim nimium vertitur in vitium.

XXXII) *Vitando aspero vocabulorum concursu, et contra laevi sequendo.*

De hac re magis hic loquor, ne quid deesse videatur, quam quod in nostra tempora valde cadere existimem. Laevis vocabulorum concursus dicitur, quando vel prius in vocalem exit et posterius consonante incipit vel prius consonante terminatur ac posterius incipit vocali: v. c. *Nemo debet ita statuere de rebus istis.* Asper contra est, quando binae vel consonantes vel vocales se excipiunt, v. c. *ego ivi ad patrem nostrum;* vel *nullus sic debet statuere* etc. Et, quo plures consonantes in tali conjunctione concurrunt, eo asperior est conjunctio; v. c. *nam species*, ubi tres; *post triduum, trans fluvium,* ubi quatuor; *post strepitum, amans struere*, ubi quinque conjunguntur consonantes. At

1) hoc nemo observavit; nec observare quisquam potest, nisi omnem sententiarum pulchritudinem evertere velit.

Nam

Nam laevis ista structura vocabulorum haec suo ordine per gravitatem aliamve causam iis debito privaret: et cui meditanti res et sententias earumque justam explicationem ac vocabula justa etc. tempus suppetat ad laevem istam vocabulorum conjunctionem observandam? Et haud dubie ista diligentia foret ingratissima et maxime putida. — Exempla dabimus ex ipso Cicerone, praeceptore istius rei, e quibus videbimus ipsi accidisse, quod vulgo hominibus accidere solet, ut, quae praeceperint et commendarint, ipsi non agant, et, ut facilius sit praecipere quam facere. Orat. I, 22 *Graeculo otioso et loquaci et fortasse docto atque erudito* etc. cap. 23 *ex rebus penitus perspectis planeque cognitis* etc. En laevem scilicet structuram! Et sic millies: etiam in orationibus, v. c. in Philippica illa secunda cap. 28 extr. *bellum, quod natum, conflatum, susceptum* etc. cap. 29 in. *bello tum propter timiditatem tuam tum propter libidines defuisti: gustaras civilem sanguinem vel potius exsorbueras* etc. ac paulo post: *persecutus trucidaras. Quibus rebus tantis, talibus gestis, quid fuit causae, cur in Africam Caesarem non sequerere, cum praesertim belli pars tanta restaret?* Et sic ubique. — Et, quam parum Romani isti laevitati conjunctionis studere voluerint, docent ipsa eorum vocabula tum simplicia tum composita: v. c. *ii, eo, abiit, euntium, fructuum, artium, mensium, constructus, congregavit, distraxit, transgressus, transscribo* vel *transcribo, transcriptus* etc. ut *stlata, stlis* pro *lata, lis* etc., it. *ab* praepos. ante consonantem etc. praetermittatur.

2) Hinc Cicero ipse, sui ipsius conscius, qui ejusmodi concursum tantopere damnarat, alibi eum adeo laudat, loquens de submisso et Attico oratore: dicit Orat. 23 *Habet enim ille tanquam hiatus concursu vocalium molle quiddam, et quod indicet non ingratam negligentiam de re hominis magis quam de verbis laborantis.* At bonus Cicero sibi non constat: vid. cap. 44, ubi inter alia ait: *Nam, ut in legendo oculus, sic animus in dicendo prospiciet, quid sequatur, ne extremorum verborum cum insequentibus primis concursus aut hiulcas voces efficiat aut asperas. — Quod quidem latina lingua sic observat, nemo ut tam rusticus sit, quin vocales nolit conjungere.* Dicit ergo hic, neminem tam rusticum esse, qui non vitet concursum vocalium duarum. Recepit tamen Ernesti hoc loco *qui vocales* cet. pro *quin vocales* cet. — Sed res haec in lingua latina sic se forsan habuit, ut in vernacula, et forsan in omnibus linguis se habet, ut in loquendo homines, etiam de plebe, omittant ultimam vocabuli vocalem,

quam

quando sequens vocabulum incipit vocali: v. c. in vernacula vulgo dicitur *Dies' Art*, *schön' Art*, *Fried' und Freud' und Ruhe* etc. pro *Diese*, *schöne*, *Friede*, *Freude* etc. An vero haec omissio vocalis ultimae laevem conjunctionem vocabulorum efficiat, non ausim definire. Nam

3) ne intelligimus quidem, quid sit asperum, quid laeve, in conjunctione vocabulorum. Pendet haec res ab auditu: et hujus suavitas et facilitas pendet et a consuetudine audiendi et a pronuntiatione aliorum. Qui v. c. asperum quorundam sonorum concursum in re musica audire diu consueverunt, iis ille non tam asper videtur quam aliis: res hic propter angustiam loci non potest demonstrari: exemplum agricolarum et nationum in ultima terra habitantium docere quodam modo id potest. Deinde pronuntiatione multa aspera asperitatis suae multum amittere possunt. Sunt, qui conjunctionem multarum consonantium, quae vulgo aspera vocatur, tam presse et facile pronuntiare possint, ut nihil laevius esse videatur; cum contra alii vel laevissima quaeque tam vaste tamque aspere exprimant, ut nihil injucundius esse possit: consulatur hic sermo populorum singulorum gentis theodiscae vel etiam, si mavis, graecae. — Quidquid de asperitate vel laevitate conjunctionis vocabulorum dicitur, videtur adhuc inter hypotheses pertinere, quarum fundamentum certum nondum repertum est ac forsan nunquam reperietur. Sed hoc parum curabunt ii, qui id tantum agunt, ut omnem pulchritudinem et suavitatem in ideis, non in verbis, quaerendam existiment.

4) Si quis tamen concursus literarum fugiendus est, eum puto fugiendum esse, qui ambiguitati faveat et perspicuitati noceat. Hic cernitur in eo, ut vocabulum non facile eadem consonante terminemus, qua sequens vocabulum incipit: v. c. in nostra lingua *mit dem Namen* sonat ut *mitten Namen: der Baum muß* etc. ut *der Bau muß* etc. *nahm mich* ut *nahm ich* etc. Sic et in latina *res sibi* ut *res ibi: dicit deinde* ut *dicite inde: salutis satis* ut *saluti satis* etc. Hoc de pronuntiando tantum valere per se patet.

5) Sunt tamen nonnulla vocabula, quae non conjungere nobis liceat pro libidine: v. c. *e republica*, non *ex republica*, dixisse veteres ob istam laevitatem Cicero credit Orat. 47. An laevitas ista causa sit, dubito, quia prisci *ex* saepe ante literam *R* ponere solent: v. c. *laborare ex renibus* Cic. Tusc. II, 25: *ex re istius* Terent. Phorm. V, 7, 76: cur in *ex republica* illam tantum spectarint? Annon Cicero forsan erravit hic,

hic, ut in aliis? — Deinde tenenda sunt in primis duo vocabula *ac* et *neque*. a) *Ac* rarius seq. vocali apud priscos reperitur, plerumque seq. consonante; v. c. *ac pater*, *ac me* cet.; rarius vero v. c. *ac ego*, *ac ille* cet. pro quibus dicendum putant *atque ego*, *atque ille* cet. Causa latet: litera *c* non potest causa esse, quia *nec enim*, *sic enim*, *hoc enim*, *huc enim* etc. saepe dicitur: b) deinde *Neque vero* prisci libentius h. e. longe crebrius dixerunt quam *neque autem*. Occurrit *neque autem* semel, quod sciam, Cic. ad Div. V ep. 12 §. 21 *neque autem ego sum ita demens* etc. it. Lucret. V, 779. Sed causa, cur *neque autem* longe rarius usurparint quam *neque vero*, latet. Euphonia, quo vocabulo ad quodlibet defendendum, si non intelligunt, uti vel abuti multi solent, locum non habet. Nam, quodcunque rectum et consuetudine invectum est, bene sonat: et cur prisci alibi *neque* sequente diphthongo *au* posuerunt? v. c. Cic. Rosc. Am. 1 in. *neque auctoritate*: Catil. I, 1 extr. *neque auctoritas*. Virgil. Georg. I, 514 *neque audit* etc.: ergo in syllaba *au* non potest culpa esse: unde videtur causa non nisi usui dicendi tribuenda esse. Nam quis omnium rerum causas novit? V. c. cur prisci *nam* praeponere, *enim* postponere, vocabulo soleant? cum tamen *nam* et *enim* sint ejusdem significationis et ejusdem originis esse videantur. Sic *verum* praeponitur, *vero* postponitur; cujus rei causa aeque latet. Sic et *mecum*, *tecum* etc., pro *cum me*, *cum te* etc. Euphonia si regula deberet esse, quam fallax esset? quia alii jucunde alii injucunde eadem res sonat. Iudicium aurium est valde diversum, nisi certis legibus et regulis adstrictum iisque assuetum est.

XXXIII) *Cavendo, ne sententiam orationis prosaicae absolutam clausula poetica terminemus*, v. c. *dicere possit, atque videbat* etc., vel *nobis in oratione prosaica totus versus poeticus excidat.*

At nec hoc grave vitium esse existimem, modo ne data opera tales clausulas talesque versus immisceamus. Nam 1) hoc vitium, si vitium est, per se non injucundum est, sed tantum hactenus, quia videtur de industria tale quid quaesitum et affectatum: et omne affectatum seu studio quaesitum displicet, quia arrogantiam sapit, et orator scriptorve in illo magnam laudem ponere videtur. 2) Hoc olim poterat vitium aliquod esse, quia prisci, qui in vulgari sermone vocabula latina aeque ex syllabarum quantitate atque in car-

mine

mine pronuntiaſſe videntur, facilius verſum poeticum in oratione proſaica agnoſcerent, quam a nobis hodie fieri poteſt, qui ſyllabas multas aliter in ſcanſione, ut loquimur, aliter extra eam legimus: ut adeo ne timendum quidem facile ſit, ne talis verſus, ſi nobis excidiſſet, a multis hodie animadvertatur. 3) difficile eſt talem verſum ubique evitare. — Priſcis adeo ipſis multi hexametri, ut de aliis nihil dicamus, exciderunt: v. c. Salluſt. Cat. 19 §. 4 *Cnei Pompeji veteres fidosque clientes.* Liv. Praef. in. eſt dimidius hexameter: *Facturusne operae pretium ſim.* Tacit. Ann. I in. eſt totus hexameter: *Urbem Romam a principio reges habuere.* Etiam Ciceroni exciderunt, v. c. Arch. I in. *in quo me non infitior mediocriter eſſe* etc. Orat. III, 45 in. eſt hexameter dimidius: *Non eſt res tam difficilis, quam* etc. — Quod vero Cortius verba Ciceronis ad Div. XVI ep. 14 §. 3 *Nunc opus eſt te animo valere, ut corpore poſſis*, pro hexametro integro habet in nota ad h. l., in eo errat; quia ſyllaba prima verbi *valere* brevis eſt. Sic Heinecc. in fundam. ſtili p. 64 ait Ciceronem Orat. III, 5 totum diſtichon inſeruiſſe: *Complexi, plus multo etiam vidiſſe videntur, Quam quantum noſtrorum ingeniorum acies:* ſed in Cicerone legitur non *plus multo*, ſed *multo plus*: ſaltem ſic eſt in editione Erneſtiana et forſan in omnibus. — Ac plures hexametri, ſi quaerere vacaret eque re hominis cujusquam eſſet, facile invenirentur: cui enim non excidunt? Ut taceam de aliis verſuum generibus, v. c. *jambicis:* quos in primis ſaepiſſime occurrere veriſimillimum eſt. Quis conquirat? et cui bono? Si igitur priſci evitare non potuerunt, quanto minus nos poterimus? Facile igitur ignoſcitur, ſi cui tale quid excidit, modo oratio ejus praeclaris ſententiis ornata reperiatur. Quia tamen ſunt, qui, quidquid priſci pro vitio habuerint, etiam hodie pro vitio habendum putent, atque ita talem verſum vel etiam clauſulam verſus poetici, ſi cui exciderit, culpandum arbitrentur: ſuaſerim omnibus, qui latine dicant vel ſcribant, ut, quantum poſſint, illam rem caveant. In minimis etiam placere homini humanum eſt.

XXXIIII) *Vitando omni concurſu ſyllabarum vel literarum, qui cum vocabulo aliquo obſcoeni quid indicante ſimilitudinem habeat, atque ita hanc ideam obſcoenam in lectoris auditorisve mente excitare poſſit.* Omnis enim obſcoenitas diſplicet, atque adeo memoria ejus injucunda

cunda est. Exempla afferre nequeo. Sed nec hoc forsan nimis ad vivum resecandum est: alioquin peccassent Cicero et omnes prisci, qui *penates*, *Fidenates*, *Marianus*, *Caesarianus*, *Tullianum* etc. dixerunt: nam posteriores syllabae horum vocabulorum aliquid obscoeni continent; quo pertinent *nato*, *natas*, *penes*, *penitus*, *animus* etc., in quarum priore parte inest, si quis quaerere vult, aliquid obscoeni: quamquam puto ista vocabula omnia a priscis saepe audita et lecta esse ita, ut de obscoenitate non cogitarent, et recentiores quoque eadem vocabula ac similia saepe legisse ita, ut nihil obscoeni iis in mentem veniret: Nec minus a nobis hodie leguntur et audiuntur sine offensione aurium. Totam rem cujusque judicio permitto.

Ceterum huc refert Cicero Orat. 45 *nobiscum*, et dicit, sic ad evitandam obscoenitatem dici: nam in *cum nobis* literae obscoenius concurrerent. Sed supra P. I cap. 3 de *ordine verborum* sect. 1 n. 6 p. 207 ss. monuimus, causam istam Ciceronis ab obscoenitate ductam nullius pretii esse: quia prisci 1) dixerunt *cum nostri*, *cum nominis* etc., in quibus tamen eadem obscoenitas inest, quae in *cum nobis* esse dicitur: 2) quia et dixerunt *secum*, *mecum*, *tecum*, *vobiscum* pro *cum se*, *cum me*, *cum te*, *cum vobis*, in quibus tamen nulla obscoenitas inest: hinc *cum* adverb. et conjunct. seu *quum*, quod tamen aeque pronuntiatum est ac *cum* praepositio, occurrit apud priscos sequente *se*, *me*, *te*, *vobis*: v. c. *cum te summis laudibus ad coelum extulerunt* Cic. ad Div. VIIII ep. 14 §. 2 etc. — Cicero quidem l. c. ait, *mecum*, *tecum*, dictum esse, ut simile esset illis *vobiscum* atque *nobiscum*. Egregiam causam! Videtur potius ordinis inversi in *mecum*, *tecum*, *secum*, *nobiscum*, *vobiscum* (it. *quocum*, *quacum*, *quicum*) ratio esse eadem: et haec res vel casu orta, ut apud nos nonnulli *Zweifels ohne*, *der Sache wegen*, pro *ohne Zweifel*,

wegen der Sache dicunt, et vulgo dicitur *meinetwegen, deinetwegen*, *ſeinetwegen*, ubi nemo cauſam novit, cur *wegen* poſtponatur; et ut apud Graecos nonnullas praepoſitiones ſuis caſibus poſtponi notum eſt. Cauſa latet: ſed ſic et *quo de* pro *de quo* cet. occurrit. Iudicent acutiores! conf. ſupra P. I cap. 3 ſect. 1, ubi latius iſta res tractata eſt.

Hactenus de *ſuavitate dicendi*: in qua tamen ſuaves praeclaraeque ideae principatum obtinent. Sapiens enim magis ideis quam verbis delectatur: nec tamen cultus verborum ei diſplicet, modo idearum praeſtantia ornata reperiantur. Virgo pulchra, negligenter veſtita et ornata, tamen valde placet: magis placet, praeclare ſimul veſtita et ornata.

FINIS PARTIS POSTERIORIS



APPEN

APPENDIX I

De ſubſidiis quibusdam ſtili bene latini.

Quamquam e ſupra dictis natura ſtili bene latini ſatis ſuperque cognoſci poteſt, ut fere non opus ſit quidquam addere: tamen, ut plane nihil omiſiſſe videamur, aliquot etiam ſubſidia paucis memorabimus. Ea ſunt in univerſum duo 1) *lectio priſcorum* 2) *exercitatio in ſcribendo.*

SECT. I

De lectione priſcorum.

Lectio priſcorum eſt primum ac praecipuum ſubſidium ſtili bene latini. Ex illis enim diſcenda eſt praecipue bene latine dicendi ſcribendique ratio. Hic duo notanda:

I) *Lectio bonorum ſcriptorum debet eſſe aſſidua.* Nam, ſi non multa quotidie legimus, quomodo ea omnia, quae ad bene ſcribendum pertinent, et quorum eſt ingens multitudo, colligere et diſcere poſſumus? deinde, quo plura legimus, eo crebrius eaedem res, eadem verba, iidem connectendi modi etc. redeunt, atque ita firmius in mente inhaerent. Legendi in primis ſunt ſcriptores aureae aetatis, ut Cicero, Caeſar, Livius, Terentius: in his ſcribendi genus eſt naturale et ab affectatione alienum: ſpectarunt enim magis res quam verba: cum contra ſcriptores poſterioris aetatis ſub imperatoribus, adulandi neceſſitate invecta, verborum ornamenta et lenocinia magis quam rerum veritatem ac pondera curaverint, et, libertate ſentiendi amiſſa, coacto fere ſcribendi genere et affectato uſi ſint, pauciſſimis for-

forſan exceptis. — In primis tamen Cicero legendus 1) quia multos varii generis libros reliquit, in primis tales, quales hodie ſcribere ſolemus. Caeſar et Livius ſcripſere libros hiſtoricos. Quotus vero quisque hodie eſt, qui hiſtoriam conſcribat? Terentius comoedias: ſed et has pauci hodie ſcribent. At Cicero ſcripſit epiſtolas, orationes, itemque de rebus ad doctrinam pertinentibus, v. c. de eloquentia comparanda, de philoſophorum placitis, de officiis, de ſenectute, amicitia etc., ut ejus libri multis prodeſſe poſſint. Magnam quoque partem hiſtoriae temporum ſuorum v. c. de Catilina, Caeſare, Octaviano, Antonio, Lepido etc. intexuit libris ſuis, v. c. epiſtolis, in quibus multa ſingularia reperiuntur, quae alibi non occurrunt. 2) quia fuit homo egregie doctus et egregio ingenio ornatus: hinc ex ejus libris multa diſcere, in primisque eorum lectione judicium noſtrum acuere, poſſumus. Nam, quo quis eſt doctior, eo ſubtilior eſt in dicendo et ſcribendo, eoque magis acuunt ejus libri mentem lectorum. 3) quia fuit vir magnae experientiae, ſapiens, Conſul etc. Hinc ex eo prudentiam poſſumus nobis comparare et diſcere, quid ii, qui rempublicam gubernant, ſentire, quid ſpectare, ſoleant, qualis eventus huic vel illi conſilio reſpondere poſſit vel ſoleat etc., quae omnia nobis profunt ad multa cavenda vel imitanda. Deinde, quo quis eſt ordine, loco, ac dignitate aliis ſuperior, eo magis conſuetudine hominum ſimilis conditionis utitur eoque venuſtior ejus eſt dicendi ratio: id quod in Ciceronem cadit: qui cum conſul eſſet et familiaritate Pompeji, Caeſaris, aliorumque principum civitatis frueretur, nonne venuſtius ſcribere poterat, quam ſi homo vulgaris conditionis fuiſſet, qui non niſi vulgaribus hominibus utitur, e quorum uſu parum venuſtatis acquiri poteſt? Nec dubitandum, quin noſtri oratores majores oratores futuri eſſent, ſi principum et regum conſuetudine quotidie uti poſſent vel ipſi

ſummo

ſummo loco nati eſſent. 4) quia fuit omnium Romanorum diſertiſſimus h. e. perſpicue, graviter, ſuaviterque dicendi peritiſſimus. Ex eo igitur artem perſpicue, graviter, ſuaviterque dicendi ac ſcribendi, atque ita aptiſſima quaeque verba eligendi, uno verbo eloquentiam, per omnes ejus libros fuſam, haurire poſſumus. 5) quia Romae plerumque manſit, ut ſenatui intereſſet; nec, niſi in Ciliciam provinciam, abiit, idque in unum annum. Hinc ſequitur, ejus dicendi genus manſiſſe urbanum, nec peregrinitate ulla corruptum. Accedit 6) quod ſingulis diebus dicendum ei erat vel coram ſenatu vel in judiciis vel coram populo: hinc exercitatio in bene dicendo erat ipſi tam familiaris, ut, quidquid deinde diceret vel in ſermone familiari, jam bene dictum eſſet. Hoc non omnibus oratoribus contigit, ut tanta exercitatione uti poſſent, eaque coram auditoribus talibus.

Totum igitur Ciceronem ſaepe legere debemus a) *Epiſtolas ejus*, in primis *ad diverſos*, it. *ad Q. Fratrem*, b) *Orationes*, v. c. pro *Roſc. Am.*, *Verrinas*, *Manilianam*, *Agrarias*, *Catilinarias*, pro *Murena*, pro *Archia*, ad *Quir. poſt reditum*, pro *domo*, pro *Sextio*, pro *Milone*, pro *Marcello*, pro *Ligario*, *Philippicas* etc. c) libros de *Finibus bon.* et *mal.*, *Quaeſt. academ.*, *Quaeſt. Tuſculanas*, de *nat. deorum*, de *divinatione*, de *officiis*, de *ſenectute*, de *amicitia* etc. d) *libros rhetoricos*, ut de *inventione*, de *oratore*, *Brutum*, *oratorem* etc.

Cum hac Ciceronis lectione lectio Caeſaris, Livii, Terentii crebra conjungenda, utpote qui, quod ad verba attinet, omninoque in apte venuſteque dicendo Ciceronis ſunt ſimillimi, atque ita bonae latinitatis culturam valde adjuvant et confirmant: itemque Nepotis et Salluſtii lectio haud plane negligenda: etſi paululum diſcedunt a ratione Ciceronis, in primis Salluſtius, qui in ſtilo ſingularia quaedam ſectatur. Nec Plautus plane omittendus eſt: nec Varro de *re ruſt.* Huc accedere

dere debet lectio poetarum, Virgilii, Horatii et Ovidii, quae bonae latinitatis studioso propterea opus est, ut poetica a prosaicis discernere atque illa fugere sciat. Nam, ut *ignoti nulla cupido*, sic *ignoti nulla fuga est.* Possunt etiam isti poetae nostrum ingenium acuere et variis pulchrisque ideis locupletare. Haec de aurea aetate, in qua Terentium non male posuimus. Ex argentea aetate legi merentur *Quintilianus* et *Phaedrus*: item *Suetonius* et *Tacitus* ob historiam, et alii. Potest ex iis quoque disci, quid sit discriminis inter scriptores aureae et inter scriptores argenteae aetatis: quod valde prodest ad firmius inhaerendum in Ciceronis latinitate et stilo. Ceterum lectio haec *Ciceronis*, *Caesaris*, *Livii*, *Terentii*, debet esse crebra: in primis Cicero saepe est perlegendus, saltem ejus Epistolae et praecipuae orationes. Nam semel legere nihil prodest, ac ne bis quidem. — At non sufficit Ciceronem legisse, debes eum quoque recte intelligere. Hinc

II) *Lectio priscorum, maxime Ciceronis, debet esse quoque accurata* h. e. debent prisci ita legi, ut intelligas plane singula verba, et scias, quid in singulis cogitaverit scriptor. Dupliciter haec lectio accurata instituenda:

A) Primum *praeeunte magistro in lectionibus publicis*, ut vocantur. Nam sine magistri ope hic vix quisquam recte proficiet. — Quaerunt nonnulli, utrum hic lectio *stataria* h. e., ubi singula accurate explicantur, an *cursoria* h. e., ubi celeriter scriptor perlegitur, instituenda sit. Hic haud dubie magni refert, quales sint discipuli. Equidem puto utramque apte conjungendam, in difficilioribus locis utendum *stataria*, in facilibus et per se expeditis *cursoria*. Sed magni quoque interest, quali magistro utare, utrum sciat, quid difficile sit, nec ne, et an rem quamque perspicue explicare possit. Sunt, qui in cursoria lectione rem quamque, licet breviter, at longe accuratius explicent, quam alii in stataria: qui inter-

interdum, omissa justa rerum (nam hae in primis explicandae sunt) et vocabulorum explicatione v. c. ex usu loquendi, ex etymologia, ex antiquitatibus, historia, e contextu, locis parallelis etc. arcessenda, in rerum inutilium et alienarum longa tractatione haerent, et v. c. scholiastarum et grammaticorum veterum saepe ad locum non facientium lata recitatione, etymologiarum variarum, earumque saepe incertissimarum, nec ad loci explicationem pertinentium longis disquisitionibus, phrasium variarum operosa extractione et dictatione, tempus ita consumunt, ut vix paucos versus intra horae spatium absolvant, nec tamen satis explicent. O! talem lectionem statariam deus avertat ab omnibus scholis! Huc pertinent alii, aeque infelices, qui facilia latissime explicant, difficilia, tanquam facillima, praetermittunt. — Imo peritus magister nihil aliud aget, quam ut discipulus locum scriptoris plane intelligat et in hujus mentem animumque penetret; hinc nihil omittet, quod ad singula intelligenda pertineat. Quam in rem a) contextum totius loci, imo totius libri, epistolae, orationis etc. a discipulo ubique consuli jubebit. Nam sine contextu nulla intelligentia rei est certa. Docebit, quid quaque sententia contineatur; attendi jubebit, an et quomodo singulae sententiae singulaque verba tum inter se conveniant tum cum praecedentibus et sequentibus cohaereant. Si hoc omittitur, si discipulus ad contextum sponte attendere non mature discit, mens ejus non acuitur; ipse modicos facit progressus in discendo, et nihil certi discit. b) examinabit sententias (hoc non ubique fieri debere per se patet), an verae sint, an pulchrae, acutae, vulgares etc., et cur: it. argumenta, exempla, similitudines, descriptiones etc., an aptae sint. c) non modo verba sed etiam res explicabit. Non enim verbum intelligo, nisi rem intelligo in verbo latentem. Verbum a se explicari putant multi, quando vernaculum verbum ei respondens recitant;

tant; v. c. gubernare *steuern* etc. At hoc non est *explicare* sed *vertere*. Locus potest saepe recte verti, nec recte explicari, et contra. Saepissime in loco explicando discipulo oritur difficultas inde, quod rem non intelligit: v. c. nescit, quid sit *navis*, quid sit *prora*, *carina*, *puppis*, *gubernaculum*, quid *clavus gubernaculi;* nescit, utrum prisci in appellenda nave proram an puppim adverterint litori; nescit eas artes, e quibus innumera vocabula in sermonem latinorum vulgarem translata sunt; nescit ritus priscorum, res gestas eorum etc. Quomodo is verba ipsa intelligat? nam non semper contextus hoc declarare potest. Iam, si ne ipse quidem magister rem intelligit, quomodo verbum explicare potest? Et hoc saepe accidere et saepe a coeco coecum duci non mirum est. Hinc fit, ut multi magistri in explicanda phrasi *appellere puppim litori* dicant *puppim* pro *tota nave* positam, et ut *clavum gubernaculi* per *gubernaculum ipsum* explicent, omninoque duo substantiva pro uno posita saepe dicant, quia alterum non intelligunt. Magister debet vocabulum saepe per definitionem, non modo *nominalem*, ut vocant, sed in primis *realem*, explicare. Ego fateor, me multa loca priscorum non satis intelligere, quia res ipsas non satis intelligo. Et credo, si omnes omnino artes, etiam sellularias, recte intelligerem, me multo plura loca accuratius intellecturum. Nam, omnes ritus priscos, ad quos forsan respicitur in loco difficiliori, a nobis intellectum iri, nulla spes est: quod idem de historia prisca dicendum. — Errant igitur, si qui putant, linguae latinae accurata cognitione nos posse eo pervenire, ut res a priscis traditas plane intelligamus. Imo vero res ante sit nota necesse est, quam possis linguam accurate intelligere. Loquor hic de rebus difficilioribus, quas prisci ipsi non explicarunt. Sic res se habet in nostra lingua, sic se habet in omnibus linguis. d) explicabit vero etiam singula verba, et docebit sintne

pro-

propria an tropica, et an tropus sit aptus et pulcher, ubi propria vis vocabulorum, ut per se patet, explicabitur: nam sine ejus cognitione non nisi nugae exsistunt. e) in homonymis docebit, quaenam significatio contextui isti conveniat, et cur: ubi interdum videre discipulum jubebit, an ceterae significationes locum habeant, et cur non habere possint. f) Addet quoque saepe, utrum vocabulum hoc vel illud necessarium fuerit, et cur; an omitti potuerit: it. an egregia sententia cum eo conjuncta sit, an sententia per id fortior facta sit. It. an saepe occurrat vel omnino vel ista significatione. Hoc in primis est necessarium: nam nihil est, quod non occurrat apud priscos, at raro: et rariora fere inter vitia numerantur. Nec Lexicon hic sufficit. Unde discipulus discet? nonne a magistro? Hic debet esse optimum Lexicon. It. an verbum vel adjectivum conveniat substantivo. Neque enim omnia vel adjectiva vel verba cum substantivis conjungi possunt; v. c. *gradus magnus*, *gradum accipere*: quae conjungi nequeunt. g) ostendet etiam connexionem vocabulorum, enuntiationum et sententiarum absolutarum, v. c. per duplex *et*, *neque*, *qui* etc. h) periodos Ciceronis interdum resolvet, docebitque, cur enuntiationes insertae sint vel inseri debuerint. i) numeros oratorios notabit. k) in vertendis scriptoribus priscis curabit, ut singula verba, quoad quidem fieri possit, exprimantur. Versio sensum universum exprimens non est versio. l) Singula, quae recte explicata et versa sunt, imitari statim discipulum jubebit, ut videat, an recte intellecta sint. m) Omninoque singula frequenter et diversa ratione repetenda curabit etc.

Haec et plura magister peritus et fidelis aget, ut discipulus totam formam stili Ciceroniani perspiciat et imitari discat.

At non sufficit *bona* scriptorum notasse, debent et *vitia* in iis occurrentia, sive ipsorum sive librariorum

culpa commiſſa ſint, diligenter animadverti, ne per ea diſcipulorum mens in errorem inducatur ac pro virtutibus habeat, ſed, ut caveat. Vitia ſunt duplicia, alia in rebus ſ. ideis, alia in verbis. Utriusque generis exempla ſunt in priſcis: pauca notabimus.

1) Vitia in *rebus* ſ. ideis ac ſententiis:

a) Cicero Roſc. Am. 27 et 29 repugnantia dicere videtur: priori enim loco ait: Roſcium Romae fuiſſe, at non diu ibi manſiſſe: poſteriori plane negat Roſcium Romae fuiſſe. Verba ſunt cap. 27: *unde eos noverat Roſcius, qui Romam multis annis non venit, neque unquam plus triduo fuit?* et cap. 29 *Roſcio — objicient, et illam ſicariorum multitudinem — huic crimini putabunt fore? qui non modo Romae non fuit, ſed omnino, quid Romae ageretur, neſciret, propterea quod ruri aſſiduus — fuit.* Debebat dicere: *qui non modo Romae non tum* (ſ. *iſto tempore*, quo pater occiſus eſt) *fuit* cet. — In ead. oratione cap. 25 Ciceronem nimis copioſe ac fere pueriliter de parricidii atrocitate et poena dixiſſe, eandemque rem, augendi cauſa, nimis ſaepe verbis inanibus, licet ornate concinneque effictis, enuntiaſſe, hodie in confeſſo eſt. Paucula tantum de iſto loco celeberrimo dicam. Poſteaquam Cicero dixerat, majores ſanxiſſe, ut, qui parentes necaſſet, in culeum inſutus in flumen dejiceretur, exclamat: *O ſingularem ſapientiam! nonne videntur hunc hominem ex rerum natura* (i. e. ex mundo) *ſuſtuliſſe et eripuiſſe, cui repente coelum, ſolem, aquam terramque ademerunt?* Male. Culeo inſutus tamen in mundo manet. Cauſam deinde ingenioſe comminiſcitur, cur primum non feris objecerint, deinde cur non nudos in flumen dejecerint. *Noluerunt*, inquit, *feris corpus objicere, ne beſtiis quoque, quae tantum ſcelus* (i. e. tam ſceleſtum hominem) *attigiſſent, immanioribus uteremur.* Quomodo beſtiae parricida *attingendo* (Ern. in clave explicat *devorando*, quod non opus eſt, imo illud gravius dictum) immaniores fieri poſſunt? Pergit: *non ſic nudos in flumen dejicere, ne, cum delati eſſent in mare, ipſum polluerent* etc. Tandem ait: *Ita vivunt, dum poſſunt, ut ducere animam de coelo non queant: ita moriuntur, ut eorum oſſa terra non tangat: ita jactantur fluctibus, ut nunquam abluantur: ita ejiciuntur, ut ne ad ſaxa quidem mortui*

con-

conquiescant. Quam argute! quam speciose! a) si animam, h. e. spiritum, de coelo ducere nequeunt, quomodo vivere possunt? nonne hoc est repugnantia loqui? b) terra quidem ossa eorum non potest tangere; at culeum tangit, in quo corpus est. Sic nec apud nos corpora humatorum terra tangit, quia loculo (*im Sarge*) inclusa jacent. At quis hoc pro magna miseria habet? Imo miserum habetur, si corpus sine loculo humetur atque ita terra illud tangat. Sic nec magna miseria est, quando corpora illorum fluctibus non abluuntur etc. — Fontej. 17 rogat judices, ut Fontejum propter Fontejae sororis, quae Vestalis erat, lacrymas absolvant. Id his exprimit verbis: *Prospicite, ne ille ignis aeternus, nocturnis Fontejae laboribus vigiliisque servatus, sacerdotis vestrae lacrymis exstinctus esse dicatur.* Grave sane argumentum! Sic forsan nullus frater Vestalium damnari potuit, si ista vis lacrymarum timenda sit. — Verr. III, 98 ait: *Totae res rusticae ejusmodi sunt, ut eas non ratio* (h. e. nulla praecepta oeconomica, nulla ars,) *neque labor, sed res incertissimae, venti tempestatesque, moderentur.* Quid? ars, sapientia et labor nihil prosint agricolae? Cicero saltem debuisset addere *saepe, saepissime,* vel etiam *plerumque.* — Manil. 10 Pompejum, patronum suum, nimis hyperbolice hisce laudat verbis: *qui saepius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico* (mit einem Privatgegner) *concertavit* (v. c. in foro, in curia), *plura bella gessit, quam ceteri legerunt, plures provincias confecit, quam alii concupiverunt, cujus adolescentia — non stipendiis* (i. e. Feldzügen, Kriegsdiensten) *sed triumphis est erudita?* O magnum adulatorem! An credibile est, Pompejum plura bella gessisse, quam alii legerint? Intra paucos dies multa bella legere, at non gerere, licet. Ut uno verbo dicam, omnia nimis aucta sunt. — Marcell. 7 extr., posteaquam satis adulatorie dixerat in Caesaris vita consistere rempublicam, addit: si insidiae, quas Caesar timere dicebatur, hujus vitae vere parentur: *quem deum, si cupiat, opitulari posse reipublicae credamus?* Quid magis adulatorie et simul impie dici potest? Et Cicero tamen alibi dixit, potentia divina omnia gubernari, et rempublicam sola deorum ope contra Catilinarios defensam et servatam esse. Nec post Caesaris caedem quisquam audivit Ciceronem dicere: *rempublicam periisse.* — Contra historiam peccasse videtur Cicero Dejot. 7, ubi dixit, Attalum fuisse liberalem erga P. Africanum. Pro *Attalo* constat legi debere *Antiochum.* Multi ad defendendum bonum

num Ciceronem malunt librarios peccasse et Attali nomen pro Antiocho posuisse. Alii Ciceronem ipsum erroris accusant. Et quidni Cicero errare potuerit? Nemo mortalium est, qui non interdum memoria labatur.

b) *Virgilius* confundit Scyllas Eclog. VII, 74. Vocat ibi *Nisi filiam*, quam *Phorci* nominare debebat. At poetas in Mythologia, quam ipsi maximam partem excogitarunt, peccasse non mirum est. — Narratio de Palinuro, quem Somnus deus in mare dejecerat Aen. V extr., et qui deinde in orco ab Aenea conspicitur, nunquam, puto, omni difficultate carebit. Aeneas ibi ita illum alloquitur Aen. VI, 341: *Quis te — deorum — sub aequore mersit? — namque — hoc uno responso animum delusit Apollo, qui fore te ponto incolumem finesque canebat venturum Ausonios.* Ille contra: *Neque te Phoebi cortina fefellit — nec me deus aequore mersit* etc., ubi deinceps narrat, se traxisse gubernaculum et, tres noctes diesque vectum aquis, tandem quarto die adnasse Italiae, sed crudelitatem incolarum expertum esse etc. Hic non ego cum Servio haereo in verbis: *nec me deus — aequore mersit* h. e. *nullus deus fecit, ut perirem fluctibus*, sed in eo, quod Palinurus Aeneae de falso Apollinis oraculo conquerenti dicere audet: *Neque te Phoebi cortina fefellit.* Nam utique fefellerat. Non enim satis erat, eum venire ad Italiam; debebat etiam *incolumis* venire. Et, qui tres dies noctesque maris undis fertur, vestibus gravatus, an eum credibile est vivum manere posse? Nihil hac de re ill. Heynius: nec video, quomodo Palinurus oraculo Phoebi fidem fecerit, quod Heynius credit. Sophistice magis quam vere respondisse videtur Palinurus. Nam τὸ *incolumem* refero quoque ad *venturum fines Ausonios.* Et sic Aeneas ipse retulit: nisi dicamus Phoebi oraculum fallax fuisse, ipsumque praedixisse, Palinurum in ponto incolumem fore, et ad fines Ausonios venturum: sed, utrum incolumis eo venturus esset nec-ne, non addidisse. Tali modo respondisset eventus oraculo. Attamen semper haec duo sunt mira, a) Aeneam intellexisse oraculum de *incolumitate* in adventu in Italiam: b) Palinurum tres noctes diesque vivum manere potuisse. — Deinde sui oblitus videtur poeta Aen. VI, 445, ubi Eriphylen *in lugentibus campis ponit*, in quibus tamen eos esse dixerat v. 442 *quos durus amor crudeli tabe peredit*, cum tamen illa non *duro amore peresa* sed *a filio occisa* fuerit, neque ita jure campos illos teneat, nisi dicamus, campos lugentes non tantum misere amantes sed

plures

plures infelices heroinas complexos eſſe, et Poetam hoc dicere oblitum, nec ſatis ſubtiliter locutum. Cf. cel. Heyn. exc. 8 — Quod tandem poeta Aeneam lib. VI extr. per *portam eburneam* h. e. eam, unde falſa ſomnia mortalibus immittuntur, orco emittit, eruditi omnes eum damnant, quia ſic indicare videtur, omnia, quae in illo libro egregie et cum magnae eloquentiae ac doctrinae laude tradiderit, nihil aliud fuiſſe quam ſomnium. Excuſat eum ill. Heynius ita, ut crimine negligentiae non liberet. Ait, poetam iſtud poſuiſſe parum memorem, quid inde ſequeretur, aut hoc fuiſſe inter ea, quae Maro aliquando emendare voluiſſet. Ac ſane, cum ſciamus, quam imperfectum Maro opus Aeneidos reliquerit, in eo judicando haud nimis acres cenſores eſſe debemus.

c) *Ovidium*, ut omnino ingenii copia, ita maxime in deſcriptione rerum peccaſſe tralaticium. Memorabo tantum duo: 1) notiſſimam illam fabulam de Narciſſo Metam. III, 406 — 510. Narciſſus, adoleſcens egregiae formae, cum in limpido fonte, ad quem bibendi gratia procubuerat, faciem ſuam vidiſſet, repente, quia non ſuam ſed alius hominis eſſe opinabatur, amore hujus faciei atque ita ſui ipſius vehementer arſit. Hactenus bene: nam credibile eſt, aliquem tali modo per imprudentiam ſua ipſius forma capi et ardere amore poſſe; et totus locus eſt longe ſuaviſſimus. At poſtea adoleſcens ſenſit, ſe eſſe ipſum, cujus amore flagraret: et hic deſinere poeta debebat, quia naturae humanae conveniens eſt, aliquem, ſi errorem ſuum ſenſerit, talem amorem abjicere. At poeta, ut fit, ingenium ſuum coercere non poterat. Narciſſus pergit ſui amore ardere, et ſic tandem periit inque florem ſui nominis mutatus eſt. Haud dubie poeta hoc fecit, ut acutas ſententiolas afferre poſſet: v. c. *flammas moveoque feroque; roger anne rogem? quod cupio, mecum eſt; inopem me copia fecit*: quae omnia pulcherrima forent, modo res ipſa veriſimilis eſſet. 2) Halcyone Met. XI, 700 marito, qui, ipſa inſcia, naufragio perierat, per ſomnum viſo, ita domi ſecum loquitur: *Nunc abſens pereo, jactor nunc fluctibus abſens et, ſine me, me pontus habet.* Dicere volebat: *maritus me abſente perit, maritus fluctibus jactatur me abſente, pontus maritum ſine me habet.* Pro *marito* ponit *ſe ipſam.* Haud dubie iſtud eſt ingenioſius et acutius dictum, at non vere. Nam, licet interdum proverbio dicantur conjuges eſſe duae dimidiae partes unius corporis, tamen hoc in

in cogitatione ſola, non in re, conſiſtit. Et uxor non ubique pro *viri* nomine *ſe* nominare poteſt.

Ejusmodi igitur vitia (qualia et ſupra paſſim notavi) in priſcis obvia diſcipulis indicari diligenter debent, ut eorum mens acuatur attentionique mature aſſuefiat, ac ſcriptores priſcos, non propter eorum nomen ac famam, nec propter vocabula bene ſonantia, ſed ob ſententias veras ac pulchras admirari diſcat.

2) Vitia *verborum* vel duras locutiones ſpeciminis loco ſubjiciemus:

a) in *Cicerone.* Verr. IIII cap. 35 *Quid hoc tota Sicilia eſt clarius, quam omnes Segeſtanas matronas et virgines conveniſſe* etc. τὸ *hoc* ineptum eſt, quia jam ſequitur *quam omnes* etc. Eadem tamen redundantia eſt ad Attic. IIII ep. 8 *Quid enim hoc miſerius, quam eum — fieri non poſſe*, et Divin. I, 39 extr. *quid vero hoc turpius quam quod idem nullam ſenſit* etc. In his locis τὸ *hoc* delendum videtur. — Agrar. II, 3 med. *Neque enim ullo modo facere poſſum, ut — non eſſem popularis*: debet eſſe *ſim* pro *eſſem.* Et ſic recep. Erneſti. — Ibid. cap. 35 *Ex hac copia atque omnium rerum affluentia* (Campanorum) *primum illa nata ſunt: arrogantia, quae a majoribus noſtris alterum Capua conſulem poſtulavit; deinde ea luxuries* etc. Verba *primum illa nata ſunt* debent hoc ordine legi: *illa nata ſunt: primum arrogantia* etc. Nihil manifeſtius eſſe putaverim. Nihil monuit Erneſti. — Muren. 29 *Et quoniam non eſt nobis haec oratio habenda aut cum imperita multitudine aut in aliquo conventu agreſtium* cetc. Pro *cum* videtur legendum *coram.* Attamen ſic Caeſ. B. G. VII, 47 in. *legionisque decimae, quacum erat concionatus* etc. — Arch. 12 *An, cum ſtatuas — multi — reliquerunt, — virtutum effigiem nonne multo malle debemus* etc.? *An* hic redundat: eſt igitur vitium negligentiae, niſi *ac* legere velimus. Erneſti *non* pro *nonne* dedit. — Flacc. 27 in. *Quis ignorat, qui modo unquam mediocriter res iſtas ſcire curavit, quin tria Graecorum genera ſint vere?* ubi notes, *quin* poſt *ignorat* poni pro *tria Graecorum genera eſſe.* Sic tamen τὸ *quin* etiam poſt *negare* eſt Liv. XXXX, 36 in. *negare non poſſe, quin rectius ſit:* et poſt *ſuſpicio*, Caeſ. B. G. I, 4 *non abeſt ſuſpicio, quin ipſe ſibi mortem conſciverit.* — Dom. 30 med. *Quod ſi non fuit* (h. e. ſi Sedulius Romae illo die non fuit), *quid te audacius, qui in ejus nomen incideris?* Viri docti vel *in* omittendum vel

vel *aes* post *in* excidisse putant. Utrumvis recte. Sensus est: *quod nomen Sedulii in lege illa posueris, tanquam is eam in primis sciverit* s. *jusserit.* Leges in aes incisas esse notum est. Ernesti, illo sensu non contentus, vulgatam praefert (in Clav. Cic. v. *incidere*) et intelligit *legem*, ut sensus sit: *quod ejus nomine legem scripseris* s. *scribi curaveris.* At primum durum est *legem* intelligere, cum hoc vocabulum non praecesserit: ac simpliciter *incidere* sic non dici potest. Deinde dubito, an Latini dicant et dicere possint *in nomen ejus* pro *nomine ejus*, licet vernacule dicamus v. c. *auf eines Namen lügen, borgen:* quod Ernesti exempli causa affert. Ac totus locus docet, Sedulium fuisse, qui legem sciverit, non qui scripserit: sequitur v. c. *sin autem is primus scivit* etc. et paulo post: *si Sedulii centum se velle et jubere dixerint* etc. — Ad Div. II ep. 19 §. 6 *Quamobrem, quaecunque a me ornamenta in te proficiscentur, ut omnes intelligant, a me habitam esse rationem tuae majorumque tuorum dignitatis.* Si *quaecunque* esset *omnia*, sensus facilis foret. Verum semper est *omnia*, *quae*: hinc *τὸ ut* non habet, unde pendeat. Locus est vel vitiosus vel mancus. Editores nonnulli ad sensum perficiendum ante *ut* inserunt *elaborabo*, quod in nullo codice reperitur: de eo igitur monendi sunt discipuli, plerumque utentes editionibus levioribus, ne credant, *elaborabo* certo profectum esse a Cicerone. — Ad Div. VI ep. 6 §. 24 peccatum est contra suavitatem: *externos multos claros viros nominarem*; ut supra P. II c. 3 sect. 4 n. XXX monitum. — Ad Div. VI ep. 3 §. 6 *quam quemvis aut eorum, qui discesserint: alteri dimicant, alteri victorem timent:* ubi haud dubie membrum deest respondens verbis *aut eorum, qui discesserint*, quidquid Cortius contra dicat. Editores propter sensum addiderunt, *aut eorum, qui remanserint*: haec igitur verba non certo esse a Ciceronis manu, admonendi sunt discipuli. — Ibid. ep. 4 §. 3 legitur: *Equidem, cum haec scribebam, aliquid jam actum putabam, non quo, sed quod difficilis erat conjectura.* Sic Codd. habent, sed sine sensu: hinc editores ad sensum complendum ita dederunt: *non quo ego certo sciam* (Ernest. *scirem*), *sed quod haud difficilis erat conjectura.* Add. Sulpic. ad Cic. in epp. ad Div. IIII ep. 12 in. *visum est faciendum, quoquo modo res se haberet, vos certiores facere.* Aut debebat esse: *faciendum, ut vos certiores facerem*, aut potius: *visum est — vos certiores facere*, omisso *τῷ faciendum*, quod manu aliena invectum videtur. Certe *visum est faciendum facere* est soloecismus. Cortio adeo elegan-

tiam

tiam videri potuisse miror: quamquam hic vir, quidquid rari et duri reperisset, id inter elegantias referre et ineptis saepe exemplis defendere solitus est. — Cicero habet quoque quaedam rariora, v. c. *absque* pro *sine*, v. c. Invent. I, 36 in. *absque approbatione;* ubi Ernesti pro *absque*, quod ei vix latinum videbatur, *sine* edidit; et Attic. I, 19 in. *absque argumento;* ubi, quod miror, Ernesti nil monuit. it. ad *placandum deos* Catil. III, 8, pro quo usitatius *placandos*.

Ceterum hinc patet, quam necessaria sit studioso latinitatis ars critica, quamque errent, qui putent, hanc non esse rem adolescentum. Sine ea saepe nesciremus, utrum vocabula a Cicerone profecta, an a librariis vel typographis effecta, explicaremus.

b) In *Nepote* multa vitia vel dura vel saltem singularia deprehenduntur; quae nisi a magistro diligenter indicantur, nunquam tiro certam latinitatis ideam nanciscitur, praesertim cum hic scriptor fere primus sit, qui latinitatis studiosis explicari soleat. Nonnulla, partim ab editoribus jam notata, memorabimus: In praefat. *Nulla Lacedaemoni tam est nobilis vidua, quae non ad scenam eat mercede conducta.* Haec sensu vitiosa esse sensuque carere notum est. Nam primum *ad scenam ire* vix significare potest *comoediam agere*, *actorem esse:* actores enim non *ad scenam* sed *in scenam eunt* seu *prodeunt.* Et ipse Nepos paulo post *in scenam prodire.* Deinde incredibile est, *viduas nobiles* h. e. stirpe generosa ortas *in scenam prodiisse mercede conductas.* Nec quisquam demonstravit, hoc unquam factum esse. Hinc Barth. pro *scenam* legit *stivam*, Gesn. et Heusingerus *coenam.* At neutrum explicari satis potest. Venit mihi aliquando in mentem legere: *quae non ad lenam eat mercede conductam*, ut Nepos dicat, matronas honestissimas post maritorum mortem non puduisse ad lenam ire, ibique ad libidinem explendam consuetudine virorum uti. — Milt. 4 extr. *civibus animum accessurum, cum viderent, de eorum virtute non desperari:* debebat esse *de sua virtute;* et statim: *et hostes fore tardiores, si animadverterent, auderi* etc. pro *animadvertissent.* Sed sic saepe Nepos. — Themist. 4 §. 3 *tam angusto mari conflixit, ut multitudo navium explicari non potuerit* pro *posset.* Sed sic saepius et Nepos et alii. — Ibid. 10 §. 2 *ut multo commodius dicatur apud regem verba fecisse, quam hi poterant, qui in Perside erant nati.* Debebat esse *possent* pro *poterant*, et *essent* pro *erant.*

erant. — Alcib. 1 in. *In hoc natura, quid efficere possit, videtur experta*: rectius *posset.* — Epam. 8 §. 2 *Omniaque, quae collegae dixerunt, confessus est.* Ut taceam *omniaque quae* injucunde dictum, pro *dixerunt* debebat esse *dixerant.* — Ibid. *Sed unum ab iis petivit, ut in periculo suo inscriberent* etc. Vocabulum *periculo* est crux Criticorum. Sunt, qui mutent in *sepulcro, cippo, titulo, pariculo* etc. Alii retinent *periculo* et explicant *Commentariis publicis*, quos *Protocollum* vulgo vocant, quia Ciceronem Verr. III, 79 putant *pericula magistratuum* ita dixisse. At hoc est e loco obscuro locum obscurum illustrare: ac praeterea diversus est valde utriusque loci contextus: nam in Cicerone dicuntur *tabulae publicae* (i. e. Protocoll) *periculaque magistratuum scribarum fidei committi*, ubi forsan, si locus salvus, ad *periculum* proprie dictum respici potuit, quod in Nepote locum non habet. Si Nepos scripsisset *columna*, ut Plutarchus de eadem re loquens ait, vel simile quid, nihil difficultatis esset. — Ages. 5 §. 2 *tantum absuit ab insolentia, ut commiseratus sit* pro *commiseraretur:* at sic et alii. — Eum. 1 extr. *praefuit alterae equitum legioni* etc. Sic Codd. et edit. Bos. pro *alteri:* et sic Caesar B. G. V, 27 *ne qua legio alterae legioni subsidio venire* etc., ut Oudend. e codd. recepit. Sic et Colum. V, 11 §. 10. — Eum. 6 in. *Ad hunc Olympias — cum literas — misisset in Asiam consultum, utrum repetitum Macedoniam veniret — et eas res occuparet: huic ille primum suasit* etc. Hic *utrum* ponitur non sequente *an;* at non semel ita Cicero. — Ibid. 13 extr. *Antigonus autem Eumenem mortuum propinquis ejus sepeliendum tradidit. Hi militari honesto funere comitante toto exercitu humaverunt, ossaque ejus in Cappadociam ad matrem — deportanda curarunt:* Quomodo Eumenem *humare* et deinde ejus *ossa* in Cappadociam *deportare* potuerunt? Hinc nonnulli pro *humarunt* leg. *cremaverunt*: alii *humarunt* explicarunt per *cremaverunt*, quia forsan viderunt, *sepelire* pro *cremare mortuos* dici. At *humare* est non nisi *humo tegere:* docet hoc etymologia et usus priscorum. Credit quidem Cel. Ernesti in clave Cic. h. v. *humare* ap. Nepot. dictum esse pro *cremare*, fretus loco Cic. Legg. II, 22. At Cicero ibi tantum dicit, sua aetate omnes sepultos i. e. crematos (nam *sepelire* est *cremare*) dici *humatos*, h. e. humo tectos; quia scilicet ossa post cremationem humo teguntur atque ita humantur. Non vero hinc sequitur, *humare* esse *cremare.* Nam *esse* et *dici* saepe differunt. Sic nos omnem *mortuum* possumus hodie post

aliquod tempus vocare *humatum*; quia omnes mortui humantur: sed propterea *mori* et *humari* non sunt eadem. Verba Ciceronis sunt: *et quod nunc communiter in omnibus sepultis, ut humati dicantur, id erat proprium tum in iis, quos humus injecta contegeret.* Et semper *humare* a priscis pro *humo tegere* dicitur et a *cremare* distinguitur. Sic Cicero ibid. paulo post: *Nam, priusquam in os injecta gleba est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet religionis. Injecta gleba tum et illic humatus est et gleba vocatur* etc. — Eum. 8 §. 4 *Hoc Antigonus cum comperisset, intelligeretque* etc. pro *intellexissetque.* Quamquam hoc tolerabile. — Hannib. 1 in. *Si verum est — ut populus romanus* etc. durum est τὸ *ut.* Sed sic *ut* post *verisimile est*, Cic. Rosc. Am. 41: Sext. 36: Verr. IIII, 6; post *inusitatum est*, Cic. Mur. 21; post *certum est*, v. c. *nihil esse certius, quam ut* etc. Cic. Att. X, 4 med.; post *accedit*, Cic. Or. I, 8. — Ibid. 6 in. *Hic bellum gessit adversus P. Scipionis filium, quem ipse — fugaverat.* Τὸ *quem* debet, postulante historia, ad *Scipionis*, non ad *filium*, referri, quod durum est. — Ibid. 13 *Hujus bella gesta* etc. est pleonasmus; et paulo post: *tempus est facere finem* pro *faciendi.* Sic tamen prisci saepius, vid. supra P. II c. 1 sect. 23 n. XV. — Attic. 4 *noli, oro te, inquit Pomponius, adversus eos me velle ducere:* ubi not. *noli velle ducere* pro *noli ducere:* ubi *velle* redundat. Sic tamen saepius, v. c. *nolite velle*, Liv. VII, 40 prope fin.: Cic. Balb. 28: Coel. 32: Philipp. VII, 9 — Attic. 12 *tantum abfuit a cupiditate pecuniae, ut nulla in re usus sit* etc. pro *uteretur:* sed sic saepius Nepos etc.

c) Neque est scriptor, in quo non ejusmodi vitia vel durae locutiones occurrant, v. c. Caes. B. Civ. I, 65 *Quos ubi Afranius procul visos cum Petrejo conspexit* etc., ubi *visos* abesse debebat, licet Heinecc. in fundam. stili I, 1, 20 pro elegantia habeat. Clarkius editor Caesaris, ut eum de more editorum defendat, explicat ita, ut dicat, hostes prius *procul visos esse*, quam eos *conspexerit* Afranius. Coacte satis et frigide. — Sallust. Cat. 30 §. 3 occurrit *senati decreto* pro *senatus*: Liv. II, 35 *bellum romanum* i. e. *contra Romanos:* sic III, 19 *divina* et *humana scelera* i. e. contra deos etc. — Horatius Epod. 17 Hectorem vocat *homicidam*, cum fuerit *virorum interfector* et apud Homer. dicatur ἀνδροκτόνος, quod vertere voluit Horatius. Hectori vero honorificentius erat viros vincere ac prosternere, quam homines in universum: hoc est etiam latronum.

Curtius

Curtius duplex *an* usurpat pro *utrum*, *an*: pro eo Tacitus dixit *sive*, *an* etc.

Ejusmodi igitur vel vitia vel singularia discipulis indicanda esse manifestum est, nec solum, quando occurrunt, sed, etiamsi prisci recte loquantur, tamen saepe dicendum est, alios interdum aliter ac vitiose pro eo loqui: v. c. Quando occurrat *sine ulla dubitatione* etc., dixerim interdum, alios, et maxime recentiores, perperam dicere *sine omni dubitatione* etc. Quando accusat. cum infinitivo post verba sentiendi, cogitandi, significandi et sperandi occurrat, monuerim, alios hodie *quod* hic male usurpare: it. quando *arcesso*, *vindico*, *deverto einkehren* v. c. in villam, *auctor* etc. occurrat, moneam, male hic alios scribere *accerso*, *vendico*, *diverto*, *author* etc.

At cavendum quoque est, ne, quae vitia non sint, pro vitiis habeamus et venditemus: quod a magistris imperitis interdum fieri solet, v. c. 1) *si aliquis*, *si aliqua res*, recte dicitur pro *si quis*, *si qua*: it. *si qui*, *si quae*, rectum est. Triplici enim hoc modo locuti sunt prisci. Alterum tamen usitatissimum omnium. 2) *fructu*, *luxu*, *casu*, *usu* recte quoque dicitur pro *fructui*, *luxui*, *casui*, *usui* etc. v. c. Cic. ad Div. XIII ep. 71 *magno usu fuisse*: et Planc. ad Cic. ad Div. X ep. 24 §. 6 *subito impetu ac latrocinio parricidarum resistat*: Caes. B. G. VI, 42 *casu locum relinqui* etc. 3) Sallust. Iug. 38 §. 6 *locum hostibus introeundi dedit: eaque Numidae cuncti irrupere.* Hic *eaque* rectum est, intell. *parte*: nec legendum *eoque* scil. *loco*. Sic Caes. B. G. V, 51 *obstructis portis*, *quod ea* etc., int. *parte*. Sic saepius: it. *qua*, int. *parte*, saepissime occurrit. 4) Varro R. R. III, 16 §. 7 dixit: *his diis* (i. e. Musis) *Heliconem attribuerunt homines* pro *deabus*. Omninoque terminatio in *abus* v. c. in *equa*, *dea* etc. rarior est, nec fere a priscis usurpatur, nisi, ubi sexum aliter discernere nequeunt: v. c. Cic. Rab. perd. 2 *diis deabusque*. At *duabus filiis*, *asinis* etc., malim dicere quam *duabus filiabus* etc. 5) *cadere humi* recte dicitur pro *humum*, licet motum, non quietem, indicet: sic *ponere in terra* recte dicitur etc. Haec hactenus. — Innumera

 sunt,

sunt, quae, cum recta sint, ab imperitis magistris pro vitiis habeantur, atque in discipulorum speciminibus, quae *Exercitia* vulgo dicuntur, corrigantur; cum contra, quae aperte falsa sint, saepissime tolerentur, imo inter elegantias referantur. Hinc illae lacrymae! Hinc fit, ut discipulorum mens in dijudicanda latinitate vagetur, nec, quid bonum malumve sit, certo sciat, praesertim si varios magistros habent, quorum alius id damnat, quod alius laudat. — Huc pertinet, quod priscorum sententias variare aliis verbis conantur: Variare licet in nostris quidem: at non in alienis, praesertim si haec tam accurate sint efficta, ut aliam formam non desiderent.

B) *Deinde accedere debet domestica lectio*, h. e. tum repetitio crebra lectionis in scholis institutae tum lectio aliorum librorum in scholis non tractatorum, ut discipulus ipse discat periculum facere scientiae suae, et, quae desint, suppleat. Neque enim in scholis omnes scriptores, imo ne Cicero quidem totus perlegi potest. Haec igitur domestica lectio debet aeque accurata esse, h. e. eodem modo institui, quo scholastica praeeunte magistro bono fuit. Ac solet quoque accurata esse, si bonum magistrum nactus es. Nam, qui bene coepit, bene pergit. — Ut autem ista eo felicior fiat, utendum est bonis veterum scriptorum editionibus cura *Criticorum* et *Philologorum* bonorum factis. Bonarum editionum duplex esse solet genus. Alterum pertinet ad textus integritatem, quod *criticum* vulgo dici solet: alterum ad explicationes locorum difficiliorum, quod *philologicum* dici possit. *Critica* editio est, in qua auctor codicibus bonis aut paucis aut, quod melius est, multis ac simul editionibus antiquis vel ipse vel, si haec inspectio non ei contigit, lectionibus inde per alios fide dignos viros excerptis usus est; atque vel has lectiones tantummodo recenset, judicio de iis non addito, vel, quod melius est, de iis simul judicat, atque harum ope

aut

aut lectionem vulgatam stabilit aut aliam, eamque certiorem et meliorem, in textum recipit, causis justis ubique indicatis. *Philologica* editio est, ubi difficiles loci e contextu, historia, antiquitatibus etc. explicantur, explicatioque usu loquendi, ubi opus, confirmatur, ac simul, quid in singulis locis pulchrum, grave, languidum etc. sit, indicatur. — Critica editio, praesertim ubi judicium additur, semper est bona, licet explicationibus careat: atque adeo eae sunt bonae editiones, quae ad ejus exemplar confectae sunt: et talibus contenti possunt tirones esse, magistrum audientes. Nec sine critica potest philologica multum utilitatis afferre, quia lector semper dubius est, an verba, quae legit et explicat, e Codd. ducta et a manu scriptoris ipsius profecta sint. At si utraque, et critica et philologica, conjungitur, eo melior est adolescentibusque, qui ejus ope crescere cognitione cupiunt, utilior. Non enim iis sufficit, videre locum recte constitutum, sed cupiunt etiam illum intelligere. Notae philologicae conjunctae cum criticis sunt instar magistri, et ex illis non minus quam per hunc doctus fieri adolescens potest.

Aliquot *bonas editiones* scriptorum nominabo ex eo ordine, quo ipsi legi soleant. Consuli hic possunt *Fabricii* biblioth. lat.; it. Clar. *Harlesii* Introductio in ling. lat. etc.

1) *Nepotis*, non a pueris solis, sed etiam ab adolescentibus imo viris ob historiam legendi editiones bonas habemus: *Bosii*, qui, praeter notas, copiosum indicem adjecit: in primis *Augustini van Staveren*, quae est cum notis variorum suisque, it. *Heusingeri:* nec contemnenda est Cellariana, quae saepe repetita est. Recentissima est editio Clar. *Harlesii.*

2) *Cicero* varie est editus.

a) *Epistolas* ad *diversos* seu, ut alii loquuntur, *ad familiares* edidit *Graevius* cum suis et aliorum notis, at paucis, v. c. I. F. *Gronovii;* et adjecit commentarium *Pauli Manutii* utilissimum sane: it. *Cellarius* cum notis, ut solet, brevibus, ad geographiam, historiam, et latinitatem pertinentibus: rei criticae non valde rationem ipse habet, sed nititur editione et judicio Graevii. Cellarianam repetiit *Gottl. Kortte*, suisque notis criticis et philologi-

cis auxit: sed in his persaepe explicat res facillimas et tralaticias, omittit difficillimas, interdum defendit vulgatam valde contorte et coacte, usus in hanc rem interdum locis poetarum omnis generis et scriptorum posteriorum saepe non textui Ciceronis similibus, ac Graevii lectiones labefactare studet, sed et hic et omnino in explicatione non valde felix fuit. Et tamen haec editio *Cellario-Kortiana* saepe recusa est, quia parabilis est, nec forsan iisdem sumtibus melior comparari potest. Ceterum hae epistolae in primis legi merentur.

b) *Epistolae ad Atticum* editae ab *Graevio*. At hae epistolae sunt saepe intellectu difficiles ob res, quas continent: saepe ad ea respicitur, quae nobis ignota sunt.

c) Libri de *officiis*, de *senectute* et de *amicitia*, ejusdem *Graevii* cura editi sunt: it. a *Pearcio*, Anglo.

d) *Orationes* edidit *Graevius* cum egregiis notis variorum eruditorum. Selectas quasdam, v. c. pro *Roscio* Am., pro lege *Manil.*, pro *Milone* etc. nonnulli edidere; ut *Cellarius*, *Heumannus*, et doctiss. *Otto* 1777.

e) Libros de *oratore* edidit *Pearce*.

f) Libros de *inventione* una cum libris incerti Auct. ad *Herennium* edidit *Burmannus* secundus 1761.

g) *Quaestiones academicas*, libros de *finibus* bonorum et malorum, quaestiones *Tusculanas*, libros de *natura deorum*, de *divinatione* et *Fato*, edidit *Davisius*, Anglus.

h) *Opera omnia* edidere Iac. *Gronovius* (quam editionem bis repetiit *Ernesti*, una cum varietate lectionis Graevianae et Davisianae et indice), *Verburgius* 1724 et *Olivetus* 1740; recentissima editio est *Ernestii* cum notis ipsius.

Addi hic meretur *Gesneri* Chrestomathia Ciceroniana, liber utilissimus et saepe editus: et *Nizolii* Lexicon Ciceronianum, auctum a *Facciolato*; it. *Corradi* Quaestura.

3) *Iul. Caesar* scripsit libros VII de bello gallico et tres de bello civili: ceteri sunt ab alio. Editiones sunt *Davisii*, *Clarkii*, *Oudendorpii*, qui Davisii, Clarkii, et Dion. Vossii notas addidit. Nec contemnenda est *Cellariana*, brevibus notulis et mappis geographicis instructa, sed ad criticum usum, ut omnes Cellarianae, parum utilis.

4) *Livium*, e cujus 140 libris priores decem, deinde ab 21 ad 45, superstites habemus (omissos supplevit Freinshemius), edidere in primis 1) I. Fr. *Gronovius* 2) Iac. *Gronovius* filius, qui patris editionem repetiit et suis notis auxit:

repetita

repetita ea est Basileae 1740. 3) *Doujatius* in usum Delphini cum notis et supplementis Freinshemianis. 4) *Clericus* cum pauculis notis, itemque supplementis modo dictis: quam editionem omissis his supplementis repetiit *Gesnerus*. 5) *Creverius* cum notis et supplementis. 6) praestantissima et copiosissima est Arn. *Drakenborchii*, Tomis VII constans, quaternis: in qua praeter suas congessit priorum editorum et aliorum notas: in quibus, praeter Sigonium et Gronovium utrumque, Perizonii et Dukeri animadversiones sunt sane egregiae et acutissimae: adiectis quoque supplementis Freinshemianis. Haec editio, quia ob magnum pretium non ab omnibus cupientibus emi potest, repetita est, omissis tamen et notis et supplementis, a Cl. *Aug. Wilh. Ernestio*; qui tamen ad damnum illud quodam modo resarciendum adiecit Glossarium. Sed utinam possit aliquis notas Gronovii utriusque, Perizonii, Dukeri, Drakenborchii in compendium redigere, ut possint pluribus prodesse!

5) *Sallustii* editiones habemus a) *Wassianam*, quam repetiit *Haverkampius;* b) *Cortianam*, in qua *Kortte* more suo saepe nimis praeter rem copiosus est.

6) *Varronis* libros de re rustica, suavissimos sane, edidit *Gesnerus* una cum scriptoribus rei rusticae, Catone, Columella, Palladio: quae editio nuper cura *Ernestii* repetita est.

7) *Terentius* et *Plautus*, licet ante istam aetatem vixerint, tamen ad eam quodam modo pertinent, in primis *Terentius* creberrime legi meretur, ob praeclaras sententias et ob latinitatem. Terentium edidit a) *Lindenbrogius* cum notis haud satis multis b) *Bentlejus;* quae est critica editio. c) *Westerhovius:* qui animadversionibus suis, additis Donati et Calpurnii scholiis, illustrare studuit. At hae editiones adolescenti non sufficiunt ad Terentium recte intelligendum. Hinc versio *Daceriae* valde commendanda est. Qui Terentium edere vult, debet esse rei dramaticae peritissimus.—*Plauti* editionem habemus *Taubmannianam*, et in primis *Gronovianam*.

8) *Virgilium* edidere a) *de la Cerda*, Hispanus, cum egregio doctissimoque commentario. b) *Emmenessius* cum notis. c) *Taubmannus* cum notis e Servio vel aliunde petitis, nec satis subtilibus: congerit multa, nec ipse iudicat. d) *Ruaeus* in usum Delphini cum bonis animadversionibus. e) recentissima est Cel. *Heynii:* et multis de causis praeclarissima.

9) *Ovidii* editio optima adhuc est *Burmanniana*, in qua sunt *Heinsii* notae: *Heinsianam* repetiit Clar. *Fischerus* Lips.

 1758.

1758. Edidit etiam Ovidium I. P. *Millerus* sine notis, subjecto tamen Glossario, in qua mythologia et interdum latinitas difficilior explicatur. Ad totum Ovidium accurate edendum vix quisquam accedet, quia est longissimus liber: quotus quisque est, cui tempus suppetat ad illum saepius legendum: et tale quid postulatur ab eo, qui istum librum édere cupit. Minores libri, v. c. Anacreon etc., facilius leguntur, intelliguntur, eduntur et venduntur. Libros tristium separatim cum notis edidit Clar. *Harlesius* 1772. In primis legendi sunt libri Metamorphoseon, itemque libri tristium, ex Ponto, Fastorum, et Epistolae Heroidum.

10) *Horatii*, qui odas, librum Epodon, libros satirarum s. sermonum, et Epistolarum, ac libellum de arte poetica s. Epistolam ad Pisones scripsit, editiones bonae sunt a) *Baxteriana*, a *Gesnero* praeclaris adnotationibus locupletata. b) *Bentlejana* c) *Torrentiana* etc. Nuperrime edidit Clar. *Iani*.

11) *Tibullus* et *Propertius*, quorum uterque scripsit elegias, editi sunt a *Passeratio* et *Broukhusio*: in primis Tibullum praeclaris notis illustravit Cel. *Heynius*. Cum Tibullo et Propertio vulgo conjungi solet *Catullus*, quem separatim doctis notis illustravit Isaac *Vossius*.

12) Nec *Lucretius* negligendus: quamquam hodie non a multis legitur: edidit eum *Creechius*, Anglus: it. *Lambinus*.

13) *Quintiliani institutiones oratorias* omnes studiosi latinitatis legere debent: edidit eas *Gesnerus*, cum notis non nimis multis, et *Burmannus* una cum *declamationibus* Quintiliani nomen vulgo gerentibus.

14) *Phaedri* fabulae in primis lectioni adolescentum commendandae: ediderunt eas a) Tan. *Faber* b) *Schefferus*, cujus notae egregie docent propriam vim vocabulorum. c) ditissima est *Burmanni*, quae duplex est, una octonis cum notis *Fabri*, *Schefferi*, *Heinsii*, *Gudii* etc., altera quaternis cum perpetuo Burmanni commentario.

15) *Suetonius* in primis prodest ad historiam sed etiam ad latinitatem. Edidere *Casaubonus*, *Graevius*, *Ernesti*, *Oudendorpius* etc.

16) *Plinii Epistolae* et *Panegyricus*. Edidit *Kortte*, et *Gesnerus*, quam editionem paulo auctiorem repetiit Clar. A. W. *Ernesti*. Nec contemnenda est editio *Cellariana*.

17) *Gellius* scripsit *noctes Atticas*, opus studioso latinitatis legendum. Edidit a) *Gronovius* cum notis, quam editionem

tionem *Conradi* repetiit Lipsiae, b) *Longolius*, sine notis, at cum indice bono.

18) *Curtii* editio optima est *Snakenburgii*. — Haec hactenus. Non omnes scriptores nec omnes editiones hic memorare attinebat. Qui latiorem hujus rei cognitionem nancisci cupit, adeat v. c. Fabricii biblioth. lat. auctam per Cel. *Ernesti*, item Clar. *Harlesii* introduct. in linguam latinam.

Ceterum, qui scriptores priscos notis virorum doctorum instructos legere cupit, is notet haec:

1) ne statim notas in loco difficili inspiciat; sed prius locum accurate et ex omnibus partibus contempletur, videatque, an suis ipsius viribus adjutus eum explicare possit. Ubi sensum nullo modo extorquere potest, tum demum notas adeat: quae sic magis proderunt quam statim consultae. Interdum tali modo videbit, ubi ipse haereat, ibi haerere quoque editores, et hos saepe nihil in difficillimo loco monuisse, quia facilis iis visus est. Etiam suavius est, sensu sponte reperto, interpretes consuluisse, ut videamus, utrum eorum explicatio, si qua addita est, nostrae explicationi similis sit nec ne. Haec est via ad subtilem linguae rerumque cognitionem. Qui mature id agunt, ut, simul locum non intelligunt, statim interpretes consulant, ii nunquam recte explicare scriptorem discent; ii per omnem vitam auctoritate aliorum nitentur, et non nisi citationibus doctorum res explicabunt, quia ipsi cogitare nesciunt.

2) Alia subsidia conjungere debet, v. c.

a) *bonum Lexicon.* Hic non nisi *Thesaurus Gesnerianus* vel *Faber Gesnerianus* vel *Lexicon Forcellini* memorari meretur. Iam multorum tironum paupertatem tantam esse scio, ut non facile unum horum Lexicorum sibi emere queant. Sed, cum ista Lexica non satis accurate scripta sint, ac praeterea care vendantur, ego ipse, postquam ante aliquot annos Lexicon minus ad formam libri memorialis Cellariani edideram, anno superiori Lexicum edidi majus, quod inscribitur: *Ausführliches und möglichst vollständiges lateinischdeutsches und deutschlateinisches Lexicon* cet., in quo curavi, ut omnes vocabulorum significationes accurate et ordine justo traditae reperirentur, et simul pretium libri tale esset, ut et a pauperibus emi posset. — Huc pertinet etiam magni Ernestii *clavis Ciceroniana*, *Horatii Tursellini liber* de *particulis* egregius, auctus per Schwarzium et postea per Ernestium, *Noltenii Lexicon Antibarbarum*, aliique minores libelli de lingua latina,

ut *Goclenii*, *Hadriani Cardinalis*, *Gifanii observationes in linguam latinam* etc. In primis legenda est ei, qui accuratam tenere cupit linguae latinae cognitionem, *Sanctii Minerva*, egregiis magni Perizonii animadversionibus aucta (inde ab anno 1714). E quibus animadversionibus quantum disci possit, vix dici potest. Nam, si quis eruditorum linguam, ut graecam, ita latinam accurate intellexit, is fuit praecipue Iac. Perizonius. Ubique judicium ejus est subtile, caussis nixum, sanum et veritatis amans. Equidem, quidquid fere boni habet vel Sanctius vel Perizonius, inserui Grammaticae meae latinae.

b) libellos quoque eruditorum, in quibus multa scriptorum veterum loca explicantur, illustrantur, vindicantur, emendantur: v. c. *Gronovii observationes*, *Cuperi observationes*, *Bosii animadversiones in scriptores nonnullos*, *Victorii*, *Mureti*, *Canteri*, *Rutgersii* cet. *varias Lectiones*, inprimis *Observationes Miscell.*, quae Burmanni et Dorvillii cura prodierunt, cet.

c) *cognitionem historiae ac geographiae priscae.* Nam sine ea multa loca non intelligi possunt. — Huc pertinent opiniones priscorum philosophorum: quarum scientia saepe locum priscorum difficilem aperit.

d) *cognitionem antiquitatum*, *mythologiae* etc. Hinc legendi sunt mature libri huc ducentes; v. c. *Nieuporti succincta rituum romanorum* explicatio initio suffecerit. Post legendi sunt v. c. *Lipsius* de *militia romana*, *Sigonius* de *antiquo jure civium* etc. It. in Lexicis supra memoratis, v. c. *Lexico Fabri Gesneriano* multae antiquitates explicatae sunt breviter. In primis legendus est *Livius*, e quo solo fere antiquitatum romanarum certa cognitio peti debet, ita ut, qui non primam decadem legerit, parum illarum peritus reperiatur. — In Mythologia v. c. *Natalis Comes* quandam operam praestat: sed tamen melius est Ovidii Metamorphosin it. libros Fastorum legisse. Nam certius discuntur, quae ex ipsis fontibus hauriuntur. In nulla re fere scriptores recentiores tam incerti sunt, quam in tradenda mythologia et antiquitate.

e) *cognitionem linguae graecae:* sine ea nunquam cognitio linguae latinae accurata comparari potest. E lingua graeca facta est latina maximam partem, et scriptores latini innumera graeca vocabula, graecas phrases, constructiones, connexiones etc. transtulerunt in linguam suam. Legatur *Vechneri hellenolexia*, per Heusingerum aucta, quae illud satis superque docet. Omnino-

que

que hic liber egregie prodest iis, qui de lingua latina accurate judicare cupiunt.

f) *notitiam multarum rerum, multarum artium*, v. c. agriculturae, rei hortensis, artis pictoriae etc. Nam non modo innumerabiles similitudines et descriptiones inde sumtae sunt, quas homo artium ipsarum plane rudis intelligere non potest; sed etiam innumera vocabula ex istis artibus petita et in vulgarem sermonem translata sunt; quemadmodum in vernacula millies contingit. Et quis, quaeso, scriptores rei rusticae, in primis Catonem, Varronem, et Columellam, legere sine ulla rei rusticae notitia audet? Et hos libros, maxime Varronis et Columellae, ob suavitatem, latinitatem, aliamque utilitatem legendos esse, quis dubitat? *Pontedera*, *Schöttgenius*, et *Gesnerus* quomodo multa illorum loca tam praeclare explicare et illustrare potuissent sine rei rusticae et hortensis scientia? Nam hic non res huc redit, ut sis latinae linguae peritus, sed ut sis ipsarum rerum peritus, ut sis rusticus, olitor etc. Non lingua latina per se me docet, an Varro, an Columella recte de olitore vel vinitore dixerit: sed ipse debeo esse olitor vel vinitor. Ac, si quando vir oriatur, qui, praeter accuratam linguae latinae criticamque scientiam, rerum ab scriptoribus rei rusticae traditarum peritior Schöttgenio, Gesnero etc., in primis usu ipso diuturnaque earum exercitatione subactus sit, nonne credendum est, eum multa loca ac verba, quorum sensus nondum satis explicari potuit, explicaturum recte esse? Sic, qui Artis medendi earumque rerum, quae ad illam pertinent, plane imperitus est, is, licet accuratissima linguae latinae notitia instructus sibi videatur, tamen multa loca, in quibus istarum rerum aliquid occurrit, explicare non poterit. Nam unde, quaeso, fit, ut multa loca priscorum vel plane non vel non satis intelligamus? Nonne in primis inde, quod multae res, priscis notae, nobis hodie ignotae sunt? Res est manifesta. Nam v. c. nos magnam partem priscorum rituum non intelligere neminem fugit, qui priscos ipse diligenter legit: nam, qui istorum rituum notitiam non nisi e Compendiis hausit, is plerumque credit, se eorum scientia perfecta instructum esse. Id quod non mirum est. — Errant igitur, qui omnem rerum cognitionem e priscorum lectione petendam esse putant. Multae res inde disci possunt: fateor; sed non omnes. Iam nostrae artes plurimae, licet hodie aliam

fere

fere formam induerint ac priscorum aetate habuerant, v. c. ars medendi etc., tamen non plane aliae factae sunt; atque ita saepissime notitia earum prodest ad loca multa, in quibus istàe artes tractantur vel ad eas respicitur, recte intelligenda.

SECT. II

De exercitatione in latine scribendo, dicendo, et meditando s. *cogitando.*

Haec tria conjungi debent, si res procedere bene debet.

I) *Exercitatio in latine scribendo:* quae prima post interpretationem priscorum rite institutam esse solet ac debet; si quidem velis deinde accurate scribere et dicere. In dicendo saepe lingua praecurrit mentem, atque haec non semper animadvertit, si quid vitii illa commisit. In scribendo vero adjuvant simul *oculi:* quibus adjuta mens facilius vitia sentit. Deinde etiam propterea a scribendo incipere solent pueri, quia magister vitia sic facilius corrigere potest; ut taceam, nobis crebriorem occasionem esse latine scribendi quam dicendi: quod secus est in vernacula aliisve linguis, quibus in vulgari sermone uti volumus: id quod non cadit in latinam. Qui, decepti forsan similitudine vernaculae vel francogallicae, pueros volunt a prima inde aetate sibi latinitatem comparare *usu* h. e. *colloquendo*, vel de urbe, in qua omnes latine loquantur, condenda somniant, ii, ut ipsi non sermonis bene latini videntur periti esse, sic non cogitant, in tali urbe non bene latine dictum iri. Docet hoc quotidiana experientia de vernacula lingua: qua etsi nostri pueri perpetuo et audiunt alios homines loquentes et ipsi confabulantur, tamen, quam exigua sit eorum scientia linguae vernaculae multos per annos, quis nescit? Imo plerique homines, maxime de plebe, etsi per omnem aetatem lingua vernacula vel ipsi locuti sunt vel alios loqui audiverunt,

diverunt, tamen ne in senectute quidem saepissime eam recte intelligunt, h. e. nesciunt, quomodo de singulis rebus perspicue et accurate loquantur, nesciunt vocabula propria rerum etc. Atque adeo plerumque tam confuse de rebus plerisque loquuntur, ut, nisi saepius eos de rebus singulis interroges, vix mentem eorum percipias. Nam, quod de paucis iisque vulgaribus rebus, de quibus millies locuti sunt vel alios audiverunt loquentes, quodam modo perspicue loqui possunt, hoc nondum eorum magnam scientiam linguae indicat. Loquuntur quidem celeriter et audacter de omnibus rebus. Quis vero celeritatem dicendi et audaciam pro re laudabili et pro signo cognitionis linguae habeat? Scribere igitur recte latine discamus ante, quam recte latine dicere velimus.

Duplex est haec exercitatio in latine scribendo 1) *scholastica* 2) *domestica.* — Utraque et recta esse et conjungi debet. Recta est, si non tantum vocabula Ciceronis adhibere, sed in primis ejus connectendi rationem, copiam dicendi, periodicam numerosamque verborum compositionem, omninoque ejus totum habitum h. e. perspicuitatem, gravitatem, suavitatemque dicendi imitari studes. Hoc enim est *imitari.* Stulti sunt, qui, si pueros jubent vocabula v. c. Nepotis, Ciceronis, usurpare, hoc vocant *imitari Nepotem, Ciceronem.* Ceterum

1) in *scholastica exercitatione* qua methodo utendum sit magistro, hujus judicio relinquendum est. Nam, si linguae latinae vere peritus est, h. e. scriptores optimos quosque in primis Ciceronem accurate legit et intellexit, ejusque scribendi rationem sibi familiarem reddidit, ei praecepta hic dare arrogantis foret. Is enim ipse varia via ducet discipulos ad Ciceronis elegantiam scribendi, quemadmodum is, qui millies in urbe aliqua fuit ejusque regionem plane cognitam habet, alios facile variisque viis eo ducere potest. Contra, qui Ciceronem non ipse intelligit, neque ita ejus scribendi rationem satis novit, quomodo is alios eam docebit? Hic coecus coecum ducet.

Duplex autem in scholis solet esse *genus exercitationis* latine scribendi.

Unum

Unum genus est, cum dictatur a magistro aliquid vernacule, quod adolescentes latine vertant vel statim inter dictandum vel domi. Utrumque bene; modo sint discipuli isti labori pares h. e. tales, ut Ciceroniani stili indolem tum e praeceptis rite traditis tum maxime e lectione Ciceronis assidua accurataque jam calleant. Nam, etsi in subita versione, quam extemporalem vocant, a magistro perito adjuvari possunt, hic tamen non omnia dicere potest. In versione domestica, nisi sint bonae latinitatis satis periti, eo pejus scribunt, quo plus temporis ad meditandum habent. Hinc solent omni artificio, plerumque loco alieno, uti. Et correctio magistri, nisi accurata est, h. e. talis, ut singula vitia, etiam minima, ostendantur adjectis ubique causis, parum prodest. At hoc in magno coetu fieri nequit, praesertim si magister domi corrigit nec coram discipulis: hi enim saepe non legunt correctiones, nec intelligunt etc. Quare, nisi magistro plane persuasum est, discipulos latine satis scire (nam ista themata domi vertenda, quae *exercitia* vulgo vocantur, dictantur proprie non tam *discendi*, unde tironibus imperitis tale quid dictari non potest, quam *exercendi* gratia: hinc vocantur quoque *exercitia* h. e. per quae discipulus exerceatur in iis, quae didicit), suaserim potius, ut magister, si tale thema latine vertendum dictaverit, id statim coram se a discipulis explicari vertique jubeat, ita, ut singuli praelegant sententiam absolutam et vertant, nec tamen chartae mandent; ubi monere potest, cur hoc vel illud vocabulum eligere debeant, cur aptius sit alio, annon aptius eligere aut sententiam aliter exprimere possint; aliaque multa, quae ad connexionem membrorum, v. c. per pronomen *qui*, per duplex *et* etc., it. ad periodicam numerosamque orationis structuram pertinent, si discipuli nondum sciunt, subjicere potest. Haec ratio est valde utilis, quia sic non modo mature virtutes bonae latinitatis suggeri sed etiam vitia simul caveri possunt. Vitia corrigere etsi, ut in omnibus rebus, ita in latinitate, non inutile est, tamen multo utilius est efficere ac praestare, ne vitia committantur. A teneris assuescere multum est. Ista ratio inde a pueritia incipienda et tamdiu persequenda, donec discipulus se ipse ubique juvare et domi quidlibet vernaculi apte vertere possit. Sed, ut diximus, omnia hic nituntur peritia fidelis magistri: et hic intra unius anni spatium plus efficere valet, quam imperitus intra octo: imo hic nunquam discipulos bene latine scribere docebit, quia ipse nescit. Ac profecto, si, quicunque latine scribere alios doce-

docerent et priscos iis explicarent, satis hujus rei periti essent, perfecta linguae latinae cognitio annis duobus aut summum tribus acquiri posset. Nunc ea discitur sex, septem, octo et plures annos, et tamen tandem non addiscitur h. e. discipuli non facile audent aliquid latine *palam* scribere etc.

Alterum genus est, cum magister peritus, alius enim nec potest nec solet id facere, *thema* s. *argumentum orationis*, *narrationis*, *epistolae* etc. latinum discipulis proponit, quod hi, postquam in schola satis explicatum est, eadem lingua latius diffundant, illustrent et elaborent. Haec ratio est egregia: sic enim discipuli ipsi cogitare, ac simul latine cogitare, discunt, nec theodisca lingua, suam formam dicendi libenter suggerente, impediuntur, quo minus verba ac sententias vere latine componere, connectere etc., possint. — *Epistola* ista esse debet *vera*. Iubentur discipuli v. c. epistolam gratulatoriam ad hominem verum, quem ipsi satis norunt, scribere de re vera, v. c. de nuptiis, de honoris accessione etc. Epistolae fictae nihil prosunt: nam in epistolis judicandis, utrum apte scriptae sint necne, magni refert rem et personam, ad quam scribitur, nosse. Hujus utriusque ratio habenda est. In epistolis, quarum argumentum fictum est, et quae ad homines fictos scribuntur, nullam regulam habet discipulus, ad quam suum ingenium accommodet. Imo scribit, quidquid ei in mentem venit h. e. quidquid placet. — Sic se res quoque habet cum *narratione*. Proponitur discipulis factum aliquod, quod in Livio, Cicerone, vel alibi legerunt, aut aliunde constat certumque est. Hujus facti particulas jubentur justo ex ordine conjungere factumque ipsum dilucide ac simul, ubi opus, caussis, similitudinibus, sententiisque adjectis enarrare. — In *oratione* elaboranda dictatur *thema*. Hic videndum est, an intelligant; deinde assuefaciendi sunt argumentis, exemplis, testimoniis, similitudinibus sponte inveniendis, adjuvante tamen sensim magistro: tum domi totam orationem elaborant. Haec ratio est optima: quia sic mens acuitur et colitur: at linguae peritiam non levem postulat. Ergo 1) non prius hoc tentandum, quam vires discipulorum patiantur: ubi tamen non negandum, magistrum peritum, assiduum, et fidelem istas discipulorum vires, licet sint tenues, intra breve tempus alere et augere egregie posse, omninoque, quidquid velit, cito incipere ac feliciter celerrimeque ad exitum perducere valere, cum contra alii magistri id nullo modo fieri posse putaverint.

2) An-

2) Antea tamen ratio prior, e vernacula in latinam linguam aliquid transferendi, aliquamdiu exercenda, atque etiam postea conservanda. — Sunt, qui plane nihil vernaculi latine verti sed statim latine scribi jubeant. Expeditius utique et facilius est iis, qui linguam latinam callent, statim latine scribere, quam contextum theodiscum latine vertere. At etiam hoc opus est. Quid si enim jubeare a principe vel rege aliquando v. c. orationem vernaculam vel librum celeberrimi viri cujusdam latine vertere? quomodo hoc perficere possis? Iis enim Philologis, qui non nisi latine scribi jubent, plerumque accidit, ut, licet egregie scribant, tamen e vernacula in latinum sermonem nihil apte transferre queant. Deinde certum est, si quis, adjuvante perito magistro, e lingua vernacula in latinam diligenter et crebro transfert, eum utriusque linguae fieri simul peritissimum, discrimenque, inter utramque intercedens, penitus perspicere, atque ita linguae latinae indolem longe melius et certius callere quam alios, qui non nisi latine scribendo, sine interventu vernaculae, operam dederint, quos praeterea videmus, ut latinae linguae peritissimos, ita vernaculae imperitissimos esse: quae res non turpitudine quadam caret. Utramque igitur rationem, et crebro latine scribendi, sine interventu theodisci sermonis, et e vernacula in latinam multa transferendi, in scholis usurpandam censeo. Sed, ut diximus, sine magistro perito ac fideli ista omnia frustra sunt. — Ceterum in latine scribendo non modo vocabulorum latinorum, sed et periodicae numerosaeque eorum structurae, omninoque eloquentiae, habendam esse rationem e supra dictis luculenter apparet.

2) *Domestica exercitatio in latine scribendo* eadem esse debet, quae scholastica h. e. modo aliquid latine vertendum, modo latine statim scribendum, sed semper habita ratione non modo vocabulorum et phrasium sed etiam connexionis, periodicae numerosaeque structurae, omninoque eorum omnium, quae ad perspicuitatem, gravitatem, ac suavitatem dicendi, uno verbo ad eloquentiam pertinent. Nam sine eloquentia nemo bene scribit aut dicit. Deinde ista exercitatio debet esse assidua. Semper aliquid scribendum, v. c. narratio aliqua vel epistola ad commilitonem vel aliud quid. Exercitatio enim sola, post institutionem rite factam, reddit nos rei peritos: ipsa est magistra. Hinc recte Cicero monet, a stilo i. e. exercitatione ne transversum quidem unguem recedendum esse: *Stilus*, ut idem nomine Crassi ait Orat. I, 33, *est optimus et praestantissimus*

dicendi

dicendi (it. *scribendi*) *effector ac magister.* In primis utilis est haec ratio, quando aliquem Ciceronis locum praeclarum accurate perlegimus, saepius repetimus, ac statim aliquid ad ejus similitudinem scribimus. Facilius enim est aliquem tum imitari, cum ejus forma et habitus totus nostrae menti adhuc praesens est, nosque ejus singulas particulas adhuc tenemus etc., quam post aliquod tempus. Hinc frequens lectio Ciceronis et priscorum cum ista imitatione conjungi debet, ut forma stili latini saepius occurrat etc. Add. quae infra n. III de latine cogitando dicentur.

II) *Exercitatio in latine dicendo.* Equidem scio, permultos, licet in scholis se nunquam in latine dicendo exercuissent, tamen, quia in latine scribendo se egregie exercuerant, postea, ubi res postulaverat, bene et celeriter latine locutos esse: tamen, quia, quod nunquam fecimus, hoc timoris nescio quid incutere solet, nosque id, quod primum facere jubemur vel cogimur, cum timore facere solemus, commendanda adolescentibus utique est illa dicendi exercitatio, ut, si forte aliquando in academicis disputationibus, quae latine instituuntur et linguae celeritatem postulant, personam respondentis, opponentis, vel praesidis gerere velint, hic aqua iis non haereat: deinde, ut, si forte eos aliquis latine alloquatur, latine statim respondere possint, neque iis idem contingat, quod accidisse ajunt magnis viris, Sigonio, Salmasio, Freinshemio, Facciolato, ut, licet egregie latinitatem nossent, tamen latine loqui timerent: quod inde factum puto, quia se pulchre loqui statim non posse videbant, famamque perdere nolebant, vel in dicendo non exercitati erant. His itaque de caussis in latine loquendo exercendus est adolescens. Nec vero propterea haec exercitatio instituenda, ut lingua latina eo melius discatur, ut nonnulli perperam opinantur. Nam omnis exercitatio ejusmodi in quaque lingua nihil aliud efficit, quam ut celerius eam proloquamur et audaciam quandam, filiam illam diuturnae consuetudinis, adipiscamur. Nec vero hinc major ejus peritia existit.

exsistit. Imo, si quis in loquendo exercetur ante, quam firmam linguae certamque notitiam tenet, haec exercitatio facile efficere potest, ut ille multis vitiis sermonis latini sensim assuefiat; quibus deinde liberari difficile est. Quis enim non vim consuetudinis novit in utramque partem?

Quaeritur itaque, quando ista exercitatio dicendi incipienda et quomodo. 1) *quando?* haud dubie non ante, quam scribere scias et magnam linguae notitiam tibi comparaveris: quod vel serius vel citius accidere potest, prout vel ingenii vel institutionis ratio tulerit. 2) *quomodo?* a) coram magistro, v. c. in disputationibus, vel in lectionibus, ubi magister interrogat, discipulus respondet. Nam adolescentes inter se latine loqui vix debent, nisi linguam praeclare calleant, quia nemo est, qui eorum vitia corrigat; ac quia nesciunt, de quanam re dicant. b) ita, ut minorem temporis partem dicendo, majorem scribendo, impendas. Nam, si de hominis scientia latinitatis et de ejus stilo judicamus, non ex ejus colloquiis latinis nec ex dicendo subito, sed ex iis, quae scribit vel cogitate dicit, v. c. oratione solenni, judicare solemus; quia hic plus temporis adhibuit. Ac profecto numerosa et periodica structura, ut alia taceamus, vix potest subito concinnari. Cicero ipse Orat. I, 33 sub persona Crassi *accurate* et *parate dicere* praefert τῷ *subito dicere*. Verba sunt: *Quamobrem in istis ipsis exercitationibus, etsi utile est, etiam subito saepe dicere, tamen illud utilius, sumto spatio ad cogitandum, paratius atque accuratius dicere.* Et addit: *Caput autem est, quod, ut vere dicam, minime facimus, (est enim magni laboris, quem plerique fugimus) quam plurimum scribere. Stilus optimus et praestantissimus dicendi effector ac magister: neque injuria. Nam, si subitam et fortuitam orationem commentatio* (i. e. meditatio) *et cogitatio facile vincit, hanc ipsam profecto assidua ac diligens scriptura superabit.* Quod si Cicero hoc loco *subito dicere* non tantopere commendat, cum tamen ibi de oratore romano agat, qui saepissime subito dicere cogitur: cur nos, qui in istam necessitatem non adducimur, tantopere τὸ *dicere latine* commendemus? Confundunt vulgo linguam cum lingua. Alia ratio est vernaculae, alia latinae vel alius. Vernaculam discimus potissimum *dicendi causa*: aliter enim vivere cum hominibus nostris non possumus: rarius utimur ea in scribendo. At latinam discimus

mus potiſſimum, ut libros illa conſcriptos intelligamus, et praeclaras magnorum virorum ſententias in noſtram mentem derivemus: deinde etiam quodam modo *ſcribendi cauſa*, quia haec lingua eruditis in omnibus terris nota eſt. Eodem conſilio Francogallicam diſcere debebamus; quia vero mos hodie ita fert, ut multi, contemta vernacula, Francogallica in dicendo et colloquendo utantur, hinc fit, ut multi credant, omnes linguas ad *dicendum* eſſe diſcendas.

III) *Exercitatio in latine cogitando et meditando.* Haec eſt omnium utiliſſima, maxime neceſſaria, et tantopere commendanda, ut ſine ea duae illae exercitationes parum fere prodeſſe videantur. Haec ratio valet in omnibus linguis. In quibus ſi quis magnos progreſſus facere earumque indolem recte tenere cupit, mature in iis meditari et cogitare diſcat neceſſe eſt. Qui vernacule bene cogitat, is vernacule bene ſcribit: ſic, qui latine, francogallice etc., bene cogitat ac meditatur, is latine ac francogallice bene ſcribit. — Deinde haec exercitatio in *latine meditando et cogitando* ſaepius locum habet, quam exercitatio in latine ſcribendo et latine dicendo. Non enim ubique ac ſemper latine ſcribere poſſumus, quia v. c. chartam atramentumve ad manus non habemus vel aliam ob cauſam: nec ſemper et ubique latine loqui poſſumus, quia non ſemper eſt, quocum latine loqui poſſimus aut velimus. At latine cogitare et meditari ubique poſſumus.

Hoc vero fieri poteſt ac debet dupliciter:

1) quando ſoli ſumus, nec librum latinum legimus, debemus cogitare, quomodo hoc vel illud latine exprimere debeamus: debemus totas ſententias abſolutas cum ſuis connexionibus, cum numeroſa periodicaque collocatione effingere etc. Quod qui ſaepius tentat, is multum adjuvabitur.

2) in primis, quando librum latinum v. c. Ciceronis legimus, debemus in ſingulis enuntiationibus, in ſingulis ſententiis cogitare, quomodo rationem Ciceronianam imitemur, h. e. ſtatim aliquid ad ejus ſimilitudinem effingere debemus. Ac felix eſt diſcipulus, ſi magiſter tale quid ſaepe facit, huicque rei illum mature aſſuefacit. V. c. quando in

 princi-

principio orationis Ciceronis pro Rosc. Amer. lego: *Credo ego vos mirari, quid sit, quod, cum tot summi oratores hominesque nobilissimi sedeant, ego potissimum surrexerim, qui neque ingenio* etc., quod proprie dictum est pro *Credo ego vos mirari, cur ego potissimum surrexerim, cum tamen tot summi oratores hominesque nobilissimi sedeant* etc. Quando igitur istud lego, et periodicam structuram imitandi cupidus sum, variis modis imitari possum, v. c. *valde miror, quid sit, quod, cum innumeri Ciceronis libros legant, paucissimi tamen ejus dicendi genus in scribendo assequantur,* quod dictum est pro *quid sit, quod paucissimi Ciceronis dicendi genus in scribendo assequantur, cum tamen innumeri ejus libros legant;* vel ita: *Mirabantur discipuli Christi, quid esset, quod Christus, cum se ab inferis tertio die rediturum esse promisisset, tamen nondum appareret* pro *quid esset, quod Christus nondum appareret, cum tamen se ab inferis tertio die rediturum esse promisisset.* — Sic, quando lego in Cic. Verr. V, 14: *Ita mihi meam voluntatem spemque reliquae vitae vestra populique romani existimatio comprobet, ut ego, quos adhuc mihi magistratus populus romanus mandavit, sic eos accepi, ut me omnium officiorum obstringi religione arbitrarer;* ubi *ita* est pro *quam verum est me optare ut* etc., et *ut* est pro *tam verum est, me accepisse* etc., statim ego, usum τȣ̃ *ita* seq. *ut* tenendi cupidus, aliquid simile cogito, v. c. *Ita mea conata deus, vel divina existimatio, perpetuo comprobet, ut ego, quas mentis vires deus mihi dederit, iis recte uti cupio:* possum et aliis modis imitari, prout vel τὸ *ita* seq. *ut* vel totam sententiam imitando exprimere volo. Nam singula verba imitando exprimere est paulo difficilius, nec ubique quadrat: hinc, qui hic nimis diligentes sunt, in affectatum ac puerile dicendi genus incidunt. — It., ubi ap. Cic. ad Div. VIIII ep. 14 §. 6 lego: *gratulor tibi, cum* (i. e. *quod*) *tantum vales apud Dolabellam, quantum si ego apud sororis filium valerem, jam salvi esse possemus* pro *cum tantum vales apud Dolabellam, ut, si ego tantum apud sororis filium* etc., statim ad eandem rationem pro *tu mihi tantum beneficiorum tribuisti, ut, si pater tantum tribuisset, contentus esse possem,* cogito et effingo haec: *tu mihi tantum beneficiorum tribuisti, quantum si pater tribuisset, contentus esse possem.* — Sic vel pueri, bonae latinitatis cupidi, simulac τὸ *qui* post *dignus* vident, statim simile aliquid componere sponte debent: atque id facient, si a magistro ita assuefacti fuerint. Sic, ubi legimus sententiam in Cicerone per pronom. *qui* pro *is vero, et is* etc., incipientem, statim similiter agere debemus,

debemus, v. c. *Nondum literas accepi. Quas ubi accepero* etc. pro *Ubi vero eas accepero* etc. Ac sic in omnibus agendum est, si quidem artem latine scribendi addiscere brevi tempore cupimus. — Est in primis boni magistri, in lectionibus, ubicunque occasio tulerit, istam rationem diligenter sequi, ut supra jam monuimus. Nam profecto nihil utilius ista exercitatione esse potest: nec dubito, quin, quicunque bene latine scribere didicerint, hi omnes hanc facultatem in primis *latine cogitando* consecuti sint. Ac vix ullam aliam certiorem viam eo tendere posse censuerim.

Ceterum adjuvare hic quoque quodam modo poterunt libri supra nominati, *Lexicon Fabri* a *Gesnero* editum, *Thesaurus Gesneri*, *Nizolii Lexicon Ciceron.* a *Facciolato* editum; it. *Erasmus* de *copia verborum*; it. Ang. *Politiani Epistolae*, *Cunaei Orationes* et *Satir. Menipp.*; it. *Gesneri Ernestiique scripta* etc. — Laudantur a nonnullis in hanc rem quoque *Sturmii* libellus de periodis et libri quatuor de universa ratione elocutionis rhetor.; it. *Strebaei* libellus de elect. et collocat. verborum: at sunt rari, ac forsan sine iis bene latine scribere discemus, modo Ciceronis libros frequenter legere recteque intelligere possimus.

SECT. III

Additamenta de imitatione ipsa.

Omnia ea, quae hactenus dicta sunt, pertinent ad Ciceronis priscorumque aliorum imitationem. His enim imitandis discimus bene latine scribere. Hinc patet, eorum imitationem commendandam esse. — At *duplex* hic oritur *quaestio*, 1) *qualis debeat esse imitatio* 2) *quis priscorum praecipue imitandus.* — Haec duplex quaestio, quae jam dudum ab iis, qui Ciceronem priscosque satis legerunt, ita disceptata est, ut non amplius dubia et incerta videatur, nostra aetate non amplius oriri debebat, nec forsan amplius oriretur, si, quicunque de latine scribendo loquerentur, Ciceronem priscosque alios satis legissent ac satis intellexissent. Cum vero linguae latinae hoc accidat, ut de ea ejusque adeo elegantia vel ii loquantur, qui ipsam non calleant, et

tamen omnes de ea judicare poſſe ſibi videantur, quia omnes eam didicerunt; cumque plerique eorum, qui de latine ſcribendo atque adeo de bene latine ſcribendo loquantur, unum alterumve ſcriptorem priſcum ac vel Ciceronem plane non vel minimam ejus particulam legerint: hinc ſaepe fit, ut, quia quisque non peſſimum ſcriptorem legiſſe ac ſimul cum guſtu, reſpondente cujusque cognitioni, legiſſe vult videri, interdum iſta quaeſtio inter eos oriri ſoleat. Nos igitur, quorum eſt nos ad omnes accommodare, iſtam quaeſtionem, tanquam nova ſit, proferre et ad eam denuo, licet breviter, disceptandam deſcendere debemus.

I) *Qualis debet eſſe imitatio?* duplex ejus virtus eſſe debet:

1) *Primum debet eſſe talis, qualis eſſe debet lectio* h. e. pertinere debet ad totum habitum ſtili priſcorum. Ergo imitatio non debet eſſe tantum *verborum;* haec enim non eſt *imitatio*, ſed *compilatio:* ſi tamen *imitationem* vocare cupis, appelles ſaltem imitationem puerilem: pueri enim, ut lapillos ludendi cauſa, ita verba ſola captant. Imitatio debet eſſe *vera*, ſeu, ſi propter oppoſitionem ita appellare vis, *virilis*, h. e. pertinet ad ſimilitudinem cogitandi, ad delectum vocabulorum cogitatis aptiſſimorum et compoſitionem ac connexionem, ad periodi ſtructuram, numeroſam verborum et enuntiationum collocationem, omnes denique virtutes eloquentiae in hoc libro explicatas, juſtam brevitatem et copiam, in primis perſpicuitatem, gravitatem, ſuavitatemque dicendi complectitur, ut et paſſim et paulo ante de exercitatione ſcribendi monuimus. Haec qui in imitatione negligit, is ludit, non imitatur.

2) *Deinde debet iſta imitatio ſana eſſe nec nimis apparere* h. e. eſſe talis, ut ſentiatur quidem a lectoribus intelligentibus, nos v. c. Ciceronis ſtilum imitando per totam noſtrae orationis compagem expreſſiſſe, nemo vero dicere poſſit, ubi ſ. quibus locis illum imitati ſimus, unde noſtra ſumſerimus etc. Debemus in Cicerone aliisque priſcis imitandis exemplum apum ſequi, quae e floribus ſuccum ita exſugunt, ut, etſi omnes homines ſciunt, e floribus hauſtum illum eſſe, tamen nemo poſſit dicere, quantum ex hoc vel illo flore eae hauſerint.

hauserint. Debet itaque lectio priscorum, ut ita dicam, bene concocta esse, velut in apibus florum succi, ut, si quid scribere velimus, phrases, vocabula, figuras vel sententias e priscis non tum demum sollicite conquiramus, neque ubique Lexicon aliumve similem librum evolvamus (hoc sero tum fit) neque totos versus multo minus totas sententias absolutas e priscis in nostros libros et orationes transferamus, sed ut nobis, materiam, quam tractare instituimus, diligenter cogitantibus, statim in mentem veniat, quid et quomodo scribendum, phrasesque, verba, periodi structura et numeri oratorii sponte sequantur. Nam omnia diu quaesita sunt plerumque inepta, coacta, affectata, frigida: at, quidquid sponte in mentem venit, id plerumque rei naturae convenit estque aptum ac pulchrum. Interdum quidem, h. e. si quando incertus sis de aliquo vocabulo, Lexicon bonum consulere licet. Ista concoctio fit 1) recte intelligendo sententias priscorum, quod primum est. 2) saepius repetendo: 3) saepissime exercendo. Atque istam imitationem quoque voco virilem. Viros enim pudet, si quem ubique imitari videntur, non item pueros. Omnis imitatio nimis manifesta est injucunda, tum, quia animum parvum indicat, qui nihil nisi repetere aliorum dicta et cogitata potest, tum, quia ejusdem rei repetitio eaque crebra taedium creat, cum contra variatio semper delectet. *O imitatorum servum pecus!* recte ait Horatius. — Falluntur egregie vel superstitiosi sunt, qui magni sibi videntur, magnamque in eo laudem quaerunt, si dicere possint, se haec vel illa e Nepote, Livio, in primis Cicerone, sumsisse. Quoties repetitum est principium praefat. Nepotis: *Non dubito fore plerosque, qui* etc., vel initium orationis Tullianae pro Archia: *si quid est in me ingenii, quod sentio, quam sit exiguum* etc.? At cui hoc placet? Quis tale quid legens non exclamat: *Quae necessitas te cogebat?* — Legatur hanc in rem *Politiani* epistola ad Cortesium lib. 8, qui, licet Ciceronem imitari sciret, tamen ejus imitationem scil. anxiam dissuasit. Ait v. c. *Mihi vero longe honestior tauri facies aut item leonis quam simiae videtur, quae tamen homini similior est*: et paulo post *Mihi certe, quicunque tantum componunt ex imitatione, similes esse vel psittaco vel picae videntur, proferentibus, quae nec intelligunt. Carent enim, quae scribunt isti, viribus et vita, carent actu, carent affectu, carent indole, jacent, dormiunt, stertunt. Non exprimis, inquit aliquis, Ciceronem. Quid tum? Non enim sum Cicero, me tamen, ut opinor, exprimo.* Et tandem: *quaeso, ne superstitione*

iſta te alliges, ut nihil delectet, quod tuum plane ſit etc. *Sed, cum Ciceronem, cum bonos alios, multum diuque legeris, contriveris, edidiceris, concoxeris, et rerum multarum cognitione impleveris ac jam componere aliquid ipſe parabis, tum demum velim, quod dicitur, ſine cortice nates, atque ipſe tibi ſis aliquando in conſilio — tuasque denique vires univerſas periclitaris.* Vere. — Multi majores viri facti eſſent, niſi ſoli imitationi ſe tradidiſſent. Incitantur interdum clamore multorum: *Nihil praeſtantius eſſe poteſt Homero, Virgilio, Cicerone* etc. Quaeritur, annon, ut hi triumviri eos, qui ante ſe vixerant, vincere poterant, ita ipſi ab aliis vinci poſſint. Forſan multi vincerent, ſi vincere poſſe putarent. Quemadmodum igitur, *qui pila ludunt, non utuntur in ipſa luſione artificio proprio palaeſtrae, ſed indicat ipſe motus, didicerintne palaeſtram an neſciant,* ut Cicero ait Orat. I, 16, ſic, qui latine ſcribunt, etſi periodis ac ſententiis Tullianis, Livianis etc., non proprie utuntur, tamen ipſa ſcriptione declarant, ſe eorum rationem cogitandi et ſcribendi imitatione exprimere.

Quid autem ſtatuendum eſt de priſcis latinis, qui alios, v. c. Graecos, ſaepiſſime imitati dicuntur? Hic

1) concedendum eſt poetis, ſi interdum ſimilitudines ex aliis poetis ſumſere, v. c. Virgilius ex Homero etc., quia forſan in rerum natura non aptiores res inveniebant, quas ſimilitudinis cauſa uſurpare poſſent, v. c. quando hominem fortem, conſtantem, ac cedere neſcium comparant cum *caute* ſ. *ſaxo* undis maris reſiſtente vel cum *ilice* ſ. *quercu* ventos contemnente etc. At in ceteris rebus poetae omnesque ſcriptores plerumque alios ita imitati reperiuntur, ut imitatio vix ſentiatur. Si tamen accidat, ut interdum eorum imitatio nimis apparens videatur, hoc in vitiis referendum.

2) Saepe docti credunt, aliquem priſcorum hoc vel illud ex alio ſumſiſſe, quia uterque eandem rem memorat, vel eam fere eadem ratione tractat, iisdemve fere verbis interdum exprimit: cum tamen aeque credibile ſit, utrumque in iſtam rem, in iſtam ſententiam, in iſtam verborum formam ſponte incidiſſe et ipſum illam inveniſſe. Nam cur duo homines eadem ſententia non ſponte utantur? atque iisdem fere verbis eloquantur? Quis tam humanitatis expers eſt vel mentes hominum tam parum novit, ut ſibi perſuadeat, *unam* ſententiam non niſi ab *uno* inveniri et cogitari poſſe? Alicui imitationem alterius objicere eſt res valde lubrica et incerta, niſi vel ipſe fatetur, ſe ex alio hauſiſſe,

hauſiſſe, vel ſententia tam ſingularis et uni ita familiaris ac propria eſt, ut vix alii in mentem venire potuiſſe credibile ſit. — Memini aliquem aliquid pro concione dicere, quod alius é Voltario ſumtum eſſe affirmaret, quia totam ſententiam in Voltarii ſcriptis verbis fere iisdem reperiſſet, cum tamen ille ne vidiſſet quidem Voltarii ſcripta unquam. — Regnant quoque ſaepe in populo aliquo ſententiae ac proverbia; quae unde orta, a quo inventa ſint, nemo ſcit. Iam, ſi forte accidat, ut talis ſententia vel proverbium in libris duorum ſcriptorum occurrat, an ſtatim dicamus, alterum ex altero ſumſiſſe? Valde hic erret, qui contendat, temporis habendam eſſe rationem, et, qui ſerius vixerit et ſcripſerit, ab eo, qui prius ſcripſerit, hauſiſſe. Paulum Apoſtolum ſcimus aliquot verſus graecos in epiſtolis ſuis protuliſſe, quos hodie in poetis quibusdam invenimus: at inde nondum ſequitur, Paulum iſtos verſus ex iſtis poetis ſumſiſſe. — Imprudenter igitur agunt eruditi, qui, ſi quid in ſcriptore latino reperiunt, quod in alio ſcriptore aetatis ſuperioris vel latino vel graeco occurrit, ſtatim in notis ad iſtum ſcriptorem exclamant: *hoc ſumtum eſt ex Homero*, *ex Aeſchylo*, *ex Euripide*, *e Cicerone*, *Virgilio* etc., quaſi nihil certius eſſe poſſit, et quaſi ipſi viderint ſcriptorem e ſcriptore ſumere. Hunc in numerum praeter multos alios referendus eſt *Cortius*, qui ad haec verba Salluſtii Catil. init. *veluti pecora*, *quae natura prona atque ventri obedientia finxit*, poſt alia longe petita tandem ait: „Imitatur plane Aur. Vict. Caeſ. cap. IIII n. 1 Claudius *ventri* foede *obediens*: et Epitom. cap. IIII n. 3 Hic *ventri*, vino, libidini foedae *obediens*.“ Unde hoc norat Cortius? Cur non potius dicebat: *ſimiliter fere Aurelius*, vel *forſan huc reſpexit Aur. Vict.* etc.? — Idem ad haec verba cap. I extr. *Nam et prius*, *quam incipias*, *conſulto*: *et*, *ubi conſulueris*, *mature facto opus eſt*, quae haud dubie eſt ſententia, quam hodie vel indoctus, qui priſcos non legit, invenire poſſit, ita loquitur: „*Noſter Demoſthenem expreſſit*, qui ita Ex. XXII δεῖ δὲ βουλεύεσθαι μὲν ἐφ᾽ ἡσυχίας, ποιεῖν δὲ τὰ δόξαντα μετὰ σπουδῆς, aut Iſocratem ad Demonic. βουλεύου μὲν βραδέως, ἐπιτέλει δὲ ταχέως τὰ δόξαντα, aut alium quem veterem. Nam Ariſtoteles VI Ethic. cap. X proverbio celebrari ait: πράττειν μὲν δεῖ ταχὺ βουλευθέντα, βουλεύεσθαι δὲ βραδέως. et ſic Herodian. II cap. VIIII. Miror Ioſ. Waſſium Themiſtium Orat. III p. 82 Zoſimum Lib. I p. 49 citare, et tamen omittere potuiſſe Leonem in Tactic. cap. III n. 9, qui *manifeſte noſtram reddidit*; adde Herodot. VII cap. XLVIIII, Valer. Max. II

cap. VII ext. 1, III cap. VIII ext. 2, Corn. Nep. Them. cap. IIII, Datam. cap. VII, Vellej. Pat. II cap. LXXVIIII." Haec Cortius. O diligentiam putidam! Nonne Sallustium, senatorem romanum, virum doctissimum, credibile est sententiam istam, quam nostri adolescentes norunt, aut a patre aliquando inde a prima pueritia audivisse ac didicisse aut sponte invenisse? Plures commemorare taedet. Istud vero plerumque inde oritur, quod in citandis multis scriptoribus magna laus vulgo ponitur, et, quo quis plura legit atque ita plura citare potest, eo doctior habetur, quasi lectio multorum librorum sit signum magnae doctrinae certissimum. — Ac saepe vidimus aliquem propterea vituperari, quod non hunc vel illum scriptorem citaverit, quasi res nulla sine ista citatione possit esse certa, et quasi auctoritate aliorum et testimonio veritas nitatur. Ignoscendum igitur est ambitioni eruditorum, qui, quidquid legerunt, id in loco ponere et lectionem suam venditare et in lucem proferre festinant.

Ceterum ex iis, quae diximus, patet, nos in priscis pueriliter imitandis h. e. vel totis sententiis ex illorum scriptis in nostra transferendis non posse ad ipsorum exemplum et auctoritatem certo tutoque provocare. Sed faciamus, eos interdum pueriliter imitatos esse, tamen quaeratur, an deceat nos ad eorum exemplum accommodare vel nos eorum exemplo et auctoritate defendere. Priscorum enim virtutes amare, vitia odisse et fugere, debemus.

II) *Quis priscorum praecipue imitandus?* Cognovi enim non modo multos eruditos, qui bonae latinitatis indolem nosse beneque latine scribendi periti esse sibi videbantur, sed etiam, quod mirere, magistros non paucos credere, parum vel nihil differre, utrum Ciceronem, an alium ex aurea aetate, quae vulgo dicitur, scriptorem, ut Nepotem, Caesarem, Livium, it. Curtium imiteris. Vidi adeo eos, qui Nepotis stilum exprimerent, aeque laudatos esse ac qui Ciceronis. Imo interdum audivi, Ciceronem, quia paulo copiosius scriberet, a nonnullis pro non praeclaro scriptore habitum, eique Nepotem praelatum esse. Suus cuique gustus placet; fateor: sed omnis gustus pendet a cognitione rerum; quae si est accurata, ille est rectus: sin tralaticia, gustus est vel incertus vel pravus. Res, puto, facile decerni potest. — Si in latine scribendo non nisi vocabulorum et phrasium, ut multi temere et imperite opinantur, ratio haberi deberet, nihil interesset, utrum Ciceronem,

ronem, an Caeſarem, Nepotem, Livium, Terentium etc. imitandum ſumeres. Nam in his omnibus inſunt bona vocabula, bonae phraſes. Nec obeſſet, ſi ex argentea aetate ſcriptorem, ut Curtium, Senecam, Iuſtinum etc. imitando exprimeres. Quid? quod ne opus quidem eſſet, ſcriptorum veterum quemquam legi: quia e bono Lexico vocabula et phraſes quaelibet peti et congeri poſſent. Et quid refert, utrum vocabula, ſi eorum tantum ratio habetur, ex aurea an ex argentea aetate ducta ſint, modo a lectoribus intelligantur? Verum, de intelligentium ſententia, in latine ſcribendo non ſola verba, non ſolae phraſes, ſed totus orationis habitus ſpectatur, qui recta rerum et idearum tractatione, ordine, conjunctione, elocutione, venuſta graviqve ſententiarum ſingularum conformatione, connexione, juſta brevitate et copia, omninoque vera perſpicuitate, gravitate, et ſuavitate h. e. eloquentia cernitur. — Iam quaeritur, an haec omnia ex omnibus ſcriptoribus latinis diſci et an pari modo diſci poſſint? Magnum enim inter ipſos discrimen intercedere facile patet ei, qui eos omnes vel ſaltem ex iis ſingulis particulam aliquam diligenter legit. Omnes ſcriptores, quacunque lingua ſcribant, inter ſe valde differunt 1) *tempore,* quo vivunt, et *ſtatu reipublicae,* in qua ſcribunt; aliter ſcribit, qui in libera republica vivit, aliter, qui in republica non libera verſatur: 2) *charactere* ſeu genere ſcribendi materiae, quam tractant, proprio. Aliter ſcribit hiſtoricus, aliter comicus, aliter orator, aliter philoſophus. Sed et hic iterum eſt discrimen. — Aliter ſcribit hiſtoricus, rem breviter narrans; qualis fuit Caeſar, qui, quidquid geſſiſſet, celeriter et breviter perſcripſit: hinc ejus negligentia non mira eſt; magis mirandum eſt, quod in tanta celeritate et in tantis occupationibus non negligentius ſcripſit, ſed pleraſque res diligentiſſime et tamen ſimul breviſſime perſcripſit: id quod maximum et divinum Caeſaris ingenium, maximam doctrinam et exercitationem in ſcribendo luculenter declarat. Et magni viri interdum longe praeclarius ſcribunt celeriter ſcribentes, quam alii, multum temporis ſuis ſcriptis impendentes. Eodem pertinet Nepos, qui vitas virorum praeclarorum breviter expoſuit. Aliter vero ſcribit hiſtoricus, qui res non modo enarrat, ſed cauſas earum quoque affert, ut lectores de iis judicare ac prudentiores fieri poſſint. Cujusmodi hiſtoriam poſſis vocare *hiſtoriam philoſophicam.* Talis fuit *Livius* ac poſteriori aetate *Tacitus.* — Aliter ſcribit comicus, perſonam heri vel prudentis hominis,

nis, aliter, ſervi et hominis nequam perſonam inducens. — Aliter ſcribit orator, coram plebe dicturus, aliter, coram rege vel ſenatu romano etc. — Aliter ſcribit philoſophus philoſophis, aliter, ubi imperitos erudiendi cauſa populari ſermone utitur: quod fecit Cicero in variis libris. Iam, ut ſimiles cum ſimilibus, ex veteri proverbio, libenter ſe congregare ſolent, ita ſibi quisque ex eo ſcribendi genere, quod perſequi cogitat, ſcriptorem, quem ſequatur, eligat: h. e. comicum, ſi comicus, oratorem, ſi orator, hiſtoricum, ſi hiſtoricus fieri cupit. Iam quisque ſponte ſentiet, utrum Cicero, an Nepos, Caeſar etc. praeoptandus ſit. 3) *ordine* et *gradu honoris*. Aliter ſcribit rex eruditus, aliter civis eruditus, aliter conſul romanus. Per ſe enim patet, quo quis eruditorum honoris gradu et muneris amplitudine magis excellat, eo doctiorem ac prudentiorem, ob faciliorem haec comparandi copiam, atque ita ſcribendi dicendique peritiorem fieri poſſe. 4) *doctrina* et *ingenio:* id quod per ſe manifeſtum eſt. Forſan opinetur aliquis me de *loci* natura, in quo ſcriptor vivit, ſeu de *climate*, ut appellant, dicere hic oblitum. At conſulto tacui. Ego enim omnem ingeniorum vim et animorum rationem non climati, quod dicunt, ſed inſtitutioni, conſuetudini, et ſtatui reipublicae tribuendam dudum exiſtimavi et adhuc exiſtimo, nec de hac ſententia per ea, quae pro vi climatis magna ſcripta legi, demoveri adhuc potui. De hac re forſan alibi. — Iam, uti res ſe habet cum ſcriptoribus omnium nationum, ſic et cum latinis. Differunt ſcriptores latini et *tempore* ac *ſtatu reipublicae*, in quo vixerunt, et *genere ſcribendi materiae ab iis elaboratae proprio*, et *honoris gradu munerisque amplitudine* et *doctrina* atque *ingenio*. — Aurea aetate i. e. tempore liberae reipublicae ſcriptores rerum, quam verborum, ſtudioſiores erant, ſimplicius ſcribebant magisque perſpicuitatem ſequebantur, quam argentea, in qua lenociniis verborum, quam rerum juſtae tractationi, plus dabatur operae. Cauſa ineſt in ſtatu reipublicae. Libera republica cives, uti res gerebant, ita res tractabant in ſcribendo ac dicendo: oppreſſa republica, rerum gerendarum poteſtas erat penes Auguſtum ejusque ſucceſſores: ac civibus nihil niſi poteſtas loquendi relicta eſt. Cura ergo rerum amiſſa, curam vocabulorum ſuscipiebant: nam otioſi tamen eſſe non plane poterant. Libera republica, ubi nemini opus eſt alterum timere vel adulari, ingenium civium, ad quodcunque vult, ſe erigit; dicit quisque libere, quidquid ſentit; neminis beneficiis valde obligatus eſt, nec

nec obligatum iri sperat; atque ita dicit *vere*. Sed *τὸ vere dicere* est fundamentum *τῦ pulchre graviterque dicere*, omninoque *eloquentiae*. Nihil pulchrum est, quod non verum est. Libere sentiendi potestas ingenia vehementer acuit alitque et ad praestantissimum quidque proferendum viam sternit. — Libera porro republica, in qua eloquentiam certa et amplissima praemia exspectabant, quisque, si praeclaro ingenio erat praeditus, ad eloquentiae studium incitatissimo gradu ferebatur. Quis enim ei non magnopere studeret, per quam videret homines posse summos honores, praeturam et consulatum, consequi? Nec forsan Cicero tam eloquens factus esset, nisi spes summorum honorum ipsum inflammasset. In libera republica romana oratores, atque ita scriptores, erant principes, duces, et gubernatores civitatis, sine quibus haec nullam legem sciscere vel antiquare omninoque nihil agere et jubere poterat, qui animos civium, ad quodcunque vellent, incitare, et, a quacunque re vellent, reflectere poterant: erant igitur viri reipublicae gerendae peritissimi, erant viri summa ac fere regia auctoritate et dignitate; v. c. Caesar, Cicero etc. At, quo quis genere, dignitate, et honore est superior, et quo quis majores res quotidie tractat, eo altiores cogitationes imbibit, eo magnificentius sentiendi et dicendi capax est, eoque pulchrius loquitur ac scribit, praesertim si ingenium summa doctrina excoluit. Accedit, quod talis vir non nisi summorum virorum reique publicae gerendae peritorum consuetudine utitur, cum iis quotidie colloquitur, atque ita tum majoribus rebus cogitandis tum venustius et gravius dicendo in dies magis assuescit. Tales erant Caesar, Cicero etc. Ac profecto, si hodie principes ac reges, iique doctrina eloquentiaque summa praediti, vel saltem non nisi viri nobilissimo genere nati, reique publicae administrandae assueti, ac simul doctissimi et eloquentissimi vel orationes vel libros ederent, profecto *aetas aurea* scriptorum vernaculorum eodem modo veniret, quo aetas aurea latinorum scriptorum Ciceronis et Caesaris tempore fuit. Nam oratores et scriptores humili genere nati et non nisi rebus humilibus et vulgaribus occupati, qui pulchritudinem et gravitatem cogitandi ac dicendi sublimesque sententias e scriptoribus demum ediscunt, non nimis longe progredi possunt: iis enim cum nimis multis difficultatibus et impedimentis luctandum est etc. Sed ista omnia praeclara, quibus libera res publica romana se efferre poterat, mutabantur mutata illa et amissa libertate. Hic

Impera-

Imperator, v. c. Auguſtus, Tiberius, Nero etc., ſolus erat *princeps*, ſolus magnas res gerebat etc. Lingua civium non, quod ſuae menti ſed quod Imperatori ejusque amicis placebat, eloqui poterat. Eloquentia diſcebatur non amplius ad civitatem regendam, ut a Cicerone et Caeſare factum erat, ſed tantum ab iis diſcebatur, qui patroni cauſarum aliquando fieri cupiebant atque ita ea plane carere non poterant. Eloquentia, quia libertate ſentiendi et magnificentia cogitandi carebat, fiebat enervis, ſicca, haerebatque fere in verbis ſolis eorumque ornatu et fuco etc. Oratores et ſcriptores nunc erant genere, honore etc., humiliores. Et ſic eloquentia deinde magis magisque lapſa eſt. Exorti quidem interdum ſunt poſtea viri, eloquentia inſignes, quemadmodum in cinere interdum ſcintilla aliqua reviviſcit. At hae ſunt *exceptiones*. Quaenam enim eſt terra, in qua non interdum praeclarus vir naſcatur? Et tamen eloquentia illorum nihil eſt ad eloquentiam Ciceronis nervoſam.

Ex his itaque ſummatim disputatis apparet *primum*, auream aetatem illam, quam dicunt, ob ſimplicitatem, veritatem, magnificentiam ac pulchritudinem cogitandi, omninoque ob eloquentiam veram ac nervoſam praeferendam eſſe argenteae ac ceteris aetatibus. Ac res ipſa patet ex ſcriptoribus aetatis argenteae, v. c. ex Floro, verborum interdum quam rerum ſtudioſiore, itemque Seneca, qui lenociniis verborum abreptus plus interdum dixit, quam ſenſit. Etiam Quintilianus, Ciceronis admirator et imitator, nonnunquam coacta ſcribendi ratione utitur. Culpa eſt aut in imitatione, quae ſemper aliquid coacti habet, ſi nimia eſt, aut in aetate, aut in utraque. — Deinde apparet, e ſcriptoribus aureae aetatis Ciceronem ceteris praeferendum et digniorem eſſe, quem imitemur; quia a) fuit omnium tum viventium doctiſſimus: atque hinc eum accuratiſſime et optime ſcribere potuiſſe, quis dubitet? b) quia fuit ingenioſiſſimus et eloquentiſſimus. At *eloquentem eſſe* et *bene ſcribere* idem eſt. Et, qui ingenio magno inſtructus eſt, quid is non praeclare explicare poteſt? c) quia fuit princeps, fuit conſul, conſularis et rebus maximis in ſenatu vel cum populo agendis non modo interfuit ſed plerumque praefuit: hinc non modo magna cogitabat, ſed etiam inter magnos viros aſſidue verſabatur, eorumque conſuetudine, familiaritate, colloquiis, unde ſane multa diſci poſſunt, perpetuo utebatur: hinc contingere ei poterat, ut venuſtiſſima, ſuaviſſima, et optima di-

cendi

cendi ratione uteretur: ac profecto credendus eſt vocabulis plebejis, obſcoenis etc., quam maxime abſtinuiſſe. d) in primis, quia ex omnibus ſcriptoribus aureae aetatis unus eſt, qui non modo permulta ſed et talia ſcripſerit, qualia hodie ab eruditis ſcribi fere ſoleant. Nam praeter permultas orationes et epiſtolas omnis fere generis reliquit disſertationes uberrimas de rebus ad eruditionem diſciplinasque pertinentibus, ut libros rhetoricos, quo pertinent libri de Inventione, de Oratore, Orator, Brutus etc., et philoſophicos, quo pertinent libri Academicarum quaeſtionum, libri quinque de Finibus bonorum et malorum, libri Tuſculanarum quaeſtionum quinque, libri tres de natura deorum, duo de divinatione, unus de fato, tres de legibus, tres de officiis, unus de ſenectute itemque de amicitia, de paradoxis Stoicorum etc. — Iam cum ea, quae ab eruditis hodie ſcribuntur et eduntur, ſint fere orationes, epiſtolae aut disſertationes ac libri diſciplinam aliquam vel ejus particulam illuſtrantes, nonne convenit, eos potius Ciceronem, quam Terentium, Livium, Caeſarem, Nepotem etc. imitari? (ſcilicet in tota orationis forma: nam in verbis ipſis fere conveniunt inter ſe iſti ſcriptores). Nam, ſi quem imitandum nobis ſumimus, aequum eſt, nos, ut doctiſſimum venuſtiſſimumque ſcriptorem, ita ſimul eum eligere, qui de eadem materia, de qua nobis in animo eſt ſcribere, vel ſaltem de ſimili ſcripſerit. — At, ſi quis hiſtoriam ſimplicem ſcribere conetur, ei ſuaſerim, ut Caeſarem vel Nepotem, ac, ſi inſtructam ſ. pragmaticam, ut Livium hanc in rem legat et imitetur. Quotus vero quisque hodie eſt, qui hiſtoriam latine concinnare cogitet? — Sic, ſi quis Comoediam ſcribere inſtituat vel in latine colloquendo cum aliis ſe exercere velit, ei auctor ſim, ut Terentium (it. Plautum) legat ejusque genus dicendi imitetur. Sed nec Comoedias hodie multi latine ſcribent et latine cum amicis colloqui pertinet inter res ſecundarias, quamquam non rejecerim aut damnarim, imo utile eſſe quoque cenſeo. Quare, ut nullus ſcriptor priſcus negligendus vel contemnendus ſed legendus quoque eſt, ſic Cicero tamen in primis, qui diligentiſſime legatur et imitatione maxime exprimatur, digniſſimus videtur. — Hanc porro imitationem quemadmodum non, ut jam aliquoties dictum eſt, ponere debemus in verbis, nam haec in aliis ſcriptoribus plerumque aeque bona ſunt, ſed in toto orationis habitu, ita, ſi quis verba Ciceronis verbis aliorum ſcriptorum praefert, hoc ei vitio non vertendum eſt. Nam, ſi quis aliquem in argumento-

rum,

rum, ſententiarum, aliarumque rerum tractatione, in copia, perſpicuitate etc., et omnino in tota orationis forma imitari cupit et diligenter ſtudet, is illum et diligentiſſime et ſaepiſſime perlegat neceſſe eſt, quia ſcriptorem ſemel legiſſe nihil fere aliud eſt quam non legiſſe. Iam, ſi eum ſaepius cum ſumma attentione perlegit, quid mirum, ſi ipſi verba iſtius ſcriptoris ob conſuetudinem notiora ſunt faciliusque in mentem veniunt quam verba aliorum? Cauſa igitur latet in familiaritate cum illo ſcriptore contracta. — Deſinant igitur contemtores imitatorum Ciceronis hos calumniari, tanquam verba Ciceronis per ſe meliora ubique eſſe putent. Hoc quemquam Philologorum ſanorum putare incredibile eſt. Si quis tamen Philologorum ſit, qui credat, Ciceronis verba per ſe et extra contextum h. e. relationem idearum ſibi reſpondentium ubique eſſe praeclara et aliis ſemper meliora, is videat, quomodo ſe defendat: equidem ejus cauſam agere nolo. Interdum etiam ex ſcholis aliquid, minus accurate dictum, haerere ſolet etc.

APPENDIX II

De elaborationibus.

Ut de his diceremus, fecit exemplum aliorum. Quamquam vocabulum *elaborationis* a *labore* ductum eſt, tamen huc referimus omne, quod conſcribitur, licet ſine labore interdum fiat, v. c. epiſtolas ad familiares etc. Paucis defungemur.

SECT. I

De elaborationibus ſ. *ſcriptionibus in genere.*

Elaborare theſin ſ. *thema* eſt rem propoſitam perſpicue, ſuaviter, ac, ſi opus eſt, graviter explicare. Vix opus ſunt ei praecepta, qui perſpicue, graviter, ac ſuaviter ſcribere didicit. Ad perſpicuitatem dicendi referimus quoque, ut ſupra jam monitum eſt, id, quod alii dicunt

dicunt *ad perſuadendum apte dicere.* Perſuademus argumentis: nemo vero ſatis perſpicue dicit remve explicat, niſi eam argumentis ſtabilit.

Hic igitur haec paucula adhuc monebimus:

1) De nulla re dicamus vel ſcribamus, niſi primum notabilis ſit (niſi forte juſſi ſimus a ſuperiore), deinde, niſi eam plane ipſi intelligamus et ſentiamus, hoc eſt, argumenta ſeu cauſas ejus ſatis multas ſatisque firmas teneamus.

2) Haec igitur argumenta antea, quam ſcribamus, ſedulo examinanda ſunt h. e. cum themate ſaepius ac diligenter comparanda, ut videamus, an propter ea thema ipſum credibile vel certum ſit. Prodeſt hic illa chartae ex ordine mandare, atque ita oculis ſubjicere. Melius rem mens perſpicit, oculorum miniſterio adjuta.

3) In primis attendenda eſt connexio cum argumentorum, quo exempla ſimul referimus, tum ſingularum enuntiationum, ſententiarum, membrorum ac verborum. Hinc non modo ante elaborationem connexionem hanc in univerſum meditari debemus, ſed in ipſa quoque elaboratione, quando unum argumentum vel unam partem materiae tractavimus et chartae mandavimus, perlegenda ſunt ſingula membra, ſingulae ſententiae, et videndum, an bene cohaereant. Et ſic in ceteris agendum eſt. Ac, ſi omnia tractata et elaborata chartaeque commiſſa ſunt, univerſus contextus diligenter perlegendus eſt, et videndum, an ſingula cum ſingulis apte cohaereant. Nec obeſt, totum contextum poſt aliquod tempus denuo perlegiſſe: imo prodeſt egregie. Saepe id, quod initio placebat, aliquanto poſt diſplicet. Sed hic judicio opus eſt: ſuus quisque ipſius judex eſſe debet.

4) Verborum delectus et ordo attendendus quoque eſt. Hinc *ſcriptum totum* aliquoties perlegendum, et videndum, an forſan hoc vel illo loco aptius graviusve vocabulum eligi, aut aptior, gravior, venuſtiorve ordo verborum inſtitui poſſit ac debeat. Nec tamen hoc ſufficit. Debemus etiam ſcriptum ad tempus aliquod v. c. aliquot dies ſeponere, et poſtea ad id diligenter perlegendum redire ac videre, quid emendari ac poliri poſſit. Saepe vocabulum, quod antea forte vel aptiſſimum videbatur, poſt aliquod temporis ſpatium videtur eſſe languidum et ineptum. Et haec ratio ſaepe repetenda. Sed hic, ut ante dictum, judicio et doc-

trina opus eſt, ne forte non corrigenda corrigamus et corrigenda ſuo loco manere ſinamus. Saepe enim fit, ut aliquis id, quod ſcripſerit, corrigat, quotiescunque legat, et eandem rem tamdiu corrigat, donec corruperit. Saepe enim id, quod ſtatim ab initio poſueramus, omnium optimum fuit. Prodeſt hic aures amicorum acutorum, nec facile adulantium, conſuluiſſe. Praelegamus iis, ſi quid ſcripſimus, et, quid de eo judicent, ita quaeramus, ut, etiamſi id valde vituperent, nos tamen non aegre feramus.

5) Habenda ſedulo eſt ratio lectorum et auditorum: nam non omnibus ubique eadem eodemve modo ſcribenda ac dicenda ſunt: ut ſupra monuimus.

SECT. II

De elaborationibus ſeu ſcriptionibus in ſpecie.

Quatuor in primis ſolent vulgo eſſe ea, quae ſcribuntur: 1) *orationes* 2) *narrationes* 3) *epiſtolae* ad homines doctos 4) *libri* et *diſſertationes* de rebus ad doctrinam pertinentibus. — De ſingulis pauca dicemus.

SECT. III

De orationibus proprie ſic dictis.

Oratio proprie ita dicta conſtare ſolet in univerſum tribus partibus, 1) exordio 2) themate 3) concluſione.

I) *Exordium* proprie non opus eſſet, niſi conſuetudo invexiſſet. Ac non nemini exordium majorem ſaepe difficultatem creat quam tota oratio. — Quale debet eſſe exordium? *Debet auditorem ad thema praeparare.* Et haec haud dubie cauſa eſt, cur inventum ſit a priſcis. Ergo debet tale eſſe, ut themati ſuo ſoli praeponi poſſit vel praeponi poſſe videatur. V. c. Si thema eſt: *hiſtoria literaria eſt ſtudioſo literarum utilis*, poſſit in exordio agi de *nonnullorum errore, putantium eam inutilem eſſe*, vel de *cauſis, cur ejus ſtudium a multis negligatur*, vel poſſit exordium *querelas* continere *de multorum contemtu hiſtoriae literariae* etc. — In omni itaque exordio

exordio debet esse 1) *thema* s. *propositio aliqua*, quam explicare et argumentis confirmare debemus: ubi ea notanda, quae supra de caussis earumque tractatione in P. II c. 1 de *perspicuitate* Sect. 6 p. 519 ff. diximus: in exordio tamen brevitate quadam opus est. 2) *connexio hujus thematis* s. *propositionis cum themate orationis.* V. c. si thema orationis est: *historia literaria est studiosis literarum utilissima*, et exordium s. thema exordii: *multi contemnunt historiam literariam.* Caussa: *quia ejus utilitatem non intelligunt.* Caussae caussa: *quia non ipsam didicerunt* etc. Connexio: *Quare de hac utilitate dicam* s. *dicere operae pretium erit.* Vel sic: Exordii thema: *multi putant historiam literariam ad adolescentes literarum studiosos non pertinere.* Caussa duplex: una, *quia illi facile ejus suavitate ita abripi possint, ut ei se deinde totos tradant ceterasque res negligant*: altera, *quia tempus melius collocari et rebus magis necessariis et utilibus tribui possit.* Connexio cum themate orationis: *At* 1) *abusus non tollit usum nec tollere debet. Si propter timorem, ne re abutamur, eam plane negligere, ea plane carere, debemus, quid non negligendum? qua re non carendum?* (v. c. igne, studiis literarum etc.) 2) *et quod ad tempus attinet, non video, quomodo, ceteris tamen rebus haud neglectis, id melius collocari queat, quam in discenda historia literaria. Quod ut appareat, dicam de* etc. Totam rem uberius explicari illustrarique debere per se patet. Quod quis hic a nobis postulet?

Interdum potest exordium etiam a persona dicentis, vel ab occasione, loco, ubi dicitur, tempore etc. duci: v. c. a) quando quis primum coram auditoribus dicit, ubi v. c. de honore loquitur, quem ex eorum praesentia capit etc., ac deinde vel aliud exordium cum themate orationis cohaerens addit, vel, si tempus non suppetit, statim thema orationis profert. b) quando dies, quo dicitur, est singularis et maxime illustris, v. c. natalis Principis etc. Attamen et hic decet exordii connexionem aliquam cum themate orationis observare: quod facile fit, si v. c. thema orationis isti diei consentaneum est, ac v. c. de *virtutibus boni principis* vel *de una virtute ejus* vel *in universum de bono, felici, principe, agit.* Hic omnia nituntur ingenio ac doctrina dicentis.

II) *Thema orationis.* Hic not. 1) *thema ipsum* 2) *ejus tractatio.*

1) *Thema* ipsum est vel *infinitum* vel *finitum*:

a) *infinitum* s. *indefinitum*, h. e. cum res in universum tractatur, nec ad certum hominem, certum tempus aut locum,

locum, refertur, v. c. cum ſermo eſt de virtutibus vel de modeſtia univerſa etc. Ac tum poteſt eſſe vel *generalius*, ubi de *genere* loquimur, v. c. de virtutibus in univerſum, vel *ſpecialius*, v. c. de una *virtute*, ut *modeſtia*, *humanitate*, it. de *paupertate*, de *divitiis* etc., vel *ſpecialiſſimum*, v. c. de *modeſtia erga inferiores* vel *ſuperiores*, de *liberalitate erga homines*, *qui incendio fortunas amiſerunt* etc., it. de *modeſtiae difficultate*, de *via ad modeſtiam*, de *utilitate paupertatis*, de *divitiarum recto uſu* etc.

b) *finitum* ſ. *definitum*, h. e. quando thema ad certos homines vel certum hominem, ad certam urbem, certum tempus pertinet, v. c. *an Pompejo imperium ſit committendum* etc., eſtque vel *generalius*, v. c. de *virtutibus principis* vel *ſtudioſi literarum* etc., vel *ſpecialius*, v. c. de *liberalitate principis*, vel *ſpecialiſſimum*, v. c. de *liberalitate principis erga eos*, *quibus incendium fortunas eripuit*, aut *erga ſuos tempore egeſtatis publicae* etc.

Quo generalius eſt thema, eo plus quidem materiae ad dicendum datur, ſed eo minus accurate res poteſt tractari. Tirones plerumque ejusmodi themata ſibi eligunt. Quale igitur thema oratori eligendum eſt? 1) id, quod maxime auditorum attentionem conſervat: ergo non *vulgaria* h. e. *generaliora* ſunt eligenda. 2) id, quod ſatis accurate et copioſe tractari poteſt: ergo non generaliora ſumenda. 3) quod ad movendos auditorum animos aptius eſt: ergo generalioribus abſtinendum. Hinc ſequitur, quo ſpecialius thema ſit, eo melius eſſe: hoc enim 1) attentionem auditorum excitat et conſervat: 2) ſatis accurate et copioſe tractari poteſt, cum contra, quo generalior res eſt, eo magis ſummatim tractanda ſit et tantum ejus capita breviter attingenda, ob materiae copiam: 3) animos auditorum plus movet. Genus et Totum nimis remota ſunt a cognitione et ſenſu hominum, at partes Totius et ſpecies atque individua ſunt propiora ei. Malim ergo dicere v. c. de *modeſtia eruditi* aliusve hominis quam de *modeſtia univerſa*; malim *principem laudare ob unam virtutem* quam *ob omnes*, et malim de *virtute ejus aliqua certo loco* et *occaſione oſtenſa* loqui quam de iſta virtute univerſa: malim unam rem geſtam ducis bellici tractare quam totam ejus vitam. Pertinent huc multa themata, v. c. *An Phyſice proſit Theologo* vel *quantum proſit? an paupertas ſit malum? quomodo paupertas tolerabilis reddi poſſit? paupertatem eſſe adjutricem doctrinae*, it. *matrem modeſtiae*

destiae etc; *quid in divitiis colligendis spectari debeat? superbiam esse fontem irae: an poenae prosint reipublicae? cur poenae non arceant alios a malefactis? animum non posse corrigi, nisi mens corrigatur* etc.

2) *Tractatio thematis.* Huc omnia ea pertinent, quae supra de perspicuitate, gravitate, et suavitate dicta sunt. Paucula ergo dicemus. *Thema* est enuntiatio, constans subjecto et praedicato. Hic igitur spectanda sunt in primis tria: thematis explicatio, confirmatio, et illustratio.

A) *Thematis explicatio.* Explicari debet, si opus est, subjectum, interdum praedicatum, interdum utrumque. Subjectum explicatur vel ex historia vel per definitionem. Hic auditorum reique ipsius habenda est ratio, v. c. si thema est: *divitiae recte usurpandae sunt*, non opus est divitias explicare, quia quisque novit, quid per divitias intelligere debeat. Sin thema est: *Paupertas prodest artibus, est mater virtutis, prodest reipublicae* etc., docendum est, paupertatem hic non esse eam, quae mendicare cogatur, sed eam, quae labore tantum comparet, quantum ad vitam sustentandam sufficiat. Sic: si thema est: *Caesar ob veniam Marcello datam admirandus est*, vel brevius *venia a Caesare Marcello data est admiranda*, explicandum est ex historia, qualis haec venia fuerit, quid peccaverit Marcellus, quam gravis inimicus Caesaris fuerit, quamque hunc laeserit Senatus consulto illo, quo Caesar jubebatur Galliam relinquere et Romae Consulatum praesens petere, qua re Marcellus cum Pompejo id spectabat, ut Caesar exercitu atque ita omnibus opibus privaretur: quia apud Romanos imperator, simul Romam ingressus erat, exercitum amittebat, nec amplius ejus dux esse poterat etc. Sic, si thema est: *Paupertas alit artes*, explicari debet, quid sit *alere artes* h. e. *incrementum iis afferre, efficere, ut floreant* etc. Explicatio potest esse vel brevior vel longior, prout res ipsa et auditorum ratio postulat. Si vel subjectum vel praedicatum per se statim intelligitur, ridicula est ejus explicatio. Inepti sunt, qui omnia omnino explicare volunt.

B) *Thematis confirmatio*, quae est res omnium maxime necessaria. *Thema* confirmamus, quando docemus, ipsum esse *verum*, h. e. praedicatum subjecto vere et haud dubie convenire: idque fit argumentis seu caussis, quo pertinent saepe exempla, quae non modo illustrant sed in non-

nullis rebus quoque confirmant, item *teſtimonia*, praeſertim in rebus hiſtoricis, ut ſupra in P. II c. 1 de *perſpicuitate* S. 7 et 8 diximus. Hic tantum in argumentis paululum morabimur.

a) *Argumenta debent eſſe ſatis multa et ſatis firma.*

b) *debent recte digeri.* Fortius minus forti poſtponendum, quia auditores poſtrema quaeque memoria melius tenent. Levia argumenta plane omittenda. Sunt, qui ea fortibus immiſceant, veluti mercatores bonis mercibus leves vel homines leves bonis numis adulterinos interdum immiſcent. Ita priſci interdum oratores: at iis hac re opus erat, quia non loqui ſemper poterant, quae vellent, ſed saepe defendere cogebantur homines improbiſſimos, it. loquebantur coram plebe, quae argumenta numerare non pendere ſolet. At nos hodie, cum ſponte loquamur et coram hominibus prudentibus, deque rebus gravibus, ac raro accidat, ut aliquid laudare jubeamur non laudandum, cumque ipſam materiam eligere nobis liceat, non niſi certis firmiſſimisque utendum eſt argumentis. Pauca argumenta, ſi certa ſunt, magnam vim habere poſſunt: nec res in multitudine ſed in recta tractatione argumentorum vertitur.

c) *Argumenta debent ſaepius repeti*, in primis aliis verbis, ut vis eorum ex animis auditorum ne elabatur ſed creſcat.

d) *In primis argumenta debent recte tractari*, h. e. debet effici, ut eorum vis vere appareat. Fit duabus rebus 1) *confirmatione* eorum per nova argumenta; 2) *oſtendenda eorum connexione cum themate. Primum* igitur *argumentum debet aliis argumentis confirmari*, quo in nonnullis rebus pertinent exempla et teſtimonia; itemque exemplis et comparatione cum ſimilibus illuſtrari et adjuvari. Saepe iſta nova argumenta, quibus argumentum thematis confirmatur, iterum novis argumentis fulciri, imo et haec ſaepe rurſus aliis argumentis confirmari, debent. Non hic definire et conſtituere licet, quoad in confirmatione argumentorum per alia argumenta progrediendum et quando ſubſiſtendum ſit. Quisque orator per ſe ſentiat et judicet neceſſe eſt, quando deſinendum ſit, h. e. debet ſcire, quid argumentis indigeat, quid non, quid manifeſtum ſit, quid non. Poſteriora tamen, quibus priora fulciantur, breviora eſſe debere per ſe intelligitur, ne confuſio oriatur. Nam, ſi omnia argumenta poſteriora, quae priorum confirmationi ſerviunt,

aeque late tractarentur, ac priora, quae thema confirmant, auditor totum contextum amitteret. Saepe posteriora ista argumenta una enuntiatione, interdum duobus verbis, constare possunt ac debent. Sed nihil definiri hic potest, quia materiae ratio valde diversa est, et alia latiorem alia breviorem argumentorum posteriorum confirmationem postulare potest. — *Deinde debet in primis cujusque argumenti*, per quod thema confirmatur, *connexio cum themate ostendi*, h. e. debet doceri, quomodo propter istud argumentum, recte explicatum, confirmatum et illustratum, thema ipsum verum esse debeat. Hoc fit per *locum communem.* Hic locus communis nihil fere aliud est, quam *dictum illud de Omni et Nullo*, ut in logicis libellis vocatur: h. e. quod universis convenit, id convenit quoque singulis: et quod contra de *Nullo* dici potest, id aperte de singulis dici nequit: sic, quod *Toti* et *Generi* convenit, id convenit etiam *parti* et *speciei:* et, quod de *specie* dici potest, licet etiam de *individuis* dicere. Exemplum tironum caussa subjiciam. Thema: venia, a *Caesare Marcello* data, est *res admiranda. Argumentum;* quia est res magna: cur? quia est difficilis: cur? ob cupiditatem hominibus insitam se ulciscendi, quod experientia docet. *Connexio*: Iam omnes res magnae nostram admirationem excitant: quod experientia iterum docet. *Repetitio thematis:* Ergo, manifestum est, illam veniam esse rem magnam. Not. nos hic nimis breviter rem proposuimus, quia tantum ordinem indicare voluimus. Nam aliis verbis, aliis sententiis, iisque pluribus rem explicandam et ornandam esse per se patet. Aliud exemplum. *Thema:* historia literaria studioso literarum est valde utilis. *Argumentum*: per eam enim cognoscit viros eruditos, eorum libros, vitam etc. atque ita videt, quantum sibi discendum restet, it. incitatur vita eorum legenda ad ipsos imitandos. *Connexio*: atqui omnia, quae studiosum ad discendum vel ad augendam doctrinam incitant, ei sunt valde utilia et commendanda.

Omnis igitur confirmatio thematis per unum argumentum, atque ita omnis tractatio unius argumenti, est syllogismus logicus inversus. Syllogismi logici conclusio est thema orationis, propositio syllogismi minor, ut dicitur, est argumentum thematis, et propositio syllogismi major est connexio argumenti cum themate seu locus communis. Quod igitur Logici primo loco, id Oratores

ultimo, ponunt, et quod illi ultimo, hi primo. Logici e duabus enuntiationibus, quas, ut jam notas certasque, ſumunt et *praemiſſas* vocant, eliciunt novam enuntiationem illarum veritate nitentem, quam *concluſionem* vocant. Oratores hanc enuntiationem, quam Logici demum eliciunt, ſtatim ab initio ponunt, ſub nomine thematis, et iſtas duas enuntiationes, quas Logici ut notas praemiſerunt, quaerunt demum. En exemplum utriusque rationis:

a) Logicae:

Omnia, quae ſtudioſum literarum ad eas acrius diſcendas incitant, ſunt ei utilia et commendanda,
Atqui *Hiſtoria literaria incitat eum ad literas acrius diſcendas,*
Ergo *eſt ei valde utilis et commendanda.*

b) Oratoriae:

Hiſtoria literaria eſt ſtudioſo valde utilis et commendanda. Hoc eſt thema.
Nam incitat eum ad acrius diſcendas literas. Hoc eſt argumentum.
Sed *quis dubitet ea utilia eſſe et commendanda ſtudioſo literarum, quae illum ad acrius diſcendum incitant?* hic eſt locus communis, connexioni duarum praecedentium enuntiationum h. e. thematis et argumenti ſerviens. Aliud exemplum:

a) Rationis Logicae:

Quidquid magnum eſt, id eſt admirandum,
Atqui *venia Marcello a Caeſare data eſt res magna,*
Ergo *haec eſt admiranda.*

b) Rationis Oratoriae:

Venia a Caeſare Marcello data eſt res haud dubie admiranda.
Nam *eſt res magna*, h. e. propter difficultates varias a paucis perfici poteſt etc.
Sed *omnes res magnae ſunt admirandae.*

Differunt itaque Oratores et Logici ita:

a) Logici e praemiſſis enuntiationibus eliciunt enuntiationem aliquam, quae inde neceſſario fluit: quod facilius eſt: at Oratores proponunt hanc enuntiationem, et

et argumenta eorumque cum illa connexionem deinde quaerunt: quod difficilius eſt.

b) Logici non ſingulas enuntiationes declarant, illuſtrant etc. At Oratorum eſt, iſtas enuntiationes uberrime explicare, confirmare, illuſtrare.

Ceterum ita eſt oratori in omnibus argumentis agendum; et, quot ſunt ei argumenta, tot ſunt ei ſyllogiſmi inverſi; quorum concluſio eſt thema. Qui haec, quae diximus, tenet, ei facile eſſe puto argumentum tractare: ſed delectus argumentorum et elocutionis varietas atque ubertas, quae ſimul poſtulatur, pendet ab oratoris doctrina et ingenio. Conf. hic ſupra dicta in capp. de *perſpicuitate*, *gravitate*, et *ſuavitate dicendi.*

C) *Thematis illuſtratio* per exempla et ſimilia, ubi v. c. a minori ad majus concluditur vel contra etc. Eodem modo argumenta ipſa illuſtrantur.

III) *Epilogus* ſ. *concluſio* it. *peroratio* proprie nihil aliud eſt, quam finis orationis. Ac profecto, poſtquam thema ſatis explicatum eſt, finis orationis per ſe eſſe poterat: et in libris dogmaticis, quando theſis ſatis explicata eſt, ſtatim deſinere plerumque ſolemus. At

a) Romani graecique oratores, quorum orationes omnes in movendis auditorum, v. c. judicum et plebis, animis verſabantur, ſolebant, re ipſa ſatis explicata, confirmata et illuſtrata, tandem ad judices vel populum propius ſe convertere, atque 1) rem cum argumentis ſummatim repetere et auditoribus in memoriam revocare; 2) deinde omni Rhetorices artificio id agere, ut animos auditorum commoverent, ira, miſericordia, cupiditate etc. implerent, atque eo certius ad aliquid vel agendum vel omittendum impellerent. Hinc finis orationis iis erat nova quaſi tractatio: hincque epilogus ſ. peroratio facta eſt pars quaedam orationis, eaque extrema.

b) Noſtra eloquentia e Romana ducta eſt. Hinc item ſolemus non ſtatim poſt explicatum atque confirmatum thema orationem finire, ſed aliquid adhuc addere in epilogo; ſcilicet 1) argumenta breviter repetere, et inde concludere, thema certum eſſe 2) deinde aliquot praecepta et admonitiones addere, et, ubi fieri decet, thema ad auditores transferre, et eorum animos vel ad agendum aliquid vel ad fugiendum incitare, hancque in rem commovere et vel miſericordia v. c. erga pauperes etc.

etc. vel odio v. c. erga peccata vel amore v. c. erga deum etc. vel cupiditate v. c. virtutis etc. implere. Utrumque recte: prius, quia auditores non omnia dicta memoria tenent; hinc repetitio prodest; posterius, quia commotio animorum praeclare procedit, si argumentorum ope jam auditoribus de re persuasum est. Hoc est labantem magis impellere. At not. 1) multi nimium tribuunt isti perorationi; thema ipsum et argumenta non recte tractant; deinde commovendis in fine auditoribus vocis intensione, figuris etc., efficere student, ut illis de re ipsa, quam tamen argumentis rite stabilire debuerant, persuadeatur. In quo errant. Nulla re tam commoventur animi, quam argumentis: et haec recte tractata, et, ut prisci ajunt, contorta et librata, per se ac sine peroratione ista animos satis commovent. Neque igitur debemus auditores hortari, incitare etc., nisi argumentorum gravium justa tractatio praecesserit. Vox parum prodest, et ad tempus tantum. Plerumque, ubi vocis intensio desinit, etiam animi commotio desinit. At argumentis creatur commotio diutissime durans: haec enim nititur fundamento firmo; nec commotio animi, quae voce forti figurisque gignitur, est vera commotio. 2) Nec *τὸ commovere animos auditorum* ubique convenire putem, v. c. in oratione, ubi materia, ad doctrinam pertinens, explicatur, et, ubi nihil nisi docetur, quis hic animos commoveat? Omninoque coram eruditis dicens ego vix audeam eorum animos voce et figuris commovere, quia, ut ego nulla re nisi argumentis ad rem credendam et vel agendam vel omittendam incitari soleo, ita et alios illis solis moveri puto.

Cum igitur mos ita ferat, ut epilogus s. peroratio addi debeat, quid in illa faciendum est? a) repetantur argumenta, sed commutatis verbis, una cum themate: b) addantur aliquot consecutiones, interdum praecepta et admonitiones, vel refutetur opinio aliorum nobis contraria; omninoque multa, quae alioquin in exordiis poni solent, ibi tractari possunt: ubi tamen semper auditorum reique ratio habenda est diligenter. Non debemus praecepta dare viris prudentibus etc. Interdum etiam epilogus ad solum dicentem pertinere potest et consistere v. c. in gratiarum actione pro praesentia et attentione auditorum, si v. c. coram sapientibus viris de re ad doctrinae partem pertinente dixeris vel in commendatione sui, v. c. quando quis ex loco abiens auditores

valere

valere jubet; vel in promiſſione officiorum, v. c. quando quis munus ſolenni oratione auſpicatur etc. — Ceterum orationem elaborare multis non tam difficile eſſet, niſi difficile multisque artificiis opus eſſe crederent. Qui ingenio valet, doctrina magna inſtructus eſt, ſe in elaborando ſaepe exercuit, et rem, de qua dicere vult, recte intelligit, ei facile erit dicere vel ſine multis praeceptis.

SECT. IIII
De narrationibus.

Narratio eſt explicatio rei actae, eſtque duplex: *Primum*, quatenus eſt membrum orationis proprie dictae, vel explicationi in primis thematis ſervit et modo ei praeponitur modo poſtponitur, vel ad illuſtrationem argumenti pertinet et *exemplum* appellari ſolet. Utraque narratio, ut ceteras virtutes narrationis habere debet, ita non nimis longa ſit neceſſe eſt: id quod per ſe patet, quia eſt tantum particula parva orationis. Haec narratio eſt vel *ſimplex* h. e. ubi res narratur, ut geſta eſt, vel *ornata* h. e. cum ſingulae ejus partes eodem modo, quo argumenta tractantur, argumentis confirmantur et deſcriptionibus locorum etc. illuſtrantur. Hoc in oratione, cujus thema hiſtoricum eſt, vel cujus argumenta e factis arceſſuntur, locum habet. Sic Cicero ſaepius, v. c. pro Roſcio Amerino, ostenſurus Roſcium non fuiſſe patris ſui interfectorem, maxime narrationibus utitur, v. c. Roſcium non tum Romae fuiſſe, cum pater interfectus eſſet, nuntium caedis hujus non ad Roſcium ſed ad alium veniſſe etc. Sic in Verrinis docere ſtudet, Verrem et Romae et in Sicilia contra jus et fas egiſſe, cives et provinciales vexaſſe, diripuiſſe, occidiſſe etc. Id quod non aliter declarare et confirmare poterat quam per *narrationes*. Hae, quia loco argumentorum erant, imo argumenta ipſa, etiam, ut argumenta, tractari et ornari nec ſimpliciter poni debebant. Ejusmodi narrationes ornatae

v. c.

v. c. in laudibus magni ducis bellici locum habent, ubi, ſi ejus victoriae ſingulae narrantur, non ſimpliciter eas narrari ſed ex ſuis cauſis duci et cum aliorum victoriis magnis comparari debere per ſe intelligitur. Et ſic in omni laude magnorum virorum narrationes virtutum illorum debent eſſe ornatae.

Deinde, quatenus narratio eſt peculiare ſcriptionis genus: cum v. c. vitam principis aliusque magni viri, bellum aliquod, vel res totius populi inde ab origine vel multorum populorum etc. exponimus, omninoque hiſtorici aut biographi partes ſuſcipimus; quales fuere Livius, Caeſar, Nepos etc. Et de hac narratione hic proprie ſermo eſt. Hic vitandae ſunt omnes figurae commovendis affectibus inventae aliaque ornamenta huc ſpectantia. Hiſtoricus et biographus debet fidelis eſſe h. e. rem narrare, prout acta eſt: ac, ſi res gravis eſt et admiranda, ea per ſe commovere debet legentium animos. Si ipſe commovere animos ſtudet, videtur vel diffidere narrationi ſuae vel nimis ea captus eſſe, quod vitium eſt. Peccavit hic nonnunquam Florus. Nihil eſt difficilius quam praeclare narrare. Homines ornatui nimis dediti ſunt, nec rem aequo animo conſiderare facile poſſunt, ſed vel amare et probare vel odiſſe et improbare eam ſolent. Iubent eruditi hiſtoricum neque patriae ſuae neque religionis nec ſectae philoſophicae nec alius cujusquam rei rationem habere. Quotus vero quisque eſt, qui iſta omnia in narrando oblivíſci poſſit? praeſertim ſi ſit animo humano et facile ipſe moveatur re qualibet. Et hodie plerique ſcriptores ſtudent animos ita fingere, ut facile moveantur et liqueſcant. Quae res non magnam ſpem nobis injicit, multos aliquando fore, qui bene narrent: cum contra odarum ſcriptores nunquam defore veriſimillimum ſit, quia his copia datur animo commoto loquendi. Facilius eſt hominibus ingenio praeclaro praeditis commoto animo dicere ac ſcribere quam placido.

cido. Omnia, quae ad narrationem bonam concinnandam pertinent, hic proferre non eſt hujus loci.

Notabimus duntaxat haec duo:

I) de *virtutibus narrationis univerſis.* Omnis narratio debet eſſe *vera*, *perſpicua*, et *ſuavis.* Haec judicio et ſcientiae ſcribentis relinquenda ſunt; attamen duobus verbis explicabimus:

1) *vera* eſt, ſi is, qui narrat, rem recte narrare et poteſt et vult. Utrumque conjungi debet: interdum vult aliquis recte narrare, at non poteſt, quia ei juſta rei ſcientia deeſt: interdum poteſt aliquis recte narrare, at non vult ea, quae recte ſcit, fideliter referre. Recte narrare *poteſt* is, qui rei ipſe interfuit ac ſimul de ea judicare recte poteſt. Quia tamen nos omnes omnibus rebus intereſſe non poſſumus, etiam eum dicimus rem recte narrare poſſe, qui eam ab aliis, recta rei ſcientia et voluntate fideliter narrandi praeditis, didicit. Recte narrare *vult* is, qui eſt veritatis perpetuo amantiſſimus, et, ut ipſe non niſi vera audire cupit, ita aliis non niſi vera narrare gaudet. Talis homo non curat homines, non praemia, non damna, non opiniones, non laudes, non vituperationes, non ſectas philoſophorum: et nec patriae nec religionis, nec amicitiae nec inimicitiae, habet rationem, et narrat ita, tanquam ſolus ſit in hac terra ac nemo ſit, a quo aliquid exſpectare vel metuere queat, et tanquam ſibi ſoli narret: narrat itaque rem ita, ut actam eſſe certo ſcit. An ejusmodi homines multi reperiri poſſint, quaeritur. Porro talis homo non niſi veritatem ſpectat; haec ſola, ut ſic loquar, per illius calamum loquitur, atque ita omnia ornamenta, quibus narratio gravior, ſuavior, probabilior fiat, omittit. Veritas per ſe gravis, ſuavis, et probabilis ſatis eſt. Omittit igitur figuras rhetoricas, animis lectorum movendis et incendendis aptas, v. c. exclamationes et interrogationes crebriores etc. Non enim affectus excitare ſtudet: ſed hi ſponte e re ipſa oriri debent. Veritas per ſe ſatis commovet, incendit, reflectit etc., modo ſatis ſit intellecta. Fateor, rem magnam ſaepe ſcriptoris ipſius animum commovere, incendere, atque adeo abripere. At hunc ignem exſtinguere, animum cohibere, et uno verbo ſe vincere debet. Quod quid aliud fere eſt quam naturam expellere? Magnum hoc eſſe ni fatear, mentiar. At propterea munus hiſtorici maximum quoque eſt. Hinc fit, ut hiſtorici tam rari ſint, et ut noſtri homines

nes malint fictas narrationes conscribere; quia hic ingenio indulgere possunt, quod in veris narrationibus non licet. Et tamen nihil generi humano utilius esse crediderim narrationibus veris et historia: nec quidquam magis optandum est quam multitudo historicorum. Fingere aliquid ingenii ope quis nequit? at vere loqui non est cujusvis hominis. Fictae res tantummodo delectant et tempori fallendo egregie serviunt; at veritas animos hominum nutrit, erudit, sapientia instruit et corrigit: imo etiam delectat, si quidem ei assuetus es. Paene oblitus essem monere in narrationibus, quatenus est genus scriptionis, opus esse *testes* nominare, quorum auctoritate narratio nostra nititur, et eorum gravitatem demonstrare.

2) *perspicua* est, si nihil omittitur, quod ad rem plane intelligendam pertineat, si ordo rerum ac temporum diligenter servatur, si nihil alieno loco immiscetur, quod seriem narrationis interrumpere atque animum legentis perturbare incertumque reddere possit, si nimia brevitas dicendi vitatur, si verba usitata et satis nota remque optime exprimentia usurpantur, si ordo verborum est naturae idearum conveniens, de qua re supra dictum est. Add. et P. II c. 1 de *perspicuitate dicendi.*

3) *suavis* est a) si perspicua est. Omnis enim perspicuitas placet. Etiam narratio omnis, si quidem res non indignas auditu continet, facile placet, modo intelligatur. b) si justa brevitas servatur h. e. ut non nimis diu res vel aliqua ejus particula dilatetur: quod judicio scriptoris relinquendum est. c) in primis varietate rerum, ac simul varietate elocutionis: it. si inexspectata multa continet, si praesertim exitus mirabilis est; it. descriptionibus hominum et rerum venustis; it. genere scribendi vegeto nec tamen affectato etc. Cf. supra cap. 3 de *suavitate dicendi.*

II) *Divisio.* Narratio est vel *simplex* vel *pragmatica.* *Simplex* est, cum tantum res cum suis partibus ex ordine, quo singulae actae sunt, simpliciter narratur, ita tamen, ut plane intelligatur; non additis judiciis de ea vel de ejus ratione etc. Talis est narratio Nepotis, Caesaris. *Pragmatica*, cum non solum res per partes perspicue narratur, sed etiam, si paulo major est, e primis initiis ducitur et additur, cur ita facta sit, nec aliter fieri potuerit, quid occasionem praebuerit etc. it. judicia de natura rei, de caussis, quatenus hoc vel illud efficere possint, de moribus populi, imperatoris, aliusve viri notabilis, per quem res mag-

na gesta est, adduntur et loci communes tractantur etc. Per ejusmodi narrationes lector fit prudens h. e. discit caussas rerum indagare et veras a fictis, quae saepe serio pro veris venditantur, discernere, et judicare, quid ex hac vel illa re sequi soleat, potestque in rebus agendis ipse cautior fieri aliisque praeclara consilia dare. Tales sunt magnam partem narrationes Livii et Taciti, ut Polybium, quia Graecus est, taceamus.

SECT. V

De conscribendis epistolis.

Epistolarum scribendarum praecepta accurata et sufficientia omnium minime tradi possunt. Nam materia, quae in iis scribendis tractatur, est tam diversa, ac personae, quae scribunt et ad quas scribitur, sunt tam diversae v. c. aetate, gustu, honoris gradu, omninoque relatione ad se invicem, ut praeceptis ista omnia comprehendi minime queant. Aliter enim scribimus de eadem re ad amicos, aliter ad inimicos, aliter ad inferiores, aliter ad superiores, aliter ad homines superbos, aliter ad modestos, aliter ad notos, aliter ad ignotos etc.

Epistola universa est scriptum, cujus hoc est consilium, ut absenti idem dicamus, quod ei, si adesset, dicturi essemus. Ac, si semper ad homines amicissimos scriberemus, nulla difficultas foret, quia hic iisdem verbis, quibus in colloquendo cum praesentibus illis usuri fuissemus, uti possemus. At, credo, epistolarum ad amicos mittendarum praecepta non dantur vel non dari opus est: hic enim animus loquitur: sed earum potius, quas ad ignotos vel a nobis alienos, ac praecipue ad viros principes et amplissimis muneribus fungentes, scribimus. Gellertus in praefat. ad epistolas suas ait, nihil esse facilius quam epistolas scribere, modo naturam ducem in cogitando et scribendo sequamur. Recte, si ad amicos scribimus vel saltem ad eos, quorum conditio, sensus, et gustus notissimus est, praesertim

sertim si nobis non sunt multo superiores nobilitate, honoris amplitudine etc. At non, si ad alios; cum praesertim sensus hominum et gustus sit tam multiplex, tam varius etc.

Paucissima igitur tantum hic dicemus:

I) In omnibus, quae scribimus, videndum, ut lector ea et intelligat et credat: hinc multa huc pertinent dicta in cap. de *perspicuitate.* In primis, quando alicui aliquid confirmamus, caussis hoc fulciendum est, ut lector videat, nos serio et ex animo loqui, nec tantum more vel adulatione ductos. Si quid v. c. laudamus, vituperamus, si cui gratulamur vel dolorem nostrum significamus, si promittimus, si spem metumve aliquem declaramus etc., haec omnia argumentis, modo breviter, modo late, confirmari et niti debent. V. c. nolim scribere alicui: *gratulor tibi, quod munus tam amplum nactus es*, et hic silere: vel *doleo, quod uxorem amisisti*, nec quidquam amplius addere. Malim v. c. scribere: *Gratulor tibi* vel *maxima laetitia affectus sum, quod munus nactus es, quod tu in primis bene ornare potes*, vel *quod nemo te praeclarius ornare potest*, vel *quod meritis tuis respondet, quod occasionem tibi praebet, multos* (v. c. doctos, miseros etc.) *adjuvandi, et merita multorum praemiis afficiendi. Doleo* vel *lugeo cum omnibus bonis ereptam tibi esse conjugem, virtutibus excellentem, quae tibi summae voluptati et adjumento erat, quae amicas innumeras solatio et consilio recreabat* etc. At per se patet, veritatem hic quoque sequendam esse, ne homini omnibus virtutibus carenti innumeras virtutes tribuamus.

II) Humanitas in primis ubique observanda est, v. c. humanius est: *Quod tibi rex munus tam amplum credidit, non tam tibi quam toti civitati* vel *reipublicae gratulor, quae quantum utilitatis ex tua prudentia et amore patriae captura sit, jam animo praevideo* etc., quam: *gratulor tibi munus a rege acceptum.* Sic, si quid petimus ab aliquo, cum conditione petendum est, v. c. *si digni simus, si fieri possit, si nihil molestiae ei, a quo petitur, creet* etc. Sic, si recusare aliquid cogimur, hoc ita faciendum, ut appareat, nos invitos recusare, v. c. addenda est *tristitia, qua affici nos dicimus, quod non potuerimus* vel *non possimus negotium aliquod suscipere* etc. Et quis omnia signa humanitatis memorare queat? Cf. supra cap. de *suavitate.* In

primis

primis decet ubique de nobis noſtrisque viribus ingenii et virtutibus modeſte loqui, nos non laudare; item nos, quantum fieri poſſit, accommodare ad ejus, cui ſcribimus, guſtum et intelligentiam, ne v. c. aliquid vehementer laudemus, quod ille vehementer oderit, vel vituperemus valde, quod ille impenſe amet, vel de re multa loquamur, quam ille non intelligat etc. Sed haec omnia nemo ſcit atque ita ſe accommodare ad ea poteſt, niſi, qui eos, ad quos ſcribit, ſatis novit. Quotus vero quisque eſt, cui haec cognitio ubique contingat?

III) Obſervantia erga ſuperiores, in primis viros ſumma dignitate ſummaque honorum amplitudine conſpicuos, nunquam negligenda eſt. Licet enim nonnunquam hi ipſi dicant, ſe iſtam obſervantiam repudiare, nosque adeo jubeant ſecum ita loqui, ut cum noſtris familiaribus: tamen haec verba curare non debemus, ſi quidem prudentes eſſe volumus. Quare v. c. ne dicamus: *Iterum ſcribo ad Te* vel *ſcripſi ad te, Comes Illuſtriſſime*, vel cum Cicerone: *ad te ſcribendum putavi*; ſed v. c. *ad Te ſcribere auſus ſum, audeo; pietatis meae eſſe duxi, pietas a me flagitabat; officium poſtulabat; pietati meae denegare non potui*, vel ſimile quid. Hinc conſuetudini cedendum, a qua ſaepe pendet obſervantia; hinc honorum nomina ſ. titulos, ut vulgo vocant, non negligere vel latinius exprimere debemus; ſed morem ſequi. Nam in colendis hominibus non quaeritur, quam latine, ſed quam obſervanter, loquamur. Si quis tamen interdum bene latine, ac ſimul obſervanter, et vero etiam perſpicue exprimere ſciat, ejus judicio res relinquenda eſt. Nec cauſam video, cur non illa abstracta, v. c. *Serenitas*, *Excellentia tua* etc., a nobis uſurpari poſſint. Non enim vivimus amplius in republica romana, ubi omnes erant pares, et ne *dominum* quidem quemquam appellabant, ſed tantum dicebant v. c. *Tu, Caeſar; Tu, Cicero* etc. Et Cicero, ſi noſtris temporibus viveret, aliter etiam in talibus rebus ſcriberet. Hinc nec cum Cicerone initio epiſtolae ſcripſerim v. c. *Ioannes Fridericus N. N. S. P. D. Comiti Illuſtriſſimo*, nec *Comiti Illuſtriſſimo ſalutem plurimam dicit Io. Fridericus N. N.*, ſed *Comes Illuſtriſſime* etc. Alia ratio eſt noſtrae aetatis, alia fuit Ciceronis. Sic et obſervantius eſt dicere *Tibi me*, quam *me Tibi* etc.

IIII) In epiſtola delectus et ordo verborum debet eſſe curatior quam in ſermone: licet in utroque idem dicamus. Nam ſermo ſ. colloquium cum praeſente, ubi finitum eſt, mox evaneſcit, et is, qui nobiscum collocutus erat, non

 recor-

recordatur ſemper poſt aliquod tempus, *qualia verba* et *qualem eorum ordinem* tum uſurpaverimus. At epiſtola ſaepe ſervatur: ac ſaepe fit, ut aliquoties perlegatur, ut adeo, ſi quid negligenter ſcriptum ſit, id, niſi in prima, at in repetita lectione animadvertatur. It. epiſtola oſtenditur interdum aliis, qui judicare poſſunt etc. Omninoque plus diligentiae in epiſtolis exſpectatur, quam in ſermone cum praeſentibus, quia illic plus temporis conceditur, quam hic. Sed ornamenta oratoria, figurae etc., abſint: nam epiſtola ſermoni vulgari longe ſimilior eſt quam orationi.

V) Finis epiſtolae non debet eſſe: *Cura, ut valeas*, non tanquam per ſe hoc reprehendendum ſit, ſed quia nimis vulgaris eſt haec formula, et ſapit nimiam imitationem Ciceronis. Sic conſtat inter eos, qui bene latine ſcribere creduntur, ſubſcriptionem nominis cum contextu epiſtolae non cohaerere debere: v. c. rejiciunt hoc: — *mihi tribuas, qui perpetuo manebo, Comes Illuſtriſſime*, vel *Vir Illuſtris, tuo nomini illuſtri addictus N. N.*, ſed ita malunt poni: — *mihi tribuas.*

Comes Illuſtriſſime vel *Vir Illuſtris* etc.
Tuo Nomini Illuſtriſſimo vel *Illuſtri*
addictiſſimus
N. N.

In ejusmodi rebus, per ſe non magnis, multum valet mos receptus. Et hunc ſequi debemus, ſi offendere nolumus. Attamen non video, cur ſubſcriptio nominis cum ipſa epiſtola non cohaerere bene poſſit, praeſertim cum more epiſtolarum francogallicarum per hanc connexionem non parum obſervantiae humanitatisque declarari poſſit.

VI) In adjectivis muneris amplitudinem, generis ſplendorem etc., indicantibus, quae vulgo *titulum honoris*, *den Titel, die Titulatur*, appellant, ſervanda eſt magis conſuetudo, quam elegantia ſtili Ciceroniani, ſi haec cum illa conjungi non poteſt. Offendimus homines, ſi iis non honoris titulum conſuetum et ſolennem tribuimus, quia cum hoc titulo conjunctus eſt honoris gradus, ordo et locus, quo in conventibus hominum fruuntur. Apponam hic ejusmodi adjectiva ſ. honoris titulos, prout vulgo uſurpari ſolent:

1) ad *Regem* ab initio epiſtolae ita ſcribitur:
Rex Sereniſſime ac *Potentiſſime*,
Domine longe Indulgentiſſime,

et

et in fine epiſtolae iterum:
Rex Seren. et *Potentiſſ.*
Dom. longe Indulgent.
Nomini Tuo Auguſtiſſimo
devotiſſimus
N. N.

Ita et ad *Imperatorem romanum*, niſi quod poſt *Potentiſſime* etiam addi ſolet *Invictiſſime.*

2) ad *Principes Electores, Duces, Landgravios, Marchiones, Principes:*
Princeps Elector (*Dux, Marchio, Princeps*) *Sereniſſime,*
Domine Indulgentiſſime,
et in fine iterum:
Princeps Elector (*Dux, Marchio* etc.) *Sereniſſime,*
Domine Indulgentiſſime,
Nomini Tuo Sereniſſimo
devotus
N. N.

NB. Nonnulli, ſi ad Electorem Principem ſcribunt, addunt *Potentiſſime* poſt *Sereniſſime.*

3) ad *Comitem Imperii* vel etiam *Comitem Univerſum:*
Comes Illuſtriſſime,
Domine (Maecenas) *Gratioſiſſime*, it. vidi *Clementiſſime* etc. qui duo verſus in fine repetuntur, deinde ſequitur:
Nomini Tuo Illuſtriſſimo
devotus vel *addictiſſimus*
N. N.

4) ad *Nobiles: Perilluſtris* etc. Si vero ſummo reipublicae munere funguntur, quales nobis ſunt ii, qui *Status Miniſtri* appellantur, dicitur etiam: *Illuſtriſſime.* Et in fine: *Nomini Tuo Perilluſtri, Illuſtriſſimo*
devotus vel *addictiſſimus*
N. N.

5) ad eos, qui *non ſunt nobiles*, varie ſcribi ſolet pro munerum ratione. Qui munere funguntur, quo alioquin nobiles fungi ſolent, vel qui inter eos, qui non nobiles ſunt, ampliſſimum munus adminiſtrant, quales ſunt *Conſiliarii*, ad eos ſcribitur: *Vir Illuſtris* (vernacule *Wohlgeborner*). Deinde ſequuntur vulgo *Praenobiliſſime* et *Nobiliſſime*, quae duo adjectiva creduntur vulgo reſpondere vernaculis

Hochedelgeborner et *Hochedler*, it. *Hochwohledler* vel *Wohledler.* Hic quisque videre debet, quid cuique conveniat. Regnat enim in hoc genere magna confusio. Alterum versum quisque pro relatione, quae inter ipsum est et inter eum, ad quem scribet, apponere debet; v. c. *Vir Illustris* vel *Praenobilissime, Patrone* vel *Fautor magni aestimande:* sic et in fine uterque versus repetitur, et pro relatione vel necessitudine varie subscribitur, v. c. *Tuo Nomini Illustri addictissimus*, *addictus;* si ad inferiorem scribitur, interdum sic clauditur: *Tui studiosissimus*, omissis duobus istis versibus. Habemus et *Excellentissime*, *Celeberrime*, quae nonnulli Professoribus Academiarum tribuunt; it. *Praecellentissime;* it. *Amplissime* et *Consultissime*, quorum posterius Iureconsultis solis, prius et his et interdum aliis, tribuitur. Cuinam enim proprie conveniat τὸ *Amplissime*, nemo certo scit; it. *Experientissime*, quod *Medicis* tribuitur.

6) ad eos, qui munere *Sacerdotum* funguntur, quo pertinent quoque *Equites* et *Maltenses* et alii similes, ita scribitur:

a) ad *Papam romanum: Sanctissime Pater.*

b) ad *Cardinales: Eminentissime* etc.

c) ad *Archiepiscopos* et *Episcopos: Reverendissime* etc.

d) ad *Consiliarios ecclesiasticos* et *consistoriales*, *Superintendentes Generales* et alios quoque *Superintendentes:* it. *Professores Theologiae academicos: Vir summe venerabilis et doctissime.*

e) ad *Inspectores* s. *Superintendentes* in minoribus oppidis (titulus enim hodie saepe variat pro oppidi vel parvitate vel magnitudine), *Archidiaconos* in majoribus oppidis et *Pastores: Vir maxime venerabilis et doctissime* etc.

f) ad *Archidiaconos* minorum oppidorum, *Diaconos*, *Pastores* rure degentes eisque fere similes: *Vir plurimum reverende et doctissime* etc. Haec posui, prout more recepta vidi. Quae si cui non placeant, is non me sed morem debet reprehendere.

VII) Initium epistolae Cicero interdum facit per formulam *Si vales*, *bene est*, *ego quidem valeo*: qua vulgari formula qui inter amicos uti volet, ei non invidendum est. Alii statim a re ipsa initium fieri volunt: nec hoc iniquum est, praesertim inter amicos. Interdum per ambages quasdam ad rem perveniri solet, v. c. si quid petitur, quod difficile videtur impetratu, vel si qua res tractatur, cautionem postulans.

VIII)

VIII) Qui latine ſcripſit ad aliquem, is ne *titulum externum*, ut vocant, ſeu *inſcriptionem*, *die Aufſchrift*, latinis verbis ponat, ſed, more ac ſimul perſpicuitate ita jubente, francice, v. c. *A Son Excellence* etc. *A Monſieur* etc. Nam quid ei, qui epiſtolam reddit, opus eſt ſcire, eam eſſe latinam? Imo non ſatis recte tradet, ſi inſcriptio latina eſt, quia eam forte non intelligit.

Cetera in latinis epiſtolis aeque obſervantur atque in theodiſcis: v. c. ut *titulum externum* ſ. *inſcriptionem* non eidem plagulae, qua literae ipſae continentur, imponamus, ſed alii chartae, illi circumdatae, ſ. *involucro*, vulgo *Couvert*. Poſtulat hoc et humanitas et neceſſitas. Poteſt enim epiſtola iſto involucro carens in aperiendo facile ſcindi. Tectior quoque eſt epiſtola involucro inſtructa, nec periculum eſt, ne quis furtim eam legat.

SECT. VI

De libellis ad doctrinam pertinentibus.

Scribuntur et ſaepiſſime libri vel libelli, in quibus materia ad doctrinae partem aliquam pertinens tractatur, v. c. disſertationes, programmata etc. De his multa dici nequeunt, quia, qui ad tales libros ſcribendos accedunt, ipſi ſine cortice, ut ajunt, natare ſciunt. Tironum cauſa monebimus tantum, in ejusmodi libellis ſervandam eſſe perſpicuitatem, ſuavitatem, interdum gravitatem dicendi.

Addamus paucas cautiones:

1) Hic non ea exornatione argumentorum opus eſt, quae in orationibus poſtulatur. Lectores enim ſunt eruditi; et hi per ſe poſſunt argumentorum pondera aeſtimare et metiri, modo perſpicue et ordine tradita ſint.

2) Abſtinendum eſt ab affectibus commovendis. Res eſt ſimpliciter proponenda et cauſis ſuis confirmanda. Figurae itaque gravitati ſervientes pleraeque vel vitandae vel ſaltem modice adhibendae. Lector eruditus vult argumentis vinci, non verborum lenociniis abripi: imo haec ei timorem injiciunt, ne forte decipiatur. Exſpectat ille explicationem et confirmationem rei, non commotionem animi. Si tamen res gravis immiſcetur, gravitas dicendi aſſumenda eſt. Tum commotio animi non abeſſe plane poteſt.

3) Verborum simplicitas, cum justo eorum ordine et tum verborum tum enuntiationum apta connexione, in primis commendanda est. Quo enim major est verborum ornatus, eo suspectior est res, quam tractas. Et ista simplicitas in libris dogmaticis tam necessaria, forsan est illa *grata negligentia*, quam multi, auctore Cicerone, laudant: scilicet grata est, quoad magis rerum quam verborum curam habuisse scriptorem apparet. Et haec est omnium eruditorum de rebus ad aliquam eruditionis partem pertinentibus scribentium.

Haec de elaborationibus. Sunt et alia scriptionum genera, v. c. *dialogi* et *inscriptiones*, quales in marmoribus priscis exstant. At raro ejusmodi res hodie occurrunt. Ac, si quis sermonis vulgaris peritus est, hominum animos satis cognovit, non ingenio caret, ac praeterea perspicue graviter et suaviter scribere didicit, is, ut in aliis rebus, ita in dialogis conscribendis non infelicem operam praestabit, dummodo materiam, cui par sit, tractare velit. In inscriptionibus spectatur brevitas et acumen. Materia praebetur ab ipsa re, quae inscriptione ornanda est, v. c. aedificio publico, vel ab homine, cujus memoria inscriptione v. c. in statua etc. conservari debet.

APPENDIX III

De variis divisionibus generum dicendi apud priscos memoratis.

Cum in libellis rhetoricis vulgo variae generum dicendi partim a recentioribus dividendi studiosis partim a priscis inventae et a recentioribus, ut fit, conservatae et retentae divisiones memorentur: nos etiam tres illas divisiones priscorum, quamquam earum utilitatem non magnam esse credimus, tamen, quia putatur nihil ignotum esse debere et ne huic libello aliquid deesse credatur, memorandas hic esse duximus.

SECT.

SECT. I

Prima divisio.

Prima divisio est in *genus dicendi* (vel potius *caussarum*, sic Cicero, h. e. materiae) *demonstrativum*, *deliberativum*, et *judiciale*. *Primum* dicunt versari in *laudando* vel *vituperando*: *Alterum* in *suadendo* vel *dissuadendo*; *Tertium* in *accusando* vel *defendendo*. Sed forsan suavius erit, Ciceronis ipsius explicationem horum trium generum legere. Sic igitur ille Invent. I, 5 ait: *Aristoteles autem, qui huic arti* (oratoriae) *plurima adjumenta atque ornamenta subministravit, tribus in generibus rerum versari rhetoris* (i. e. *oratoris*) *officium putavit, demonstrativo, deliberativo, judiciali. Demonstrativum est, quod tribuitur in alicujus certae personae laudem aut vituperationem. Deliberativum est, quod, positum in disceptatione et consultatione civili, habet in se sententiae dictionem. Iudiciale est, quod, positum in judicio, habet in se accusationem et defensionem aut petitionem et recusationem. Et, quemadmodum nostra quidem fert opinio, oratoris* (romani) *ars et facultas in hac materia tripertita versari existimanda est.* Cicero hic loquitur non de tribus generibus dicendi in universum, sed de *materia tripertita*, in qua orator romanus tempore reipublicae liberae versari solebat et debebat. Et ipsa nomina *deliberativi* et *judicialis* docent, non nisi de oratore sermonem esse, qui vel deliberandi causa pro rostris stat, et legem aut suadet aut dissuadet, it. in curia senatum ad rem impellere studet, vel in foro judicibus persuadere cupit, ut nocentem condemnent, innocentem absolvant, eive, cui bona erepta sint, restituant etc. Recte igitur ista divisio cadit in illa tempora et in illum statum reipublicae. Temporibus Caesarum, cum oratoribus non amplius liceret reipublicae consulere, cum populo de legibus agere etc., eloquentia non amplius erat deliberativa, sed tantum judicialis; tandem et in judiciis auctoritatis suae magnam partem

 amisit.

amisit. — Quaeritur igitur, an ista divisio nostris temporibus utilis sit. Sunt, qui eam non omni utilitate carere putent. Recte. Nihil enim est, quod non quodam modo saltem prosit. At non quaeritur, an quodam modo prosit, sed an ea carere plane possimus. Solent quidem et hodie oratores laudare, reprehendere, suadere et dissuadere, it. defendere aliquid: sed quo jure haec possumus vocabulis generis demonstrativi, deliberativi, et judicialis insignire? Memoria tironum non vocabulis, quorum utilitas est vel nulla vel parva et quibus carere illi possunt, obruenda est: praesertim cum rerum hodie discendarum sit tanta multitudo, ut ad omnes vix tempus suppetat, et ut magis utiles et necessariae praeferendae sint minus utilibus et minus necessariis.

SECT. II

Altera divisio.

Altera generum dicendi *divisio* est in *tenue*, *mediocre*, vel potius *temperatum*, et *sublime*. Difficile est singulorum, praesertim duorum priorum, characterem accurate definire, a) quia antiquitas nos de eo non satis erudiit, b) quia Cicero obscure et varie loquitur in Oratore; ubi cap. 23 tractat *submissum et humilem oratorem*, cui tenue dicendi genus convenit; et cap. 28 loquitur de *tertio illo amplo*, *copioso*, *gravi*, *ornato*, cui sublime genus convenire videtur; et cap. 26 extr. et cap. 27 inter utrumque interjicit medium quoddam, quod sit *uberius humili* et *submissius amplissimo*, quod temperatum genus dicendi appellare possis. c) quia vocabula ipsa sunt male lecta: nam *tenue* et *mediocre*, de quo Cicero cum laude loquitur, proprie in contemtum dicitur *schlecht*, *mittelmäßig:* deinde non dicendi genus est *tenue*, *mediocre*, *sublime*, sed materia, quae tractatur, est *tenuis*, *mediocris*, *sublimis:* ut adeo rectius dicatur *oratio de rebus tenuibus*, *mediocribus*, *sublimibus*.

Hoc triplex genus, prout intelligo ipse, paucis explicabo.

1) *Tenue*,

1) *Tenue*, quod Cicero etiam vocavit *subtile*, *submissum*, *enucleatum*, *humile* (*humilis orator* Cic. Or. 23 in.), forsan melius dicatur *simplex* s. *ornatu carens*, pertinetque ad *res tenues* h. e. ornatus non capaces s. in quibus oratori non licet ornamenta et lumina addere et affectus excitare, sed ubi tantum rem subtiliter et eleganter, h. e. recte, accurate, perspicueque narrare et explicare debet: brevius: ubi nihil aliud quaeritur, nisi ut lector auditorve rem *sciat* et *veram esse credat*. Quaeritur igitur, ubi istud simplex dicendi genus s. tenue, si ita vocare mavis, usurpandum sit. In rebus, ubi non nisi veritatem apparere volumus neque animos aliorum commovere cupimus, v. c. 1) in *narrando*, si hominibus rem narramus, quae ad ipsos non pertinet neque eorum animos tangere et movere potest, quam vulgo vocant *rem indifferentem*, et in qua narranda nihil aliud studemus efficere, quam ut illis nota fiat, v. c. quando nobis res Americanae, Africanae etc., narrantur. 2) in *genere dogmatico*, quando v. c. locum biblicum, locum scriptoris prisci, praecepta logica, metaphysica, physica etc. explicamus, idque eo animo, ut sensus intelligatur. In quibus omnibus non licet ornamentis rhetoricis, locis communibus, exclamationibus, interrogationibus crebris, anaphora etc. uti: quia tota ista res ad mentem, non ad animum, pertinet h. e. volumus *erudire*, non *movere*. Istis ornamentis videremur animum legentis vel audientis occupare et decipere velle. 3) in *dialogis*, omninoque, ubi sermonem quotidianum imitamur, v. c. in Comoediis. 4) si de rebus parvis loquimur h. e. vulgaribus: quales interdum orationi ornatissimae quoque immiscentur: non omnes enim res possunt esse graves ac magnae. Sed puerile foret in rebus parvis uti ornamentis. Hac tenui h. e. simplici oratione et tractatione usi sunt Caesar, Nepos, Cicero in libris oratoriis et philosophicis: hi sunt enim dogmatici: interdum etiam in orationibus; it. Livius saepe simpliciter narrat ac sine ullis ornamentis. Hac simplici rerum tractatione, modo recte et loco adhibeatur, nihil est suavius: hinc patet, quam indigne ea appelletur *tenuis*; ac nemini in mentem potuisse venire, ei istud nomen contemtionis plenum tribuere (nam *tenuis* non de laude dicitur), nisi ei, qui, copiae dicendi et aliis ornamentis ad ubertatem verborum et affectus excitandos spectantibus assuetus, contemnit ac pro rebus *humilibus* habet omnia ea, in quibus non copia dicendi summusque ornatus regnat. Et tales fuere Graeci: talis fuit eorum discipulus Cicero: quem deinde secutus est Quintilianus cum

 aliis.

aliis. Bonus Cicero pro excellenti ingenio, quo instructus erat, interdum ipse sensit, quam laudabilis esset ista simplex ratio dicendi. Extollit eam valde interdum: sed praeceptis Graecorum assuetus et aliorum opinione abreptus illam interdum deprimit, et interdum de ea ita loquitur, ut, quid velit, ipse nescire videatur. Legatur ejus Orat. 23—26.

II) *Mediocre;* quod sic vel dicitur de *rebus mediocribus*, quas tractat (sed eae, quae sint, definire non ausim) vel de ipsa tractatione, ut non tam sit ornatus expers, quam *tenue*, nec tamen tam ornatum, quam *sublime*. Cicero mire explicat Orat. 26 extr. dicens: *Uberius est aliud, aliquantoque robustius*, *quam hoc humile* (tenue), *de quo dictum est*: *submissius autem*, *quam illud*, *de quo jam dicetur*, *amplissimum* (sublime). *Hoc in genere nervorum vel minimum*, *suavitatis autem est vel plurimum. Est enim plenius quam hoc enucleatum* (tenue), *quam autem illud ornatum*, *copiosumque*, *submissius. Huic omnia dicendi ornamenta conveniunt*, *plurimumque est in hac orationis forma suavitatis. In qua multi floruerunt* etc. Hoc non est explicare, non characterem definire. Cicero tantum dicit, *esse ornatius humili et minus ornatum quam illud amplissimum* h. e. forsan *sublime*. Ego puto, si hic putare licet, Ciceronem per *mediocre* intellexisse *gravitatem illam dicendi*. Quia vero res alia alia gravior est, atque ita majorem copiam dicendi postulat, Cicero vero *tertium oratorem* (i. e. tertium genus dicendi) *amplum*, *copiosum*, *gravem*, *ornatum* appellat Orat. 28 in.: hinc orationem, qua res minus graves tractantur ad aliquod discrimen servandum, appellavit *mediocrem*. Haud dubie Cicero melius fecisset, si duplex tantum genus dicendi constituisset, unum simplex, alterum ornatum: ac deinde hic dixisset, alterum tamen altero esse ornatius et copiosius pro ratione materiae. — Mirum est, has divisiones omnes esse tripertitas, quasi in numero ternario aliquid praecipui vel perfecti insit. *Mediocre* igitur s. *temperatum genus dicendi* magis perspicue diceretur *genus dicendi paulo ornatius* h. e. quo non modo res explicatur, sed etiam tropi pulchri, concinnitas membrorum etc., et figurae quaedam ad affectus modice excitandos usurpantur; quo pertinet parcus usus exclamationis, anaphorae, aliarumque figurarum talium. Sic Cicero scripsisse videtur saepe in libris philosophicis, v. c. in descriptione naturae et corporis humani de Nat. D. II, it. in libris Rhetoricis passim; it. Livius etc.

III)

III) *Sublime dicendi genus* f. *oratio sublimis* dicitur tropice pro *oratione de re sublimi.* Non enim *oratio*, h. e. verba, est *sublimis*, neque ita genus dicendi est sublime, sed *res* solae sunt sublimes. Si quis vero oratione sublimi sine re sublimi uti audet, atque de re aliqua parva ita loquitur, tanquam sit sublimis, hoc vocatur *frigus*, *tumor*: *frigus*, quia animi non moventur et incenduntur: *tumor*, quia in verbis magnificis nihil inest, velut in tumore proprie dicto nihil solet esse. — Iam, si quaerimus, *quid sit sublimitas orationis* et *quomodo efficiatur*, debemus antea quaerere *quid sit res sublimis.*

1) *Quid est res sublimis?* Sublime est proprie id, quod versatur in aëre atque ita supra homines. Hinc *sublimis abiit* de Romulo ap. Liv. I, 16 i. e. *in coelum abiit.* Res itaque *sublimis* est proprie *talis, quae in homines ob difficultatem non cadit*; atque ita proprie tantum de *divinis factis* dicitur: deinde, si de hominibus dicitur, est res talis, quae ob difficultatem summam perrara est, quae fere a nemine, saltem a paucissimis, effici potest, atque ita se quasi eximit numero rerum humanarum consuetarum, seque e circulo mortalium altius tollit: et homo, talem rem patrans (si quidem homo eam patrare potest dici), supra ceteros mortales se tollit ac sublimis exstat. Inter ejusmodi res sublimes, quae semper bonae esse debent, referendus est in primis contemtus earum rerum, quae mortalibus vulgo tantae curae sunt, ut ab iis plane pendeant, in iis felicitatem vel infelicitatem summam ponant, easque adeo instar deorum venerentur ac timeant, v. c. *divitiarum*, *honoris* (quo existimatio, opinio bona etc., pertinet), *offensionum gravium* et *mortis.* Hae quatuor res a mortalibus ita magni fieri solent, ut eum, qui istas contemnere possit, pro stulto habeant et aperte, ut amentem, derideant, et contra eum, qui illas cum vulgo magni faciat et laudet, pro prudente habeant et vere naturaeque convenienter judicare atque agere credant. Perraro igitur propter harum opinionum consuetudinem et propter cupiditatem ipsam hominibus insitam accidere, ut homo istas res contemnat, quis dubitet? Provoco hic ad diuturnam experientiam hominum prudentum et senum. Iam, si quis eo fortitudinis pervenit, ut eas res vere contemnere queat, magna pars hominum stupet, admiratur, et sublimem rem ab eo actam esse credit. Sic, quod Socrates mortem et divitias contemsit, haec res fuit sublimis. Sed in judicanda hac re magna cautio est, ne omnem istum contemtum statim pro re sublimi habeamus. Debet is esse verus, voluntarius,

tarius, et cum difficultatibus conjunctus. Nam, si quis 1) divitias et honores tandem contemnit, quia has res nunquam se consecuturum esse videt, vel quia eas haud novit nec usurpare scit; vel, si quis vel senex vel morbo diuturno gravique confectus mortem contemnit, quia effugere non potest; vel si quis offensiones v. c. superiorum, quia se ulcisci non potest, contemnit, talis contemtus non est res sublimis, saltem nondum certum est, esse rem sublimem, quia non est difficilis. Contemnere enim, quod non novimus vel non consequi nos posse scimus (sic vulgo contemnimus regna) vel mutare non possumus, non difficile est. Talis contemtus non est verus, non voluntarius. Saltem non certum est, eum esse verum ac voluntarium. Sic 2) si quis divitias, quia jam ditissimus est, vel honorem, quia eo jam abunde ornatus est, vel vitam, quia diutissime vixit aut molestam vitam gerit, vel offensiones graves, quia jam saepe ultus est aut timido, ignavo, lentoque est ingenio, omnes omnino injurias ferente, contemnit, hoc itidem non difficile atque ita non sublime est. — At, si quis pauperrimus divitias sibi honeste oblatas spernit, atque paupertatem illis sponte et cum judicio praefert; si quis gravissime laesus, cum potestatem sui ulciscendi vere habeat, tamen se ulcisci non vult, imo inimicos beneficiis sponte cumulat; si quis adolescens, sanitate corporis fruens, in honore et divitiis vivens, mortem sponte ob bonum publicum subit, hae sunt profecto res sublimes. Sic Curius, pauperrimus ille consul, repudiata illa immensa vi pecuniae; sic Camillus et Fabius Cunctator, opem ferentes, ille Romae, a qua praeter dignitatem in exilium ejectus erat, hic Minucio, a quo gravissime laesus erat, cum uterque se egregie ulcisci posset; sic Decii consules, morte pro patria sponte subeunda etc., vere declararunt, se esse *sublimes*, vereque sublimes res gesserunt h. e. tales, quales non facile homo patrare potest.

2) *Quando igitur oratio est sublimis?* Quando per eam manifeste apparet, rem, quae tractatur, esse vere maximam, extraordinariam, ac sublimem h. e. talem, ut raro eam quisquam hominum perficere possit, atque adeo ut vix credibile sit, hominem tale quid efficere valuisse.

3) *Quomodo id efficitur?* Potest hoc saepe per simplicem orationem fieri: sic v. c. Moses singularem magnitudinem potentiae divinae egregie declarat his verbis simplicibus ornatuque rhetorico omni carentibus: *Et deus dixit:*

fiat

fiat lux: et facta est lux. Scriptor vel orator debet modo rei magnitudinem vere non modo sentire sed etiam intelligere h. e. attributa et signa certa magnitudinis scire et ea recitare. At, quia *primum*, qui de magnis ac sublimibus rebus loquitur, mota est semper mente, cujus enim animum non commoveat res extraordinaria? *deinde*, quia auditor lectorve non semper veram magnitudinem rerum magnarum et extraordinariarum paucis, iisque simplicibus, verbis expressam, sentit; in primis imperiti homines de plebe, qui, ut de honestate vestis plerumque ad honestatem viri, atque adeo ad doctrinae magnitudinem, famae celebritatem etc., concludere solent, sic magnam rem simplici verborum forma expressam non facile ut magnam rem agnoscere possunt: hinc solent plerumque scriptores, rei sublimitatem tractantes, omnia ea adhibere, quibus magnitudo rei vel imperitissimo apparere possit, et 1) singula magnitudinis signa seu argumenta late copioseque exponere, comparationibus illustrare, argumentationibusque gravitatem adjuvare etc.: 2) figuras, quae gravitati rerum indicandae serviunt, et, ut animum dicentis commotum declarant, ita animos auditorum commovere possunt, adhibere: 3) periodica verborum conclusione, numerosaque collocatione, item vocabulis productioribus et sonantioribus uti etc., ut de vocis subsidio nihil dicam. Sed ista omnia satis jam supra in P. II cap. 2 de *gravitate* dicta sunt. Ac forsan *grave* nihil est nisi *sublime.* Certe Cicero Or. 28, ubi de tribus generibus dicendi agit, postquam de *tenui* et *temperato* dixit, tandem de tertio dicturus ait: *Tertius* (i. e. orator, atque ita tertium dicendi genus) *est ille amplus, copiosus, gravis, ornatus, in quo profecto vis maxima est. Hic est enim, cujus ornatum dicendi et copiam admiratae gentes, eloquentiam in civitatibus plurimum* etc. *Hujus eloquentiae est tractare animos, hujus omni modo permovere: haec modo perfringit, modo irrepit in sensus, inserit novas opiniones, evellit insitas.*

Ceterum ex iis, quae diximus, patet,

1) neminem posse sublimi oratione uti, nisi re sublimi utatur: et stulti sunt, qui antea de illa quam de hac cogitant. Tirones citius et crebrius debebant rebus magnificis et sublimibus cognoscendis, cogitandis, et secum meditandis assuefieri, ut magnos generososque sensus mature imbiberent, quam de sublimitate orationis erudiri eave exerceri. Qui multas res sublimes novit, easque satis intelligit et sentit, ei

non

non difficile eſt ſublimiter dicere. Qui carens rebus magnificis et ſublimibus de rebus vulgaribus magnifice et ſublimiter loquitur, is *frigide* et *tumide* loqui dicitur, quia oratio ejus omni vi caret: *frigide*, quia auditores ſrigent h. e. eorum animus non commovetur; *tumide*, quia verba quidem ſunt magnifica, ſed in iis nihil ineſt magnificae rei.

2) neminem poſſe rem ſublimem pro dignitate explicare, atque ita vere ſublimiter loqui, qui eam non plane ex omnibus partibus atque pro dignitate cogitare ac ſentire queat. Moſes ſenſit ſublimitatem potentiae divinae, hinc dicere poterat: *Et deus dixit: fiat lux: et lux facta eſt.* Manifeſtum vero eſt, non quemlibet ſentire magnitudinem et ſublimitatem rei alicujus. Is proprie tantum, de mea ſententia, vere eam cogitare et ſentire poteſt, qui eandem vel ſimilem rem efficere valeat. Nemo rem bello praeclare geſtam recte ſenſit et cogitat, niſi qui talem vel ſimilem geſſerit vel gerere poſſit. Hannibalis tranſitum Alpium, rem ſemper admirandam, nemo recte cogitare atque ita recte deſcribere poteſt, niſi qui ſimilem rem tentaverit. Heroa magnum nemo, niſi heros magnus, magnum philoſophum, magnum poetam etc. nemo, niſi magnus philoſophus, magnus poeta etc., recte cogitare et recte laudare poteſt. Sic ſummam alicujus modeſtiam, liberalitatem aliamque ſummam virtutem, nemo recte cogitare, explicare, illuſtrare et laudare poteſt, niſi eadem ſit inſtructus. Nam quomodo, quaeſo, magnam rem cogitare et laudare poſſum, quam ipſe non plane h. e. per experientiam novi? nam ſine hac illam non recte novimus. An de vitiis idem dicendum, neminem ſcilicet poſſe vitia magna, ſcelera ac flagitia, ſatis cogitare, explicare, et vituperare, niſi qui iis inquinatus fuerit, hic inquirere non eſt hujus loci. Hinc intelligitur, quam paucis proprie facultas res ſublimes pro dignitate exponendi atque ita ſublimi dicendi genere utendi poſſit contingere. Cum vero plerumque explicatio et exornatio ſublimium rerum ad eos venire ſoleat, qui eas vel ſimiles non patrarunt nec patrare poſſunt aut volunt, nos autem res ſublimes legere valde cupiamus: humanitatis utique eſt aliquid remittere, et iſtam facultatem quoque iis quodam modo concedere, qui, etiamſi non ſublimes geſſere vel gerere poſſunt, tamen primum generoſum animum, qui illarum magnitudinem quodam modo capere ac ſentire queat, et ingenii magni et praeclarae educationis et exemplorum magnorum, ad quae ſe fingere diligenter ſtuduerunt, et experien-

perientiae diuturnae ope aliisque rebus consecuti sunt: deinde, qui virtutum omnium vere amantissimos et vitiis vere inimicissimos se praestiterunt et praestare adhuc gaudent: tum, qui magnis et sublimibus rebus, sedulo et accurate cognoscendis, earumque rationi et fontibus diligenter investigandis omnem operam dederunt, sibique istas res ab iis, qui explicare possent, explicandas studiose et saepissime curarunt, atque istis rebus meditandis, ponderandis, et cum judicio admirandis assueverunt. At quisque prudens fatebitur, hanc tamen explicationem exornationemque semper imperfectam manere. Quis vero in hoc mundo aliquid perfecti omnibusque numeris absoluti exspectet? Sed longe alia res est, quando fictae res sublimes tractantur: quales interdum tradunt poetae. Hic scriptor sublimitatem ipse sibi talem finxit, qualem mens ejus cogitare et capere poterat; hancque in rem attributa et signa sublimitatis hinc inde collegit vel pro lubitu posuit. Sed, quod quis ipse finxit, id facilius tractare potest; quia primum nemo materiam fingit, cui non par sit: deinde ista res, quam ut grandem et sublimem proponit, non est in rerum natura, sed in scriptoris mente: hinc nemo lectorum de ejus ratione satis judicare potest. Sed, an sublimitas ficta, licet egregie tractata sit, magnam utilitatem lectorum animis afferre queat, aliis judicandum relinquo. Mihi videtur tantum *delectare* posse, non *prodesse*, nisi delectationem quoque prodesse dicas.

3) Raro in rebus humanis rem sublimem, quae tractari possit, occurrere: nisi velis fictionibus uti. Ac profecto in fabulis romanensibus major multitudo rerum sublimium occurrit, quam in tota historia. Fingere enim quid non potest ingenium humanum? At, quid prosunt fictae res sublimes? Sed in deo est vera, propria, ac perpetua sublimitas: ejus res gestae sunt omnes sublimes, eaeque proprie.

4) Non facile orationem posse totam esse sublimem: quia non omnis materia, quae rei magnae illustrandae adhibetur, est sublimis, v. c. comparationes; deinde quia animus auditorum nimis defatigaretur, si eum orator perpetuo commovere studeret. Imo continua sublimitas vim suam tandem perderet. Omnia enim magna, si iis nimis assuescimus, amittunt magnitudinis aliquid et incipiunt vulgaria fieri. Hinc variatione utendum, et interdum simpliciter et sine isto magno ornatu dicendum. Hoc Cicero in Oratore recte praecipit: v. c. 28 *Qui enim nihil*

hil potest tranquille, nihil leniter, nihil partite, definite, distincte, facete dicere, praesertim cum causae partim totae sint eo modo partim aliqua ex parte tractandae: si is non praeparatis auribus inflammare rem coepit, furere apud sanos et quasi inter sobrios bacchari vinolentus videtur: et cap. 29 de se loquitur: *Fuit ornandus in Manilia lege Pompejus. temperata oratione ornandi copiam persecuti sumus. Ius omne retinendae majestatis Rabirii causa continebatur: ergo in omni genere amplificationis exarsimus. At haec interdum temperanda et varianda sunt.* In omni oratione occurrunt fere *tenuia*, *modica*, et *magna.* Vere igitur est eloquens, qui, ut Cicero ibid. ait, *humilia subtiliter*, h. e. sine ornatu, et *magna graviter* et *mediocria temperate* potest dicere.

5) Non sublimem scriptorem et oratorem seu dicentem et scribentem de rebus magnis et sublimibus pluris esse per se faciendum, quam eum, qui tenui oratione utatur h. e. de rebus ornatus non capacibus simpliciter et sine ornamentis dicat vel scribat, ut ii credunt, qui e veste hominem judicare solent. Materiae enim ratio utrumque postulat. Imo ambo scriptores et oratores sunt boni et pari honore digni, si quidem materiam suam bene tractant. Ambo mentis nervos intendere debent. Et profecto non minoris est artis in tempore ornatu abstinere quam illo uti in tempore. Imo vero forsan paulo majoris artis et difficultatis est ornatu abstinere quam adhibere, atque ita fere facilius est de sublimibus quam de tenuibus rebus dicere. Nam 1) homines vel natura vel consuetudine quadam et ambitione ad ornatus studium valde propensi sunt, cum contra simplicitatem contemnant, et de magnis rebus atque hominibus (v. c. regibus etc.) magis quam de parvis loqui cupiant, atque ita magnas res malint exponere et describere quam humiles et tenues. Id quod videmus vel in adolescentibus, qui, si poeticen attingunt, prius *Odas* concinnant quam *elegias, fabulas aliave carmina.* Hinc vero etiam tot *tumores* etc. Sed, ad quod quis natura ducitur, id ei est facilius. 2) deinde res magnae et sublimes, si vere tales sunt, praebent tam largam de se dicendi materiam, et tot tamque luculenta signa atque argumenta continent, ut orator ea tantum observare et in luce clariori ponere debeat v. c. comparationibus etc., cum contra in rebus tenuibus saepe materia diu meditando conquirenda sit: id quod accidit Ciceroni in oratione pro Archia. 3) Magnae res per se commovent animum dicentis et scribentis. Mens vero commo-

commota per se loquitur: mens commota sapientis non nisi sapienter et graviter loquitur. Quod secus est in rebus tenuibus, ubi et animus et mens dicentis vel scribentis languida fere sit necesse est, nisi se ipsa interdum excitet et impellat. Hinc fugiunt vulgo homines tractationem rerum tenuium, v. c. narrationes etc. 4) tandem, qui in sublimi dicendi genere tractando interdum peccant, ii facilius veniam accipere solent, quam qui in tenui labuntur: quia vulgo dicitur equo generoso lapsus facilius esse ignoscendus quam ignobiliori, quasi longe facilius sit tenuiter quam sublimiter dicere ac scribere: scilicet pro recepta opinione, quo major res explicetur, eo difficiliorem esse, et, quo minor, eo faciliorem.

Ceterum hanc divisionem in *tenue*, *mediocre* s. *temperatum*, et *sublime genus dicendi* mancam et imperfectam esse monuit *Io. Guil. Bergerus*. Nec magnam inde utilitatem percipi video. Melius forsan *genus dicendi* dividatur in *simplex*, h. e. ornatu carens, et *ornatum*, ubi deinde dici possit, aliud alio esse ornatius, prout res, quae tractatur, sit gravior alia: vel saltem, si vocabula recepta tueri placeat, in *tenue*, s. *submissum*, et *grave*, ubi addi possit, aliud alio esse debere gravius pro minori vel majori rei gravitate. Nec forsan vocabulo *sublimis* opus foret. Si tamen retinere placet, possit dici, *sublimitatem* esse summum gradum gravitatis. Forsan etiam melius fuerit, in libris rhetoricis, omissis istis generibus dicendi, non nisi de rebus recte tractandis agere, et docere, quaenam sint proprie tenues, quaenam magnae vel maximae. Cicero ipse in libro praeclaro, qui *Orator* inscribitur, in explicandis istis tribus generibus ita se torsit, ut facile appareat, istam divisionem, omninoque totam rem, ipsi non placuisse, neque tamen eum hanc divisionem, quam ipse inde a pueritia didicisset et usu receptam omnibusque placere videret, refutare et abjicere ausum esse. Quotus enim quisque est, qui opiniones et distinctiones, quas inde a pueritia imbibit, ad quas se conformavit, quas omnibus probari videt, ad quas se omnes conformare et fingere solent, aperte

oppugnare, in dubium vocare, vel negare audeat? Memorantur et alia genera dicendi v. c. *floridum, concitatum, moratum* etc., quae tantum virtutes quasdam generis cujusdam indicant. Sed quis tam innumeris distinctionibus tirones torqueat? Hoc profecto est, eos a regia via ad semitas et deverticula et tandem sensim ad invia ducere.

SECT. III

Tertia divisio.

Tertia divisio est in genus dicendi *Asiaticum*, *Rhodium*, *Atticum*, quibus nonnulli addunt *Laconicum*, quod alii, Ciceronianae eloquentiae assueti, omitti volunt, quia Lacones nunquam eloquentia usi fuerint, saltem non copiosa illa Ciceronis, e cujus eloquentia omne genus dicendi metiri solemus. Tota haec res nititur maxime auctoritate Ciceronis in Bruto, quam Quintilianus aliique deinceps secuti sunt.

I) *Asiaticum* dicunt fuisse omnium diffusissimum, copiosissimum, h. e. omnibus ornamentis sententiarum et verborum abundasse, et, quidquid ad res ornandas amplificandasque dici posset, complexum esse. Quale si fuit, haud dubie vitiosum fuit: est enim in rebus, etiam optimis, modus servandus. Cicero creditur Asiatico more locutus esse in Orat. pro Rosc. Am. de parricidio: sed forsan culpa est in adolescentia ejus. Omnes enim adolescentes fervidi ingenii, recentes a praeceptis magistrorum, et ambitiosi diffuse dicere solent, praesertim si primum dicunt: quia tum doctrinam et artem ostentare cupiunt.

Totam rem sic cogitare debemus. Si verum est, quod Cicero Brut. 13 narrat, Asiaticos eloquentiam ex Athenis hausisse, qua re nihil verisimilius est, quia ad metropolin cetera oppida et oppidula se conformare solent: non mirum est, Asiaticos, quo remotiores erant a matre sua, Athenis, ubi doctrina vigebat, et ubi presse accurateque loquebantur, quo minus doctrinae operam dabant, et quo minus occasio dabatur eloquentiae ostentandae, eo magis praecepta Athenis hausta sensim oblitos esse et eloquentiam in verbosam loquentiam commutasse. Omnis eloquentia pendet a doctrinae magnitudine, a praemiis et honoribus, quos exspectat, et ab exercitatione. Athenis

nis erant viri doctissimi: hi regebant rempublicam, ut Cicero Romam: hi summis praemiis et honoribus afficiebantur, laudabantur etc.: hi propterea valde exercebantur. Haec omnia deerant Asiaticis: quid mirum, eorum eloquentiam non tam accuratam fuisse quam Atheniensium. Et omnes Asiaticos non inter se fuisse aequales h. e. verbis abundantes per se credibile est, quemadmodum non omnes Attici oratores presse satis locuti sunt. Pendet enim haec res quoque ab ingenio, educatione, aliisque multis rebus.

II) *Rhodium* dicunt medium tenuisse inter Asiaticum et Atticum, ac fuisse pressius Asiatico, copiosius Attico h. e. tantum ornamentorum, quantum ad pulchritudinem orationis opus erat, atque ita neque nimis multa neque nimis pauca complexum esse. Quod si est, fuit haud dubie optimum. At quisque sentiet, hanc descriptionem, quam dedimus (et aliam dare non possumus), valde indefinitam esse. Quid enim est: *pressius Asiatico*, *copiosius Attico* etc.? debebat demonstrari, an multo pressius Asiatico, an multo copiosius Attico, et quatenus quibusque in rebus fuerit pressius illo, et copiosius hoc. Sed hoc non doceri potest: hinc illa descriptione contenti esse cogimur.

Res sic forsan cogitanda. Eloquentia Rhodia, quae forsan antea Asiaticae simillima fuit, correcta est per *Atticam*. Aeschines enim Orator Atticus clarissimus per Demosthenem Athenis expulsus venit Rhodum, ibique eloquentiam docuit: hinc ea pressior et accuratior facta. Deinde Rhodus erat respublica libera, in qua, ut in omnibus liberis civitatibus, eloquentia multum valet, magnis praemiis afficitur, ac propterea studiose colitur. Quid mirum, eloquentiam istam Atticam ibi conservatam esse? Et credibile est, post mortem Demosthenis eloquentiam Rhodi magis floruisse quam Athenis. Cicero ipse usus est Rhodi Molone quodam magistro, a quo Asiaticam luxuriem et redundantiam dediscebat et pressius dicere discebat.

III) *Atticum* nonnulli tempore Ciceronis in tenuiter sicceque dicendo versari, et omni ornamentorum genere carere, atque ita ab illo *tenui*, *subtili*, *submissoque dicendi genere*, quod supra explicavimus, non discrepare putaverunt: et principes ejus fecerunt Thucydidem et Lysiam; vid. v. c. Cic. Orat. 9 et de opt. gen. orat. 4. At Cicero hoc negat: et recte; si quidem Isocrates, Aeschines, et in primis Demosthenes Attici oratores fuere; quod nemo sanus negaverit. Videtur igitur a Rhodio non multum discrepasse et in eo constitisse, ut de humilibus rebus humiliter s. tenuiter,

 ter,

ter, de mediocribus s. temperatis temperate, de gravibus graviter et copiose diceretur, sed omnis illa redundantia Asiana vitaretur. Cf. Cic. Orat. 9, in primis Brut. 84 extr., ubi ait: *Ita fiet, ut non omnes, qui Attice, iidem bene; sed, ut omnes, qui bene, iidem etiam Attice dicant:* et de opt. gen. orat. 4 extr. *Ex quo intelligitur, quoniam Graecorum oratorum praestantissimi sunt ii, qui fuerunt Athenis, eorum autem princeps facile Demosthenes, hunc si quis imitetur, eum et Attice dicturum et optime: ut, quoniam Attici nobis propositi sunt ad imitandum, bene dicere, id sit Attice dicere.* Quintil. XII, 10, qui inter alia ait: *Melius de hoc nomine* (Attico) *sentiant, credantque Attice dicere esse optime dicere.*

Sed *haec divisio* et *tota res*

1) *est parvae* vel *nullius utilitatis.* Et nos eam duntaxat propter reverentiam erga antiquitatem, more aliorum, hic memoravimus. Pertinet non nisi ad historiam eloquentiae graecae, vel potius ad historiam opinionum romanarum de graeca eloquentia.

2) divisio ista totaque omnino res *non est subtilis* et *accurata.* Quis enim eloquentiam vel dicendi genus ab urbe, praesertim magna, atque adeo a tota terra nominet? An credibile est, Athenis, Rhodi, vel in tota Asia eandem eloquentiae formam viguisse, eamque semper? Nam primum omnis forma eloquentiae propter opinionum humanarum, a variis causis pendentium, inconstantiam, propter varietatem ingeniorum humanorum et studii literarum, a quibus eloquentia, nisi loquacitas debet esse, pendet, et propter alias multas causas mutationi subjecta esse solet: et eloquentia post triginta vel quinquaginta summum annos aliam formam et habitum plerumque induit, quam antea habuerat. Deinde in eadem urbe, praesertim magna et celebri, ubi ingens oratorum est numerus, non facile eadem est eloquentia. Nam, ut vincendi se invicem studium omittam, alius hac alius illa via ad eloquentiam tendit, prout vel ingenium vel magistrum nactus est, vel prout optime se ad eam perventurum esse credit. Forma eloquentiae omnino pendet 1) a *forma reipublicae*, in qua quisque vivit:

vit: v. c. Ciceronis et Demosthenis eloquentia diversa est ab eloquentia posteriorum temporum: sic et Anglicana videtur differre a theodisca. 2) a *gustu plurium, eorumque magnorum.* Qui si copiam dicendi et ornamenta plurima amant, oratores hanc rem appetunt, et in ea consequenda magnam laudem ponunt: sin illi brevitatem dicendi ubique laudant, oratores hanc sequendam putant. Hinc Lacedaemone copia dicendi ab oratoribus, si qui sic dicendi sunt, negligebatur (nec forsan ipsa eloquentia), quia illam et principibus civitatis et vulgo displicere videbant. 3) a *magistri peritia* et *gustu.* Si ejus peritia magna, si gustus verus est, fingit discipulos egregios: sin minus, discipuli non parum proficiunt. Sed non omnes magistri sunt eadem peritia eodemve gustu. Hinc diversa discipulorum ratio. Nam, *quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu;* et *a teneris assuescere multum est.* Cicero incidit in Molonem magistrum, qui praeclare sciebat, quid et quantum in quaque re dicendum esset; hinc Ciceronis eloquentia alia facta est, quam facta esset, si ipse in eum magistrum, quo Hortensius usus erat, incidisset. 4) a *magistri cujusdam celebritate* et *auctoritate:* quae saepe disciplinis et artibus certam formam dedit. At, si ille moritur vel amittit celebritatem nominis et auctoritatem, eloquentia aliam formam plerumque induit, nisi discipulos sui similes multos eosque fideles reliquit. 5) a *doctrina.* Quo quis doctior est, eo melior et accuratior fit orator. Docet hoc exemplum Ciceronis, qui ipse fatetur se literis h. e. philosophiae, cui diuturnam operam dedit, eloquentiam suam potissimum debere. 6) ab *aetate.* Adolescens aliter loquitur ac senex. Cicero aliter scripsit et dixit adolescens, aliter senex. Quantum differt oratio pro M. Marcello a Rosciana, item a Verrinis! In illa non nisi virilis eloquentia conspicitur, quae v. c. concinnitatem membrorum aliaque ornamenta non studiose quaerit, sed adhibet, ubi se sponte

 offerunt.

offerunt. Sic libri de officiis, de senectute, de amicitia etc., quam pleni sunt virilis eloquentiae! Sic Hortensius contra magis dicendo floruit adolescens, quam senior: vid. Cic. Brut. 94, 95. Erat scilicet nimis assuetus generi dicendi Asiatico, quod adolescenti quidem convenire videbatur, non item seni. 7) ab *ingenio*. Quod, quam diversum est in oratoribus, tam diversum reddit eorum genus dicendi. 8) a *materia*, quae tractatur. Non omnem materiam eundem ornatum admittere, manifestum est. Qui magnificas res tractandi occasionem habet, is gravius, copiosius, et ornatius dicit et scribit, quam cui non nisi res tenues tractandae creduntur. Hinc Demosthenes, cui pro populo de rebus gravissimis et ad rempublicam summam pertinentibus saepe dicendi occasio erat, summa dicendi copia ornamentisque omnibus excelluit, cum contra Lysias non nisi res tenues tractans et parvarum rerum causulas oratiunculasque litigatoribus scribens, ut hi scilicet eas ediscerent suoque ipsorum nomine haberent, non potuerit, nisi perraro, elate dicere. Qui, si de rebus magnis dixisset, haud dubie non minus copiose quam Demosthenes aut Aeschines dixisset. Cf. Cic. de optimo gen. orator. 3 extr., ubi de Lysia haec ait: *Est enim* (Lysias) *multis in locis grandior. Sed, quia et privatas ille plerasque, et eas ipsas aliis, et parvarum rerum causulas scripsit, videtur esse jejunior, quoniam se ipse consulto ad minutarum genera causarum limaverit.* Et consuetudo fit deinde saepe altera natura. Haec vera videtur esse causa discriminis inter Demosthenem et Lysiam. Sic Cicero, si non nisi Quintianam nobis orationem reliquisset, a nobis pro tenui oratore haberetur, ac, si non nisi caussas Quintianae similes tractasset vel tractandi occasionem habuisset, non illam amplam, copiosam, ornatamque eloquentiam consecutus esset vel ostendere potuisset. Sed largam ornate copioseque dicendi occasionem dederunt illi causae graves, v. c. Verris nefanda scele-

ra

ra et flagitia, lex Manilia, et in primis Antonius etc. His debet laudem eloquentiae ejus, quam hodie admiramur. — Hae igitur a nobis allatae causae pluresque aliae efficiunt, ut in eodem loco, eodem tempore, non eadem eloquentiae forma reperiri facile possit, multo minus in diversis locis et temporibus diversis. Alia Romae erat eloquentia Crassi, alia Antonii, alia Hortensii, alia Ciceronis, Caesaris etc., ut apud Athenienses alia erat Demosthenis, alia Aeschinis, alia Lysiae, alia Thucydidis. Non igitur eloquentiae forma s. dicendi genus quoddam ab urbe vel terra aliqua nominari debebat. Haec appellatio a loco petita est similis cuidam recentiori appellationi, cum ante triginta vel quinquaginta circiter annos vulgo genus dicendi sacrum seu methodum de sacris rebus in aede dicendi dividebant in *Ienensem* et *Lipsiensem methodum* (Ienaische et Leipziger Predigermethode), et orationes edendas ista inscriptione insigniebant, quasi haec vel illa methodus propria esset Ienae, Lipsiae etc. Melius prisci genus dicendi ab hominibus nominassent, v. c. *genus dicendi Demosthenеum*, *Aeschineum*, *Lysianum etc.*

IIII) *Laconicum genus dicendi* an unquam fuerit, quaeritur adhuc. Fuerunt, qui affirmarent: plures tamen hodie negant. Qui affirmant, ponunt id in maxima ac fere nimia dicendi brevitate. Ac profecto Lacedaemonii omnem dicendi copiam fugiebant et quam brevissime loqui solebant. Rescripsisse v. c. dicuntur ad verbosam Philippi Macedonis epistolam his pauculis verbis: Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ *Dionysius Corinthi:* quibus verbis docere eum volebant, *non esse quod se tantopere jactaret* et *Lacedaemoniis minaretur; tyrannorum regna non esse diuturna: Dionysium quoque, Siculum tyrannum, patria expulsum Corinthum fugisse, ibique ludum aperuisse; forsan eandem sortem vel similem Philippo contingere posse: nisi resipisceret* etc. Iidem dicuntur ad eundem regem epistolam misisse, in qua, negantes ei, quae voluerat, scripserint literam ο pro ου. Quid brevius et parcius esse potuit? Qui contra negant genus dicendi Lacedaemonium ullum fuisse, defendunt suam sententiam ita, quia Lacedaemonii eloquentia caruerint. Hoc confirmat Cicero

Brut. 13 in., ubi ait: *Hoc autem studium* (dicendi h. e. eloquentiae) *non erat commune Graeciae, sed proprium Athenarum. Quis enim aut Argivum oratorem aut Corinthium aut Thebanum scit fuisse temporibus illis? nisi quid de Epaminonda, docto homine, suspicari libet. Lacedaemonium vero usque ad hoc tempus audivi fuisse neminem. Menelaum ipsum, dulcem illum quidem tradit Homerus sed pauca dicentem. Brevitas autem laus est interdum in aliqua parte dicendi, in universa eloquentia laudem non habet.* — Possit hic opponi, licet Cicero nihil audiverit de oratore quoquam Lacedaemonio, tamen potuisse Lacedaemone oratores esse. Nos multa nescimus, quae tamen esse possunt. Lacedaemoniorum res paulo ignotiores erant, quia ipsi mercaturae expertes et societate usuque exterorum exclusi vivebant. Ac, si oratores inter eos erant, quaeritur, an orationes suas antea, quam recitarent, diligenter chartae mandarint, more Atheniensium et Romanorum. Et Cicero, licet de Thebanis idem judicium ferat, tamen addit: *nisi quid de Epaminonda, homine docto, suspicari libet.* Cur non simile quid de Lacedaemoniis suspicari libuit? At Epaminondas doctus fuit h. e. philosophiae operam dedit: quod de Laconibus, quos ἀμούσους vocant, dici non posse vulgo credunt, cum tamen illos concedant prudentissimos fuisse. An non philosophiam aliquam popularem didicerint?

Sed, ne nimis longe a re abeamus, tota ista lis, tota quaestio, utrum Lacedaemoniis eloquentia et dicendi genus, quod hic pro eadem re sumitur, tribui possit nec ne, nititur notione *eloquentiae.* Hanc si cum Cicerone ponimus in *copia dicendi*, quo pertinent omnes amplificationes, similitudines etc., ita ut, quemadmodum Cicero loco paulo ante laudato dixit, *brevitas in eloquentia universa nullam laudem habeat*: sequitur, Lacones caruisse eloquentia. Sin eloquentiam dicimus esse facultatem de rebus perspicue, graviter, et suaviter dicendi vel etiam persuadendi, quocunque modo hoc fiat: non video, cur Lacedaemonii, qui haud dubie persuadere, atque ita perspicue, graviter, suaviterque dicere potuerunt, eloquentiae laude careant. Lycurgus quidem iis suas persuasit leges: Philippus rex Macedonum haud dubie intellexit eorum mentem in istis verbis: Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ etc. Et conveniebant atque inter se deliberabant de republica; hic opus erat persuasione, perspicuitate, gravitate, et vero etiam suavitate quadam dicendi, ut scilicet dicta, consilia etc., placerent ceteris; uno verbo eloquentia. Nam, si quis paucis verbis idem efficere valet, quod

quod alius multis, an ille minus eloquens propterea, quod minus copiofus eft, dicatur? Omnis eloquentia primis temporibus brevis ac Laconica fuit. Brevitas haec oritur ex paupertate, matre parfimoniae. Ubi luxuries eft in vita, ibi luxuries quoque eft in verbis. Natio, paucis rebus ad fustentandam vitam contenta, paucis item verbis contenta eft et vitae paupertatem cum paupertate verborum conjungit. Eft legibus obedientior, modeftior, et facilius atque uno interdum verbo flecti et impelli poteft. Roma, quamdiu pauper fuit et parfimoniae amans, tamdiu brevitatem dicendi amavit eaque contenta fuit. At luxuries, filia divitiarum, parit luxuriem verborum: a magnificentia fupellectilis transimus ad magnificentiam verborum. Homines luxuriae dediti minus legibus obediunt: nam hae adverfantur eorum cupiditatibus. Animus eorum fit durior erga praecepta et confilia, fit timidior, verfutior etc. Ergo majori vi et copia, imo pompa ac fulmine, verborum opus eft etc. Primis igitur temporibus eloquentia perbrevis erat: id quod docet Menenii Agrippae oratiuncula apud Livium, nihil nifi comparationem reipublicae cum corpore humano, fenatus cum ventriculo, civium cum membris corporis complexa. Sero demum copia dicendi inventa eft imperitorum caufa, ut hi fententiam dicentis plane intelligerent et probarent: orationes enim coram plebe faepiffime habendae erant. At, fi cum eruditis loquimur, v. c. in disputationibus, copia dicendi abstinemus: Illi enim etiam fine hac noftram mentem intelligunt. An v. c. Menenius Agrippa, qui breviffima illa oratione plebem romanam flexit, eique *perfuafit*, ut monte facro decederet urbemque repeteret, minus eloquentiae declaravit, quam Cicero, qui longiffima oratione et omni copia dicendi eidem plebi perfuafit, ut legem Rulli agrariam repudiaret? Hic Antonius, qui ap. Ciceronem de Orat. I, 21 et in Orat. 5 inter difertum et eloquentem discriminis nefcio quid ftatuit, et dixit, fe multos difertos vidiffe, eloquentem omnino neminem, Antonius igitur hic forfan dicet, Lacones fuiffe ad fummum difertos, non eloquentes. Sed hoc eft vocabulis ludere, iisque pro libidine uti. Laconibus igitur tribuenda eft eloquentia, at non copiofa: tribuendum eft genus dicendi, at non copiofum, quale Demofthenis et Ciceronis fuit. Hoc ipfi fpreverunt, nec eo eguerunt, quia cives artibus graecis nondum corrupti, nondum cognitione ftatuarum, imaginum, epularum aliarumque rerum delicatarum ad voluptatum luxuriaeque fenfum et cupiditatem translati erant, fed vitae

 feverae,

severae, ope legum Lycurgi et disciplinae publicae, assueti, facile paucisque verbis regi flectique et ad utilia amplectenda atque agenda, ad noxia fugienda, omittenda vel avertenda impelli poterant. Et, quod Sextus Empiricus refert, Lacedaemone cives, qui dicendi arti foris operam dedissent, propterea punitos esse, hoc non declarat statim, Lacedaemonios omne eloquentiae studium aversatos esse, quod inde vulgo praeter rem colligi solet, sed indicat tantum, eos eloquentia domestica contentos fuisse et credidisse, non aliud dicendi genus, idque copiosum, discendum esse. Mirabile est, Ciceronem Laconibus, quia orator eorum nullus innotuerit, eloquentiam tribuere nolle, cum tamen antiquissimis Romanis, de quorum eloquentia nulla tamen quoque exstant monimenta, eam tribuere non dubitet in libro, qui Brutus inscribitur, v. c. Bruto illi, qui reges ejecit etc. Ac profecto magna opus erat eloquentia ad populum impellendum, ut reges ejiceret, ac juraret, se nunquam eos revocaturum, nec unquam aliquem Romae regnare passurum. Nam eloquentiae magnitudo non ex ornamentis etc. sed ex ejus effectis colligi debet. Et, quod quis potest efficere paucis, cur id efficere cogatur pluribus et per ambages? Cui haud notum est proverbium: *quod potest fieri per pauca, non debet fieri per plura?* Haec sufficere possint ad eloquentiam, modo hoc vocabulum recte intelligatur, et ad genus quoddam dicendi, quamquam non copiosum, Lacedaemoniis vindicandum. — Ceterum vix illud nostris temporibus copiae Ciceronianae assuetis imitari nobis liceat, praesertim in orationibus ad plebem habendis, cui magis copia dicendi, recte adhibita, convenire ob causas modo dictas videatur.

F I N I S



INDEX

INDEX

VOCABULORUM, FORMULARUM RERUM ET LOCORUM

QUAE

EXPLICANTUR, EXAMINANTUR ILLUSTRANTUR

A

armenta

B

compo-

E

efflare

F

formo-

illuc

membri

nec

O

objectio-

pro

nus

S

346:

ut,

Venus

vulgo



